# BULLARIUM

## ROMANUM

# BULLARUM
# DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
## SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
## TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

R. P. D. ALOYSII TOMASSETTI ANTIST. DOM. PONTIF.

ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

**SS. D. N. PIUS PAPA IX**

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

**FRANCISCO GAUDE**

## TOMUS IV

(Mainard. edit. Tom. III Pars II)

A GREGORIO X (an. MCCLXXI) ad MARTINUM V (an. MCCCCXXXI)

AUGUSTAE TAURINORUM

SEB. FRANCO, H. FORY ET H. DALMAZZO EDITORIBUS

Tom. IV, pag. IX.

# INDICULUS

## SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO IV

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

(Vide *Adv.* praepositam indiculo tomi x).


| *Datum A. D.* | | | *Pag.* |
|---|---|---|---|
| | | BONIFACIUS VIII. | |
| 28 Septembris | 1295 | Romana mater Ecclesia | 529 |
| | | CLEMENS V. | |
| (*Absque data*) | 1312 (?) | Qui facit magna | 230 |
| | | IOANNES XXI (al. XXII). | |
| (*Absque data*) | 1326 (?) | Super illius specula | 316 |
| (*Absque data*) | 1326 (?) | Ratio iuris exigit | 317 |
| | | BENEDICTUS XII. | |
| 7 Octobris | 1340 | Decus et necessarium [1] | 461 |
| | | BONIFACIUS IX. | |
| 22 Septembris | 1404 (?) | Ad ecclesiarum | 646 |
| | | ALEXANDER V. | |
| 2 Aprilis | 1410 | Ex iniuncto | 655 |
| | | GREGORIUS XII. | |
| 8 Iulii | 1415 | Sacrum nonnullorum fratrum | 453 |
| | | MARTINUS V. | |
| 1 Februarii | 1423 (?) | Romani Pontificis [2] | 708 |


1 Bullam istam nos iam dedimus folio separato addendo tom. IV ad pag. 461.
2 Ista proprie fuit edita post hanc datam, sed refertur ad ipsam.

# LECTORI BENEVOLO

## TAURINENSES ROMANI BULLARII EDITORES

### SALUTEM

Satis abunde in praefatione altero editionis nostrae volumini praemissa methodum exposuimus, quam in suo evulgando opere Cl. vir U. I. D. Carolus Cocquelines sequutus est. Nunc, ne, iam dicta retexendo, fastidio lectorem afficiamus, plerumque verborum, quae in septimi voluminis (unde opus suum ille aggressus est) fronte leguntur, hic referre duximus, ex quibus ratio erui potest cur ad voluminum, septimum praecedentium, in plures partes divisionem romano fuerit editori, non voluntate, sed necessitate recurrendum. « Insigne

Bullarii Romani opus (typographi sunt verba) apostolicas Summorum Pontificum constitutiones complectens, primum Cl. I. C. Laertius Cherubinus adornavit, et ad Pauli V tempora perduxit: deinde eiusdem filius P. D. Angelus Maria, monachus Cassinensis, nova collectione ad Urbani VIII pontificatum producta, auxit: tandem PP Angelus a Lantusca et Ioan. Paulus a Roma, ord. S. Francisci strictioris observantiae, ad annum 1672, quo universam regebat Ecclesiam Clemens X, continuarunt. Neque ullus sane alius post sexaginta annos editas a successoribus Pontificibus constitutiones adiecit, quod magnopere literaria respublica dolebat.

« Expectabatur profecto, ut in nova Bullarii editione, post primam Romanam, Lugduni facta anno 1712, omnes quae ad id temporis emanarant constitutiones adderentur; sed compertum est, non solum novas non adiunctas, verum etiam veterum nonnullas mutilas esse, ac methodo haud bene ordinata dispositas. Altera autem, quae Luxemburgensis nomine circumfertur, neque omnes quas pollicetur constitutiones comprehendit, nec necessariam in hisce rebus diligentiam ac fidem praefert.

« Facturum igitur me operae pretium existimavi, et rem catholicae reipublicae ac literariae non inutilem, si accuratiorem antiquae Romanae editionis continuationem (nota, Lector, verba) ab anno 1670 typis meis promerem. Quamquam autem in sexto et ultimo antedicto Romanae editionis volumine continentur ipsius Clementis X constitutiones tam eodem anno 1670 , quam duobus sequentibus annis conditae; tamen cum ibidem aliae omissae, aliae, non servata temporum serie, impressae sint, propterea ab exordio eius pontificatus initium sumendum duxi, ut omnia suis sedibus ordine digesta reperiantur.

« Sedulam igitur operam navabo ut nedum haec Bullarii Romani continuatio in lucem prodeat omnibus numeris absoluta; sed etiam ut praecedentia sex volumina Romae edita denuo imprimantur purgata a mendis, et aucta iis constitutionibus, quae in ea ex collectorum incuria omissae, a secretioribus Sanctae Sedis Apostolicae scriniis modo erutae, et ex suis autographis exscriptae sunt ».

Cum itaque, occulta archivorum scrutante Cocquelines, constitutionum numerus mirum in modum succresceret, editori necesse fuit sex Cherubiniani Bullarii volumina in totidem partes dispescere, quot sacrorum capere copiam monumentorum possent: sicque factum est, ut tertium Mainardianae editionis volumen partes seu tomos tres, quartum item quatuor, quintum etiam quinque, ac demum sex sextum complecteretur. Quae cum ita sint, primo obtutu quisque intelliget, tertium editionis nostrae volumen, Romanae esse tertii *partem primam;* hocce vero in Romana eiusdem voluminis *partem alteram*, in Taurinensi editione quartum. Haec sane, ne confusio suboriretur, prudenti Lectorem consilio semel monere visum est.

Nihil omittimus ut tam magnum opus, non modo sacris studiis, sed et humanis literis adiuvandis ac fovendis comparatum, nostra prodeat ex typographia, quantum fieri potest, emendatius: sapientiae et fortitudinis, qua Iesu Christi Ecclesiam gubernarunt sancti Petri successores, perillustre monumentum. Quod eo fidentius speramus, quo altius fixum in animo est, inter saeculi vanas curiositates atque foedissima hominum commenta, illorum humiliter sequi doctrinam, quibus dictum a Veritate est: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit*, *me spernit* (Luc. x, 16). Verum opere in longo, ubi aliquid irrepat, quod legentium oculos vel leviter offendat (offendere

autem aliquid quis posse negabit?) illud ne oscitationi desidiaeve nostrae adscribas, sed humanae prorsus infirmitati, oramus te, candide Lector, atque obtestamur (*).

Augustae Taurinorum, kal. ianuarii MDCCCLIX.

*Editores* SEBASTIANUS FRANCO
HENRICUS FORY
HENRICUS DALMAZZO

(*) Obiter hic adnotatum volumus (quod plenius in Subscriptorum elencho) innumeras nos agere gratias, iisque maximas habere, qui Magnum Bullarium nobis edentibus consilio, auctoritate et gratia occurrerunt. Ex hoc esse numero dicimus Excell.mum ac Rev.mum **D. Hermannum De Vicariis** archiepiscopum Friburgensem, qui sponte ecclesiasticum virum rei diplomaticae peritum in sua dioecesi deputavit pontificiis monumentis colligendis, ac Romano Bullario subscriptionibus recipiendis, opusque nostrum, datis encycliis ad Clerum, enixe commendavit; ex hoc esse numero comites **Clementem Solarum a Margarita** V. Exc., Regni olim administrum ab exteris rationibus, et **Ignatium Costa Della Torre,** olim magistratum litibus dirimendis rerum iudicatarum, qui, laici cum sint, zelo Domus Domini inflammati, miro nobis modo favent. Iis, caeterisque optime de Bullario meritis, aliquod in hisce verbis grati animi signum dandum duximus, idem imposterum praestituri erga omnes qui insigni aliquo beneficio opus nostrum prosequentur.

# GREGORIUS X

## PAPA CLXXXIV

*Anno Domini MCCLXXI.*

Mortuo Clemente IV die 29 novembris anni 1268, successoris electio prope in triennium protracta est. Thealdus siquidem vicecomes Placentinus, Leodiensis archidiaconus, in Syria tunc temporis commorans, electus est in Summum Pontificem die 1 septembris anni 1271, qui Gregorii X nomen sumpsit. Romae consecratus est die 27 martii 1272. In concilio Lugdunensi secundo canones edidit de inclusione cardinalium in conclavi pro electione Pontificis, aliasque sanxit leges in conclavi eodem servandas. Sedit in pontificatu a die electionis annos IV, mens. IV, dies X, a consecratione vero ann. III, mens. IX, dies XV, imperante in Oriente Michaele Palæologo. Obiit siquidem Aretii die 10 ianuarii 1276. Post eius mortem vacavit sedes dies X.

---

### I.

*Hierosolymitanum patriarcham, caeterosque fideles de suscepto a se Ecclesiae clavo encyclicis literis certiores facit* (1).

SUMMARIUM

De pace, quam omnibus optat, praefatur. — De pacis osoribus conqueritur. — Divinam providentiam, quae ipsum ad pontificatum extulit, commendat. — Se abnuisse dicit, tantum tandem onus iustis ex causis suscipiens. — Praesules ad populos optime instruendos hortatur.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, N. patriarchae Hierosolymitano, salutem et apostolicam benedictionem.**

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Gloriosae Dominicae Nativitatis latens licet mysterium, patens tamen late praeconium coelestis praeco humano nunciaturus generi, praemisso accommodo verborum schemate, Deo in altissimis gloriam retulit, pacem in terra bonae voluntatis hominibus nunciavit: haec est nuntiatio profecto dignissime veneranda: haec attentione dignissima, quam vere venerabilem reddit nuntium mittentis sublimitas, extollit nunciantis auctoritas et nunciationis ipsius veritas manifesta commendat. Haec vera et iusta; sed eam non servantibus procul dubio tremenda partitio, qua ore angelico soli Deo attribuitur honor et gloria, quam solus ipse meretur, qui facit mirabilia magna solus, qua, dum bonae voluntatis hominibus pax in terra promittitur, interdicitur impiis, malevolis denegatur. Nulla est enim pax impiis, nulla contemnentibus: sed multa diligentibus nomen Dei; eorum siquidem, qui mandata ipsius audiunt, pax ut flumen; impii vero ut mare fervens quiescere nequeunt, pacis commoda nesciunt: sed discerpentibus vitiis in seipsis dissident et turbantur: et redundantibus ipsorum fluctibus in conculcationem, lutumque peccati; dum per peccatum avertuntur ab Eo, qui est pax nostra, quae exuperat omnem sensum: a pace redduntur per consequens alieni, non immerito, sed ob sua demerita pectoris et temporis pace frustrati. Deus etenim ultionum, exercituum Dominus, agens libere, ut retributionem reddat suae, quantum in eis est, detrahentibus gloriae, superbiendo per peccatorum insolentias, contra ipsos terram commovens et conturbans, eisque iusto iudicio pacem tollens, ostendit populo suo dura propter iniustitias suas ipsum humilians, super ipsum inducens terrorem et rectorem interdum, spiritum principum auferendo, subducens, ut non sit, qui congreget ab ovili Domini peccatorum aversionibus fugientes; non sit, qui errata corrigat: sed qui est in sordibus, plus sordescat.

*De pace, quam omnibus optat, praefatur.*

*De pacis osoribus conqueritur.*

(1) Ex ms. Vallicellianae Biblioth. Sign., litt. C, n. 49, pag. 85.

Hinc itaque, hinc proculdubio provenire creduntur impiorum fluctuationes, collisionesque regnorum et cuncta guerrarum dissidia, quae animarum pericula, corporum strages, facultatum lapsus et destructiones inducunt. Hinc caetera non facile numeranda discrimina, et in partibus variis graviter deploranda contritio, et gravis admodum, pudendaque confusio populi christiani. Hinc diutinae vacationis Sedis Apostolicae dispendium (post felicem sanctae recordationis Clementis Papae patris et praedecessoris nostri de hoc mundo transitum et corpus ipsius cum debita exequiarum solemnitate reconditum), tanto tempore prorogatum, donec Dominus populi eiusdem peccata dissimulans et misericorditer ipsius miserias miseratus, dignatus est ipse, qui concordiam in similibus operatur, fratribus nostris sic unanimitatem ad procedendum in provisione Sedis eiusdem facienda concedere, quod, miro Dei et nobis nimium stupendo consilio, ad imbecillitatem nostram oculos dirigentes, nos, qui tunc in minori constituti officio, pro salutis nostrae remedio peregrinabamur in partibus transmarinis, ad conscendendum apostolicae præeminentiae cathedram et suscipiendum importabile nobis, non solum ex humanae infirmitatis, sed etiam ex humilitatis nostrae defectu onus universalis regiminis orbis terrae, concorditer elegerunt, ad inducendum nos ad id variis ad nostram praesentiam nunciis et litteris destinatis. Nos vero in considerationis examine onus ipsum per hoc nostris imponendum humeris, et opus nostra ad prosequendum solicitudine attendentes, nostrarumque metientes virium quantitatem, insufficientes virtutum sumptus et meritorum insufficientiam comparando, eligendum sano consilio putabamus, ut humeri subducerentur ab onere, manus ab opere arcerentur. Verum ne post eiusdem vacationis tam diffusa et dispendiosa tempora, obstinata contradictionis reluctatio profusioris dispendii occasionem induceret; nos non de nobis, sed de Illo solo concepta fiducia, qui dat lapso virtutem, qui solus potest, cum omnis sufficientia sit ab Eo, nostram insufficientiam abundantia virtutis suae supplere; in humilitatis spiritu tanti oneris sarcinae imbecilles exposuimus humeros debiles, misimus manus ad fortia, et humiliter colla submisimus iugo apostolicae servitutis: suppliciter implorantes, ut Ipse, qui per huiusmodi vocationem in maris mundi huius altitudinem nos deduxit, non patiatur ab ipsius tempestate demergi; sed illam nobis suae potentiae dexteram porrigat, quae apostolorum Principem ambulantem et haesitantem in fluctibus ne mergeretur, erexit, et coapostolum eius Paulum nocte ac die in profundo maris positum liberavit.

*Divinam providentiam, quae ipsum ad pontificatum extulit, commendat.*

*Se abnuisse dicit, tantum tandem onus iustis ex causis suscipiens.*

Accedit etiam ad grande nostrae fiduciae fulcimentum vestrae consideratio probitatis: speramus namque, ac summopere affectamus, quod cum sitis in partem tantae solicitudinis nobis singulariter indictae vocati, sic auxiliante Domino commissum vobis ministerium impleatis, ut populum vestrae custodiae creditum reddatis Domino acceptabilem, bonorum operum sectatorem. Ad quod universitatem vestram affectuose monemus, et qua possumus instantia exhortantes, humiliter petimus et rogamus instanter, quatenus vestris orationibus devotis et sedulis nostras manus debiles confortetis, pias preces fundentes ad Dominum, ut in beneplacito filii sui dirigens actus nostros, nobis et vobis, ac caeteris Ecclesiarum pastoribus sua pietate concedat, sic circa gregem dominicum cura pervigili noctis observare vigilias, quod in eo mansuetudo superveniat, et correctio subsequatur. reddatur Domino populus christianus voluntatis acceptae, pacis ex hoc proculdubio commodis potiturus. Scimus enim quod si fecerit ei placidas vias suas, ipse inimicos eius convertet ad pacem, nec erit, qui eum exterreat: sed perfidae gentis terroribus de eius finibus profligatis

*Praesules ad populos optime instruendos hortatur.*

confidenter in tabernaculis fiduciae habitabit et fiducialiter in requie opulenta quiescet. Nos sane vobis affectum charitativae benignitatis expandimus, et signum charitatis solidae aperimus; proponentes, quantum cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra et Ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiae promovere.

Datum Laterani, quarto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Datum die 29 martii anno Domini 1272, pontif. anno I.

---

## II.

*Contra deferentes arma, naves et alia ad partes infidelium, ipsisque quomodolibet communicantes (1).*

SUMMARIUM

1. Beneficium Incarnationis: — Illud demereri dolet populum christianum: — Ideoque Terram Sanctam a barbaris detineri: — 2. Sed, quod peius est, eis arma caeteraque a christianis quaestus causa ministrari. — Quam durius ab hoc Saraceni saeviant, exponit. — 3. Factum quoddam refert soldani: — Quod cum christianorum factis confert. — 4. Christianos arma, *etc.* Saracenis ministrantes a concilio excommunicatos, et capientium servos factos declarat. — 5. Genuenses monet, suos coerceant ab huiusmodi reatu. — 6. Poenas contumacibus intentat spirituales: — 7. Aliasque corporales minatur.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis capitaneis et Consilio et Communi Ianuen., salutem et apostolicam benedictionem.**

Beneficium Incarnationis:

§ 1. Adaperiat Dominus suorum corda fidelium, et in verba labiorum nostrorum aures eorum inclinet, ut devoto percipientes auditu et colligentes plenius intellectu spiritualis patris eloquium, ac ad Redemptorem suum Dominum Iesum Christum piae considerationis oculos convertentes, videant et attente recogitent, quid Illi retribuunt, quave ipsum veneratione reverentur et colunt, qui semetipsum pro eis tribuit holocaustum. Hic siquidem Rex aeternus a regalibus sedibus veniens in haereditate, quam utique sibi praedilectam elegit, carnem nostrae mortalitatis indutus, nos ab aeterno cruciatu sui pretiosissimi sanguinis effusione clementer eripuit, de tenebris revocavit ad lucem, de mortis casibus relevavit ad vitam, ac in statum salutis clementi pietate resumptos misericorditer in filios adoptavit. His autem beneficiis per ingratitudinis vitium de mentibus nostris abolitis, non veremur ab ipso recedere, nec eidem iniurias erubescimus irrogare, ac de malo prosilientes in peius, quasi abbreviata sit manus Domini, vel eam extendere nequeat ad vindictam, labimur pronius in reatus, quam fecerint patres nostri, qui veritatis notitiam non habebant, quibusve non advenerat temporis plenitudo: et ideo vereri merito possumus, quod ipse peccatis exigentibus sit iratus populo, quem redemit; et quod zelus eius ab ipso recesserit: cum positus miserabiliter in excidium et ruinam tempestuosis fluctibus quatiatur; ac si divinae potentiae dextera sit ab eiusdem populi protectione submota; prout ipsa sentit et deflet haereditas dispendio vastitatis exposita, et Agarenorum pedibus conculcata. Heu, gravissimum Christi et christianitatis opprobrium! perire permittitur nostrae pulchritudinis ornamentum, ipsum videlicet speciale patrimonium Salvatoris, Nativitatis, Passionis et Resurrectionis Dominicae gloria decoratum, et exinde suos incolas contemptibiliter fugari percipimus, ubi liberaliter pretium nostrae redemptionis exolvit. Proh dolor! Ibidem Crucis hostes immani tyrannide superant, qui servili subesse conditione solebant, quorumque multitu-

Illud demereri dolet populum christianum:

Ideoque Terram Sanctam a barbaris detineri:

(1) Ex Regest. Vatic.

dinem virtus paucorum fidelium tunc timentium Dominum superabat.

Sed, quod peius est, eis arma, caeteraque a christianis quaestus causa ministrari.

§ 2. Illud autem horribile scelus et execrabile crimen occurrit merito reprobandum, quod nonnulli maledictionis alumni, solo nomine christiani, terrena dumtaxat, non coelestia sapientes et innitentes perniciosis lucrorum studiis, ut in voluptuosae vitae faecibus latius debacchentur, victualibus, armis, vasis navalibus et aliis necessariis, causa damnati quaestus, Christi muniunt inimicos, ut ad impugnationem fidei et christianorum, ac Terrae Sanctae depressionem robore fortiori sic muniti consurgant, ac ponatur inextricabilis macula in gloria nominis christiani. Hi sunt ingrati filii, qui poenam meruere doloris. Hi sunt, qui apud ipsum Redemptorem fore merentur odibiles, ut ab eis faciem miserationis avertat. Hi profecto non solum percepta beneficia non attendunt, verum etiam contra Redemptorem eumdem probabiliter conspirare videntur; dum foedus cum ipsius hostibus ineunt et in eius contemptum illis talia praesidia subministrant. Utinam et si non timorem vel amorem divinum attenderent, aut si de vitando dictae terrae dispendio non pensarent; saltem ipsos graves iniuriae coercerent, quae dictis et factis in barbaricis partibus eis et in ipsis christianae religioni multipliciter inferuntur. Inter alias namque confusiones, quas in partibus illis pseudochristiani recipiunt, illuc mercimonia deferentes, si de aliquibus gravaminibus conquerantur, hac eos probrosa responsione Saraceni confundunt: Si erueremus vobis alterum oculorum, ad nos cum reliquo rediretis: prout iidem mercatores nobis eo tempore in regione Terrae Sanctae morantibus expressius retulerunt. Cumque frequenter eveniat per hostilitatis incursus, quod ex christianis viros et mulieres, ac lactentes etiam parvulos Saraceni praefati capiunt, et captos sub carcerum arctatione detrudunt, nonnunquam infantibus a matrum uberibus, ut materni lactis careant pabulo, separatis.

Quam durius ab hoc Saraceni saeviant, exponit.

Factum quoddam refert Soldani.

§ 3. Contigit olim ad cuiusdam instantiam militis christiani, gratiam habentis in oculis Soldani, praesidio Barbarorum procurante nihilominus quodam ex fratribus ordinis Sanctae Trinitatis, qui ad captivos huiusmodi redimendos sunt specialiter deputati, quod idem Soldanus mulieres cum parvulis suis, quos carceris angustia cruciabat, aliis aetate provectis a gratia liberationis exclusis, per suas literas liberari mandavit; sed cum detentores eorum, habitis huiusmodi literis, eosdem liberare parvulos denegarent, memoratus Soldanus, ad quem habitus est recursus, requirentibus eum super hoc expresse respondit, se mandatum revocasse, quod fecerat de praedictis parvulis, ut praedicitur, liberandis, ne per ipsos, quos reddere poterat provectior aetas armigeros, posset processu temporis impugnari, sicut idem frater nobis tunc in partibus dictae terrae degentibus retulit viva voce. Si ergo nominatus Soldanus crudelitatis acerbitate devictus, quod de praefatis parvulis ex quadam humanitate concesserat, denegavit tandem efficere, ne ad impugnandum ipsum consurgerent in futurum, quam gravi opprobrio christianitas ipsa respergitur, cum vinci nos a pietate non patimur, sed in nos metipsos acerbius saevientes illis hostibus arma nostra deferimus, quibus contra Christum et fidem eius fortius muniuntur? Et quidem graviter, nec mirum, dolere compellimur, dum pensamus, quod renatos fonte Baptismatis per tam miserabilis caecitatis devium oberrantes Dei turbatio non deterret[1], gehennae terror ab errore non revocat, ignominia famae non retrahit, ac eiusdem iniuria fidei non compescit. Unde, quod tales inverecundi et impii christiani, quos excaecat foedi lucri cupiditas, sua non sunt impietate consumpti, sola miseratio caelestis, ut poenitentiae locum indulgeat, operatur. Nam aliter subsisten-

Quod cum christianorum factis confert.

tiam non haberent, qui a se, verecundia prorsus abiecta, per tantae damnationis semitas gradiuntur.

Christianos arma, etc. Saracenis ministrantes a concilio excommunicatos, et capientium servos factos declarat.

§ 4. Quare Sedis Apostolicae providentia, sacro tunc approbante concilio, volens adhibere circa praemissa remedium, illos falsos et impios christianos, qui Saracenis deferre praesumerent arma, ferrum et lignamina galearum, eos etiam, qui galeas venderent illis, aut naves, quique gubernationis curam in piraticis Saracenorum navibus exercerent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis aliquod auxilium vel consilium eisdem impenderent, anathematis et excommunicationis vinculo innodavit: ipsosque rerum suarum privatione mulctati, et capientium servos fore decrevit: certis aliis poenis adiectis nihilominus contra eos.

Genuenses monet, suos coerceant ab huiusmodi reatu.

§ 5. Verum quia multi, quos a veritatis iudicio voluptatis dulcedo detorquet, in profundum demersi malorum contemnunt divinam clementiam, et in animarum suarum periculum praescriptam sententiam vilipendunt, Deum et eamdem Sedem in praemissis offendere praesumentes; nos, quos ipsa clementia licet immeritos in apostolicae præeminentiae specula posuit, tam atroces et enormes praefati Redemptoris iniurias detestantes, et contra praedictos impios aggravare Sedis eiusdem sententiam intendentes, ut saltem a reatu solito ducti poenitudine resipiscant, et ipsos tempore vindictae ira Dei subito non disperdat, ac ex illorum tali nequitia dicta terra solita dispendia non incurrat, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, vobis nihilominus per apostolica scripta firmiter praecipiendo mandantes, quatenus districtius inhibere curetis, ne aliqui vestri concives memoratis Saracenis arma, ferrum aut lignamina deferre vel mittere, sive naves aut galeas vendere, seu curam gubernationis in Saracenorum piraticis navibus exercere, vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis impendere consilium vel auxilium quoquomodo praesumant.

Poenas contumacibus intentat spirituales:

§ 6. Volumus enim, quod, qui secus attentare praesumpserint, eo ipso latae sententiae canone sint astricti: et si qui eorum decesserint sic ligati, et ipsorum corpora tradita fuerint ecclesiasticae sepulturae, illa fore decernimus exhumanda fidelium cimiterio caritura.

Aliasque corporales minatur.

§ 7. Caeterum, ut huiusmodi praesumptores tam spirituali quam temporali poena plectantur, sollicitam, sicuti expedire viderimus, dante Domino curabimus operam adhibere, quod ii, qui sub tam nefando commercio ad eosdem Saracenos accesserint, capiantur sub carcerali custodia detinendi, et rebus, quas detulerint, absque restitutionis imposterum beneficio spoliandi. Super iis autem dilectum filium Arnaldum de Sancto Desiderio clericum latorem praesentium, de cuius industria et circumspectione confidimus, ad vos duximus destinandum, cui credatis indubitanter, quae circa praemissa vobis ex parte nostra duxerit referenda.

Datum Laterani, secundo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 martii 1272, pontif. anno I.

---

## III.

*Indictio sacri et oecumenici XIV concilii, Lugdunensis II, pro die 1 maii 1274.*

SUMMARIUM

1. Queritur hic Pont. quod Graeci a devotione et obedientia Romanae Ecclesiae se subtraxerint: — Terra Sancta ab infidelibus detineatur: — Et vitia plurima inter christianos pullularint. — 2. Indicit propterea concilium generale Lugdunense: — 3. Post biennium celebrandum. — 4. Praelatos ad illud convocat; dummodo tamen unus vel alter ipsorum in qualibet provincia remaneat: — 5. Quibuscumque non obstantibus eos venire praecipit: — 6. Et interim quae reformationis necessaria videntur, eos praeparare iubet. — 7. Excusationum praetextum refellit.

**Gregorius episcopus, etc. venerabilibus fratribus patriarchae Hierosolymitano, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, praepositis, et aliis Ecclesiarum praelatis, per Hierosolymitan. provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Queritur hic Pont. quod Graeci a devotione et obedientia Romanae Ecclesiae se subtraxerint:

§ 1. Salvator noster, in cuius ditione cuncta sunt posita, civitatem Hierusalem videns, et praevidens ruituram, flevisse describitur super eam. Et nos itaque, qui civitatis veri David, religionis videlicet christianae, circa cuius regimen non in sufficientia nostrae debilitatis, sicut nec debemus, innitimur, sed de sola superabundantia virtutis divinae speramus, non solum scissuras, iuxta Prophetae vaticinium, multiplicatas aperte vidimus, sed et ruinae magnae periculum in subtractione populi Graecorum, qui a Sedis Apostolicae devotione ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima, et vastatione valida Terrae Sanctae, in subversione morum, quae universaliter in clero graviter obrepisse videtur et populo, iam non tam cernimus, quam palpamus; num possumus non lugere? num comprimere lacrymas? continere suspiria? vel cohibere singultus? Profecto cum tanta subsit plangendi ratio, planctum declinare non possumus; sed necesse est iam foras exeat, ab olim dum etiam nos minor status haberet, tanto altius radicatus introrsum, tantoque diuturnitate factus acerbior, quanto facultate vitante diutius non est efficaciter exire permissus. Exeat igitur, exeat ad fratres et filios, ut scientes incommodum, ipsumque prudentius aestimantes, cooperationis remedio efficacius pro viribus relevent, et planctum piae compassionis officio dulcius consolentur. Quis ergo dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut sic populos, nostrae humilitati commissos, spiritualiter et temporaliter interfectos, diebus et noctibus lugeamus? quod culparum sordes, quibus iram meruisse creditur, diluamus? Lugendum siquidem occurrit, quod per subtractionem praedictam a Sedis eiusdem unitate subtractos et in devio positos grandis culpae mors afficit, quod sanctae universalis corpus (1) Ecclesiae membra, tam nobile eadem gravis admodum et dispendiosa subtractio, tanto tempore mutilavit. Lugendum et iterum ac amare dolendum, quod sicut in partibus transmarinis non tantum audivimus, sed et oculis nostris vidimus et manus nostrae contrectaverunt (proh dolor!) detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi; cum iam non tam verbis, quam rebus ipsis et factis christianus insultetur ab infidelibus, et dicatur: Ubi est Deus eorum? Dum funiculum haereditatis Domini eadem Terra Sancta per nefandissimos Saracenos sic audacter invaditur, sic secura occupatur audacia, sic vastatur intrepide, sic eisdem partibus christianus populus immaniter trucidatur; quasi non sit illius adiutor, nec sit qui misereri possit ipsorum. Lugendum est amplius pariter et horrendum, quod cum ille paterfamilias diligens, qui horis diei variis operarios suam misit in vineam; ille summus Agricola sator bonorum omnium et plantator, agrum mundi huius diligenter excolens in eo seminaverit semen bonum, inimicus homo tanta inveniatur in ipso superseminasse vitiorum zizania et errorum, ut ea deflere magis liceat, quam narrare; idemque ager quotidie potius arescere videatur ad ignem, quam albescere inveniatur ad messem. Haec dum ministerio considerationis debitae mentis nostrae praesentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit; et ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, et spiritus anxiatur.

Terra Sancta ab infidelibus detineatur:

Et vitia plurima inter christianos pullularint.

Indicit propterea concil. generale Lugdunense:

§ 2. Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, mon-

(1) Turbatus videtur locus. *Labbeus* hanc vocem *corpus* abundare notat. Odoricus vero legit: *quod sanctum universalis corpus Ecclesiae membro tam nobili .. mutilavit.*

tem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium, et humiliter petimus et devote speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris aliisque viris prudentibus exacto et frequenti tractatu praehabito, prout tantae necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio, generale concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longaeque observationis exemplo nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in eo tam circa praemissa, quam circa caetera, quae salutem respiciunt animarum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, et eiusdem approbatione concilii roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata eiusdem fidei unitate, sedatis discordiis, pace firmata, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, et eiusdem Terrae Sanctae statu prospero reparato, huiusmodi scissuras uniat, ruinas impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta et restaurata conservet, nobisque viam aperiat idem Ipse qui novit, et facultatem tribuat Ipse qui potest, ut vitiorum errorumque zizaniis ad comburendum fasciculo alligatis, ad triticum in eius horreum congregandum sic in praemissis, iuxta intensum animi nostri desiderium, sibi ministrare possimus utiliter, quod idem verus eiusdem universalis Sponsus Ecclesiae ipsam dilectam suam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam, unam semper habeat et formosam, ad sui nominis laudem et gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem et exaltationem populi christiani.

§ 3. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius ac felicius, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium numerandum ab initio instantis maii ad id duximus deputandum: deputaturi praeterea interim aliquos viros, tanto ministerio competentes, ad praedicandum in Terrae praefatae suffragium salutiferum verbum Crucis, per quod corda principum, praelatorum caeterorumque fidelium inducantur ad subsidium eidem Terrae, prout ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum.

*Post biennium celebrandum.*

§ 4. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis prout talis et tanti negotii qualitas exigit, dispositis et paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod calendis maii anni ab incarnatione Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, quam vobis et aliis pro termino assignamus, in loco, quem licet ad praesens subticeamus ex causa, competenti tamen tempore vobis curabimus intimare, nostro vos conspectui praesentetis, ad subventionem necessariam Terrae praedictae solers et operosum interim studium impensuri, prosequendo favorabiliter et fideliter adiuvando illos, quos ad huiusmodi prosequendum negotium duxerimus deputandos. Volumus autem quod in vestra provincia ex vobis, fratres episcopi, unus vel duo remaneant ad ea, quae officium episcopale requirunt, inibi exercenda; et tam ille vel illi, quos propterea contigerit remanere, quam alii, quos ad dictum venire concilium praepeditio forsan canonica prohibebit, capitula insuper Ecclesiarum omnium eiusdem provinciae tam cathedralium, quam etiam aliarum, quibus per vos, fratres patriarcha et praefati episcopi, ex parte nostra volumus id mandari, cum in eodem concilio tractanda sint aliqua, quae pertinebunt ad ipsos, ad idem concilium viros idoneos pro se mittant.

*Praelatos ad illud convocat; dummodo tamen unus vel alter ipsorum in qualibet provincia remaneat.*

§ 5. Non obstantibus quibuscumque

Quibuscumque non obstantibus eos venire præcipit.

privilegiis seu indultis, quibuscumque personis, ordini vel dignitati, seu collegio sub quacumque verborum forma vel expressione a praedicta Sede concessis, per quae possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri aut eidem in aliquo derogari, circa personarum et evectionum numerum, moderamine, quod alias statuit Lateranense concilium, taliter observato, ut nemini liceat illud excedere, sed omnibus, prout libet, arctare. Nullus pomposus, aut inanis gloriae quesitor, sed quilibet sic verae humilitatis cultor appareat, quod et Ecclesiae sibi commissae nequaquam onerosus existat.

Et interim quæ reformationis necessaria videntur, eos praeparare iubet.

§ 6. Interim quoque per vos et alios prudentes viros Deum timentes et habentes prae oculis omnia, quae correctionis et reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, et conscribentes fideliter, eadem ad ipsius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilominus variis modis et viis solers studium et efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen eiusdem deducta concilii correctionem et directionem recipiant opportunam.

Excusationum praetextum refellit.

§ 7. Nullus ergo inobedientiae notam, et canonicae ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quae, Domino prava in directa et aspera in vias planas sua omnipotentia convertente, cessaverunt, frivolae allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat; sed occurrant singuli voluntarii ad id, quod et divinae congruit voluntati, et salutem animarum ac utilitatem respicit singulorum.

Dat. Laterani, calendis aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 1 aprilis 1272, pontif. anno I.

## IV.

*Civitas Lugdunensis utpote praelatis omnibus magis accommoda pro futuri celebratione concilii decernitur* (1).

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonen., et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, praepositis, aliisque Ecclesiarum praelatis per Senonen. provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

In literis (2) quas per universos orbis principes et praelatos super generalis convocatione concilii destinavimus, locum, in quo idem concilium convenire deberet, ex causa duximus subticendum; praediximus tamen in illis, quod locum eumdem ipsis principibus et praelatis intimare competenti tempore curaremus. Nobis igitur cum fratribus nostris huiusmodi loci electionem deducentibus in exactae discussionis examen, occurrebant hinc inde diversa, quae discutientium videbantur iudicium alternare. Nec enim praeterit nostrae considerationis indaginem, quam grave, quam durum est locum Sedis Apostolicae proprium, in quo praecipuorum apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere, tanto locorum intervallo a peculiari nostro populo Romano Urbis abesse, et a convicinis partibus, quae Sedi eidem non solum spiritualiter, sed et temporaliter subesse noscuntur, commoditatem vicinitatis nostrae subtrahere; quanta ex absentia nostra diversis Italiae partibus possent imminere discrimina; quantum partium earumdem inveterata scissura pro integrandae unitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebat; quanto denique oneribus, quanto laboribus nos et fratres nostros, quorum aliquos aetas, quosdam debilitas, nonnullos

(1) Ex Regest. Vatic. (2) Vide Bullam antecedentem.

infirmitas, et omnes ad haec desuetudo reddit inhabiles, exponimus non sine rerum dispendiis, quae quasi pro nihilo ducimus; non sine discriminibus corporum, quae non facile contemnuntur. Haec et alia, quae non posset succinctus sermo percurrere, in partibus istis locum huiusmodi eligendum concludere videbantur. Dum ea, quae in eodem sunt agenda concilio, contrarium suadebant, et specialiter negotium Terrae Sanctae, quam dum Creatori omnium cariorem omnibus Scriptura describit, satis aperte indicat, carissimam proculdubio a nobis habendam: cum soleat, quod est in superioris conspectu praestantius, in subditorum extimatione praestare. Adiicit insuper beneficiorum consideratio, quae inibi humano generi de divinae superabundantia gratiae obvenerunt. Siquidem Salvator omnium operatus est in medio illius terrae salutem, ibi sumpsit corporalis nativitatis initium; ibi conversationis humanae deduxit tempora; ibi post probrosae passionis opprobria pro redemptione nostra mortem subiit temporalem, et sui pretiosi effusione cruoris vetus piaculum expiavit. Numquid igitur non contingent redemptorum corda immensa et innumerabilia beneficia Redemptoris? numquid non accendent cuiusque praecordia, ut ipsi pro tot, quae nobis tribuit, hoc saltem necessitatis tempore aliquid impendamus: dum Crucis hostes, Crucifixum habentes ostentui, cultores ipsius christiani nominis professores, ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant et conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, et eorum facies replentes ignominia, ipsosque diversis confusionibus saturantes? Ad vindicandas itaque Redemptoris iniurias, ac redimenda ignominiosae conculcationis opprobria in redemptis, nostrum circa Terram eamdem Creatoris conformantes affectui, ac debita meditatione pensantes, quod eiusdem Terrae subsidium praecipue de principum et praelatorum pendeat auxilio, quos ultramontes credimus convenire posse commodius, exinanivimus nosmetipsos: et sub spe Illius, qui dat lapso virtutem, debilitatem nostram contempsimus sub Ipsius fiducia, qui de sua misericordia nos confortat; quod intendimus, in eo posse sperantes, parvipendimus onera, labores consideratione calcavimus, et caeteris nostris ac fratrum nostrorum incommoditatibus in eiusdem considerationis examinatione postpositis, ut principum et praelatorum eorumdem facilius possimus habere praesentiam, ac Terrae praedictae subventionem efficacius promovere, civitatem Lugdunensem, quo inibi concilium cum maiori commoditate conveniat, de ipsorum fratrum consilio duximus eligendam; quod vobis tenore praesentium nunciantes, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in Domino, apostolica vobis nihilominus auctoritate mandantes, quatenus in praedicta civitate Lugdunen. iuxta praescriptam per supradictas literas nostras formam studeatis, omni, quam inevitabilis necessitas non indicet, excusatione postposita, in praefixo per easdem literas termino comparere.

Datum apud Urbem Veterem idibus aprilis, pontificatus anno secundo.

Dat. die 13 aprilis 1273, pontif. anno II.

---

## V.

*Civitati Pisanae restituitur archiepiscopalis dignitas, qua, Conradino quondam Friderici olim imperatoris nepoti adhaerendo, privata fuerat (1).*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Civitas Pisana a Clemente IV quibus de causis archiepiscopali dignitate privata. — 2. Pisanis itaque resipiscentibus, — 3. Et a censuris solutis, civitati et Ecclesiae eadem dignitas restituitur. — 4. Clausulae ad firmitatem constitutionis.

(1) Ex Regest. Vatic.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sicut magni beneficii indicium est, indevotorum excessibus medicinalis ultionis antidotum obiter adhibere, ut quos a filialis devotionis debito culpa propriae temeritatis avertit, ad ipsius observantiam congruentis saltem severitatis disciplina convertat; sic maternae pietatis est debitum, iis, qui post indevotionis lapsum et persecutionis excessum fortiores in obsequendi proposito, et continuandae imposterum devotionis exhibitione resurgunt, nec pietatis sinum praecludere, nec miserationis ubera denegare.

Civitas Pisana a Clemente IV quibus de causis archiepiscopali dignitate privata.

§ 1. Sane dudum felicis recordationis Clemens Papa praedecessor noster Ecclesiam et civitatem Pisanam, exigentibus culpis et pertinacia incolarum civitatis ipsius, qui contra monitiones, inhibitiones et comminationes praedecessoris eiusdem dudum Conradino, quondam Friderici olim Romani imperatoris nepoti, pertinaciter adhaerendo praestiterunt auxilium, consilium et favorem, Romanam Ecclesiam et devotos ipsius una cum illo et eius fautoribus gravibus afficiendo molestiis, et molestis iniuriis aggravando; et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliae regem illustrem, primo paciarium, et postea vicarium imperii per eamdem Ecclesiam in Tusciam destinatum, non solum recusaverunt admittere, verum etiam se illi praesumpserunt opponere, ac ipsum multipliciter impugnare, archiepiscopalis dignitatis honore privavit.

Pisanis itaque resipiscentibus,

§ 2. Verum iidem incolae, tangente Domino cor ipsorum, post tantorum excessuum culpam magnae humiliationis praetendentes indicia, eiusdem Matris Ecclesiae misericordiam continuata diutius instantia implorarunt devotionis ad eamdem Ecclesiam irrevocabiliter observandae, supplicantes oblationibus, et oblatis devote supplicationibus insistentes, ut ad sinum eiusdem Matris Ecclesiae, a quo ipsi sua, quam recognoscebant humiliter, perversitate recesserant, sola miseratio materna reduceret, et circa filios poenitentes superexaltata iudicio benignitas piae matris Ecclesiae Pisanae ac civitati praedictis de restitutione dignitatis metropoliticae misericorditer provideret.

Et a censuris solutis, civitati et Ecclesiae eadem dignitas restituitur.

§ 3. Nos itaque, more pii patris offensarum immemores, ubi ad id poenitentiae signis congruentibus invitamur, desiderantes civitatem praedictam in oblatae ad eamdem Ecclesiam devotionis proposito, multae benignitatis exhibitione firmare, sindicos et procuratores civitatis ipsius ad mandata recepimus, et civitati ac incolis memoratis circa excommunicationis et interdicti sententias occasione praemissorum latas in ipsos, de absolutionis et relaxationis beneficio fecimus provideri: et ut eo plenius Sedi Apostolicae sincerae affectionis vinculis astringantur, quo erga se ipsius benevolentiam in remissionis promptitudine senserint promptiorem, de fratrum nostrorum consilio, Ecclesiam Pisanam restituentes in integrum, ipsi Ecclesiae, nec non et civitati praedictae archiepiscopalem dignitatem cum omnibus iuribus suis, immunitatibus, privilegiis et quibuscumque honoribus a Sede Apostolica Ecclesiae concessis eidem, prout eadem tempore privationis huiusmodi obtinebat, de gratia restituimus speciali.

Clausulae ad firmitatem constitutionis.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae restitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Florentiae duodecimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 20 iunii 1273, pontif. anno II.

## VI.

*Capitula et ordinationes pacis inter Guelfos et Gibellinos edita apud Florentiam* (1).

SUMMARIUM

Suum pro pace concilianda studium: — 1. Malaque ex dissensionibus inter Gibellinos et Guelfos exorta exponit: — Suamque pro eis componendis solicitudinem: — Inita itaque inter eos concordia, cuius sequuntur articuli. — 2. Mulcta illam violaturis imposita. — Gibellini censuris soluti: — Addita conditione in fidelitate Romanae Ecclesiae debita perseverandi: — 3. Et Carolum Siciliae regem non offendendi. — 4. Gibellini non possunt venire in Tusciam sine licentia Caroli regis: — 5. Servitia vero praestare possunt per alios. — 6. Castrum Popii comitissae Ioannae adiudicatum, addita conditione praestandi iuramentum de obediendo dicto regi. — 7. Cui iuramento, nisi per comitissam stetur, ei subditi obedire non tenentur. — 8. Ea mortua, comites Castri possessionem accipere non debent nisi de licentia Pontificis. — 9. Dati obsides a Gibellinis. — 10. Restituenda eis omnia bona immobilia et processus contra eos facti irritandi. — 11. Relaxatis omnibus condemnationibus, a censuris quoque absolvuntur. — 12. Interdictum Florentinis, ne castrum praed. occupent. — 13. Eadem praecipiuntur pro Gibellinis Florentiae: — 14. Iisque omnia bona restituenda, et de damnis satisfaciendum. — 15. Ab eis vero dandi obsides: satisfaciendumque de damnis Ecclesiae, vel regi illatis. — De offensis vero mutuis, mutuo quoque conveniendum. — 16. Haec vero ab omnibus et singulis observanda. — 17. Guelfis Popii bona et iura reddenda. — 18. De custodia castrorum. — 19. De expensis obsidum. — 20. Gibellinorum amici non molestandi a rege. — 21. Haec vero observanda sub spiritualibus et temporalibus poenis: — 22. Et a partium syndicis iuramento firmanda. — 23. A nunciis partium haec conventio iuramento firmata.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Bonum pacis, etsi ab olim, prout gratia divina concessit, affectibus nostris inhaeserit; nunc tamen ad illud inter Ecclesiae filios cum conservationis beneficio procurandum tanto ferventius excitamur, quanto nos ad id ex officii debito novimus obligatos. Cum enim simus Illius vicarius, qui cogitationes pacis, et non afflictionis se cogitare testatur, tenemur, ut vices pro viribus impleamus, indicta pacis commoda inter universos curae nostrae commissos sollicite procurare, quo pacis donum gratissimum, parans quietem animis, eosque a rancoribus dissensionum absolvens, liberiores efficiat in serviendo Altissimo ad salutem; et corporibus ab aemulorum insidiis securitatem indulgens ad intendendum liberius utilitatibus debitis, pleniorem tribuat facultatem.

*Suum pro pace concilianda studium:*

§ 1. Propter quod non sine multa cordis amaritudine recensentes, qualiter hactenus civitatem Florentinam sciderit intestina et inveterata dissensio, quam graviter lacerarit, quanta longe lateque diffusa, proh dolor! animarum pericula, quantas corporum strages induxerit, quanta multiplicaverit dispendia facultatum sub spe Illius, cui est in facili res etiam desperatas sine moliminis tarditate perficere; ad id sollicitudinem nostram convertimus, ut licet grandium negotiorum moles ingrueret, licet pro illorum prosequtione ad assumpti continuationem itineris nos qualitas ipsorum urgeret; nihilominus tamen illis ad tempus omissis, non sine ipsorum discrimine, nostro et charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliae regis illustris, ac fratrum nostrorum gravamine, una cum ipso rege ad civitatem divertentes eamdem, impenderemus sollicitas operas, quatenus Illo favente, qui est lapis angularis, utraque unum faciens, huiusmodi coeuntibus in ipsa civitate scissuris dissidentium corda indissolubilis charitatis bitumine unirentur. Ideoque variis cum partibus, quas Guelfam et Gibellinam vulgus appellat, tractatibus habitis, et unicuique ipsarum articulis patenter expositis, in quos eos credebamus posse

*Malaque ex dissensionibus inter Gibellinos et Guelfos exorta exponit.*

*Suamque pro eis componendis solicitudinem.*

(1) Ex Regest. Vatic.

rationabiliter convenire; demum tam partem Guelforum in generali consilio ad hoc specialiter congregato requiri fecimus, et nos ipsi vigintiquatuor ex eis propter hoc de voluntate totius consilii, et tandem consilium ipsum in nostra praesentia constitutos, quam etiam syndicos, procuratores et nuncios comitum Guidonis Novelli, Symonis fratris eius capitaneorum consilii partis Gibellinae, nec non et totius partis ipsius mandatum super hoc ab ipsis plenum habentes, requisivimus et monuimus diligenter, ut in formam pacis, cuius substantia exprimebatur in dictis articulis, concordarent. Et licet longa fuerit super hoc concertatio, nunc altera partium, nunc reliqua reluctante circa ea, quae dicti articuli continebant, finaliter tamen tam memorata pars Guelforum super hoc eodem consilio congregato, per potestatem, sive vicarium regium, et aliquos de ipso consilio, quam etiam praefati comites et alii Gibellini per suos ambassiatores, syndicos et procuratores seu nuncios supradictos, responderunt expresse, se in dictam formam pacis, quae per eosdem exprimebatur articulos, iuxta nostra et ipsius regis monita et beneplacita consentire.

Inita itaque inter eos concordia, cuius sequuntur articuli.

§ 2. Nos itaque, habito dicti regis et earumdem partium, ut praedicitur, expresso consensu, volentes et mandantes pacem eamdem ab iisdem partibus inviolabiliter observari, sub poena vigintimillium marcharum sterlingorum pro medietate nobis, pro reliqua vero medietate dicto regi solvenda, eam et formam ipsius, adstante hac numerosa fidelium multitudine, publicamus. In primis itaque, quia praefati comites Guido, Symon et caeteri Gibellini Romanam Ecclesiam et memoratum regem multipliciter offenderunt contra monitiones, prohibitiones, comminationes et mandata eiusdem Ecclesiae, ipsorum persecutoribus adhaerendo, et cum illis tam ipsam Ecclesiam, quam memoratum regem graviter persequendo, nos ab eorum procuratoribus, syndicis, seu nunciis memoratis, ad hoc mandatum, ut praemittitur, habentibus iuramento recepto de stando praecise et absolute mandatis nostris, et ipsius Ecclesiae, super omnibus offensis factis, iniuriis et damnis illatis Ecclesiae ipsi, et quibuscumque aliis Ecclesiis vel ecclesiasticis personis aut locis, et super quibuslibet aliis causis, pro quibus iidem comites et Gibellini, per Sedem Apostolicam excommunicati fuerunt, et pro quibus per Sedem eamdem, seu auctoritate ipsius processus aliqui sunt habiti contra eos, sive occasione consilii, auxilii, vel favoris, quae per se, vel per alios quondam Conrado et Manfredo natis, et Corradino nepoti olim Friderici dudum Romani imperatoris, quomodolibet impenderunt; sive pro eo quod eidem regi Siciliae primo paciario et postmodum vicario destinato in Tusciam per Sedem eamdem, non solum obedire contumaciter recusarunt, verum etiam illi se praesumpserunt opponere, ac ipsum multipliciter impugnare, ac generaliter super omnibus inobedientiis, contumaciis et excessibus quibuscumque commissis ab eis quoquomodo contra monitiones, prohibitiones, seu comminationes factas per Sedem praedictam, seu auctoritate ipsius, praecipimus et mandamus syndicis, procuratoribus et nunciis memoratis nomine praedictorum comitum, capitaneorum, consilii partis Gibellinae, nec non et ipsius partis, ac singularium personarum eiusdem partis, a quibus, ut supra exprimitur, mandatum habent, volentibus et consentientibus, ut est dictum, quod praedicti comites Guido et Symon cum omni eorum posse, terra et districtu, capitanei et consilium eiusdem partis Gibellinae, nec non et ipsa pars ac singulares personae partis eiusdem perpetuo in ipsius Ecclesiae Romanae devotione persistant, nec unquam ab ipsa recedant, nec in aliquo loco ipsam, aut eius, vel dicti regis amicos impugnent: nec alicui imperatori, regi aut cuilibet

Mulcta illam violaturis imposita.

Gibellini censuris soluti:

Addita conditione in fidelitate Romanae Ecclesiae debita perseverandi.

principi, civitati, universitati, aut personae singulari, qui sunt inimici vel adversarii eiusdem Ecclesiae, seu memorati regis Siciliae, aut suspecti ab ipsis ex causis probabilibus notabiliter habeantur, quoquomodo adhaereant, nec ipsos iuvent, nec cum ipsis vel eorum aliquo pactum vel societatem aut quamlibet confoederationem inire praesumant: et si aliquo tempore ignoranter inierint, vel scienter aut ignoranter hactenus inierunt, ad mandatum vel requisitionem ipsius Ecclesiae illa et eorum quodlibet omnino dissolvant, et ab illis sine aliqua contradictione recedant infra tempus ipsis ab eadem Romana Ecclesia praefigendum. Et si qua forsan pro corroboratione pactorum, societatum et confoederationum huiusmodi praestita fuerint iuramenta, ipsa de potestatis plenitudine relaxamus. Qui autem sint inimici eidem Ecclesiae, vel suspecti, stabitur assertioni nostrae. Qui vero sint inimici vel suspecti dicto regi, stabitur assertioni regis ipsius. Nec aliquem pro Romano imperatore vel rege recipiant aut habeant, contra voluntatem ipsius Ecclesiae, vel mandatum, sed illum, quem eadem Ecclesia pro Romano imperatore seu rege acceptabit et habebit, seu in imperatorem coronabit et inunget, et non alium pro rege ac imperatore habeant comites ac alii memorati.

Et Carolum Siciliae regem non offendendi.

§ 3. Item praecipimus et mandamus, quod memoratum regem Siciliae, posteros, vel adiutores suos in perpetuum non offendant, nec impugnent in aliqua terra sua, scilicet in regno Siciliae, provincia Andegavia, vel alia quacumque terra, quam habet idem rex, vel ipse aut posteri eius in futurum habituri sunt, vel in alio quocumque loco; sed ipsi regi tamquam vicario imperii per omnia et in omnibus obediant, et ipsum pro posse iuvent, eidem tamquam vicario imperii, huiusmodi vicaria durante, plenarie obediendo et fideliter serviendo, ac omnia iura, quae imperatori debentur, integraliter exhibendo.

Gibellini non possunt venire in Tusciam sine licentia Caroli regis.

§ 4. Item actum est, et nos praecipimus et ordinamus, quod dicti comites non teneantur personaliter venire extra terram suam in Tusciam, vel alio, nec venire possint in Tusciam etiam in terram suam, seu dilectae in Christo filiae nobilis mulieris comitissae Ioannae matris ipsorum sine licentia memorati regis Siciliae.

Servitia vero praestare possunt per alios

§ 5. Si quando autem vocabuntur ex aliqua causa, sufficiat eos respondere per procuratores; et si quando servire tenebuntur pro terris suis, quas habent in Tuscia, sufficiat eos per alios idoneos servire, ubi rex voluerit, sicut pro dictis terris, quas habent in Tuscia, servire tenentur.

Castrum Popii comitissae Ioannae adiudicatum, addita conditione praestandi iuramentum de obediendo dicto regi.

§ 6. Item actum est, et nos praecipimus et ordinamus quod castrum Popii, quod praedictae comitissae Ioannae matri praedictorum comitum relictum dicitur ad vitam suam ex testamento mariti, remaneat apud ipsam vita sua. Quodque eadem comitissa et singuli de castro ipso qui annum quartumdecimum exegerunt in praesentia nuntii nostri et regis praedicti praestent tactis corporaliter sacrosanctis Evangeliis iuramentum, quod obedient ipsi regi tamquam vicario imperii dicta vicaria durante, et non recipient in dicto castro aliquos inimicos eiusdem Ecclesiae Romanae, vel ipsius regis Siciliae, aut suspectos ipsis Ecclesiae seu regi, nec etiam praedictos comites, vel aliquem ipsorum absque licentia nostra vel regis ipsius, nec praedictis inimicis vel suspectis adhaerebunt, vel eos quoquomodo iuvabunt. Qui autem sint nobis vel ipsi regi inimici vel suspecti, stabitur assertioni nostrae et ipsius regis, sicut in casu alio superius est expressum.

Cui iuramento, nisi per comitissam stetur, ei subditi obedire non tenentur.

§ 7. Quodque nec guerram facient nobis, eidem Ecclesiae Romanae, sive regi, vel amicis Ecclesiae aut regis eorumdem, nec ipsos aliquatenus impugnabunt. Et si dicta comitissa, vel filii eius,

aut aliquis eorum vellent guerram facere contra nos, Ecclesiam, vel regem, aut amicos praedictos, praefati homines dicti castri non adhaerebunt eisdem comitissae, vel filiis, aut eorum alicui, sed resistent, et adhaerebunt nobis, Ecclesiae ac regi praefatis, etiam contra ipsos comitissam et filios.

Ea mortua, comites castri possessionem accipere non debent nisi de licentia Pontificis.

§ 8. Et si contingat dictam comitissam mori, eadem adhuc vicaria durante, comites aut aliquis eorum non intrabunt ipsum castrum, nec adipiscentur possessionem seu tenutam ipsius, nec praefati homines ipsos, vel eorum aliquem admittent absque nostra licentia speciali. Et si secus actum fuerit, ipsi comitissa, comites et homines eo ipso incidant in poenam decem millium marcharum sterlingorum pro medietate nobis et Ecclesiae praedictae, pro reliqua vero medietate ipsi regi solvendam: super quo praecipimus dari nobis et regi praedicto, seu alicui ad hoc deputando per nos, vel ipsum regem fideiussores idoneos a comitissa, comitibus et hominibus memoratis, et sexdecim obsides ab hominibus castri eiusdem.

Dati obsides a Gibellinis.

§ 9. Pro praedictis omnibus etiam observandis memorati comites consenserunt dare omnia castra sua, quae habent in Tuscia, videlicet comes Guido Ampinianum et Montemacutum, comes vero Symon castrum Gratiae et Turrim Pompone in manibus dicti regis Siciliae, tenenda per ipsum, donec sua duraverit vicaria, et postea per nos et eamdem Ecclesiam per duos annos et ultra, si nobis videbitur expedire. Memoratus quoque comes Guido consensit dare obsidem unum ex filiis suis eodem modo tenendum in loco tamen tuto et congruo, et iam dedit filium suum primogenitum, et dilectam in Christo filiam Ioannam dictam Blancam natam suam.

Restituenda eis omnia bona immobilia, et processus contra eos facti irritandi.

§ 10. Actum est insuper, et nos servari praecipimus et mandamus, quod his omnibus completis ab eis restituantur eisdem comitibus omnia immobilia bona eorum in statu, in quo sunt, iura etiam et honores, et ex tunc omnes processus habiti contra eos revocentur: et nos illos ex nunc sine alieni iuris praeiudicio revocamus: ita quod per dictam Ecclesiam Romanam ratione praeteritarum offensarum illatarum ipsi Ecclesiae vel praedicto regi, non graventur in aliquo, nec per regem, aut eius vicarium, vel per aliquem circa hoc iurisdictionem habentem, nisi quantum videbitur nobis et regi praedicto.

Relaxatis omnibus condemnationibus, censuris quoque absolvuntur.

§ 11. Item praecipimus et mandamus, quod iidem comites Symon et Guido liberentur de omnibus bannis et collectis, condemnationibus et repraesaliis impositis vel factis a tempore exitus Gibellinorum per dictum regem, eius vicarium, vel commune Florentiae: eosdem etiam comites, quos a sententiis excommunicationum per eamdem Sedem latis in ipsos absolvi sub certa forma mandavimus, ex tunc, ad gratiam nostram et ipsius Ecclesiae admittimus, et ad gratiam volumus dicti regis admitti, donec in ipsius Ecclesiae devotione perstiterint, nec venerint contra praemissa.

Interdictum Florentinis, ne castrum praed. occupent.

§ 12. Actum est etiam, et nos sub poena quadraginta millium marcharum sterlingorum servari praecipimus et mandamus, quod Florentini non impugnent, nec damnificent, nec occupent dictum castrum Popii: et si secus actum fuerit, singulares personae contrarium facientes in excommunicationis, universitas in interdicti sententias, quas ex nunc in eos ferimus, incidant ipso facto, et praedictam poenam pro medietate nobis, pro reliqua vero medietate praefato regi solvendam incurrant, et damnum passis nihilominus satisfacere teneantur: et nos nihilominus contra eos gravius spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus.

Eadem praecipiuntur pro Gibellinis Florentiae:

§ 13. Item actum est, et nos praecipimus, quod caeteri Gibellini Florentiae non intrent Florentinam civitatem usque ad beneplacitum regis ipsius, familiae

vero ipsorum, datis ab ipsis Gibellinis obsidibus et securitatibus, de quibus actum est, ad arbitrium dicti regis libere redeant ad ipsam civitatem, mulieres quidem omnes, masculi vero ii tantum, qui nondum annum decimum exegerunt. Et quoad revocationem processuum habitorum contra eos, et liberationem de omnibus bannis, collectis, condemnationibus, repraesaliis impositis vel factis a tempore exitus ipsorum Gibellinorum per dictum regem, eius vicarium, vel praefatum Commune Florentiae, nec non et quoad receptionem ad gratiam nostram, et ipsius Ecclesiae, ac regis praedicti, eadem, quantum ad ipsos, per omnia observantur, quae quantum ad dictos comites superius sunt expressa. Illi vero de memoratis Gibellinis ipsius civitatis, et alii de districtu eius, de quibus memoratus rex Siciliae ordinabit, erunt in confinibus inter urbem et Padum, ubi et quantum rex ipse mandabit, in locis tamen tutis et congruis: reliqui vero liberi erunt extra civitatem et comitatum Florentiae in quibuscumque locis, quae ipsis per eumdem regem non fuerint specialiter interdicta.

*Iisque omnia bona restituenda, et de damnis satisfaciendum.*

§ 14. Memoratis autem familiis cum in civitatem redierint mandamus restitui omnia bona dictorum Gibellinorum immobilia et iura in statu, in quo sunt: et quod, sicut caeteri homines civitatis ipsius, in suis iuribus conserventur, et si qua damna data sunt in eis, postquam intravimus civitatem, et post prohibitionem super hoc factam, volumus et praecipimus remedium per ipsum regem, tamquam per vicarium imperii, et potestatem ipsius civitatis apponi: ita quod de damnis ipsis satisfiat: et idem de restitutione damnorum huiusmodi etiam Guelfis fiat.

*Ab eis vero dandi obsides: satisfaciendumque de damnis Ecclesiae, vel regi illatis.*

§ 15. Actum est etiam, et nos praecipimus observari, quod dicti Gibellini civitatis et districtus pro praedictis observandis dent obsides ad arbitrium dicti regis tenendos, sicut de obside dicti comitis Guidonis superius est expressum, et de praeteritis offensis non graventur per ipsum regem, nisi quantum videbitur nobis et ipsi regi: de offensis factis Ecclesiae satisfaciant, prout placebit nobis; de offensis factis Guelfis aliis ab ipsis Gibellinis actum est, et nos praecipimus observari, quod pro pace et concordia inter Guelfos et ipsos Gibellinos solide reformandis dicti Guelfi eligant sex ad plus et Gibellini totidem, qui de dictis offensis et reformatione pacis et concordiae provideant et ordinent inter eos, prout fore viderint opportunum: et nihilominus praefatus rex de nostro consilio daret unum, ut si electi a partibus discordarent, forsitan illo annumerato stetur dicto maioris partis eorum. Idem autem rex venerabilem fratrem nostrum Aldobrandinum Urbevetanum episcopum iam ad hoc de nostro consilio deputavit.

*De offensis vero mutuis, mutuo quoque conveniendum.*

*Haec vero ab omnibus et singulis observanda.*

§ 16. Actum est etiam, et nos observari praecipimus et mandamus, ut hic modus reformandae pacis et concordiae etiam inter Guelfos et Gibellinos de districtu Florentiae observetur.

*Guelfis Popii bona et iura reddenda.*

§ 17. Item actum est, et nos praecipimus observari, quod Guelfis Popii et aliorum locorum reddantur bona sua immobilia et iura in statu, in quo sunt, et conserventur in iustitia, sicut caeteri locorum eorumdem.

*De custodia castrorum.*

§ 18. Item actum est, et nos praecipimus observari, quod praedicta castra inspiciantur per bonos homines et legales, per quos statuatur numerus servientum, qui necessarius erit ad custodiam ipsorum, et tanta stipendia construantur pro singulis servientibus, quod possint idonei haberi.

*De expensis obsidum.*

§ 19. De expensis autem huiusmodi concordaverunt Gibellini, scilicet dicti sindici et ambassiatores nomine eorumdem, et nos praecipimus observari, quod expensae tam pro castris, quam pro obstagiis Gibellinorum Florentiae et districtus fiant per totam partem Gibellino-

rum; expensae vero pro obsidibus castri Popii fiant per homines dicti castri.

Gibellinorum amici non molestandi a rege.

§ 20. Item praecipimus et districte mandamus, tam per memoratum regem, tamquam per imperii vicarium, suosque in hoc vicarios, et quemlibet alium in hoc iurisdictionem vel potestatem habentem, inviolabiliter observari, ut amici praedictorum Gibellinorum de Florentia pro eo quod fideiubebunt pro eis, vel alias occasione ipsorum, ad confinia non mittantur, nec graventur in destructione domorum, vel in aliquo alio in personis aut rebus.

Haec vero sub spiritualibus et temporalibus poenis observanda.

§ 21. Caeterum ut praemissa, quae ad communem utilitatem earumdem partium, totiusque provinciae sunt salubriter instituta, quo magis fuerint multiplicato munimine roborata, eo solidius iugis observationis perpetuitate firmentur; auctoritate Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli, ac nostra ipsa sub poena praedicta viginti millium marcharum, et excommunicationis, quam in singulares personas, et interdicti, quam in universitatem contrarium facientes ex nunc ferimus, decernimus perpetuis temporibus inviolabiliter observanda: eadem auctoritate ac sub eisdem poenis districtius ac apertius prohibentes, ne aliqua contra praemissa et specialiter in creatione populi novitas attemptetur. Quod si forsan in praedictis aliqua inciderit dubitatio, interpretationem et decisionem ipsius nobis et eidem Sedis Apostolicae reservantes, ad nos et ipsam super illa volumus haberi recursum.

Et a partium sindicis iuramento firmanda.

§ 22. Ad maiorem autem cautelam praemissa omnia et singula praecipimus et mandamus per sindicos partium earumdem, ipsarum nomine, tactis corporaliter sacrosanctis Evangeliis, praestito iuramento firmari, et specialiter, quod una pars alteram de caetero non offendat.

§ 23. Sane in publico parlamento, ubi eadem convenerat multitudo, praesentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri, ac rege praedicto, et adstantibus nobis nonnullis ex fratribus nostris eiusdem Ecclesiae Romanae cardinalibus, et aliis archiepiscopis et episcopis diversorum locorum, praemissis omnibus latis de verbo ad verbum, et patenter expositis, dilectus filius Berardus Raynaldi Acursii communis eiusdem civitatis capitaneorum et partis Guelforum de Florentia, et Angelus Fogliarini praedictorum comitum capitaneorum et partis Gibellinae syndici, procuratores et nuntii habentes ab eis ad hoc plena mandata, quorum tenores seriatim transcribi, et sub bulla nostra mandavimus annotari, in archivis nostris eorum originalibus conservandis nomine praedictorum, a quibus mandatum habebant, praemissa omnia et singula homologaverunt et acceptaverunt expresse, promittentes sibi ad invicem, et tactis corporaliter sacrosanctis Evangeliis, in animabus suis, et illorum, quorum erant syndici seu procuratores praestito iuramento firmantes perpetuo pacem praedictam, et omnia et singula, quae superius sunt expressa, inviolabiliter observare, nec contra ipsa vel ipsorum aliquod per se, vel per alium, publice vel occulte ullo unquam tempore vel modo venire.

A nunciis; partium haec conventio iuramento firmata.

Actum Florentiae supra litus Arni iuxta Pontem qui vulgariter dicitur Robaconti, quarto idus iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 12 iulii 1273, pontif. anno II.

---

## VII.

*Contra christianos ad ritum iudaicum transeuntes, iudaeosque conversos reiudaizantes vel christianos ad eorum ritum inducentes.*

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum, inquisitoribus haereticae pravitatis,**

**auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Turbato corde audivimus et narravimus *etc.* *(Reliqua concordant omnino cum alia huius generis constitutione Clementis IV, incipien.* Turbato corde, *num.* XXIII, *tom.* III, *pag.* 786).

Dat. Lugduni kal. martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 martii 1274, pontif. anno II.

---

## VIII.

*De reditu Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris ad obedientiam Romani Pontificis, et de unione Ecclesiae Graecae cum Latina.*

SUMMARIUM

1. Exultat hic Pont. cum toto conc. Lugdunense de reditu Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris ad unitatem S. R. E. — 2. Hortatur eumdem imperatorem ad totalem schismatis abolitionem. — *Pontificis epistola ad filium dicti imperatoris.* — Hortatur Pont. filium d. imp. ut studeat unitati Ecclesiae Graecae cum Latina. — *Literae Michaelis imp. suprad. ad Pontificem.* — Intitulatio. — Nuncii Sedis Apostolicae ad imperatorem transmissi. — Tenor confessionis aut professionis fidei praedicti imperatoris. — Supplicat pro conservatione rituum Ecclesiae Graecae. — Transmissio nunciorum ad Romanum Pontif. pro praedictorum confessione firmanda.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Michaeli Palaeologo imperatori Graecorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exultat hic Pont. cum toto concil. Lugdunense de reditu Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris ad unitatem S. R. E.

Exultat mater Ecclesia renascentis prolis foecunditate iucunda. Exultat et iubilat gaudenter, attendens se drachmam deperditam invenisse: immensae laetitiae rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicarat antiquum, impleri per tuum aliorumque reditum ad ipsius Ecclesiae unitatem, sine stragis cuiusque periculo, solo pacis auctore praevio intuetur. Exultamus et nos pastoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus proculdubio in illo vero Pastore, qui animam suam pro ovibus suis ponere non expavit. Ipsi vitulum labiorum exolvimus, de cuius non est dubium munere processisse, ut ovis quae perierat sit inventa; et revixerit filius, quem mors animae, mors utique gravior, occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione dissimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternae affectionis accumbimus, et te solidae caritatis osculo pressius osculamur. O utinam tibi, fili, pateret ad plenum cum quanto in his occurrit tripudio eadem Ecclesia nuper in Lugdunensi concilio congregata! O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus et nudatis capitibus laudantium praecipue praelatorum in tuis sonuissent auribus, et revelata facie ipsorum oculos deducentes quasi aquarum exitus inspexisses; profecto prudenter adverteres, quod erant eorum lacrymae tam excussi doloris indices, quam adeptae laetitiae proditrices; nec minus intelligeres, quam grati tui advenerint nuncii, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam iubilo tua professio acceptata! Exulta igitur et tu, fili, exulta, et laetare in Eo, qui est splendor lucis aeternae, divinae quaedam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustravit, ut lumen veritatis intelligens, non solum redires ad illam, sed ad redeundum aliis dux et praevius effici merereris. Exulta et gaude talem ac tantum iam datum laboribus tuis effectum; ut et de tuo ad sinum unitatis ecclesiasticae reditu, indubitatum expectare valeas praemium, et de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum.

§ 2. Persta ergo: et quod coepisti, solicite cum omni diligentia et solici-

Hortatur eumdem imperatorem ad totalem schismatis abolitionem.

tudine prosequaris, efficacem pro posse daturus operam, ut nec in aliquibus eiusdem schismatis reliquiae qualescumque supersint. Dei quidem perfecta sunt opera, et tu creatura illius Creatorem tuum in tam placiti consummatione operis pro viribus imitare, ut spei conceptae de praemio res succedat, et praemissum debitum exhibitio regalis exsolvat. Super his autem et aliis habitis circa praemissa processibus, praefati tuae celsitudinis nuncii, quorum tibi notior est virtus et probitas, ad te plenius revertuntur instructi; quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere.

Datum Lugduni, v kalendis augusti anno tertio.

Dat. die 28 iulii 1274, pontif. anno III.

*Sequitur alia Pontificis epistola ad filium dicti imperatoris.*

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Andronico primogenito carissimi in Christo filii nostri Michaelis Palaeologi imperatoris Graecorum illustris, salutem et apostolicam benedictionem.

Hortatur Pont. filium d. imp. ut studeat unitati Ecclesiae Graecae cum Latina.

Habes, fili, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis et confessionis erumpas. Exultes in Eo, et fatearis humiliter tibi de immenso Ipsius dono concessum, verae fidei agnoscere veritatem, illam amplecti piis affectibus et devotis nobis missis affatibus confiteri. Haec si corde contrito et humiliato spiritu recognoscens, a coeptorum prosecutione solicita non desistas, plura tibi salutaribus inhaerenti studiis, proculdubio ipse bonorum omnium Dator adiiciet, perfectae tandem retributionis praemium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus et hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus in praemissis, sicut discrete scripsisti, tui genitoris inclyti laudabili proposito, nobis per eius et tuas expresso literas, constanter adhaerens, totis viribus satagas, ut antiquati schismatis omnino aboleantur reliquiae, sitque Latinorum et Graecorum unitas perpetuis temporibus inconcussa.

Datum Lugduni v calendis augusti, anno tertio.

Dat. die, annoque eodem.

*Subsequitur tenor literarum supradicti Michaelis imperatoris ad Pontificem.*

Intitulatio.

Sanctissimo et beatissimo, primo et Summo Pontifici Apostolicae Sedis venerabili Papae, et communi patri omnium christianorum, et venerabili patri imperii nostri domino Gregorio, Michael in Christo Deo fideliter imperator et moderator Romæorum, Ducas Angelus Comnenus, Palæologus et spiritualis filius magnae sanctitatis vestrae, convenientem honorem et reverentiam cum sincera et pura affectione et orationum postulatione.

Nuncii Sedis Apostolicae ad imperatorem transmissi.

Quoniam missi sunt a magnitudine vestra ad imperium meum nuncii Deo placentes, ordinis fratrum Minorum, frater Hieronymus de Asculo, frater Raymundus Berengarii, frater Bonagratia de S. Ioanne in Persiceto et frater Bonaventura de Mugello; et obtulerunt literas magnae sanctitatis vestrae imperio meo; in quibus inter alia de confessione fidei, quam docet et praedicat, et confitetur sancta Romana Ecclesia, continebatur et oportebat in his magis responsionem convenientem nos facere, ecce hoc facit imperium meum. Habet autem professio fidei in dictionibus taliter:

Tenor confessionis aut professionis fidei praedicti imperatoris.

Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quae sunt in coelo et in terra, visibilia, invisibilia, corporalia et spiritualia. Cre-

dimus singulam quamque in Trinitate personam, unum verum Deum, plenum et perfectum. Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et aequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem aeternam , alteram ex Matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasticum, sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, divina scilicet et humana, in unius personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in coelum, et sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala. Credimus et Spiritum Sanctum plenum et perfectum verum Deum, ex Patre Filioque procedentem, coæqualem et consubstantialem, et coomnipotentem et coæternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unicum Deum omnipotentem, aeternum et invisibilem et incommutabilem. Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credimus etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, ac Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum ac Dominum. Haec est vera fides catholica, et hanc supradictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia: sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere poenitentes in caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis, hoc est catarteriis (1), sicut nobis frater Ioannes explanavit, post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, mox in coelum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, et firmiter asseverat, quod nihilominus in die iudicii, omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam, et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est Poenitentiae; aliud Eucharistiae; aliud sacramentum Ordinis; aliud est Matrimonium; aliud Extrema Unctio, quae secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Euchari-

(1) A graeco voc. καθαιρω, *purgare.*

stiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso Sacramento panis vere transubstantiatur in Corpus, et vinum in Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio, per mortem coniugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud, ex causa alia, non obsistat. Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe, sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter cognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare; et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae. Ipsarum praelati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias caeteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, et patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa, tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva. Suprascripta fidei veritate (prout plene lecta est, et fideliter exposita) veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet, et fideliter docet, et praedicat sancta Romana Ecclesia: inviolabiliter observare eamdem professionem, et in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquam tempore ab ea discedere quoquomodo, aut deviare vel discordare promittimus. Primatum quoque eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae, sicut in praemissa serie continetur, ad ipsius sanctae Ecclesiae obedientiam venientes, confitemur et recognoscimus, acceptamus et sponte suscipimus.

*Supplicat pro conservatione rituum Ecclesiae Graecae.*

Confitentes vero haec, et approbantes et acceptantes et promittentes observare, ut superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, ut Ecclesia nostra dicat sanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante schisma, usque in hodiernum diem, et quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma; qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra divina praecepta, nec contra Vetus et Novum Testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium conciliorum, et sanctorum receptorum per sancta concilia quae celebrata sunt a spirituali dominatione Ecclesiae Romanae. Hoc igitur non grave est vestrae sanctitati, nec inusitatum, et nobis tunc difficile propter infinitam multitudinem populi.

*Transmissio nunciorum ad Romanum Pontificem pro praedictorum confessione firmanda.*

Commisimus autem super his praesentibus nunciis imperii nostri, ut dicta per praesentes literas nostras confiteantur et affirment vice imperii nostri coram magna sanctitate vestra. Praesens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione et professione, propria manu nostra, Dei gratia, imperiali subscriptione signavimus et sigillum nostrae potentiae inferius appendi fecimus, *etc.*

---

## IX.

*Provisiones et ordinationes pro ecclesiastica libertate in regno Portugalliae manutenenda (1).*

### SUMMARIUM

Humana, divinaque hoc in regno male haberi dolet Gregorius. — 1. Alphonsus rex

(1) Ex Regest. Vatic. Vide Raynaldum ad annum 1275, § 21.

ab Honorio III saepius de his monitus, rogatusque ut ab huiusmodi abstineret. — 2. Sanctius Alphonsi filius a Gregorio IX de eisdem rebus monitus. — 3. Imperatum postea ab Innocentio IV subditis, ut Alphonso comiti Boloniensi regis fratri obedirent: — 4. Alphonsus vero, quamvis remedia his se allaturum promiserit, peiora tamen patrat. — Papae erga eum longanimitas. — 5. Missi ad eum nuncii apostolici. — 6. Parum hi proficiunt. — 7. Praecipit igitur ut Alphonsus iuret observantiam contentorum in literis Pontificum. — 8. Omnes insuper regni officiales iurent illa infringi se non passuros: — 9. Rex vero Ecclesiis et ecclesiasticis nullam se iniuriam aut molestiam allaturum. — 10. Poenae contra inobedientes. — Poenae in reges inobedientes, — Et barones et officiales. — Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Humana, divinaque hoc in regno male haberi dolet Gregorius.

De regno Portugalliae contra dudum et nunc, propter peccata forsan populi, regnantes in ipso, ab olim ingens clamor ascendens, in gentes et regna illorum diffudit infamiam, et exclamans in eo sancta prosterni, Ecclesias, personas ecclesiasticas, et libertatem ipsarum non conculcari tantummodo, sed quasi omnino subverti; regnum ipsum cum suis habitatoribus per regnantes eosdem non regi vel dirigi, sed velut datum in praedam ab ipsis et suis tamquam a praedonibus inhumane tractari, undique diripi, totaliterque consumi; diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et nostras aures perculit et ad praedictorum correctionem, ipsiusque regni directionem eo specialius illorum et nostrum excitavit officium, affecit animos, provocavit affectus, quod idem regnum, quod est Romanae Ecclesiae censuale, ipsi Ecclesiae specialiori iure tenetur.

Alphonsus rex ab Honorio III saepius de his monitus, rogatusque ut ab huiusmodi abstineret.

§ 1. Dudum siquidem cum ad felicis recordationis Honorii Papae praedecessoris nostri audientiam validis multorum clamoribus pervenisset, quod quondam Alphonsus Portugalliae rex timorem divini nominis et amorem damnabiliter a se prorsus abiiciens, et tamquam ad eiusdem regni et habitatorum suorum conculcationem, seu potius desolationem extremam et subversionem omnimodam ecclesiasticae libertatis in spiritu tyrannicae persecutionis anhelans, inter caetera gravia et enormia, quibus contra se ultionum Dominum provocabat, sacrosanctam Ecclesiam sponsam eius in regno ipso ancillare pro viribus satagebat, tam cathedralibus, quam aliis Ecclesiis, nec non monasteriis, hospitalibus, domibus, aliisque religiosis locis et clericis dicti regni collectas et alia importabilia gravamina praesumptuosus imponens, alias eandem diversis et variis afflictionibus opprimendo; praefatus praedecessor eumdem Alphonsum per suas literas rogandum, monendum duxit attentius et hortandum, obsecrans per aspersionem Sanguinis Iesu Christi, ut culpas suas humiliter recognoscens, converti ad Dominum festinaret, et ab Ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum molestiis et gravaminibus omnino desistens, bonae memoriae archiepiscopo Bracharen., qui huiusmodi occasione gravaminum in eumdem regem ac nonnullos complices excommunicationis, et terram ipsius metropolitica sibi lege subiectam interdicti sententias duxerat promulgandas, de damnis et iniuriis archiepiscopo irrogatis eidem satisfactionem plenariam exhiberet, certis super hoc executoribus deputatis, adiectisque comminationibus gravibus et diversis, quae de regni etiam amissione formidinem ingerebant.

Sanctius Alphonsi filius a Gregorio IX de eisdem rebus monitus.

§ 2. Cumque quondam Sanctius ipsius Alphonsi filius et in regno successor eodem, tamquam in ipsum cum sanguine huiusmodi pravitate diffusa, fugienda sequens vestigia genitoris, excessus enormes in ecclesiasticas et religiosas personas non minus, immo magis perniciose committeret, prava quaedam et iniqua inter caetera prosequendo statuta, quae

proavi sui prophana proponitur edidisse praesumptio, et per quae personarum ipsarum iniuriae ac infamationes graves, domorum quoque infractiones, bonorum spoliationes et direptiones frequentius contingebant; piae memoriae Gregorius Papa nonus praedecessor noster, cum ad ipsum praemissa per clamosae insinuationis infamiam devenissent, intendens et eiusdem Sanctii saluti consulere, et Ecclesiarum ac personarum ipsarum indemnitatibus praecavere, dicto Sanctio inter alia districtius inhibuit per suas literas speciales, ne per se vel officiales aut vassallos suos personas easdem infamare vel earum domos infringere, seu bona ipsarum quovis modo diripere attentaret, ab earumdem gravaminibus et molestiis quibuscumque penitus abstinendo: et certis super his exequtoribus deputatis graves comminationes et duras idem Gregorius praedecessor adiecit.

Imperatum postea ab Innocentio IV subditis, ut Alphonso comiti Boloniensi regis fratri obedirent.

§ 3. Recolendae insuper recordationis Innocentius Papa quartus praedecessor noster querelis multimodis et clamosis delationibus excitatus, et inter alia intellecto, quod idem Sanctius, eiusdem regni gubernatione suscepta, Ecclesias et monasteria consistentia in eodem, in gravem divinae maiestatis offensam et conculcationem ecclesiasticae libertatis, exactionibus et oppressionibus plurimis per se ac suos immaniter afflixerat et affligere non cessabat, et ab aliis pro ipsorum libito libere permittebat affligi, cupiens regnum ipsum tot tribulationum adversitate depressum per alicuius prudentis industriam relevari; cum praefatus Sanctius, quem per suas literas idem Innocentius praedecessor rogandum duxerat attentius et hortandum, specialibus super hoc monitoribus deputatis, ut praemissa celeri emendatione corrigeret, ac in consilia se reduceret meliora, in deterius semper converteret actus suos et mala malis tanquam in sensum datus reprobum cumularet, barones, communitates, seu concilia tam civitatum, quam castrorum, aliorumque locorum, ac universos milites et populos per regnum constitutos, praedictum per certas sub certa forma confectas literas de fratrum suorum consilio monuit, rogavit et hortatus extitit, dans nihilominus illis districtius in praeceptis, ut charissimum in Christo filium nostrum Alphonsum Portugalliae regem illustrem tunc comitem Bolonien. eiusdem Sanctii germanum, per quem sperabat ipsius regni miserabilem statum, ope comite caelestis auxilii, relevandum, cum praedictum Alphonsum ad curam et administrationem generalem et liberam dicti regni Apostolicae Sedis auctoritas assumpsisset, devote recipere, sibique in omnibus et per omnia intendere procurarent, deputatis eidem certis exequtoribus in hac parte, prout haec omnia eorumdem praedictae literae plenius attestantur.

Alphonsus vero, quamvis remedia his se allaturum promiserit, peiora tamen patrat.

§ 4. Porro processu temporis saepefatus Alphonsus rex ad eiusdem regni praelatorum instantiam, ad curam et custodiam dicti regni ac defensionem praelatorum ipsorum, nec non religiosorum, ac totius cleri et monasteriorum, Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, caeterorumque in illo degentium per Sedem eamdem, prout praemittitur, evocatus, licet certos ex parte praelatorum ipsorum articulos sibi oblatos Parisiis, ac praemissas provisiones apostolicas in praedictis eorumdem praedecessorum Honorii et Gregorii literis comprehensos se, cum ipsius regni dominium quocumque adeptus foret titulo, astrinxerit iuramento praestito servaturum, prout in literis inde confectis, et quondam magistrorum Ioannis Sedis Apostolicae cappellani Carnoten. et Lucae decanorum, ac Petri cancellarii Parisien. Ecclesiarum, aliorumque clericorum, tam religiosorum, quam saecularium, necnon et quorumdam nobilium sigillis munitis plenius continetur; tam grandis tamen honoris ab eiusdem sibi Sedis benignitate collati quasi omnino immemor, tantique beneficii gratiam minime recognoscens, sed ad eam

prorsus ingratus, iuramenti religione contempta, quam cautius custodire debuerat, non solum provisiones et articulos supradictos servare contempsit, verum etiam quamplura contra praelatos et Ecclesias, religiosos, clerum et populum saepedictos, ac libertatem ecclesiasticam commisit enormia, sicut fama, immo verius infamia publica protestatur: propter quae bonae memoriae Martinus archiepiscopus Bracharensis, E..... Compostellanensis archiepiscopus tunc Colimbriensis, R. Egitaniensis, V..... Portugallensis, M..... Colimbriensis tunc Visensis episcopi personaliter, et bonae memoriae M..... Elborensis, et P..... Lamacensis episcoporum procuratores oppressionibus dicti regis afflicti, affecti molestiis, iniuriis lacessiti, ad Apostolicae Sedis clementiam, a persequentis facie fugiendo, necessarium habuere recursum, super his opportunum provisionis et consilii Sedis ipsius remedium non absque laboribus gravibus et expensis longo verbi (1) tempore praestolantes, et demum dictis Bracharen. et Compostellanen. archiepiscopis, ac R. Egitanien. episcopo sublatis de medio, nos ad supplicem aliorum superstitum episcoporum instantiam per nostras sub certa forma literas eumdem regem rogare, monere, ac hortari curavimus, ut a violatione libertatis ecclesiasticae, nec non et ab usurpatione iurium divinorum et ab Ecclesiarum aliarumque personarum saecularium quibusvis molestiis abstineret, caeterosque sibi subditos cessare compelleret ab eisdem: quodque universa bona et singula praelatorum, Ecclesiarum, monasteriorum et aliarum quarumcumque personarum ecclesiasticarum, quae quacumque occasione ablata vel quocumque modo illicite occupata, consumpta, detenta, seu data vel alienata per eum vel de mandato ipsius, aut per barones, milites et officiales eiusdem extiterant, sine difficultatis obstaculo restitueret, ac restitui faceret cum fructibus inde perceptis: et de damnis et iniuriis ipsis illatis satisfactionem exhiberet eisdem et exhiberi faceret competentem: et quod constitutiones et statuta in eodem regno contra ecclesiasticam libertatem, statumque regni pacificum introducta non servaret, nec ab aliis permitteret observari; sed praedictas Ecclesias et personas in libertate plenaria conservaret: ac insuper caveret per suas patentes litteras bulla sua plumbea consignatas venerabilibus fratribus nostris Egitaniensi, Colimbriensi, Portugallensi, Ulixbonensi et aliis episcopis dicti regni, eorumque capitulis singulis eorumdem singulas literas concedendo, promittens eis firmiter in eisdem, quod ab ipsorum episcoporum et aliorum praelatorum, Ecclesiarum, ecclesiasticarum personarum, nec non communitatum, conciliorum et hominum, civitatum, castrorum, aliorumque locorum pacifico statui, ut tenemur, ex officio praecavendo, aliter contra ipsum procedere curaremus: et quia ferventi desiderio cupiebamus et cupimus, ut inter ipsum, et praelatos, clericos et personas ecclesiasticas dicti regni optata pax et concordia proveniret, et stabili, postquam provenisset, firmitate duraret, et aliquos viros providos et fideles ad nos cum sufficienti mandato transmitteret, qui ea, quae per ipsum et suos in praemissis correcta et emendata existerent, et pacem atque concordiam, quam dictis praelatis, clericis et personis ecclesiasticis super his ex tunc servare proponeret, in nostra possent, et studerent praesentia roborare, vel eumdem regem in his omnibus nostrae et Apostolicae Sedis ordinationi submitterent, quidquid aequitate praevia per nos et Sedem ipsam in omnibus supradictis ordinare contingeret recepturi.

Papae erga eum longanimitas.

§ 5. Dedimus praeterea dilectis filiis priori Praedicatorum, custodi et guardiano Minorum fratrum ordinum Ulixbonen. per alias nostras literas in mandatis, ut eiusdem regis praesentiam adeuntes ipsum, ut se super his, quae in

Missi ad eum nuncii apostolici.

(1) Forsan *verni*.

nostris literis tunc directis eidem, et articulis ab ipsius regni praelatis coram nobis propositis, et per fratres sibi praesentandis eosdem continebantur, corrigeret, ex parte nostra monere et efficaciter inducere procurarent: et si ad correctionem illorum voluntarium se offerret, vel ex responsione ipsius, ac aliis circumstantiis appareret, quod vellet praemissa corrigere, interdictum in eodem regno a praelatis positum supradictis usque ad septem menses a receptione literarum nostrarum suspenderent, numerandos ita tamen, quod solemnes nuntii dicti regis cum sufficienti mandato, infra menses quatuor a tempore suspensionis interdicti huiusmodi computandos, iter acciperent ad nostram praesentiam veniendi. Si vero praefatus rex iuxta mandati nostri tenorem corrigere praedicta contemneret, saepedictum regnum ipso iure post septem menses eosdem redigeretur in pristinum interdictum. Memoratis etiam fratribus in virtute obedientiae districte per alias nostras iniunximus literas, ut, cum idem rex praedictos episcopos, aliosque praelatos, nec non capitula, conventus, clericos et Ecclesias, ac populum dicti regni gravibus, sicut acceperamus, afficeret iniuriis et pressuris; nosque sibi super hoc nostras sub certa forma literas mitteremus, eas dicto regi fideliter praesentarent, ac responsum eius et quidquid super eis duceret faciendum, nec non locum et diem, in quibus, et coram quibus personis ipsi regi dictas literas ducerent praesentandas per suas patentes literas, directarum tam eis quam ipsi regi literarum seriem continentes, curarent nobis plenius intimare.

Parum hi proficiunt.

§ 6. Sane duo ex dictis fratribus, mandato nostro recepto, volentes observare sollicite fines eius, praefati regis adiere praesentiam, et ipsius mentem verbis pacificis, humilibusque sermonibus inclinare, ipsumque diligenter, prout ex forma ipsius mandati poterant, monere ac inducere curaverunt, ut saluti suae providens et honori, mandatis et monitis apostolicis obediret. Idem vero rex ab eisdem fratribus multoties humiliter requisitus, ut praesentatas sibi per illos Sedis Apostolicae literas clementer audiret, diligenter intelligeret et efficaciter exaudiret, tamquam male sibi conscius per diversas excusationes et frivolas multiplici exquisito diffugio, vix tandem elapsis pluribus terminis super hoc ab eo fratribus assignatis eisdem et protestationibus plurimis fratrum ipsorum coram baronibus et consiliariis dicti regis, ac multis aliis tunc praesentibus publice factis, quod mandatum apostolicum parati erant, prout tenebantur, exequtioni debitae demandare, qualemqualem audientiam voluit dictis fratribus exhibere, nunc infirmitatem, nunc minutionem, nunc alia impedimenta varia praetendendo. Et quamquam post nonnullos terrarum circuitus dictorum fratrum humilitate devota non absque laborum sarcina illius vestigia prosequente, se velle apostolocis parere in hac parte beneplacitis simularet; parum tamen de his, quae tantum verbaliter praetendebat, realiter adimplevit, eo magis suae inobedientiae vitium detegens, quo amplius illud obtegere satagebat. Et tandem licet ipse rex, auditis et intellectis literis supradictis, ac regni gravaminibus et afflictionibus et oppressionibus abhorrendis, per fratres eosdem sibi, oraculo vivae vocis, expositis, quamvis eorum non existeret ignarus, baronibus et consiliariis suis tunc secum morantibus correctionem regni simulate committeret; tamen quasi nihil per ipsum aut eos actum extitit circa illam: propter quod saepedicti fratres sollicitius attendentes, quod penes regem eumdem proficere non valebant, nec volentes verbis eius, in quibus veritatem reperire non poterant, ulterius detineri, ab eo super his instanter petiere responsum nobis fideliter indicandum: quod tandem in quadam cedula non sigillata notatum, quamquam illud sub sigillo regio instantissime postulassent, per opportunae im-

portunitatis instantiam extorserunt tam responsum huiusmodi, in quo idem rex licet persuasae sibi correctioni iuxta mandatum nostrum se vacare praetenderet, per hoc calamitates et miserias dicti regni non tam inficians quam affirmans, excusationibus tamen frivolis et malitiosis diffugiis potius intendebat, quam quod in hac parte fecerant, per suas nobis patentes literas plenius intimantes, per quas nobis super dictis gravaminibus evidentius informatis liquido constitit, circa correctionem illorum non esse dictorum fratrum, immo nostris monitionibus paritum, seu quomodolibet satisfactum.

Praecipit igitur ut Alphonsus iuret observantiam contentorum in literis Pontificum.

§ 7. Nos igitur, qui ex debito pastoralis officii de fidelium statu pacifico sollicitis studiis cogitare tenemur, tot et tantas iniquitates tanto continuatas tempore, immo potius tot temporum et successionum continuatione incorrigibiliter obfirmatas nequeuntes ulterius urgente conscientia conniventibus oculis pertransire, sed praelatis, Ecclesiis, monasteriis, clericis, aliisque personis ecclesiasticis, caeterisque habitatoribus dicti regni super tot importabilibus gravaminibus, afflictionibus et pressuris benigno compatientes affectu, ac volentes etiam paci et tranquillitati eorumdem regni praelatorum, Ecclesiarum, monasteriorum, clericorum et aliorum in illo degentium paterno sollicitudinis studio providere, de apostolicae plenitudine potestatis, et fratrum nostrorum consilio statuimus et ordinamus, quod idem rex obliget se stipulatione solemni, praestito iuramento, ad observandum, quae in praedictis eorumdem Honorii et Gregorii praedecessorum literis continentur, et quae, ut praemittitur, Parisiis iuravit, et quod nullo unquam tempore veniet contra ea: promittat etiam, quod sui successores in regno praedicto, in quibus huiusmodi iam quasi haereditariae pravitatis in tot eorum sine interruptione radicatae praedecessorum exempla non immerito metuuntur, infra annum, postquam gubernacula ipsius regni susceperint, se modo simili obligabunt, et super hoc idem rex suas patentes literas, tam iuramentum, quam totius promissionis huiusmodi seriem continentes, sua plumbea bulla bullatas, confici faciet dilecto filio electo Bracharen. et venerabilibus fratribus nostris Egitanien., Colimbrien., Portugallen., Ulixbonen., Silven., et caeteris ipsius regni episcopis, eorumque successoribus vel procuratoribus eorumdem, singulis videlicet singulas concedendas.

Omnes insuper regni officiales iurent illa infringi, se non passuros:

§ 8. Statuimus insuper et ordinamus et providemus, quod quandocumque aliquos in barones, alferazes seu signiferos, maiordomos, cancellarios, superiudices, consiliarios, almozarifos (1), praetores, meyrinos (2) et alios officiales publicos in regno assumet eodem, ipsos, antequam suorum officiorum exequtionem concedat, eisdem iurare faciat, quod ipsi non erunt in consilio, auxilio vel favore, quod dictus rex, vel aliquis de suis contra praedicta provisiones et contenta in forma praemissi iuramenti regis eiusdem, aut contra ecclesiasticam libertatem quidquam faciat, et ipsi ea inviolabiliter observabunt, et a suis subditis facient observari. Quodque nobiles viros Dionysium et Alfonsum filios suos, alferaz, maiordomum, cancellarium, barones, superiudices, consiliarios, almozarifos, meyrinos, praetores, iudices et alios officiales publicos regni eiusdem, qui iam instituti administrant, faciat praestare simile iuramentum: et quod dicti successores sui hoc ipsum de suis baronibus, alferazibus, maiordomibus, cancellariis, superiudicibus, consiliariis, almozarifis, praetoribus, meyrinis, iudicibus, regni sui officialibus et ordinariis observabunt.

Rex vero Ecclesiis et ecclesiasticis nullam se iniuriam aut molestiam allaturum.

§ 9. Providemus et ordinamus, atque statuimus, quod nominatus rex pro se, et omnibus de regno et dominio suo bona fide et sine fraude praestet et concedat perpetuam securitatem et pacem praedi-

(1) Portorii praefecti, exactores, portitores (Ducange). (2) Penes quos iurisdictio regia (Ducange).

ctis electo et episcopis, ac eorum familiis et rebus, ac aliis, qui hactenus astiterunt eis in dicti prosecutione negotii, vel deinceps astiterint, aut praestiterint auxilium vel favorem; quod eis in personis, vel rebus suis intrando, morando vel exeundo regnum praedictum, quoties et quando suis viderint utilitatibus expedire, non offendet, nec offendi, quantum in eo fuerint, per aliquem patietur: quodque idem rex remittat praelatis, eorum familiis et aliis supradictis omnem rancorem et odium, si quod contra ipsos concepit, aut aliquem eorumdem, vel saltem in abstinendo ab offensis eorum, et faciendo alios abstinere, perinde se habeat ad ipsos, ac si adversus eos nullum rancorem vel odium concepisset. De huiusmodi autem securitatis et pacis infractione ipsum ita per omnia teneri decernimus, sicut iuxta consuetudinem regionis teneretur, si treugam forsitan infregisset: et quod super praemissis capitulis omnibus et singulis observandis praestet idem rex corporaliter iuramentum, et confici etiam faciat patentes literas sua praedicta plumbea bulla bullatas, et praedictorum filiorum suorum, alferaz, cancellarii, maiordomorum, superiudicum curiae suae, ac decem baronum maiorum de dicto regno sigillis nihilominus roboratas, dando singulas dictis electo et singulis episcopis, abbatibus et prioribus monasteriorum, quae per priorem consueverunt tantummodo gubernari, nec non et communitatibus civitatum regni praedicti.

Poenae contra inobedientes.

§ 10. Caeterum quia facilis forsan esset praedictorum transgressio, nisi poenarum adiectione vallentur, volumus et ordinamus, quod nisi saepedictus rex infra tres menses postquam ad ipsum ordinatio ista pervenerit, et successores sui infra annum postquam regnare coeperint, omnia et singula compleverint supradicta capitula, cuiuslibet ipsorum praemissa, prout eum contingunt ommittentis, implere, etsi per unum mensem in huiusmodi obstinatione perstiterint; loca etiam, in quibus ipsi ommittentes fuerint, vel ad quae ipsos contigerit pervenire, quamdiu ibi moram contraxerint, sint ecclesiastico supposita interdicto. Et si infra unum mensem, praeter praedictos tres, sive annum quantum ad successores proximo sequentem, huic ordinationi parere, ac praemissa omnia et singula implere neglexerint; idem rex et praedicti successores eius ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quam ex nunc in illo casu ferimus in eosdem. Quod si infra alium mensem, praedictum unum mensem immediate sequentem, in huiusmodi negligentia seu omissione perstiterint, tota terra sua, videlicet praedictum Portugalliae et Algarbii regnum eo ipso ecclesiastico subiaceat interdicto: et si adhuc per tres alios menses in illorum adimpletione cessaverint, subditi et vassalli eorumdem regum ab observatione iuramentorum fidelitatis et homagii, quibus sibi obligati existunt, sint penitus absoluti, sibique respondere in aliquo minime teneantur, quamdiu in huiusmodi pertinacia permanebunt. Nec iidem rex et successores iurepatronatus, si quod habent in Ecclesiis dicti regni, quamdiu in huiusmodi contumacia et excommunicatione permanserint, uti possint. Si autem memoratus rex aut successores sui, post promissiones et obligationes praedictas, iuramenti praestationem, literarum suarum pacis et securitatis concessiones huiusmodi, contra praedicta venerint, vel aliquod praemissorum et infra similes terminos, postquam denunciatum fuerit eis per dioecesanum loci, in quo rex praefatus vel successores sui veniendo contra praemissa excesserint, vel per eius vicarium, ipso absente aut eius Ecclesia vacante, cum consilio et assensu duorum coepiscoporum regni eiusdem tunc in regno ipso praesentium, super his satisfacere forte contempserint, poenis expressis superius ipsos decernimus sub-

Poenae in reges inobedientes.

Et barones et officiales.

iacere, a quibus absolvi non possint sine mandato Sedis Apostolicae speciali. Assumendi autem in barones, consiliarios et alios officiales publicos, seu etiam iam assumpti, si eorum, quae iuraverint, fuerint transgressores, nisi exinde infra mensem satisfecerint competenter, laici eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, clerici vero et eadem ligati sententia et obtentis beneficiis sint privati et inhabiles ad alia obtinenda.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, ordinationis et provisionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, *etc.*

Datum Bellicadri secundo nonas septembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 4 septembris 1275, pontif. anno IV.

---

# INNOCENTIUS V

## PAPA CLXXXV

### *Anno Domini MCCLXXVI.*

Inclusis conclavi Aretii cardinalibus die 20 ianuarii 1276, postridie primo celebrato et publicato scrutinio, electus est in Pontificem Petrus de Tarantasia, natione Burgundus, ex ordine fratrum Prædicatorum, antea archiepiscopus Lugdunensis, mox S. R. E. cardinalis episcopus Ostiensis, qui Innocentius quintus voluit appellari. Romae coronatus est 22 februarii anno eodem, seditque in pontificatu a die electionis menses V, dies II (1), imperantibus in Oriente Michaele Palaeologo, in Occidente Rodulpho rege Romanorum. Obiit Romae die 22 iunii anni eiusdem, et sepultus est in ecclesia Lateranensi. Vacavit sedes dies XX.

(1) Tot enim menses et dies, computando et diem electionis, et diem mortis, eum sedisse scribit Ptolomaeus Lucensis.

## I.

*Innocentius fideles encyclicis literis adeptae dignitatis certiores facit, ac praesules ad operam pro re christiana tuenda coniungendam excitat* (1).

SUMMARIUM

De Gregorii PP. obitu, ac conclavi. — Quo die ad pontificatum evectus sit. — Fidelium preces apud Deum implorat.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei.**

De Gregorii PP. obitu, ac conclavi.

Nuper sanctae ac venerandae memoriae Gregorio Papa patre ac praedecessore nostro, in continuatione laborum, quos ad Dei prosequenda servitia solers et devotus assumpserat, nobisque, tunc Ostiensi episcopo ac aliis nostris fratribus, quos tam in Urbe, quam circa eius confinia, iam diversa loca receperant, tribus tantum ex illis existentibus circa ipsum, de ultramontana redeuntibus regione, ac eodem praedecessore apud Aretium civitatem Tusciae in infirmitate diebus aliquibus deductis de hoc saeculo nequam, quod eo dignum forte non erat, erepto, et ipsius corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato; licet in pastoris substituendi processu eorumdem fratrum absentia, satisque longa distantia, difficultatem non modicam communi hominum iudicio iuvaret; Illo tamen, ut firmiter credimus, eorumdem fratrum corda tangente, cui facile est distincta coniungere, ac etiam inter se distantia insimul adunare, nos, fratres iidem omnes, quibus id personarum suarum status indulsit, sponte ac celeriter convenimus in civitate praedicta: et in omni mansuetudine spontanea palatium, in quo idem praedecessor habitarat, pridie ante festum beatae Agnetis intrantes, in ipso festo summo mane missarum solemniis in honorem Sancti Spiritus celebratis ex more, ipsiusque gratia votis invocata supplicibus, concorditer ad celebrandam electio-

Quo die ad pontificatum evectus sit.

(1) Ex Raynaldo ad ann. 1276, § 17.

nem instantem scrutinii viam elegimus; et assistente ipso benigno sapientiae Spiritu, qui devote se invocantibus, *Ecce adsum*, solet dicere invocatus, cuius gratia molimina tarditatis ignorat; primo celebrato et publicato scrutinio (quod tamen nequaquam aliud, sicut nec oportuit, est secutum), in humilitatem nostram, Dei providentia, seu permissione mirabili, nobisque nimium terribili et stupenda, iidem fratres nullo discordante unanimiter concordarunt: nobis ad summi apostolatus evocatis apicem, et ipsius onus giganteis etiam tremendum humeris, nostris debilibus imponentes.

O mira Dei omnipotentia! O admirabilis divinae providentiae in sui dispositione infallibilis magnitudo! Quis divitiarum sapientiae ac scientiae tuae altitudinem admirari? quis comprehendere tua miranda iudicia? quis investigare sufficiat investigabiles vias tuas? Ecce id, non interiecto quasi horae unius interstitio, perfecisti, ad quod alias persaepe diffusi temporis spatium vix perfecit. Ecce longe distantes ab invicem corporibus coadunasti celeriter, et in eo ipsorum animos quasi subito coniunxisti, in quo alias cohabitatione coniunctos longa dissensio separavit. Haec profecto, pie Iesu, tui sunt muneris, tui doni, qui pacis et unitatis amator utrumque unum faciens, a diverso venientes partes unis. In iis itaque licet nos gravis, nec immerito, stupor invaserit, eius tamen quem ipsorum auctorem fideliter supponimus et humiliter confitemur, considerata clementia, confortavit, ut quamvis iniuncti oneris molem insufficientia nostra refugeret; de superabundantia tamen plenitudinis suae confisi, ei nostrae imbecillitatis subiecerimus imperfectum, sperantes, quod operi manuum suarum dexteram porriget; nec nos impraemeditatum et inscium dispositione sua, in tam profundi maris altitudine positum, derelinquet. Ad quod promptius obtinendum, vestrorum suffragiorum opitulationem requirimus, studiosam in hoc opem et operam affectamus, universitatem vestram affectuose monentes, rogantes et qua possumus instantia exhortantes, quatenus, pensato consultius, quod in partem estis tantae solicitudinis evocati, in gregibus curae vestrae commissis pro viribus soliciti pastoris partes satagentes implere, Moysi manus debiles, cuius, licet insufficientibus meritis, typum in Domini populo gerimus, vestris intercessionibus sustentetis, apud Illum, qui huiusmodi nobis onus imposuit, devotis precibus insistentes, ut non patiatur ipsius mole nos opprimi, ipsius pressura substerni; sed debilitatem nostram suo robore fulciat, suaque virtute confortet, ut sic in commissi executione regiminis Eius prosequamur beneplacitum, quod aeternæ retributionis gloriam et sequamur attentius et de suae benignitatis gratia efficacius consequamur. Caeterum, fratres et filii, affectum vobis charitativae benignitatis expandimus et sinum charitatis solidae aperimus, proponentes, quantum cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra et Ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiae promovere.

Fidelium preces apud Deum implorat.

---

# HADRIANUS V

## PAPA CLXXXVI

*Anno Domini MCCLXXVI.*

Hadrianus, antea Othobonus, patria Genuensis, S. R. E. cardinalis diaconus S. Hadriani, electus est Summus Pontifex die 12 iulii anno 1276, statim post electionem suam ex Urbe Viterbium cum concesserit, ibidem, nondum presbyter, nec Pontifex ordinatus, obiit, die 18 augusti anni eiusdem, et sepultus est in ecclesia fratrum Minorum. Sedit itaque mensem unum, dies septem: vacavitque post eius mortem Apostolica Sedes fere per mensem.

# IOANNES XX dictus XXI

PAPA CLXXXVII

*Anno Domini MCCLXXVI.*

Petrus, natione Lusitanus, Iuliani filius, S. R. E. cardinalis, episcopus Tusculanus, electus est in Romanum Pontificem die 15 septembris 1276, solemniterque de more coronatus die 20 eiusdem, Ioannes voluit appellari. Sedit in pontificatu menses VIII (1), imperantibus in Oriente Michaele Palaeologo, in Occidente Rodulpho rege Romanorum. Obiit Viterbii die 16 maii 1277, et sepultus est in ecclesia S. Laurentii. Vacavit sedes menses VI, dies VIII.

---

## I.

*Decretum, quo Adrianus V Gregorii X de inclusione cardinalium in conclavi pro facienda Pontificis electione constitutionem suspenderat, confirmatur* (2).

SUMMARIUM

1. Facta a Gregorio de conclavi lex — Ab Adriano suspensa. — Quomodo fuerit suspensa. — 2. Illius exemplo ad tempus abrogatur.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Facta a Gregorio de conclavi lex

§ 1. Licet felicis recordationis Gregorius Papa praedecessor noster, pia meditatione considerans quantum sit onusta dispendiis, plenaque periculis Ecclesiae Romanae prolixa vacatio: et vigilanter intendens super hoc de opportuno remedio providere, quandam super electione Romani Pontificis constitutionem ediderit in concilio Lugdunensi; quia tamen experientia docuit, constitutionem eandem multa intolerabilia, nonnulla obscura et propter hoc accelerationi provisionis eiusdem Ecclesiae valde damnosa, immo etiam provisionis ipsius impedimenta et dilationem ingerentia continere; piae memoriae Adrianus Papa praedecessor noster, diligenter praemissa considerans et residens in camera sua Lateranensi, in consistorio, nobis et aliis fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, praesentibus; bonae memoriae V. Praenestino episcopo, V. S. Eustachii diacono, et dilectis filiis G. tit. S. Marci presbytero tunc infirmitate detentis, ac S. tituli S. Caeciliae Apostolicae Sedis legato, presbytero, cardinalibus dumtaxat exceptis, constitutionem eandem, quoad omnem ipsius effectum, quidquid posset contingere, solemniter et absolute suspendit; et quamvis post eius obitum nos et dicti fratres, qui tunc supererant, et praesentes etiam in Romana Curia, suspensionem huiusmodi non solum verbis, sed litteris etiam nostro et eorundem sigillis munitis, concorditer testaremur; nonnulli tamen corda contumacia in damnatam superbiam erigentes, adhibere fidem nostro testimonio contempserunt; aliis etiam infrunitis animis suggerentes huiusmodi nostro testimonio non esse credendum; quamquam insuper aliquorum habet assertio, eundem praedecessorem Adrianum in lecto aegritudinis decumbentem suspensionem revocasse praedictam; nos tamen et iidem fratres frequentes et diligentes super hoc inter nos collationes habuimus; et non solum ab iis, qui revocationis huiusmodi conscii dicebantur, sed ab aliis eiusdem praedecessoris Adriani familiaribus et aliis etiam studuimus veritatem frequentissime indagare; nec invenimus eundem praedecessorem Adrianum ad revocationem praedictam aliquatenus verbo, vel literis processisse.

Ab Adriano suspensa.

Quomodo fuerit suspensa.

Illius exemplo ad tempus abrogatur.

§ 2. Nolentes itaque, nec valentes, urgente conscientia, quae nos maxime in tali ac tanto articulo veritatem occultare non sinit, praefatam suspensionem dictae constitutionis ratam, ut expedit, non haberi; vel ipsam de caetero quomodolibet

(1) A die electionis computandos. (2) Ex Raynaldo ad annum 1276, § 29.

in dubium revocari; suspensionem ipsam ab eodem praedecessore Adriano factam fuisse, ut praemittitur, praesentium tenore testamur; ac ipsam nihilominus ratificantes et ratam haberi volentes, revocatione praedicta, cum nulla de ipsa fides haberi potuerit, nonobstante, constitutionem eandem, quoad omnem suum effectum, de fratrum ipsorum consilio decrevimus esse suspensam. Caeterum aperte praedicimus, quod nec nostrae, nec fratrum ipsorum intentionis existit, ut solum in eiusdem constitutionis suspensione seu abolitione sistamus; sed ad tollendas occasiones diffusae vacationis eiusdem Ecclesiae, ac celeritatem provisionis ipsius, prout eadem intendebat constitutio, competenter inducendam, sic intendimus praefatae constitutioni et dicti praedecessoris Gregorii, conditoris eiusdem, intentioni concurrere, ac Deo ductore fratrum ipsorum consilio salubriter in proximo providere, quod cum dispositione divina casus emerserit eidem Ecclesiae, sublatis impedimentis quibuslibet, celeriter desiderata provisio, prout mundi necessitas exigit, valeat provenire. Nulli ergo, *etc.*

Datum Viterbii secundo kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1276, pont. anno I.

---

## II.

### *Encyclicae Ioannis XXI ad fideles de sua promotione literae* (1).

SUMMARIUM

Cardinales in palatio Viterbiensi Pontificem electuri conveniunt. — Quomodo ad Sedem Apostolicam evectus. — Commendat se fidelium precibus.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei.**

Felicis recordationis Adriano papa praedecessore nostro post promotionem suam ad summi apostolatus apicem brevi dierum numero vitae suae tempora consummante, post exhibita eidem in solemnibus exequiis debita humanitatis obsequia, nos et fratres nostri in episcopali palatio Viterbiensi convenimus, electioni substituendi Pontificis, iuxta necessitatis instantiam et fervens nostrum desiderium vacaturi; et licet diebus aliquibus per importunitatem Viterbiensium civium tractatui electionis instantis nec dare possemus initium; postquam tamen illi vacare potuimus, astitit, ut credulitas devota supponit, sapientiae Spiritus, ex more a nobis et fratribus ipsis suppliciter invocatus, et prima die de ipsorum fratrum concordi voto, parique concordia processit de nobis, tunc episcopo Tusculano, impraemeditatis et insciis, ad Petri Cathedram electio canonica, communis et concors.

*Cardinales in palatio Viterbiensi Pontificem electuri conveniunt.*

In iis itaque stupemus non immerito, pariter et terremur. Nonne stupor, nonne tremor, quod nos, qui tutioris semper putavimus esse consilii, secure in Domo Domini abiici, quam periculose super aliorum curam et regimen elevari sic subito in maris altitudinem venimus? Et dum ad iniuncti oneris sarcinam insufficientes virtutum sumptus dispungimus et vires impares comparamus, ab illius, nec indigne, timemus tempestate demergi? Haec efficaciter suggerebant, ut in vocatione, in qua nos vocaverat Dominus, maneremus, et debilitas onus refugeret, ac opus insufficientia nostra vitaret. Verum, quia merces laboribus commensuratur et redditur, propter quod Doctor et Praedicator egregius, non de profectu glorians, sed veraciter suos labores attestans, non inquit, plus omnibus profeci, vel profui, sed plus laboravi; licet deterreret onus et labor, ad subeundum tamen iugum apostolicae servitutis, et in ea pro viribus laborandum, merces retributionis aeternae uniuscuiusque, nisi aliud misericordia retribuentis indulgeat, commensuranda laboribus, invitavit, et sub Illius fiducia, qui lasso virtutem subiicit, cuius

*Quomodo ad Sedem Apostolicam evectus.*

(1) Ex Raynaldo, Continuat. Annal., tom. xv, pag. 255.

solius sufficientiae plenitudo nostros sufficit supplere defectus, debiles humeros tanto subiecimus oneri, nec expavimus manus exponere immensitati laboris.

Commendat se fidelium precibus.

Caeterum, quia supra vires nostras esse conspicimus susceptum officium, illudque soli portare nequimus, orationum vestrarum suffragia humiliter imploranda, et vos in partem solicitudinis evocatos collaborando nobiscum, diligentius exequamini commissa vobis officia, decrevimus exhortandos. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, vos nihilominus rogantes instanter, quatenus preces humiles, devotas et sedulas frequenter fundatis ad Dominum, ut sua pietate nostram insufficientiam suppleat, debilitatem fulciat; nobisque, quod est onerosum, leviget, quod obscurum suae claritatis luce revelet, et aspera convertat in plana: sicque vota nostra praeveniendo clementer aspiret, et misericorditer adiuvando benignus prosequatur, quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat, nec unquam in illorum executione torpescat; vos quoque, quos de gregibus diligentiae vestrae commissis pastoralis officii cura solicitat, sic diligenter illud studeatis implere, quod cum discussio venerit, et exacti fueritis pro illis reddere rationem, non solum illam cum securitate reddatis, sed et exigentis mereamini gratiam; et interim in vestris Ecclesiarumque vestrarum negotiis, super quibus potestis ad nos cum securitate recurrere, Apostolicae Sedis propitium sentire favorem.

Datum Viterbii, nonis octobris, pontificatus nostri anno primo.

Datum die 7 octobris anno Domini 1276, pontif. anno I.

# NICOLAUS III

## PAPA CLXXXVIII

*Anno Domini MCCLXXVII.*

Nicolaus III natione Romanus, antea Ioannes Caietanus de Ursinis, cardinalis diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano, electus est Viterbii Summus Pontifex die 25 novembris 1277, Romaeque consecratus die 26 decembris anni eiusdem. Sedit in pontificatu a die electionis annos II, men. IX, uno die minus: a consecratione annos II, men. VIII, duobus diebus exceptis, imperantibus in Oriente Michaele Palaeologo, in Occidente Rodulpho rege Romanorum. Obiit apud Surianum (1) die 22 augusti, anno 1280. Corpus Romam translatum tumulatur in basilica B. Petri in capella B. Nicolai. Vacavit sedes men. VI.

---

### I.

*Encyclicae Nicolai literae de sua in Summum Pontificem electione ad Galliae praelatos* (2).

SUMMARIUM

Specialis Dei de Ecclesia cura et custodia: — Ac praesertim sede vacante: — Ut defuncto Ioanne XXI, cardinales de successore eligendo tractarint. — Diem electionis suae significat. — Ut invitius pontificatum acceperit: — Spem in Deum coniecerit. — Praesulum pro se ad Deum preces exposcit. — De portitoribus literarum huiusmodi.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Senonen. et episcopis ac dilectis filiis abbatibus ac aliis Ecclesiarum praelatis per Senonen. provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Immensae Deus potentiae, qui mundum per se condidit, per se regit; nec

(1) *Surianum*, arx olim munita, prope Viterbium. (2) Ex Regest. Vatic.

eget extrinsecus quaesitis auxiliis ad regendum, qui non eguit ad condendum. Quem enim (Sacra Scriptura testante) alium constituit super terram, aut quem alium posuit super eum, quum fabricatus est orbem? Profecto nullum; sed ipse solus regiminis et gubernationis est princeps, qui creationis extitit solus auctor: Ipse quidem Ecclesiae catholicae, peculiaris procul dubio domus suae, peculiaris etiam civitatis solus aedificator et custos, ad cuius sine Ipso custodiam seu structuram frustra aedificantes alii laborem assumerent, frustra custodes caeteri vigilarent; tanto magis ea specialis regiminis et custodiae cura prosequitur, quanto maiori singularitate construxit. Siquidem caetera verbo creans: Dixit, et facta sunt: Ecclesiam vero non solum verbi expressione, sed et sui pretiosi Sanguinis effusione fundavit. Ad huius autem specialitatis evidentiam discipulis suis, quos eiusdem Ecclesiae fecit velut praecipua fundamenta: *Ego*, inquiens, *vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, suae virtutis assistentiam repromisit et ipsi Ecclesiae in Apostolorum Principe, cui cuiusque successoribus commisit eiusdem regiminis vicariam, ait: *Ego pro te rogavi, Petre, ne deficiat fides tua;* eamdem insuper vicariam sic esse voluit vicissitudinariae successionis continuatione perpetuam, ut quamquam ipsi vicarii ex humanae fragilitatis conditione legi mortalitatis addicti, vitae praesentis occasum imperio mortis incurrerent; ipsum tamen vicariatus officium substituendorum vicibus immortale in perpetuum remaneret.

Specialis Dei de Ecclesiae cura et custodia:

Proinde saepefata mater Ecclesia interdum utili desponsata Pontifici, nuptialibus ornata monilibus, sub sponsi sui ducatu, eiusdem Rectoris omnium dirigente potentia, laeta deducitur: interdum vero in pastoris subtracti carentia, viduitatis amictu circumdata, oculis resolutis in lacrimas eius sibi queritur adempta solatia, lamenta de illius subtractione multiplicat, et anxia pro alterius substitutione laborat: eo quam prolixius, quo iis, quorum interest, cum omni diligentia solerter ac instanter eiusdem Ecclesiae provisioni vacantibus, nihilominus tamen vacationis prolixitatem ingerit occurrentium casuum qualitas, aliarumque circumstantiarum necessitas, non instantium negligentia vel voluntas. Et licet interim eadem Ecclesia, dum ad editionem spiritualis Patris, filii sponsique votivam enititur, parturientis partes experiens, conatus prosequens, et molestias perferens, acerbos dolores sentiat; instar illius tamen consultius idoneum pariendi tempus expectat, ne inconsulte festinantiae impetum partum praecipitet in abortum. Oh, igitur praesumptuosa iudicia murmurantium in Ecclesiae provisione, quam saepe indigne arguunt tarditate; nam etsi de providendo utiliter eidem Ecclesiae in generalitate quadam sint eligentium vota concordia, tamen dum singulariter ad id persona idonea quaeritur, in hoc nimirum quaerentium iudicia facile non concordant. Sed et nonnumquam, occulta forsan Dei dispositione, postponendus eligitur, et postponitur praeferendus; sicut his accidisse diebus ex nostrorum defectuum consideratione supponimus et humiliter confitemur.

Ac praesertim sede vacante:

Nuper enim felicis recordationis Ioanne Papa praedecessore nostro apud Viterbium, ubi tunc cum sua curia residebat, ab hac luce subtracto, et ipsius corpore in Viterbiensi Ecclesia cum exequiarum solemnitate debita tumulato; tandem nos et fratres nostri, quibus nos tunc officii quoad hoc annumerabat aequalitas, in palatio episcopali convenimus, propensiorem diligentiam consideratae provisioni eiusdem Ecclesiae impensuri. Et quamquam Ille, qui caelesti dat concentui armoniam, nos sub clausura eadem habitantes in unum ad utilem provisionem ipsius Ecclesiae obtinendam, prout singulorum habebat assertio, unanimes fore sua pietate concesserit; ad consummationem tamen provisionis eius-

Ut defuncto Ioanne XXI, cardinales de successore eligendo tractarint.

dem alto suo et secreto consilio dare aliquamdiu distulit spiritum unitatis. Sed demum in die beatae Catharinae, missarum solemniis cum invocatione Sancti Spiritus celebratis, iidem fratres in humilitatem nostram (utinam non exorbitante iudicio) per viam scrutinii concordantes, nos, tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, ad conscendendam apostolicae dignitatis speculam unanimiter elegerunt: nobis vestem ponderis universum orbis ambitum continentem non offerentes tantummodo, sed etiam cum importuna instantia ingerentes. Verum, ut rei gestae seriem succinctus sermo pertranseat, ne, dum defectus eosdem ad humiliationem nostram gestimus exprimere, sub humilitatis specie notam elationis seu qualiscumque iactantiae ingerat seriosa repetitio veritatis; nos gradus altitudinem, et oneris imminentis tantae altitudinis ascensuri molem, nobis in cardinalatus officio experientiae longae participio non ignota, in attenta meditatione pensantes, eligentium et offerentium instantiae insufficientiae nostrae imparitatem obiecimus, debilitatem nostram dictante conscientia oblatis imparem, cum repetita multoties relaxationis supplicatione humili allegantes.

Diem electionis suae significat.

Et invitus pontificatum accreperit.

Cumque nec sic cessaret instans fratrum importunitas eorumdem, sed vim inferens nostro proposito vehementius collegii iussus urgeret, nosque violentiam patientes clamaremus lacrymis, nec esset, qui auditu exauditionis audiret, vociferaremur gemitu, nec foret qui remissionem iniuncti oneris benigno iudicio indulgeret; ad Illum oculos mentis ereximus, qui, sicut praemittitur, Ecclesiam, quam per se fundavit, non negligit regere per se ipsum; sed quam pie condidit, pie regit; et quamquam de insufficientia nostra timentes, de superabundantia tamen omnipotentiae suae confisi, humeros summo superhumerali subiecimus, et humiliter iugum subivimus apostolicae servitutis; sperantes, quod Ipse, qui Petri pedibus maximos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum praeberet obsequium, nobis, quos licet indignos illi sua constituit dignatio successorem, in nostri executione ministerii humiliabit per suae virtutis potentiam colla tumentia superborum, et lapsus in delicta labentium cohibendo, eos in bonorum stabilitate operum solidabit.

Spem in Deum coniecerit.

Ad quod efficaciter obtinendum attente orationum vestrarum suffragia imploramus, universitatem vestram monentes, rogantes et obsecrantes in Domino Iesu Christo, quatenus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam pervigiles cooperatores esse vos exigit, vobis in vestris gregibus sollicitudo commissa in huiusmodi cooperationis ministerio exequendo super greges eosdem sollicite vigilantes debilitati nostrae devotarum orationum et placationum uberum frequentibus oblationibus assistatis, ab Eo, qui vobis sarcinam eamdem imposuit, seu pondus forsan imponi permisit, supplicationibus devotis et sedulis implorantes, ut qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, Ipsius munere sublevemur: nobisque ipse bonorum Largitor omnium sic illam ad sui nominis laudem et gloriam, nostram populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem pia mater Ecclesia filios suos numero et merito nostris multiplicari temporibus glorietur.

Praesulum pro se ad Deum preces exposcit.

Caeterum, fratres et filii, affectum vobis charitativae benignitatis expandimus, et sinum charitatis solidae aperimus, proponentes, in quibus cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra et Ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiae promovere.

Cum autem, sicut intelleximus, portitores huiusmodi litterarum interdum esse consueverint contra intentionem mittentium exactores; nunc importunae petitio-

De portitoribus litterarum huiusmodi.

nis instantia, nunc etiam murmurationum susurris, ac defectionum et querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostrae intentionis existit, latoresque praesentium iurare fecimus, quod ad exigendum vel obtinendum aliquod praeter ea, quae ad victum et ob infirmitatis ac alios casus necessaria, per alias eis sub certa forma literas, quas vobis exhiberi mandamus, ministrari praecipimus, talibus instantiis, murmurationibus, detractionibus, seu comminationibus non utantur; nec recipere per instantias, murmurationes vel comminationes huiusmodi oblata praesumant: ideoque, ut nostris in hoc intentioni ac beneplacitis concurratis, praefatis eorum abusionibus, caeterisque similibus, si forsan eis, quod non est verisimile, uti praesumerent contra proprium iuramentum, contemptis, omnino vos ultra praemissa ipsius nostro ministranda mandato tribuendo aliquid non gravetis: cum non per extorsiones huiusmodi, sed alias retributione congrua intendimus ipsorum laboribus respondere.

Datum Romae apud Sanctum Petrum decimo octavo kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 15 ianuarii 1278, pontif. anno I.

---

## II.

*Quod absque Summi Pontificis licentia speciali senator Urbis minime eligatur (1).*

SUMMARIUM

Procemium. — Pontificibus donata Roma cum imperio. — 1. Damna Urbi a dominio exterorum illata recenset; — 2. Quibus occurrit. — Urbis senator sine licentia Papae non eligendus. — Poenae contra secus agentes. — 3. Tabellionum, aliorumque contravenientium poena. — 4. Obstantium derogatio. — 5. Nobiles Romani hac lege excipiuntur. — 6. Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Fundamenta militantis Ecclesiae in montibus sanctis Propheta rememorans, per montes, Apostolos et praedicatores potenter insinuat, quibus tota huius aedificii fabrica confidenter innititur, qui firmae bases Ecclesiae super fundamento, praeter quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Iesus, veluti summo angulari lapide solidantur; ut veritas, quae antea legis et prophetarum praeconio vehebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. Huius autem muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum voluit officium pertinere, ut in beato Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, ut aeterni templi structura, Deo aedificante, constructa mirabili munere gratiae Dei in Petri consisteret firmitate: cui Salvatoris nostri miranda provisio beatum Paulum in apostolatu gentium per dextras societatis adiunxit. Isti sunt, per quos Evangelium Romae resplenduit: isti sunt eius patres, verique pastores: isti sunt, qui una promerito uno loco pro gloria sub uno persecutore pro parili virtute compassi, Urbem ipsam glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt; isti sunt qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri Sedem caput totius orbis effecta. Ne autem ipsa mater Ecclesia in congregatione ac pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adiuta spiritualibus semper

proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini monarchae a Deo praevisa, sed curata baptismalibus fomentis, infirmitas quandam quasi adiiceret ipsi Ecclesiae firmitatem, qui quarto die sui baptismatis una cum omnibus satrapis et universo senatu, optimatibus etiam, et cuncto populo, in persona beati Silvestri sibi Romanam Urbem concedendo, relinquens ab eo et successoribus eius per pragmaticum constitutum disponendam esse decernens in ipsa Urbe utriusque potestatis monarchiam Romanis Pontificibus declararet, non iustum arbitrans, ut ubi sacerdotis principatum et christianae religionis caput Imperator caelestis instituit, illic imperator terrenus habeat potestatem; quin magis ipsa Petri Sedes, in Romano iam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur: nec ulli subesset homini, quae aere divino cunctis dignoscitur esse praelata. Decet namque ipsi Romano Pontifici per fratres suos sacrosanctae Romanae Ecclesiae cardinales, qui sibi in exequtione officii sacerdotalis coadiutores assistunt, libera provenire consilia. Decet ipsi nullo modo vacillare iudicia, ut fratres ipsos nullus saecularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis favor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos a veri consilii soliditate removeat; quin cum per ipsum Romanum Pontificem in quibuscumque negotiis contingeret eorum peti consilia in consulendo per omnia liberi eidem Romano Pontifici in omnibus, quae pro tempore immineant, libere consulant et assistant: ipsaque Romani Pontificis vicarii Dei, quae suis temporibus occurret electio, et eorumdem cardinalium, cum expediet facienda promotio, in omni libertate procedant.

Pontificibus donata Roma cum imperio.

§ 1. Digne itaque ad Urbem ipsam, eiusque regimen aciem nostrae considerationis extendimus, ut felici ducta regimine praeservetur a noxiis, et optatis semper proficiat incrementis. Numquid obduxit oblivio, quae Urbi, quae incolis nota dispendia intulerunt hactenus peregrina regimina? Numquid non haec destructio moenium et deformatio proveniens ex ruinis luce clarius manifestant? Num quid non haec fidelium contrectata deposita? Numquid non haec ipsa veneranda Dei templa praesidentis manu sacrilega diebus nostris nefarie violata proclamant? Quid plura? nonne ipsius Urbis retroactis temporibus incorrupta constantia, sub regentis eo tempore nefando subversa regimine, ipsam Urbem speculum Fidei tanta respersit infamia, ut a matre sua Romana Ecclesia filia praedilecta deviare compulsa, quondam Corradinum, qui de venenosa radice Friderici quondam Romanorum imperatoris colubri tortuosi iusto ipsius Ecclesiae iudicio reprobati prodiisse videbatur in regulum, quique ad exterminium Romanae matris Ecclesiae manifestis indiciis una cum suis fautoribus aspirabat in contemptum Dei, suae matris ac ipsius Urbis opprobrium, patenter exciperet, recepto faveret, constituens se per hoc tam patentis hostis suae matris Ecclesiae filiam adiutricem? Haec ipsi Romae praestiterunt senatores incogniti: haec praesides improvisi, ut gloriosa civitas redderetur ingloria, sua stabilitas vocaretur instabilis, suaeque constantiae antiquata soliditas linguis hominum notaretur infirma.

Damna Urbi a dominio exterorum illata recenset;

§ 2. Proinde officii nostri debitum circa huiusmodi tam periculosos eventus ad libram moderaminis erigentes, tantae subversionis occasiones ita salubris remedii appositione praecidimus, ne illorum, qui ipsam rempublicam laudabiliter hactenus gubernarunt, videamur gloriam suggillare, vel merita, quae illis apud infallibilem et omnia scientem Retributorem de iam perlatis quaesita laboribus salva persistunt. Ut igitur circa regimen ipsum talis adhibeatur in omnibus cum discretione solertia, per quam ipsi Romanae Ecclesiae plena libertas, quae in omni-

Quibus occurrit.

bus et per omnia sibi debetur, optata proveniat, vitentur iam experta pericula, et Romanorum populus ab opprimentium protectus incursibus sedeat, sedendo quiescat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, et temporalium requie opulenta; de fratrum nostrorum consilio hac irrefragabili et in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut quandocumque et quotiescumque senatoris electio vel alterius quocumque nomine censeatur, qui quocumque modo, quocumque titulo ipsius Urbis debeat præesse regimini, imposterum imminebit, nullus imperator, seu rex Romanorum, aut alius imperator, vel rex, princeps, marchio, dux, comes, aut baro, vel quis alterius notabilis praeeminentiae, potentiae, seu potestatis, excellentiae vel dignitatis existat frater, filius, vel nepos eorum ad tempus, vel in perpetuum, seu quivis alius ultra annale spatium quovis modo, colore vel causa per se vel per aliam personam quomodolibet submittendam in senatorem, capitaneum, patritium, aut rectorem, vel ad eiusdem Urbis regimen, seu officium nominetur, eligatur, seu alias etiam assumatur, absque licentia Sedis Apostolicae speciali, per ipsius Sedis literas concessionem licentiae huiusmodi specialiter exprimentes: quod si secus factum fuerit, nominationem, electionem et assumptionem huiusmodi decernimus esse nullas, ac carere omni robore firmitatis: et non solum nominatores, electores et assumptores; verum etiam ipsi nominati, electi, aut assumpti, si huiusmodi nominationi, electioni, seu assumptioni consenserint, aut se de ipsis quomodolibet intromiserint, intendentes et obedientes eisdem, et omnes dantes in hoc ipsis nominatoribus, electoribus, assumptoribus, aut nominatis, electis, vel assumptis auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, cuiuscumque dignitatis, praeeminentiae, conditionis, aut status extiterint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: ac nihilominus ipsos nominatos, electos seu assumptos si contra praesentem constitutionem praedictis nominationi, electioni vel assumptioni consenserint, aut se quoquomodo illis ingesserint; et eorum posteros in perpetuum omnibus feudis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis et honoribus, quae a praedicta, seu aliis tenent Ecclesiis, censemus esse privatos: ita quod illi, ad quos eorum collatio, concessio, seu dispositio pertinet, resumendi ea, retinendi, concedendi, seu conferendi aliis, aut de ipsis etiam disponendi, prout ad eos pertinet, liberam habeant potestatem: et ne taliter nominati, electi, vel assumpti de sua pertinacia vel contemptu valeant gloriari, nos quaelibet mandata, praecepta, ordinationes et statuta, quae fecerint, omnesque sententias, quas tulerint, et quidquid penitus in contractibus et obligationibus, sive in quibuscumque aliis Urbis nomine, vel tamquam senatores, capitanei, patritii, aut rectores, vel officiales ipsius egerint, irrita prorsus ex nunc et vacua nunciamus.

*Urbis senator sine licentia Papae non eligendus.*

*Poenae contra secus agentes.*

§ 3. Iudices vero et tabelliones, qui super iis aut eorum aliquibus contra praesentis constitutionis edictum patrocinari vel instrumenta conficere forte praesumpserint, iudicatus et tabellionatus officiis se noverint esse privatos. Contemptores quoque, seu violatores praemissorum vel aliquorum vel alicuius eorum ab huiusmodi excommunicationis, praeterquam in mortis articulo, sententia absolvi non possint, nisi per Romanum Pontificem, vel de ipsius petita et obtenta licentia speciali.

*Tabellionum aliorumque contravenientium poena.*

§ 4. Non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis, concessionibus, constitutionibus, consuetudinibus et statutis quacumque firmitate vallatis, quae in præmissis omnibus, nolumus aliquibus vel alicui suffragari: sed omnia quoad illa decernimus non tenere.

*Obstantium derogatio.*

§ 5. Ut autem cives romani, qui ex ipsa Urbe naturalem duxisse noscuntur originem, aut quivis alii, qui in ipsa

*Nobiles Romani hac lege excipiuntur.*

eiusve territorio non advenae, sed continui habitatores extiterunt, quoad honores ipsius Urbis, aut regimen gratiosis functionibus potiantur, non intendimus, quod praesens constitutio tales excludat, quin ad unum annum dumtaxat, vel aliud tempus brevius nominari ad ipsius regimen et officium eligi valeant ac assumi: etiamsi praedictorum principum et aliorum fratres, filii vel nepotes existant, aut etiamsi extra Urbem et ipsius territorium sub nomine comitatus, baroniae, seu cuiuscumque alterius tituli in hominibus vel locis aliquibus iurisdictionem, seu potestatem aliquam temporalem vel perpetuam obtinerent: dummodo praedicta iurisdictio vel potestas extra Urbem et territorium praefata consistens non tantae præeminentiae, vel notabilis potentatus existat, quod eam obtinentes eius occasione vel causa cum aliis exclusis a dicto Urbis regimine, ut praemittitur præsentis constitutionis oraculo, rationabiliter includantur.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et privationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem, *etc.*

Datum Viterbii quintodecimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 18 iulii 1278, pontif. anno I.

---

## III.

### *De praedicatione verbi Dei pro conversione hebraeorum.*

SUMMARIUM

Innumera Dei beneficia erga hebraeos. — 1. Excaecata tamen semper fuit eorum durities. — 2. Iubet, ut praedicetur verbum Dei, ut convertantur. — 3. Conversi praelatis et aliis commendandi, ut humanissime tractentur. — 4. Converti nolentes Papae nuncientur.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio priori provinciali fratrum ordinis Praedicatorum in Lombardia, salutem et apostolicam benedictionem.**

Innumera Dei beneficia erga hebraeos.

Vineam Sorec velut electam plantavit dextera Dei Patris, et omne semen verum seminavit in ipsa, angelica custodia sepivit illam, lapides nocivos abiecit ex ea. Hanc de Ægypto in luto et latere sub iugo Pharaonis oppressam, in signis et prodigiis transferens, dux itineris eius existens, in terram promissionis adduxit. Vinea enim Domini exercituum domus Israel est, viri Iuda delectabile germen eius. Hanc sic mire translatam, quasi adhuc rudem campum vomere legali proscindens, prophetali doctrina sulcavit, ut et ipsam ad maturam frugem, idest ad regenerationis gratiam praepararet.

Excaecata tamen semper fuit eorum durities.

§ 1. Sed, proh dolor! peccatorum spinis obsita, nullum imbrem gratiae spiritualis excipiens, quae sperabatur ut uvas educeret, labruscas eduxit: unde sperabatur iudicium, processit iniquitas: unde iustitia, inde clamor. Haec est vinea, in qua fici arbor, scilicet synagoga iudaeorum plantata, evangelica veritate describitur; cuius plantator Christus, coetus apostolicus cultor existit. Haec triplici tempore, quasi tribus annis, ut fructum produceret expectata, infructuosa reperta, cultori succidenda praedicitur. Nam nec tempore circumcisionis ad perfectum deducta est, quia circumcisionem animae non quaerebat: nec sanctificata per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur; nec tandem iustificata per Evangelii gratiam, quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem gratiae iustum iniuste peremit, et quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis et curae refutavit antidotum; adeo ut nec verbis, nec signis, nec sacramentis, quinimmo nec ipsius Christi et Dei corporali praesentia molliretur. Multifarie enim multisque modis olim Deus loquens antiquis ipsius synagogae patribus in

prophetis, novissime in fine temporum locutus est ipsis et nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula; sed omnem escam abominata est anima eius: et idcirco iusto Dei iudicio reprobatam, exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. Ablata est sepes eius, prosternata maceries et in direptionem posita ut deserta; nec inventus est in terris amplius locus eius. Verum quia miserationes Dei super omnia sua opera praedicantur, qui omnes salvos fieri et neminem vult perire, qui se ipsum pro nobis et ipsis hostiam salutis exhibuit Deo Patri: qui exaltatus a terra, expansis in cruce manibus, ad se cuncta trahere evangelica voce praedixit.

Iubet, ut praedicetur verbum Dei, ut convertantur.

§ 2. Nos, licet immeriti, vicem Eius tenentes in terris, qui etiam iudaicam perfidiam a sua misericordia non repellit; libenter pro illius populi obcaecatione labores appetimus, ut affectum nostrum divina prosequente clementia, cognita veritatis luce, quae Christus est, a suis tenebris eruantur. Porro quia iudaeorum ipsorum, quasi per universum mundum, divino iudicio, praevisa dispersio, ipsos ad recipiendum sacramenta fidei ac doctrinam commode in unum convenire non patitur, necessitate nos voluntarios urgente, compellimur per diversas mundi partes diversos seminatores eligere, per quos semen verbi Dei, prout possibile est, spargamus in singulos, quorum salutem universaliter et singulariter affectamus. Ad te igitur inter alios sub spe divinae gratiae mentis nostrae oculos convertentes, cum tui ordinis claritate reluceas et credaris ubilibet per opera utilia et exempla laudabilia fructuosus, et ex data tibi divinitus gratia scire te confidimus et posse, et fructus uberes in Domo Domini germinare, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus confidens in Illo, cui proprium est spirituales gratias elargiri, tales umbrarum tenebris obcaecatos, in commissa tibi provincia, per te ac alios fratres tui ordinis, quos ad hoc honestate morum, experta scientia, probitatis virtutibus, circumspectione provida et experientia comprobata idoneos esse cognoveris, et quorum industria atque doctrina divinis donis a Domino foecundata intrepide pro catholica fide reluceat, et sui claritate non titubet, sed tenebrosas mentes radiorum repercussione clarificet, et obstinatas cervices reprimat perversorum, iudaeos eosdem in terris et locis, in quibus habitant, generaliter et singulariter convocando, semel et pluries, ac toties repetitis instantiis, quoties proficere posse putaveris, prout melius fieri poterit, praedicationibus, salutaribus monitis et discretis inductionibus, evangelicis doctrinis informans ipsos, studeas iuxta datam tibi a Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, ut renati fonte baptismatis, reluceant in lumine vultus Christi, et exinde chorus angelicus delectetur. Tu quoque ac alii, quos ad prosecutionem tanti negotii duxeris eligendos, perennis boni praemium, nostramque benedictionem et gratiam vobis de bono in melius vendicetis.

Conversi praelatis et aliis commendandi, ut humanissime tractentur.

§ 3. Et ut affectum, quem ad salutem status ipsorum gerit mater Ecclesia, percipiant per effectum, tu illos ex eis, quos ad susceptionem sacri baptismatis gratia divina perduxerit, praelatis ac dominis locorum in quibus tales habitare contigerit, ex parte nostra affectuosissime recommendes, ut Deo gratias in recuperata ove deperdita, et filio prodigo redeunte, vitulum exultationis et gaudii exhibentes, eos caritative foveant, favoribus muniant, benigne pertractent, nec ipsos in personis, aut rebus, per iudaeos vel alios indebite molestari permittant, quin potius in omnibus favorabiliter ipsis assistant auxiliis opportunis.

Converti nolentes Papae nuncientur.

§ 4. Sed si forte (quod absit) aliqui ex ipsis, in eorum obstinata perfidia perdurantes, et velut aspis surda suas aures incredulas obturantes, ne tui et illo-

rum, quos ad haec salutis opera deputabis, vocem audiant, ut de tenebris ad lucem exeant, incantantium sapienter tuas, et per te ad haec deputandorum fratrum salutares convocationes, aspernantes refugerent, de istis (si tales inveneris) qui sunt, in quibus locis et sub quorum dominio commorentur, nobis rescribere non omittas, ut circa pertinaces huiusmodi, de salutari eorum remedio, sicut expedire videbimus, cogitemus. Ut autem de praemissis avidis nostris conceptibus, iuxta nostra desideria satisfiat, frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prosperetur, et qualem fructum seminata repromittant.

Datum Viterbii II nonas aug., pont. nostri anno I.

Dat. die 4 augusti 1278, pont. anno I.

---

## IV.

*Excommunicationis et aliarum poenarum promulgatio in Catharos, Patarenos, aliosque haereticos, ipsorumque filios, complices et fautores* (1).

SUMMARIUM

1. Excommunicatio haereticorum. — 2 ad 21. Ipsorum et aliorum poenae.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.**

Excommunicatio haereticorum.

Noverit universitas vestra, quod nos excommunicamus et anathematizamus universos haereticos Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas et alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum.

Ipsorum et aliorum poenae.

§ 1. Damnati vero per Ecclesiam saeculari iudicio relinquantur. animadversione debita puniendi: clericis prius a suis ordinibus degradatis.

§ 2. Si qui autem de praedictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam poenitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.

§ 3. Credentes autem eorum erroribus similiter haereticos iudicamus.

§ 4. Item receptatores, defensores et fautores haereticorum excommunicationis sententiae decernimus subiacere. Statuentes, ut, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis.

§ 5. Nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos alios ad huiusmodi.

§ 6. Nec ad testimonium admittatur.

§ 7. Sit etiam intestabilis, nec testamenti habeat factionem.

§ 8. Nec ad haereditatis successionem accedat.

§ 9. Nullus praeterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur.

§ 10. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem: nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur.

§ 11. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur.

§ 12. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur, et in similibus idem praecipimus observari.

§ 13. Si vero clericus fuerit, ab omni officio et beneficio deponatur.

§ 14. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animadversione debita puniendi.

§ 15. Qui autem inventi fuerint sola

(1) Decreta contra haereticos, complices, fautores, etc. poenas legere est in Lucio III, Constit. VIII, tom. III, pag. 20; in Innocentio III, Constit. XLIX, *ibid.*, pag. 202; in Honorio III, Constit. XLVIII, *ibid.*, pag. 374; in Innocentio IV, Constit. II, *ibid.*, pag. 503.

suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis qualitatemque personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, tunc velut haeretici condemnentur.

§ 16. Item proclamationes aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur.

§ 17. Item iudices, advocati et notarii, nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint privati.

§ 18. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant; similiter hospitalarii aut contemplarii aut quilibet regulares, alioquin suo priventur officio, ad quod numquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicae speciali. Item quicumque tales praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiae se noverint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent et proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetuo careat sepultura.

§ 19. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

§ 20. Item si quis haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo vel alii, per quem credat ad praelati sui et inquisitorum haereticae pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur.

§ 21. Haeretici autem et receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. Nos enim praedictos ex nunc privamus beneficiis acquisitis, volentes ut tales et habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem huiusmodi, ad invium superstitionis haereticae a via declinasse constiterit veritatis.

Dat. apud Urbem Veterem, v non. martii, pont. nostri anno III.

Dat. die 3 martii 1280, pontif. anno III.

---

# MARTINUS IV

## PAPA CLXXXIX

*Anno Domini MCCLXXXI.*

Simon de Bria vulgo dictus, a patria Galliae provincia, Parisiorum agro vicina, presbyter cardinalis tit. S. Caeciliae, electus est Viterbii in Romanum Pontificem die 22 februarii an. 1281 et Martinus IV appellatus. Consecratur et coronatur apud Urbem Veterem die 23 martii anni eiusdem. Sedit in pontificatu annos IV, dies VI (1), imperantibus in Oriente Michaele Palaeologo, in Occidente vero Rodulpho rege Romanorum. Obiit Perusii die 29 martii 1285 et sepultus est ibidem. Vacavit sedes dies IV.

---

### I.

*Martini Papae IV ad praesules catholicos de sua promotione in Summum Pontificem literae encyclicae* (2).

SUMMARIUM

Divinae providentiae commendatio. — 1. Imparem se praedecessores virtutibus fate-

(1) A die consecrationis computandos. (2) Ex Raynaldo ad annum 1281, § 7.

tur. — Explicat suam in Papam electionem. — 2. Cathedrae Apostolicae sublimitas. — Demisse de se sentit. — Quomodo invitus pontificatum acceperit. — 3. Praesulum preces implorat.

**Martinus episcopus servus servorum Dei.**

Divinae providentiae commendatio.

Incomprehensibilia Dei iudicia, et investigabiles viae eius grandem nimirum stuporem considerantibus ingerunt; et causam profecto non levis admirationis inducunt. Quis enim in illorum consideratione non stupeat? Quis non stupendo miretur et timeat illa iudiciorum secreta caelestium, quorum ordinem non datur nosse mortalibus, aut in terra ponere rationem; quorum mysteria mens humana nec investigando comprehendere sufficit, nec considerando discutere, vel manifestare loquendo? Quis, inquam, absque stupore ac terrore latentes quotidianorum eventuum praevisiones attendat? Quis intelligere valeat discretam lancem aequitatis, qua Ille, in quo sibi misericordia et veritas obviarunt; qui Ecclesiae, quam non solum misericorditer, sed mirabiliter suo Sanguine pretioso fundavit, et in adeo solida firmitate petrae inviolabilis stabilivit, ut portis inferi, et mortis legibus praevaleret, suam in sanctis Apostolis promisit omnipotentiam usque ad consummationem saeculi assistricem; ipsam humano iudicio quodammodo derelinquens, eam tam frequentium vacationum et aliquando etiam diffusarum, vexari permittit incommodis, et substituendi Pontificis expectatione languere? Qua ipse idem sapientissimus Ponderator, qui sua ineffabili sapientia in statera rectissima merita singulorum appendit, unicuique secundum opera sua reddit, illius regimen, etsi iusta, nobis tamen ignota et miranda libratione dispensans, illud sic libra inscrutabilis dispensationis alternat, ut is subtrahatur interdum, cui suppetebat in abundantia fortitudo virtutum, cuius vita subditis profutura sperari poterat eo ipse longaevior ad dandam salutis scientiam plebi suae: substituatur vero, qui se potest non indigne fateri et virtutum inopia debilem, et alias imparem ad summi pontificii sarcinam supportandam?

Imparem se praedecessoris virtutibus fatetur.

§ 1. Huiusmodi subtractionem in obitu felicis record. Nicolai Papae praedecessoris nostri, cuius longe lateque fama claruit, emicuit, vita experientia et prudentia eminebat; eadem perpessa mater Ecclesia viduitatis angustias, aliquandiu peramare deflevit: substitutionem autem praetactae non absimilem in nostra vocatione ad apostolatus officium, cuius seriem subscripta describunt, nos ex nostrorum consideratione defectuum, in humilitatis spiritu profitemur. Memorato siquidem praedecessore nostro, prout Domino placuit, ab hac luce subtracto, eiusque corpore delato ad Urbem, ibique in Apostolorum Principis basilica, ubi sepeliri delegerat, cum exequiarum solemnitate debita tumulato, nos et fratres nostri anxii de vacatione ipsius Ecclesiae, Viterbii, ubi tunc Romana residebat Curia, in episcopali palatio concordi voto convenimus, provisioni eiusdem Ecclesiae propensiorem daturi operam, prout necessitas exigebat. Circa hoc autem pluribus tractatibus habitis, post aliquanti temporis moram, quam casus varii et diversae circumstantiae induxerunt, demum in festo cathedrae ipsius Apostolorum Principis iidem fratres nostri per viam scrutinii, ad electionem celebrandam electam, concorditer in nos, tunc tituli Sanctae Caeciliae presbyterum cardinalem, unanimiter concordantes, ad summi apostolatus apicem et ipsius cathedrae nos elegere conscensum.

Explicat suam in Papam electionem.

Cathedrae Apostolicae sublimitas.

§ 2. Quam nos, ut est, speculam existimantes, eo non immerito altitudinis grandioris, quo eidem insidens, constitutus super omnia speculator locatus altius, prospectare longius, cuncta speculari tenetur attentius, et totius orbis ambitum suae curae commissi non tam praesentia, quam providentia circuire,

extirpare vitia, virtutes inserere, pro viribus Ecclesiarum obviare periculis, providere commodis, et saluti specialiter intendere animarum; status eminentiam et immensitatem imminentis oneris pensabamus, tanto ex huiusmodi vocatione redditi proinde magis attoniti, quanto ab altioris gradus appetitu fueramus ab olim fixo proposito alieni, arbitrati semper tutioris fore consilii, nobis altiora non quaerere, in Domo Domini humiliter habitando de propria salute curare, quam periculose super universalem omnium curam erigi, et ad tanti fastigii solicitudinem elevari. Hinc insufficientiae nostrae consideratio contrahebat animum, et tanti assumptione laboris dexteram retrahebat; suadebat instantius, potius tantae molis pondus effugere, quam eorumdem fratrum instantiae consentire. Verum, in contrarium conscientia suadente, non esse vocationi Domini, quam tanto verisimilius eorumdem fratrum adeo unanimis concordia praetendebat, quanto diutius ipsorum fuerant vota discordia, contumaciter resistendum; ne ipsa Dei Ecclesia eo prolixius viduitatis dispendiis gravaretur, quo alia spes erat incertior de ipsius provisione vicina; tandem variis allegatis excusationibus, nec admissis, sed ab eisdem fratribus, in eo fervore voluntatis anxiae, importunitatisque multimodae obauditis, ut manus ad exuendum nos chlamydem, qua tegebamur, extenderint, nec ipsius rupturae pepercerint, sub spe Unigeniti Dei Filii Domini nostri Iesu Christi humilitatis nostrae colla subiicimus iugo apostolicae servitutis, de sua pietate sperantes, quod Ipse, qui iuxta evangelicam veritatem quinque panum, duorumque piscium paucitatem satietati discumbentis ad iussum ipsius immensae multitudinis cum mira fragmentorum superabundantia coæquarit, nostrae imbecillitatis insufficientiam sua immensa virtute quali quali saltem sufficientiae tanti oneris et laboris aequabit.

*Demisse de se sentit.*

*Quomodo invitus pontificatum acceperit.*

§ 3. Ad quod de sua misericordia obtinendum vestrarum orationum suffragia ferventi desiderio imploramus, universitatem vestram monentes et hortantes in Domino, vosque nihilominus rogantes instanter, quatenus preces humiles, devotas et sedulas frequenter fundatis ad Dominum, ut ipse in ubertate clementiae suae praetactam nostram inopiam suppleat, debilitatem fulciat, nobisque, quod est onerosum, leviget; quod laboriosum, alleviet; quod obscurum, suae claritatis luce revelet, et aspera convertat in plana; sicque vota nostra praeveniendo clementer aspiret, et misericorditer adiuvando benignius prosequatur, quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat, nec unquam in illorum executione torpescat. Vos quoque, quos de gregibus diligentiae vestrae commissis pastoralis officii cura solicitat, ita diligenter illud studeatis implere, quod, cum discussio venerit, et exacti fueritis pro illis reddere rationem, non solum illam cum securitate reddatis, sed exigatis gratiam; et interim in vestris Ecclesiarumque vestrarum negotiis, super quibus potestis ad nos cum securitate recurrere, Apostolicae Sedis propitium mereamini sentire favorem *etc.*

*Praesulum preces implorat.*

Datum apud Urbem Veterem.

Dat. anno 1281, pontif. anno I.

---

## II.

*Prohibitio ne fratres ordinum mendicantium ad alios ordines transeant (1).*

SUMMARIUM

1. Ex mendicantium ordinibus ad alios ordines transitum prohibet. — Ordinem Carthusiensium excipit. — Receptiones iam factas abolet. — Receptos in suum ordinem regredi mandat. — 2. Contumaces apostatas declarat. — 3. Obstantium derogatio. — 4. Consuetae conclusiones et clausulae.

(1) Ex Waddingo nov. edit., tom. v, pag. 105.

**Martinus episcopus servus servorum Dei.**

*Ex mendicantium ordinibus ad alios ordines transitum prohibet.*

§ 1. Viam ambitiosae cupiditatis religiosis potissime mendicantibus praecludere cupientes ad alios ordines praesertim monasticos (fucatis tamen coloribus asserentibus ob frugem melioris vitae, aut arctioris observantiae) tam sancti Benedicti, quam Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis-Umbrosae, Canonicorum regularium Sancti Augustini, vel aliorum monasticorum ordinum convolare nitentibus licentiam a Sede Apostolica, seu legatis aut nuntiis eiusdem Sedis ad transferendum se de mendicantium ordinibus ad alios ordines, praesertim ea ratione (ut verisimile est, prout facti evidentia docet) ut liberius degant, dignitatesque et beneficia monastica consequi valeant, et ex certis aliis causis honestati non consonis obtinentibus. At volentes etiam conservationi ordinum mendicantium providere: auctoritate apostolica ex certa scientia, tenore praesentium declaramus, et etiam decernimus, statuentes, quod de caetero nullus religiosus ordinum mendicantium quorumcumque, cuiuscumque gradus, status, conditionis vel religionis existat, quantumcumque et qualitercumque possit et debeat, virtute cuiuscumque licentiae, etiam indulti apostolici, seu poenitentiarii nostri curam gerentis, vel alia quavis auctoritate hactenus, etiam per literas apostolicas facultatum quorumvis tam legatorum, vel nuntiorum Sedis Apostolicae, quam alia auctoritate, maxime de transferendis fratribus, aut aliquibus praesertim ordinum mendicantium professoribus, in genere vel in specie ab ordinibus huiusmodi mendicantium sub quacumque verborum forma appareant admitti vel recipi, per aliquos etiam superiores ordinis seu monasterii, aut loci monastici, seu alias in monachum, vel in fratrem alicuius ex ordinibus monasticis supradictis, vel aliis expressis (ordine Carthusiensium dumtaxat excepto) sub poena excommunicationis, quam tam recipientes, quam recepti ipso facto incurrent, et quam ex nunc prout ex tunc contra quemlibet transgressorem quomodolibet in praemissis, scientia et auctoritate antefatis, proferimus in his scriptis. Et a nemine, nisi dumtaxat a Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo) excommunicati huiusmodi possint absolutionis beneficium quomodolibet obtinere. Et nihilominus secus facta non teneant, et nullius existant efficaciae vel momenti. Decernentes etiam et volentes, quod si quis hactenus virtute cuiusvis licentiae seu mandati huiusmodi fuisset receptus ad aliquem monasticum ordinem, et habitum consuetum solitum gestari per monachos talis ordinis suscepisset, sive professionem emiserit, sive non, sub dicta poena teneatur in monasterio in quo receptus fuerit (etiamsi beneficia ecclesiastica, seu rectorias Ecclesiarum quarumvis obtineat) stare in eius totali ordinatione et huiusmodi ordine monastico Altissimo deservire.

*Ordinem Carthusiensium excipit.*

*Receptiones iam factas abolet.*

*Receptos in suum ordinem regredi mandat.*

*Contumaces, apostatas declarat.*

§ 2. Si quis autem praetextu huiusmodi licentiae, vel sine habitu, vel cum habitu vagando incederet, monitione praevia teneatur, et debeat intra terminum quindecim dierum a die monitionis huiusmodi computandorum ad eius religionem, vel ordinem, unde cum licentia, vel sine licentia recesserat, remeare: quod si efficere neglexerit, post ipsum terminum tamquam notorius apostata excommunicatus in omnibus et per omnia debeat per quemlibet reputari, et ab omnibus retractari, etiam per invocationem auxilii brachii saecularis, quoties fuerit opportunum.

*Obstantium derogatio.*

§ 3. In futuris autem nullus ex professoribus alicuius ex ordinibus mendicantium huiusmodi in aliquem monasticum ordinem (Carthusianensium dumtaxat excepto) possit aut debeat per quemcumque recipi aut admitti virtute alicuius licentiae vel indulti absque huiusmodi licentia speciali, sub dictis poenis: et nihilominus secus facta non teneant ipso iure huiusmodi licentiis et

indultis, nec non constitutionibus apostolicis et mendicantium ordinum praedictorum, etiam si de illis specialis et expressa, ac de verbo ad verbum in nostris literis mentio habenda foret, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Consuetae conclusiones et clausulae.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc prohibitionis nostrae paginam infringere *etc.*

Datum Sebennis, tertio kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 30 iulii anno Domini 1281, pontif. anno I.

---

## III.

*Damnatio et excommunicatio Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris ab Ecclesia Romana dissidentis.*

SUMMARIUM

1. Excommunicatio imperatoris. — 2. Prohibitio ei quomodolibet favendi. — 3. Poenarum promulgatio in contravenientes. — 4. Iussio hanc sanctionem publicandi.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum.**

Excommunicatio imperatoris.

§ 1. Michaelem Palaeologum, qui Graecorum imperator nominatur, tamquam eorumdem Graecorum antiquorum schismaticorum, et in antiquo schismate constitutorum, et per hoc haereticorum, necnon et haeresis ipsorum ac schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorum consilio denunciamus, praesente fidelium multitudine copiosa, excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac ipsius fore sententiae vinculo innodatum.

Prohibitio ei quomodolibet favendi.

§ 2. Caeterum universis et singulis regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus et caeteris omnibus cuiuscumque sint præeminentiae, conditionis aut status, necnon universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum, districtius inhibemus, ne cum eodem Michaele Palaeologo in huiusmodi excommunicatione manente, societatem vel confoederationem aliquam contrahere, sub quovis ingenio vel machinatione praesumant, vel etiam ei alias in his, pro quibus excommunicatus est denunciatus a nobis, praestare consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum.

Poenarum promulgatio in contravenientes.

§ 3. Et si secus praesumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes, non obstante qualibet indulgentia, sub quacumque forma verborum vel expressione ipsis ab Apostolica Sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto. Terras autem ipsorum necnon universitates praedictas, quae secus attentare praesumpserint, prout expedire viderimus, ecclesiastico subiicere curabimus interdicto: ad privationem omnium bonorum, quae a quibuslibet tenentur in Ecclesiis, et ad poenas alias spirituales et temporales, prout utile putabimus, processuri: et nihilominus societates, confoederationes ipsas, etiamsi poenarum et iuramenti adiectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallata, decernimus irritas et inanes.

Iussio hanc sanctionem publicandi.

§ 4. Ut autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas processum continentes eumdem, in maioris Urbevetanae Ecclesiae appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus, qua processum ipsum quasi sonoro praeconio, et patulo indicio publicabunt, ita quod idem Palæologus et alii, contra quos processus ipse contigit, nullam possint postmodum excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbem Veterem, in platea dictae maioris Ecclesiae in festo

Dedicationis basilicae Principis Apostol., pont. nostri anno primo.

Dat. die 18 novembris 1281, pont. anno I.

---

## IV.

*Commissio delegatis apostolicis super inquisitione miraculorum beati Ludovici regis Franciae (1).*

SUMMARIUM

Gregorius X iussit examinari B. Ludovici miracula. — Nicolaus III committit idem negotium legato Gallicano, qui creatus est Martinus IV. — Episcopi Gallicani postulant B. Ludovicum canonizari. — Committitur delegatis apostolicis nova inquisitio.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Rothomagen., et Antisiodoren. et Spoletan. episcopis.**

Gregorius X iussit examinari B. Ludovici miracula.

Intellecto dudum felicis recordationis Gregorius Papa praedecessor noster, quod omnipotens Dominus, qui facit mirabilia magna solus, grandia et aperta miracula pro clarae memoriae Ludovico rege Franciae faciebat, voluit, praesupponens vitae ipsius Ludovici sibi notam existere sanctitatem, ut de huiusmodi miraculis per cuiusdam secretae indagationis modum, nos tunc in minori constituti officio, et legationis fungentes officio in partibus Gallicanis, nostrum informaremus animum sibi postmodum informationem huiusmodi transmissuri. Quare nos de praedictis miraculis indagantes, ac de ipsis plenius informati, praefato praedecessori nostram super hoc informationem duximus destinandam, quae ad ipsum, cum morte fuisset praeventus, non potuit pervenire. Succedente autem piae memoriae Innocentio Papa, praedecessore nostro, Gregorio praelibato, nos eidem Innocentio praedictam informationem curavimus intimare: quo, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, huiusmodi processus negotii extitit retardatus: piae quoque memoriae Ioanni Papae praedecessori nostro informationem direximus supradictam, qui priusquam super hoc aliquid ordinaret, diem clausit extremum. Cumque postmodum felicis recordationis Nicolao Papae praedecessori nostro informationem misissemus eamdem, et charissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris ab ipso Nicolao praedecessore, solemnibus propter hoc ad eum nuntiis destinatis, cum instantia postulasset, ut faceret ad miraculorum et meritorum ipsius Ludovici regis publicam inquisitionem procedi; praefatus Nicolaus praedecessor scire volens super hoc plenius veritatem, nobis adhuc in partibus existentibus supradictis, per suas sub certa forma dedit litteras in mandatis, ut quidquid de praemissis et circumstantiis eorumdem, ac aliis, quae pro iam dicto Ludovico rege virtutum Dominus miraculose fuerat operatus, nos in plena contingeret percipere veritate, clare et distincte per omnia ei seriosius scribere curaremus, ut relationibus nostris evidenter ac seriose perceptis, lucidius appareat, quid in iis providendum existeret, ac in posterum respondendum. Unde nos, huiusmodi receptis litteris, diligenter processimus super iis, et quae invenimus, eidem Nicolao praedecessori plenius et apertius duximus intimanda. Qui huiusmodi processu nostro recepto, illum venerabili fratri G. episcopo Sabinen. tunc XII Apostolorum presbytero, et dilecto filio nostro I. Sancti Eustachii diacono, cardinalibus, discutiendum commisit; sed eodem Nicolao praedecessore nostro naturae debitum persolvente, ulterius processum non extitit in negotio supradicto. Porro venerabiles fratres nostri S. Carnoten. et G. Ambianen. episcopi nuper ad nostram praesentiam accedentes, ex venerabilium fratrum nostrorum Remen., Senonensis et Turonensis archiepiscoporum, ac quamplurium suffraganeorum suorum, ac alio-

Nicolaus III committit idem negotium legato Gallicano, qui creatus est Martinus IV.

(1) Ex Waddingo, ad annum 1281, § IV.

Episcopi Gallicani postulant B. Ludovicum canonizari.

rum quorumdam regni Franciae praelatorum parte, nobis humiliter supplicarunt, ut praefatum Ludovicum regem, quem prout eorumdem archiepiscoporum, suffraganeorum, ac praelatorum missae nobis litterae continebant, iam inter caelestis aulae principes collatum, pro ipso facta miracula profitentur, sanctorum ascribi catalogo mandaremus. Nos autem, etsi geramus specialiter cordi negotium, ac eius votivum et celebrem exitum propensius cupiamus, attendentes tamen, quod quanto solemnius, quanto maturius et sollicitius in hac parte proceditur, tanto id procul dubio ad ipsius Ludovici regis accedet laudis cumulum potioris, ac de vestra multiplici probitate in multis et arduis probata multotiens specialem in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad monasterium Sancti Dionysii in Francia, Parisiensis dioecesis, ubi ossa eiusdem Ludovici regis acquiescere dignoscuntur, et ubi Dominus pro ipso miracula specialius fuisse proponitur operatus, aut alium, seu alia loca, de quibus expedire putabitis, vos personaliter conferentes de iam dictis, et aliis quibuscumque etiam novis miraculis, ac vita et conversatione ipsius Ludovici regis secundum articulos, quos vobis sub bulla nostra transmittimus interclusos, cum omni diligentia et sollicitudine inquiratis, quae super iis inveniri contigerit in scriptis redacta fideliter ad Sedem Apostolicam sub sigillis vestris inclusa quantocitius transmissuri. Si vero testes aliqui recipiendi super praemissis occurrerint, qui propter loci distantiam et infirmitatis impedimentum vos commode adire nequiverint, vel vos accedere absque incommodo non poteritis ad eosdem, committendi discretis aliquibus in casu huiusmodi vices vestras praesentium vobis auctoritate concedimus potestatem. Per commissionem autem inquisitionis huiusmodi vobis factam nequaquam intendimus iis, quae auctoritate praedictarum litterarum ipsius Nicolai praedecessoris per nos super huiusmodi negotio acta sunt, in aliquo derogare, quinimo illa rata esse volumus atque firma. Quod si non omnes his exequendis potueritis, vel volueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Committitur delegatis apostolicis nova inquisitio.

Datum apud Urbem Veterem x kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 23 decembris anno Domini 1281, pontif. anno I.

---

## V.

*Depositio Petri regis Aragonum, eiusque subditorum a iuramento fidelitatis absolutio (1).*

SUMMARIUM

1. De Panormitana rebellione. — Innoc. IV Fridericum imp. regno Siciliae privavit. — Idem regnum a Conrado Friderici filio invasum. — Conrado mortuo, occupatum a Manfredo. — Ab Alexandro IV excommunicatus: — 2. Et a Clemente excommunicatus, regnoque privatus Conradinus. — Siculorum rebellionem, et scelera patrata detestatur Martinus. — 3. Quid ad reprimendos rebelles egerit. — Ut Siciliae regem peti bello vetuerit: — 4. Aut aliqua illius hostibus impendi auxilia. — Poenae contra inobedientes — 5. Cuiuscumque ordinis et conditionis. — 6. De adhibitis a Pontifice ad Panormitanos ad officium revocandos curis. — 7. Ut Messanenses crudele Panormitanorum exemplum fuerint imitati. — De misso legato apostolico. — De Petro rege Aragonum, invasoque per eum S. Apostolicae in Siciliam iure. — 8. Auget facinus Ecclesiae fiduciarium eum extitisse. — Addicta S. A. clientelae a Petro illius avo fuerat Aragonia. — Regio edicto Petrus suos successores Ecclesiae stipendiarios constituit. — 9. Inde fidei violatae Petrus Siciliae invasor arguitur. — Fraude scelus operit. — Panormitanos ad rebellionem sollicitat. — 10. Eum anathema contra Siciliae in-

(1) Ex Regest. Vatic.

vasores latum contraxisse constat. — 11. Pontifex post debitas monitiones — Regi, fautoribus, foederatisque factas, — Variasque prohibitiones eisdem Siculis declaratas, — Intentatasque eisdem regi, fautoribus, *etc.* censuras, — 12. Rescissasque pactiones omnes ad hoc initas, — Aliasque poenas inflictas inobedientibus, — 13. Indictamque Petro, Michaeli Palaeologo, aliisque diem, — 14. Quae quidem censurae non erant relaxandae nisi in mortis articulo: — Statutis quoque contra secus agentes poenis: — 15. Quae omnia spreta obtritaque fuisse constat: — 16. Petrum regno privat, subditos a iuramento solvens fidelitatis: — Siculosque rebelles, civitates, *etc.* ecclesiastico supponit interdicto. — 17. Dat imperia praesulibus ac proceribus ne Petro adhaereant: — 18. Omnes coitiones, foederaque cum eo inita rescissa pronuntiat: poenisque gravioribus praevaricatores devincit. — 19. Obstantibus derogat. — 20. Publicatio huius processus.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium et memoriam futurorum.**

De Panormitana rebellione.

§ 1. De insurgentis in regno Siciliae fremitu tempestatis, quam execranda Panormitanae rebellionis audacia inchoavit, et reliquorum Siculorum malitia Panormitanam imitata prosequitur, ad Sedem Apostolicam infausto rumore perlato: nos post processum in hac Urbevetana civitate in festo Ascensionis Domini transacto novissime habitum ad compescendam tempestatem eamdem, quia procellarum illius spiritus non cessabat, sed per insidias Petri regis Aragonum, quem stilo circa reges solito non describi subscripta eius demerita meruerunt, invalescere potius videbatur; ut eiusdem regis, qui regiae dignitati non deferens et generis sui claritati non parcens dictorum rebellium se ducem constituit et aurigam, nequitia revelaretur apertius, et Ecclesiae Romanae iustitia contra eum evidentius appareret; pridem in festo Dedicationis basilicae Principis Apostolorum praeterito, nuper in platea ecclesiae Sancti Flaviani Montis Flasconen. Balneoregien. dioecesis, praesente tunc multitudine numerosa fidelium, duximus recensendum, qualiter felicis recordationis Innocentius Papa quartus praedecessor noster quondam Fridericum olim Romanorum imperatorem, qui per suos excessus gravissimos et culpas innumeras imperio et regnis, omnique honore ac dignitate reddiderat se indignum, in Lugdunensi concilio, ipso approbante concilio, propter suarum iniquitatum multitudinem detestandam adeo ne regnaret vel imperaret abiectum ostendit et denunciavit omni honore ac dignitate privatum a Domino, et nihilominus sententiando privavit, prout in eiusdem praedecessoris sententia contra Fridericum promulgata praefatum noscitur plenius contineri: qualiter etiam post eiusdem Friderici obitum quamquam regnum Siciliae ad dispositionem Ecclesiae Romanae, cuius iuris et proprietatis existit, esset libere devolutum, dictusque praedecessor se de illo publice in eodem praedixisset concilio provisurum; quondam Conradus praedicti Friderici filius, licet in eodem regno ex ipsius sui genitoris successione nullum penitus ius haberet, cum sicut apparet liquido ex praemissis, nec ille mortis suae tempore habuisset, nec alias praedicto Conrado ius competeret in eodem, regnum ipsum praesumptione temeraria occupavit: quodque ipso Conrado sublato de medio, quondam Manfredus tunc princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata susceptum a regni successione praefati non solum praemissa eiusdem Friderici privatio, sed etiam macula illegitimae nativitatis arcebat, contra iuramentum fidelitatis ab ipso praedecessori praedicto praestitum temere veniens sub quondam Conradini nati dicti Conradi, suique nepotis simulata protectione tutoria, ad quaedam civitates, castra et alia eiusdem regni loca manus occupatrices extendit: propter quod et

Innocent. IV Fridericum imper. regno Siciliae privavit.

Idem regnum a Conrado Friderici filio invasum.

Conrado mortuo, occupatum a Manfredo.

alios etiam nefarios actus suos, et graves offensas piae memoriae Alexander Papa quartus praedecessor noster ipsum, ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum, Tarentino principatu, honore Montis Sancti Angeli, omnibus comitatibus, terris, feudis, dignitatibus et honoribus aliis, ac bonis et iuribus, quae in eodem regno, et quae alibi etiam ab Ecclesiis et personis ecclesiasticis obtinebat, immo et vicaria in quadam ipsius regni parte sibi ab eadem Sede concessa, omnibus etiam concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus et privilegiis, sive ab eisdem Friderico patre, vel Conrado fratre suis, sive a praedicta Sede in regno sibi factis eodem, vel alibi etiam ab Ecclesiis quibuscumque vel personis ecclesiasticis, tamquam rebellem et hostem Romanae Ecclesiae, ac violatorem fidelitatis sibi praestitae manifestum, suorumque iurium invasorem, occupatorem et detentorem sacrilegum, et tamquam sociatum nefando foedere Saracenis, eorum complicem, ductorem et protectorem publicum, apostolica auctoritate privavit.

Ab Alexand. IV excommunicatus.

§ 2. Cumque memoratus Manfredus nec his, aliisve remediis contra illius malitiam adhibitis in sua iniquitate remissior, sed in committendo quotidie prioribus deteriora ferventior, postmodum, fraudolenter praefati nepotis sui morte conficta, dictum regnum proprio nomine occupans, et regium in illo titulum et nomen usurpans, se, ortus sui non erubescens primordia, in eiusdem regni regem inungi et coronari fecisset; praefatus praedecessor Alexander eius fraudes et iniquitates abhominans et detestans, cassavit et irritavit, cassum et irritum nunciavit quidquid circa dictum Manfredum per unctionem vel potius execrationem et coronationem, quas recipere de facto praesumpserat, quasque nullas esse constabat, extitit tam temerarie, tam dolose praesumptum: eisdem vero Manfredo et demum Conradino qui aetatem praeveniendo malitia, ab eorumdem praedecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem imperium et regnum aspirans, praefatam Ecclesiam, et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliae regem illustrem insidiis multis impetiit, et multipliciter apertis conatibus infestavit: propter quod contra ipsum suosque fautores per recolendae memoriae Clementem Papam praedecessorem nostrum varii habiti sunt processus, sua sorte succissis, nobis, et Ecclesiae, regi, regnoque praedictis pacis et quietis serenitas arrideret, in subitas tempestates acta est aestiva tranquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis, et qui memorato regi Siciliae ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solum hostilia, sed et tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamabat et adhuc clamat infamia, processit adeo Panormitanae civitatis et civium praesumptuosa rebellio, quod rebellandi audacia et iurium interversione regalium, suique, quantum in eis fuit, obiectione dominii non contenta, ferinae immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit, dum eorum exitialis iniquitas non solum quos ex devotis regis ipsius concepta potuit praeoccupare nequitia, sine sexus aetatisve delectu inhumane cecidit, verum etiam partus, quos adhuc viscerum portionem claustra materna celabant, illis saeve desectis, sic praecipiti destinatione produxit in lucem, quod eis nimis proculdubio innaturaliter lucis usum antequam concederet natura subtraxit eis, adeo praematura et impiissima caede caesis quod eorum ortus principia praevenit occasus.

Et a Clemente excommunicatus, regnoque privatus Conradinus

Siculorum rebellionem et scelera patrata detestatur Martinus.

§ 3. Quia vero sicut ex tunc plurimorum habebat assertio et evidenter exitus iam probavit, haec in nostram et ipsius Ecclesiae turbationem et dispendium tentabantur, et ad hoc plurium intentio laborabat et studium ut fornacis quasi recenter extinctae, nos, Ecclesia et rex praedicti renovata eo graviora sentiremus

Quid ad reprimendos rebelles egerit.

incendia, quo solent nocere gravius pericula recidiva; nos tantorum malorum obstare principiis cupientes, ne illis invalescentibus sero parare contingeret medicinam, in dicto festo Ascensionis Domini, praesente fidelium multitudine copiosa, de fratrum nostrorum consilio universos et singulos cuiuscumque præeminentiae, conditionis, aut status attente monuimus, districte praecipientes eisdem, ne in praefato regno vel eius parte nos et eamdem Ecclesiam aut praefatum regem Siciliae, qui dictum regnum ab Ecclesia ipsa tenet per se, vel per alium molestare, impetere, vel etiam perturbare praesumerent occupando, invadendo, seu occupari seu invadi faciendo regnum ipsum, vel aliquam eius partem.

Ut Siciliae regem peti bello vetuerit:

§ 4. Praecipimus insuper universis et singulis Christifidelibus, et specialiter marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italiae, maxime ipsius Ecclesiae Romanae temporali iurisdictioni subiectis, ne huiusmodi molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invasoribus, aut occupari vel invadi facientibus regnum ipsum, vel aliquam partem eius in praemissis intenderent, et ne cum armis, vel sine armis ad turbandum in eodem regno pacem praedictorum Ecclesiae et regis Siciliae praestarent illis consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, neve super hoc societatem, coniurationem, aut foedus inirent aliquod cum eisdem. Si quis autem contra nostram monitionem et praecepta praemissa per se, vel per alium quibuscumque dolo, fraude vel machinatione facerent, cuiuscumque forent præeminentiae, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos. Civitates quoque ac communitates quaslibet, quae contra monitionem et praecepta eadem quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione venire praesumerent, interdicti ecclesiastici sententiae, quam ex tunc in illos promulgavimus, voluimus subiacere.

Aut aliqua illius hostibus impendi auxilia.

Poenae contra inobedientes

§ 5. Ad haec praediximus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis inferioris gradus praelatis, quod si contra praemissa vel eorum aliquod venire tentarent, eos omni ecclesiasticae dignitatis honore, caeteros autem clericos non praelationis officium, sed dignitates forsitan vel personatus, seu alia beneficia obtinentes, et privare curaremus obtentis, et inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas suaderet; laicis vero cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, conditionis aut status, et praecipue temporaliter ipsi Ecclesiae Romanae subiectis, expresse denunciavimus, quod si monitionem et praecepta huiusmodi, contra ea per se vel per alium veniendo, temere non servarent, nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipsos feudis et aliis omnibus, quae ab eadem, vel aliis tenerent Ecclesiis, privare, vassallos eorum, si quos haberent, a fidelitatis iuramento, quo tenerentur eisdem reddere, penitus absolutos, et personis eorum citra periculum mortis, et mutilationis expositis ad expositionem bonorum suorum, prout culpae ipsorum exigerent et expediens videretur, procedere curaremus.

Cuiuscumque ordinis et conditionis

§ 6. Et licet Panormitanae civitatis et civium praedictorum, ac nonnullorum castrorum illarum partium, quae contra eumdem regem Siciliae rebellarant, culpa gravis acerbiorem processum exigeret: nos tamen desiderantes quod civitates, cives et loca praedicta mansuetudo corriperet et a tanti erroris invio revocaret, erga eos non rigorem, sed mansuetudinem prosequentes, universitatibus eorumdem civitatis, castrorum, aliorumque locorum districte praecepimus, ut submoto cuiuslibet difficultatis et dilationis obstaculo, ad nostram, et Ecclesiae ac regis praedictorum mandata redirent: quodque praefatos molestatores, turbatores, occu-

De adhibitis a Pontifice ad Panormitanos ad officium revocandos curis.

patores, invasores aut dantes eis in hoc auxilium, consilium vel favorem in dictis civitate, castris, villis, seu districtibus eorumdem nullatenus receptare vel recipere attentarent, nec ipsorum, aut alicuius eorum dominio vel regimini se quovis modo submitterent, neve ipsis vel eorum alicui contra Ecclesiam, vel regem praefatos impenderent in praedictis auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, et nihilominus confoederationes seu obligationes quaslibet, si quae inter universitates easdem, vel inter ipsas et quoscumque alios initas sive factas super occupatione ac invasione praedictis, et iuramenta de illis servandis vel alias pro eis hinc inde praestita penitus relaxantes; universitatibus ipsis aperte praediximus, quod nisi praemissa celeriter adimplerent, contra easdem civitates et villas earum spiritualiter et temporaliter sic procedere, actore Domino, curaremus, quod, poena docente, suae temeritatis et superbiae recognoscerent qualitatem.

Ut Messanenses crudele Panormitanorum exemplum fuerint imitati.

§ 7. Caeterum licet dum his et aliis modis et viis filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquarum civitatum, castrorum, villarum caeterorumque locorum, civium et incolarum Siciliae, in nostram notitiam perlata rebellio, et praecipue Messanen. qui Panormitanorum ipsorum imitati saevitiam, quamplures ex ministris et devotis eiusdem regis Siciliae post securitatem illis praestitam crudeliter trucidasse dicuntur, castrum regium loci eiusdem temerariis ausibus occupantes multae commotionis causam inducerent; nos tamen propterea non desistentes a caeptis, venerabile fratre nostro Guidone episcopo Sabinen. ad partes illas cum plenae legationis officio tamquam pacis angelo destinato, bona in illis et pro illis quaesivimus partibus, nec venerunt: expectavimus pacem, et turbinis tempestas gravioris apparuit, machinatis ab olim, prout communis quasi tenebat opinio, et subsequutorum consideratio satis indicabat et indicat evidenter, dolis et insidiis revelatis. Siquidem Petrus rex Aragonum, de procedendo adversus Africam quaesito colore, Siciliae insulam, terram utique peculiarem ipsius Ecclesiae, militum et peditum caterva stipatus invadens et occupans, ac in illa eiusdem Ecclesiae pacem turbans, gravem seditionem excitans contra eam, graviterque populum concitans, in illam temeritatis prorupit audaciam, quod cum civitatibus, aliisque locis, universitatibus, civibus et incolis eiusdem insulae, quibus ratione uxoris, filiae scilicet Manfredi praedicti, natorumque suorum se teneri praetendit confoederationibus, pactis et conventionibus, sicut ex tunc ferebatur, quin potius, conspirationibus et scelestis factionibus initis, in regno praedicto nomen iam usurpabat regium et usurpat, se regem Siciliae nominans, et gerere pro Siciliae rege praesumens, in maioris praesumptionis augumentum, regi Carolo supradicto in suis literis regni Siciliae titulum subtrahendo, sicque non solum Panormitanos eosdem, quos alias pluries ad haec sollicitasse per nuncios dicebatur, in inchoatae contra praefatum regem Carolum seditionis et rebellionis contumacia obfirmavit, eos per se ac gentem suam fovens, ipsisque favens in illa; sed tam ipsos quam caeteros insulae praelibatae rebelles adeo contra iam dictam Ecclesiam eorum specialem matrem et dominam concitavit, quod nonnulli ex eis, et specialiter Messanenses, qui ante ipsius in insula praenominata praesentiam dicti legati nuncios devoti ac humiliter admittebant, dominium praefatae recognoscentes Ecclesiae, nomenque publice invocantes, illos postmodum contumaciter admittere recusarint, baculo arundineo, eidem scilicet regi Aragonum, praetextu eorumdem uxoris et filiorum, ut fertur, periculosius innitentes. Quos tamen, uxorem et filios sive regem per eos seu ratione ipsorum, in eadem insula, vel aliqua dicti regni Siciliae parte, ius aliquod non habere apertius praemissa declarant,

De misso legato apostolico.

De Petro rege Aragonum, invasoque per eum S. Apostolicae in Siciliam iure.

et nos nihilominus decernendum duximus et etiam declarandum. In quae autem crimina falsa regiae dignitatis, immo et simplicis magistratus assumptio, seditio, violentiaeque cum armis commissio incidant, quibus addicendi sint poenis talium patratores, nec fuit nec est opus exprimere, quia id nota et vetustissima decreta sanxerunt.

Auget facinus Ecclesiae fiduciarium eum extitisse.

§ 8. Et quia memorati Aragonum regis excessibus non leve pondus adiicit ipsius et regni sui explicite descripta conditio, seriose duximus explicandum, qualiter de archivio ipsius Ecclesiae prodeuntia monimenta manifeste testantur, quod piae memoriae Innocentius Papa quartus praedecessor noster quondam Petrum regem Aragonum, eiusdem Petri Aragoniae regis avum, Arelatensi archiepiscopo, qui tunc erat, et aliis personis ecclesiasticis, nec non et quampluribus suis associatum proceribus per mare ad Sedem Apostolicam accedentem, ut inibi ab eodem Innocentio praedecessore militiae cingulum et regium acciperet diadema, honoravit multipliciter, honorifice ac benigne recepit, et in ecclesia Sancti Pancratii martyris iuxta Transtyberim per bonae memoriae Petrum tunc Portuensem episcopum in regem inungi faciens, deinde manibus propriis coronavit et regalia insignia universa, mantum videlicet et colobium, sceptrum et pomum, coronam et mitram, quae ad opus ipsius non solum speciosa, sed et pretiosa parari fecerat, ex more in regum coronationibus observando, munifice largitus eidem, ab eo iuramentum corporale recepit, per cuius religionem praefatus rex inter caetera fidelitatem et obedientiam ipsi Summo Pontifici, eiusque successoribus, dictaeque Romanae Ecclesiae, regnumque suum in ipsius obedientia fideliter conservare promisit; ac demum rex ipse cum multo tripudio et applausu coronatus iuxta eumdem praedecessorem Innocentium, ad Beati Petri Apostolorum Principis basilicam rediens, super illius altare sceptrum et diadema deposuit et militarem ensem de manu eiusdem praedecessoris accepit, dictumque regnum suum, antea censuale a suis praedecessoribus eidem Ecclesiae constitutum, cupiens principali post Deum ipsius beati Petri, et Apostolicae Sedis protectione muniri, praefato Innocentio praedecessori, et per eum ipsi sacrosanctae Apostolicae Sedi obtulit, illudque sibi et successoribus eius in perpetuum divini amoris intuitu, et pro suae suorumque progenitorum remedio animarum, novo adiecto censu, constituit censuale; pollicendo adiiciens, et adiiciendo pollicens, quod ipse ac successores sui specialiter eidem Sedi fideles et obnoxii teneantur. Haec autem perpetua lege fore servanda decernens, ut huiusmodi regalis concessio robur firmitatis inviolabilis obtineret, ipsam in scriptis redactam et de procerum curiae suo consilio praesentibus dicto Arelaten. archiepiscopo quondam Sancio patruo suo, Hugone de Baucio et Arnaldo de Faciano baronibus suis, sigilli sui munimine roboratam, eidem praedecessori concessit.

Addicta S. A. clientelae a Petro illius avo fuerat Aragonia.

Regio edicto Petrus suos successores Ecclesiae stipendiarios constituit.

Inde fidei violatae Petrus Siciliae invasor arguitur.

§ 9. Numquid igitur praemissa collata pariter et solerti examinatione discussa praefatum regem Aragonum nepotem fidelitatis, ad quam memoratus avus, cuius est in eodem Aragoniae regno haeres, ipsum sicut et successores eius caeteros tam publice, tam solemniter obligarat eidem Ecclesiae, debitorem et violatorem, publicum reum non accusabant infidelitatis damnabilis et accusant? Profecto fidei debitae violatio violantem proculdubio arguit infidelem, praesertim cum praemissa non leviter aggravet fraudolenta confictio, qua idem rex Aragoniae nepos non absque fraudis comento notabilis finxisse detegitur, et apud nos etiam per solemnes nuncios affirmasse, quod cum sumptuoso et sollicito apparatu, ad Dei et Ecclesiae servitium et exaltationem catholicae fidei, potentiae suae brachium dirigebat; quod tamen contra eiusdem utilitatem fidei dictum regem Carolum

Fraude scelus operit.

crucesignatum in Terrae Sanctae subsidium et publice ad Dei, eiusdemque fidei obsequia prosequenda dispositum, nulla diffidatione praemissa, quod multorum iudicio proditionis notam non effugit, hostiliter impetendo, nec non et contra ipsam matrem Ecclesiam terram eius, sicut praedicitur, invadendo et occupando direxit. Nec eum excusat, sed accusat potius, quod ad partes Africae insulae praedictae vicinas diebus aliquibus declinavit. Id enim ipsum ideo concinnasse probat, immo et convincit eventus, ut, opportunitate captata, commodius iniquitatem quam conceperat parturiret: maxime cum per suos nuncios missos exinde pluries eosdem Panormitanos sollicitasse, ac ipsis in praesumpta malitia obtulisse consilium et auxilium diceretur. Nec esset vel sit verisimile quod eamdem Africam, terram quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis non prorsus imbellibus, crebris munitionibus ut habet fama non vacuam, opibus et aliis opulentam; cuius invasionem vix multorum regum et principum quorumque potentia coacervata praesumeret, ipse ad hoc proculdubio divitiis impar et viribus, cum comitiva modica bellatorum solus assumeret invadendam.

*Panormitanos ad rebellionem sollicitat.*

§ 10. Numquid et iterum haec non ostendebant, et patenter ostendunt, quod idem rex Aragoniae nepos tamquam eiusdem insulae dicti regni Siciliae partis non modicae manifestus invasor et occupator ac Panormitanorum rebellium et seditionis, commotionis, seu concitationis, pacisque turbationis contra praefatum regem Carolum motae notorius fotor et fautor, et adversus eamdem Ecclesiam actor et factor, suique complices, comites, satellites et ministri praemissam per nos in praedicto Ascensionis festo latam in omnes nostris monitionibus, praeceptis, et inhibitionibus non parentes excommunicationis sententiam incurrerunt, nec absolutionis vassallorum suorum a iuramento fidelitatis, si quo tenebantur eisdem, privationis feudorum, quae ipsi a Romana vel aliis quibuscumque tenebant Ecclesiis, et expositionis personarum ultra mortem et mutilationem, bonorumque suorum comminatum in eodem festo periculum evitarunt. Universos autem insulae praelibatae rebelles, scilicet Messanenses, Agrigentinos et caeteros civitatum, castrorum, villarum, aliorumque locorum ipsius insulae cives, habitatores et incolas, cuiuscumque sint præeminentiae, dignitatis, conditionis, aut status, qui Panormitanis eisdem in pertinacia rebellionis assumptae saltem se illis audacia simili sociando, ac eos proinde validiores et firmiores in illa reddendo, nec non societatibus, confoederationibus, partionibus poenarum et iuramenti adiectione firmatis, ut ex tunc dicebatur uniendo faverunt, et tam alios quam Panormitanos eosdem, qui praedicto regi Aragoniae nepoti contra prohibitiones et monita nostra praemissa intendere, in invasione et occupatione praefatis ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibique contra Ecclesiam, vel regem Carolum praedictos favorem et auxilium impendere praesumpserunt, eisdem subiectos sententiae ac periculo fore proculdubio ex tunc liquebat et liquet expositos: civitates vero, castra, villas et alia loca praedicta, nec non et universitates ipsorum ecclesiastico supposita interdicto. Haec sunt quippe quae per eumdem Aragoniae regem nepotem Deo et Ecclesiae servitia exhibentur. Haec sunt quae ipsius Ecclesiae prosequi se iactabat obsequia. Haec fidei catholicae incrementa: sic exaltationem religionis christianae prosequitur, sic procurat, sic Dei, fidei, Ecclesiae, ac religionis earumdem hostes persequitur, sic impugnat; talibus in se regalem dignitatem intitulabat, talibus vitam suam, famam, genusque decorat.

*Eum anathema contra Siciliae invasores latum contraxisse constat.*

§ 11. Quamquam autem tantis excessibus excedentium demeritis processus gravior deberetur, et ad praemissarum comminationum exequtionem ex tunc pro-

*Pontifex post debitas monitiones*

cedere non iniuste possemus, immo etiam, sicuti praedictorum perhibet consideratio deberemus; quia tamen nescit a charis charitas etiam laesa recedere, paternae charitatis affectio nos inducit, ut cum simus, licet insufficientibus meritis, Illius vicarii, qui non mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, se velle fatetur, regem Aragoniae, et alios supradictos denunciationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus et comminationibus ad conversionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus, et sententiarum laqueis, quibus se, prout ex praemissis liquet apertius, involverunt, obdormirent in morte, curaremus benignius excitare. Ideoque in festo Dedicationis et platea praedictis, de fratrum nostrorum consilio, denunciavimus saepefatos Petrum regem Aragoniae nepotem, suos comites, complices, satellites et ministros, ac insulae memoratae rebelles ex causis praedictis excommunicationis, civitates, castra, villas et alia loca praedicta, nec non et universitates ipsorum interdicti praemissis per nos latis sententiis subiacere de novo, tam in regem et alios saepedictos, quam in universitates, castra, villas et loca praedicta ex causis eisdem, et propter auctam contumaciam eorumdem in non parendo nostris monitis et praeceptis, et a nobis prohibita pertinaciter prosequendo diutius, tunc sententias similes promulgantes; praefatum autem regem, et exteros universos et singulos, qui cum eo aut alias in praesentis turbationis sive rebellionis auxilium praedictam insulam ingredi praesumpserunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quomodocumque faverunt attente monuimus, eisque districte praecepimus, ut ab huiusmodi suis excessibus et offensis penitus desistentes, eamdem insulam exirent omnino, numquam illuc in nostrum, et Ecclesiae vel regis Caroli praedictorum quoad praemissa qualecumque praeiudicium reversuri. Adiecimus etiam ne quis

*Regi, fautoribus, foederatisque factas:*

de novo ad id insulam supradictam intraret, vel aliquam eiusdem Siciliae regni partem publice vel occulte impeteret, turbaret vel aliquatenus molestaret. Universis quoque civibus, incolis, habitatoribus et universitatibus civitatum aliorumque locorum ipsius insulae cum similibus monitione et districtione iniunximus, ut regem Aragonum et exteros antedictos prorsus expellerent, nullo unquam tempore ipsos aut alios ad praemissa vel similia inibi recepturi. Districtius insuper inhibere curavimus, ne idem rex Aragonum se regem Siciliae nominaret, regium sub intitulatione regni Siciliae sigillum assumeret vel uteretur assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel iura quaecumque in eo aut aliqua eius parte concederet, vel tamquam rex Siciliae quidquam agere attentaret, neque dominium vel subiectionem aliquam in quascumque singulares personas aut terras ipsarum seu potestariam vel quamlibet rectoriam, sive officium quocumque nomine censerentur, in civitate vel quovis alio loco maxime ipsius regni Siciliae aut alicuius partis Italiae in nostrum, Ecclesiae aut regis Caroli eorumdem quomodocumque vel qualecumque gravamen per se vel per alium reciperet, vel etiam acceptaret, aut cum eis vel eorum aliquo in ipsorum Ecclesiae vel regis gravamen, sicut praedicitur, societatem sive aliam confoederationem contraheret vel servaret qualitercumque contractam. Neque singulares personae praemissae vel aliae undecumque civitates vel alia loca eidem in Ecclesiae ac regis Caroli praedictorum persequtione huiusmodi persistenti, vel alii pro eo sive in favorem ipsius praemissa concederent, vel aliquid praemissorum, aut ipsum vel alium pro eodem vel in favorem illius ad praedicta, vel aliquod eorum eligerent, nominarent, reciperent vel assumerent quoquomodo. Nec ipse rex Aragonum vel quivis alius singulares personas, civitates

*Variasque prohibitiones, eisdem Siculis declaratas:*

et loca eadem vel universitates ipsorum specialiter, aut cuiuscumque partis regni Siciliae, ut se vel terras suas eiusdem regis Aragonum dominio vel obedientiae cuicumque supponerent, aut eum vel alium pro eo seu in favorem ipsius in potestatem, rectorem vel ad aliud quodcumque officium, ut praedicitur, eligere, nominare vel admittere attentarent, sive cum eo societatem aliquam vel confoederationem contraherent aut observarent qualitercumque contractam, seu quod cives, incolae, habitatores, civitates vel alia loca praedicta sive universitates eorum praesertim cuiuscumque partis eiusdem regni Siciliae, a nostra, Ecclesiae ac regis Caroli praedictorum fidelitate seu devotione quocumque modo averterentur, vel aversa etiam in huiusmodi aversione persisterent, per se, nuncium, vel litteras inducere, aut donis, promissionibus, seu alio quovis modo allicere vel sollicitare praesumerent: neve singulares personae, civitates, castra, villae seu loca praefata se dicti regis Aragonum huiusmodi, Ecclesiae ac ipsius regis Caroli, persequtioni quomodolibet insistentis, dominio, regimini vel obedientiae qualitercumque subiicerent, sive in nostrum, Ecclesiae seu regis Siciliae praeiudicium vel gravamen, ut praedicitur, ipsum regem Aragonum, literas vel nuncios suos, vasa quaevis apta cuicumque navigio, gentemve reciperent vel receptarent, aut accederent ad eumdem, ipsive literas mitterent aut sibi, genti vel nunciis suis seu alii pro eis maxime in aliqua parte ipsius regni Siciliae obedirent vel intenderent, ministrarent fodrum, equos, arma vel vasa huiusmodi sub venditionis titulo, aut aliter quomodocumque ducerent concedenda, sed ab eodem rege Aragonum, vel alio pro ipso immunitates, feuda vel largitiones quaslibet in eodem regno Siciliae, quas constabat, et nos nihilominus declaravimus, et adhuc declaramus, decrevimus et adhuc decernimus non tenere, vel alibi occasione instantis negotii eiusdem regni Siciliae, aut stipendia ubicumque contra nos, Ecclesiam vel regem Carolum supradictos reciperent, vel pro receptis promissum audeant servitium exhibere aut alias praestare consilium vel favorem publicum vel occultum, nec cum ipso rege Aragonum vel alio pro ipso seu in favorem ipsius societatem, colligationem vel conventiones quascumque in nostrum, Ecclesiae, aut regis Caroli eorumdem dispendium qualecumque contraherent, aut contractas etiam sub vinculo iuramenti vel quarumlibet adiectione poenarum sive pactorum auderent quomodolibet observare: singulariter autem Michaelem Palaeologum, qui se imperatorem nominabat, quemque super his, et praecipue super exhibito in praedictis eidem regi Aragonum contra nos et praefatos Ecclesiam ac regem Carolum consilio, auxilio et favore, nec non pactis, conventionibus et confoederationibus initis cum eodem ex tunc argumenta verisimilia deferebant; vox praeterea publica et communis accusationis quasi continue incessabat, omnesque sibi de facto vel quomodocumque subiectos attente monuimus, eisque districte praecepimus, ut omnia monitiones, praecepta, inhibitionesque praemissa, quae Michaelem et subditos contingebant eosdem, vel possent quoquomodo contingere aut in eis seu quoad eos qualitercumque locum habere, quae omnia et singula volumus pro nominatim singulariter et expresse repetitis haberi, et velut taliter repetita robur efficaciamque sortiri diligentius observarent, eisque studerent in omnibus et per omnia obedire. Alioquin tam ipsos regem Aragonum nepotem et Michaelem Palaeologum quam alios universos et singulos dictis nostris monitionibus, praeceptis vel inhibitionibus non parentes cuiuscumque forent praeminentiae, dignitatis, conditionis aut status ecclesiastici vel mundani, excommunicationis sententia, quam in eos de fratrum praedictorum consilio ex tunc duximus

Intentatasque eisdem regi, fautoribus, etc. censuras:

proferendam, proinde innodatos esse decrevimus ipso facto, ac si expressi fuissent in huiusmodi processus nostri serie nominatim; civitates vero, castra et alia loca quaelibet, nec non universitates, quae iam dictis monitionibus, praeceptis vel inhibitionibus non parerent, ecclesiastico interdicto, quod ex tunc in illa promulgare curavimus, esse voluimus eodem modo subiecta. Interdicta vero praemissa sic arcte praecepimus observari, ut in locis, quae incidissent in ea, vel inciderent in futurum, nulla ecclesiastica sacramenta, exceptis dumtaxat Baptismate parvulorum et Poenitentiis morientium, ministrarentur, nulla divina celebrarentur officia, nisi solum missarum solemnia, quae in cathedralibus et aliis collegiatis et parochialibus ecclesiis ad conficiendum Corpus Christi morientibus ministrandum, submissa voce, clausis ianuis, interdictis et excommunicatis prorsus exclusis, semel tantum in septimana permisimus celebrari. Non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis Cisterciensibus, Praedicatoribus, Minoribus vel religiosis aliis aut saecularibus personis dignitatibus, civitatibus, castris, locis, collegiis vel universitatibus quibuscumque, sub quavis forma vel expressione verborum ab eadem Sede concessis, quae omnia quoad haec volumus omnino viribus vacuari.

Rescissasque pactiones omnes ad hoc initas:

§ 12. Et nihilominus societates, colligationes, conventiones huiusmodi, et quaslibet alias factas et etiam faciendas in favore ipsius regis Aragonum quoad instans negotium eiusdem regni Siciliae aut in Ecclesiae seu regis Caroli praedictorum qualecumque dispendium vel gravamen etiamsi essent iuramentorum, poenarum adiectione vel quovis alio vinculo roboratae, de potestatis plenitudine dissolventes, et carere decernentes omni robore firmitatis, universos et singulos qui se ad earum observationem quomodocumque seu quantumcumque solemniter astrinxerunt, ad eas observandas decrevimus non teneri. Nec pro eo quod ipsas deinde minime observarent, de reatu periurii aut ratione poenarum vel conventionum quarumlibet adiectarum in illis posse in iudicio vel extra iudicium impeti, seu aliquatenus molestari: quin immo eos ab illarum observatione sub poena excommunicationis, quam ex tunc protulimus, et ipsos si secus facerent, incurrere voluimus ipso facto, praecepimus penitus abstinere. Praediximus quoque apertius omnibus tam personis ecclesiasticis et saecularibus, quam civitatibus locisque aliis et universitatibus supradictis, quae huiusmodi mandatis nostris, praeceptis et inhibitionibus contumaciter non parerent, quod non solum ad exequendum comminationes praemissas, sed et alias gravius spiritualiter et temporaliter contra eos, et specialiter contra civitates, quas contingeret in huiusmodi contumacia depraehendi ad privandum eos archiepiscopali vel episcopali dignitate. Contra memoratos vero rebelles insulae supradictae ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis et aliis quibuscumque cum eis omne commercium quando et prout facti suaderet qualitas et fore videremus expediens, curaremus procedere.

Aliasque poenas inflictas inobedientibus:

Indictamque Petro, Michaeli Palaeologo, aliisque diem;

§ 13. Ad haec praefatis regi Aragonum, Michaeli Palæologo, et aliis universis, qui contra praemissa nostra monita et praecepta vel inhibitiones praedictum regnum Siciliae in eadem insula seu in reliquis regni praefati partibus invadere, turbare, impetere seu molestare quomodolibet praesumpserunt publice vel occulte, generali et publico edicto denunciavimus, quod nisi rex ipse Aragonum, aliique praedicti in eisdem insula et regno Siciliae ac vicinis seu quibuscumque Italiae partibus commorantes infra festum Purificationis Beatae Virginis super praeteritum, alii vero in locis remotioribus constituti infra kalendas aprilis, ac idem Palæologus infra kalendas maii proxime sequturas: quod quidem tempus

eis pro peremptorio termino duximus assignandum, humiliter ad nostra, et Ecclesiae mandata redirent nostris praecise beneplacitis parituri, et tam nobis et eidem Ecclesiae, quam praefato regi Carolo de contumacia et contemptu, damnis et iniuriis omnique interesse satisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad hoc praefixerimus impensuri, ex tunc personas eorum, citra mortis et mutilationis periculum, et bona omnia mobilia exposuimus a quibuslibet fidelibus libere occupanda, ipsosque feudis, bonis et iuribus omnibus, quae ab eadem Romana, vel aliis quibuscumque tenerent Ecclesiis, privilegiis, indulgentiis et gratiis quibuslibet ipsis ab eadem Sede, sub quavis verborum forma concessis apostolica auctoritate privavimus; vassallos eorum a iuramento fidelitatis, quo forsan tenerentur eisdem penitus absolventes. Praedicto autem elapso termino quandocumque nobis videretur expediens ad privandum eumdem regem Aragonum, ipsius etiam absentia non obstante, praefato regno Aragoniae, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa regnum et terras similiter exponenda, quoad regnum ipsum, terrasque praedictas semper nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae iure salvo. Et nihilominus contra eum pro qualitate criminum, quibus, ut praetactum est, ipsum praetendunt obnoxium, quantum nostrum officium pateretur, facti suggereret qualitas, nobisque fore videretur expediens, actore Domino procedere curaremus.

Quae quidem censurae non erant relaxandae nisi in mortis articulo:

§ 14. Praemissas vero excommunicationis sententias prohibuimus absque speciali Apostolicae Sedis mandato nisi forsan in mortis articulo relaxari, quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes infra tres menses postquam forent sanitati pristinae restituti, de loco interdicto supposito, si fortassis existerent inibi, recedentes, apostolico se conspectui praesentare curarent, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus incurrerent sententias supradictas, et Sedis eiusdem beneplacitis parituri relaberentur in sententias similes eo ipso, dictas quoque sententias sic firmiter et inviolabiliter volumus observari, quod absolvendi ab eis vel relaxandi easdem nisi forte in mortis articulo, ut est dictum, tam omnibus poenitentiariis nostris, quam aliis quibuslibet confessoribus sive generalibus sive specialibus seu familiaribus quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium ademimus potestatem, etiamsi a nobis vel aliquo praedecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma generalem vel specialem aut liberam absolvendi aliquem vel aliquos a sententiis hominis vel canonis, seu alias eas quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si qui autem absque speciali Sedis praelibatae mandato ex tunc obtinendo contrarium forte praesumerent, tam absolventem a praedictis sententiis, seu relaxantem easdem, quam huiusmodi absolutionem vel relaxationem recipientem, in quacumque forent dignitate, praeminentia, statu vel ordine constituti, ex causa huiusmodi excommunicationis vinculo duximus innodandos. Huius etiam relaxationem sententiae praefatae Sedi similiter reservantes, mortis articulo dumtaxat excepto. Et tunc, nisi sanitate recepta infra temporis spatium competentis iuxta locorum distantiam ad Sedem venerint supradictam, suum humiliter recognituri reatum, et Sedis eiusdem beneplacitis parituri, relaberentur in sententias similes ipso facto. Ab his vero mulieres in hoc tantum excipi voluimus, ut si solum praestiti ratione favoris in huiusmodi sententias forsan inciderent, possent per dioecesanos suos iuxta formam Ecclesiae absolutionis beneficium obtinere.

Statutis quoque contra secus agentes poenis;

Quae omnia spreta obtritaque fuisse constat:

§ 15. Tantis itaque ac talibus per praemissas monitiones, prohibitiones et poenarum comminationes memoratis Petro regi Aragonum nepoti, rebellibusque siculis, ministris, complicibus, satellitibus

et fautoribus eorumdem tamquam apertis datis significationibus, ut a facie arcus fugerent et se ab instantis recti iudicii merita duritia liberarent, non humiliatum, sed obduratum est in suis perversitatibus insipiens cor eorum. Nec enim acquieverunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere saevitiam, nec ab earum instantia expaverunt, sed, eis contemptis omnimodis, suas non solum continuatione aggravavere nequitias, verum etiam multiplicationibus variis ampliarunt. Ad alias partes regni Siciliae extra saepefatam insulam constitutas hostiliter impendendas suos sic fertur conatus nefarios extendentes (1).

Petrum regno privat, subditos a iuramento solvens fidelitatis:

§ 16. Ne igitur tam iustae comminationes fiant iniustae ludibrio, si earum iustitia prosequtione debita fraudaretur, neve sine vindicta gravis adeo crescat insania, dignum putavimus, ut memoratum Petrum regem Aragonum nepotem, tantamque ipsius proterviam ultrix sententia persequatur. Et ideo regnum Aragoniae, caeterasque terras regis ipsius de fratrum ipsorum consilio exponentes, ut sequitur, ipsum Petrum regem Aragonum eisdem regno et terris, regioque honore sententialiter, iustitia exigente, privamus, et privantes exponimus eadem regnum et terras occupanda catholicis, de quibus, et prout Sedes Apostolica duxerit providendum in dictis regno et terris, Ecclesiae Romanae eiusdem, ut praemittitur, iure salvo: vassallos ipsius, quos, ut praemissa declarant, a iuramento fidelitatis, si qui tenebantur eidem, iam absolvimus, denunciantes penitus absolutos, et denuo ab eodem et a quolibet fidelitatis vinculo et homagio expressius absolventes, ac eosdem Petrum quondam regem, Siculos complices et fautores eorum, omnesque alios singulares, qui praedictas monitiones, inhibitiones et comminationes damnabiliter contempserunt, praemissis excommunicationis, universitates vero, civitates, castra et loca caetera denunciamus interdicti sententiis subiacere; ipsos et ipsa ex causis eisdem et propter continuatam auctamque ipsorum contumaciam similibus sententiis supponentes.

Siculosque rebelles, civitates, etc. ecclesiastico interdicto supponit.

Dat imperia praesulibus ac proceribus ne Petro adhaereant.

§ 17. Universis praeterea christifidelibus cuiuscumque conditionis, præeminentiae, sive status, etiamsi dignitate pontificali seu regia forsitan decorentur, et specialiter archiepiscopis, episcopis, aliisque inferioris gradus praelatis, et personis ecclesiasticis, religiosis cuiuscumque religionis aut ordinis, et saecularibus, ipsique Petro quondam regi Aragonum, comitibus, vicecomitibus, baronibus, universitatibus civitatum, castrorum, caeterorumque locorum ac universis incolis et habitatoribus eorumdem regni et terrarum, quibus dictum Petrum tunc Aragonum regem privavimus, districtius inhibemus, ne ipse Petrus de dictis regno et terris se de caetero aliquatenus intromittat: neve caeteri supradicti eidem Petro dudum regi vel aliis quibuscumque contra dictas privationem et expositionem aut prosequentes easdem, per quos dicta regnum et terras occupanda Sedes eadem providebit, tentantibus se opponere assistant, vel qualitercumque faveant, sive praestent in hoc consilium, auxilium seu favorem publicum vel occultum, quacumque occasione quaesita, vel praetextu alicuius homagii vel cuiuscumque colligationis, confoederationis, societatis seu cuiusvis conventionis aut iure contractae hactenus, sive imposterum contrahendae, etiamsi colligationes, confoederationes, societates et conventiones huiusmodi et alia supradicta poenarum adiectionis, literarum, vel iuramenti seu cuiuslibet alterius sint vinculo firmitatis innexa.

(1) Legendum forsan : *ampliarunt, ad alias partes regni Siciliae...... invadendas suos, sicut fertur, conatus nefarios extendentes.*

Omnes coitiones, foederaque cum eo inita pronunciat rescissa, poenisque gravioribus praevaricatores devincit.

§ 18. Nos enim colligationes, confoederationes, societates, conventiones, caeteraque huiusmodi praemissa quoad hoc de potestatis plenitudine dissolvimus; iuramenta super illis praestita, poenasque propterea praemissas penitus relaxantes et universos et singulos, qui eas contraxerant se ad earum observantiam quantumcumque solemniter astringendo, ab ipsorum in praemissis observatione penitus absolventes; specialiter autem archiepiscopis, episcopis et caeteris personis ecclesiasticis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, incolis et habitatoribus supradictis eorumdem regni Aragonum ac terrarum prohibemus expresse, ne dictum Petrum olim regem Aragonum pro rege vel domino recipiant vel habeant, neve sibi obediant vel intendant, aut ipsi vel alii pro eo de redditibus vel obventionibus, sive iuribus regalibus seu ratione dominii debitis respondeant, vel aliquam satisfactionem impendere sub velamine quocumque praesumant: alioquin memoratum Petrum quondam regem et omnes singulares personas cuiuscumque sint præeminentiae, conditionis, aut status ecclesiastici vel mundani, etiamsi regalis dignitatis honore praefulgeant, excommunicationis, civitates vero, castra, villas et loca caetera, nec non universitates ipsorum, quae dictas inhibitiones vel earum aliquam praeterire propria temeritate praesumpserint, interdicti sententiis, quas ex nunc ferimus, decernimus subiacere.

Obstantibus derogat.

§ 19. Non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis quibuscumque imperatoribus, regibus, principibus, archiepiscopis, seu quibuslibet praelatis aliis, Cisterciensibus, Praedicatoribus, Minoribus, Hospitalariis, Templariis seu religiosis aliis aut saecularibus personis etiam in dignitate qualibet constitutis, civitatibus, castris, locis, communitatibus, collegiis vel quibusvis universitatibus sub quacumque verborum forma vel expressione ab eadem Sede concessis, et quibuslibet aliis indulgentiis eiusdem Sedis, per quas praesentis processus effectus impediri valeat vel differri. Quae quidem omnia privilegia et indulgentias quoad hoc omnino viribus vacuamus. Et nihilominus contra huiusmodi praesumptores et specialiter contra dictos praelatos, religiosos, comites, vicecomites, barones, incolas, habitatores, civitates, castra, villas, ac alia loca et universitates ipsorum ad privandum eos et ea quibuslibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, sive gratiis ipsis ab eadem Sede concessis, nec non terris, feudis et iuribus, quae a praefata Romana, vel aliis quibuscumque tenent Ecclesiis, seu personis ecclesiasticis, ac alias gravius spiritualiter et temporaliter, quando et sicut facti suaserit qualitas, et expedire viderimus, praevia divina gratia, procedemus.

Publicatio huius processus.

§ 20. Ut autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem in maioris Ecclesiae Urbevetan. appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt; ita quod idem Petrus vel alii quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbem Veterem in platea dictae Maioris Ecclesiae duodecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 martii 1283, pontif. anno II.

# HONORIUS IV

PAPA CXC

*Anno Domini MCCLXXXV*

Honorius IV antea Iacobus Sabellus, natione Romanus, diaconus cardinalis S. Mariae in Cosmedin, electus est Perusii in Summum Pontificem die 2 aprilis anno 1285, et Romae consecratus, atque inthronizatus est apud S. Petrum die 15 eiusdem. Sedit in pontificatu annos II, imperantibus in Oriente Andronico, in Occidente Rodulpho rege Romanorum. Obiit siquidem die 3 aprilis anno 1287 et sepultus est in ecclesia S. Petri iuxta Nicolaum Papam III. Vacavit Sedes menses x, dies xix.

---

## I.

*Encyclicis literis Christifideles promotionis suae certiores faciens, ad divinam ipsi opem suis precibus conciliandam provocat* (1).

SUMMARIUM

De divina providentia in dandis Ecclesiae pastoribus. — Non propriis viribus, sed in Dei potentia confidendum. — De Martini morte: — Cardinalium suffragiis in Honorium tunc S. Mariae diac. card. collatis: — Honorii in respuendo pontificatu modestia. — Quibus causis honorem admiserit. — Spem in Deo collocat. — Praesules ad partiendum cum ipso onus hortatur.

**Honorius episcopus servus servorum Dei.**

De divina providentia in dandis Ecclesiae pastoribus.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius; mira et innumera suae virtutis opera, quae Ipse potens ex omnibus potenter et ineffabiliter operatur, ita sufficienter enuncians et explicite disserens, ut audiantur ab aliis, et audientes laudibus Ipsum condignis attollant, laudandum procul dubio sine fine secundum multitudinis infinitae? Profecto admiratio mixta quaestioni praemissae non tam raritatem ad quaesita sufficientis insinuat, quam generalem omnium in hoc insufficientiam veridica insinuatione designat; nec enim quisquam explicare loquendo vel comprehendere sufficit meditando, cum sint incomprehensibilia Dei iudicia et investigabiles viae eius, et idcirco, nec ad comprehendendum vel etiam investigandum humana ratio proficit, sed investigando miratur, stupet et deficit, cur Ipse terribilis in consiliis super filios hominum, et praecipue circa regimen sacrosanctae matris Ecclesiae innotescens, interdum rectores ipsius virtutibus fortes et viribus pro suae dispositionis libertate subducit, interdum in successoris substitutione illis, quos aptiores ad id communis hominum censura perhibebat, omissis, Ecclesiae ipsius gubernationem et curam longe disparibus in utriusque alto suo consilio licet nobis occulto et nimirum admirando, saltem praemittendo committit; in hoc etiam sua omnipotentia, et nihilominus eandem Ecclesiam per Ipsum principaliter gubernari evidenter ostendens: evidens etenim est opus potentiae virtusque potentis immensi oneris sarcinam culmini apostolatus annexam adeo levigare debilibus, ut levigantis ope salubriter supportetur, et proinde manifestius pateat ipsam Ecclesiam regi et dirigi potius opitulantis arbitrio, quam illius, cui regimen eius erat sua dispositione seu permissione commissum.

Sic, sic ille Pater omnipotens providentia cuncta gubernans, constitutos inter maris mundi huius amari procellas, sine rate salvificat populum, qui alias ubi non est rector, facile corruit, a ruina sine rectoris idoneitate praeservans. Non enim vocat multos sapientes secundum carnem, non multos nobiles, multosve potentes, sed infirma mundi eligit, ut superbiam innitentis sibi fortitudinis humanae re-

(1) Ex Raynaldo ad annum 1285, § 17.

tundens, fortia quaeque confundat; nec aliquis creaturae sapientiae, nobilitati, vel potentiae ipsius Ecclesiae directionem erronee praesumat adscribere, sed totaliter attribuat Creatori.

Non propriis viribus, sed in Dei potentia confidendum.

Ex hoc etiam eos, quos conscientia insufficientiae suae premit, spe roborans, fiduciaque confortans, ut si quem huiusmodi ad iugum Domini, et ipsius onera in eiusdem Ecclesiae regimine subeunda vocari contingat, instante necessitate, non sic defectus proprii considerationi succumbat, quod cedens laboribus, colla subducens oneribus, seque mercenarium exhibens, custodiam dominici ovilis effugiat et eandem piam matrem Ecclesiam, in tempestatibus variis fluctuantem, impie derelinquat, sed de se ipso diffidens, confidat in Domino, et de Illo sperans, Ecclesiaeque compatiens, subire, prout res exigit, ipsius onera non pavescat. Huiusmodi spe fiduciaque reficimur in eo, quod in eadem Ecclesia iis accidisse diebus ad humiliationem nostram et Conditoris omnium gloriam in vestram notitiam, licet iam volantis. famae praeconio forte deductum, censuimus seriosius et certius deducendum.

De Martini morte:

Nuper siquidem quarto kalendas aprilis felicis record. Martino Papa praedecessore nostro, prudentiae, ac scientiae, multarumque aliarum virtutum dono pollente, per naturalis mortis occasum de nequam saeculi huius angustiis liberato, et ipsius corpore cum debita exequiarum solemnitate sepulto, prima die dicti mensis cum fratribus nostris, de quorum numero tunc eramus, libere, nulla inclusionis coactione præambula, quam aliquando in Ecclesiae ipsius vacationibus damnabilis praesumpsit abusus, convenimus ad tractandum de substituendi electione pastoris. Et postquam missarum solemnia ex more in honore Sancti Spiritus celebrata, tractatu aliquo habito, tandem in crastinum scrutinii via electa concorditer, factoque, ac publicato scrutinio, quod nec sequens habuit, sicut nec oportuit, nec praecedens votorum fratrum eorundem directorum in nos, eo tempore Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem, tanta est inventa concordia, et de unanimi eorum omnium voluntate adeo concors de nobis in Summum Pontificem electio subsecuta, quod nos de tam grandi, tamque inexpectata, immo et nobis omnino inopinata novitate plus quam verbis exprimere possimus, attoniti facti sumus, velut in mentis excessu. Filiis namque matris nostrae, ipsius videlicet Ecclesiae Romanae communis matris et dominae, cardinalibus contra nos pugnantibus, ut nobis iugo apostolicae servitutis imposito, custodem nos non in alienis vineis ponerent, qui ex nostrorum meditatione defectuum, nos nec propriae custodiendae sufficere humiliter confitemur, et post defectus eosdem, quos ipsis ad maioris voluntatis indicium quasi palpandos exponebamus obiectos, ad obtinendum super hoc consensum nostrum non solum importune instantibus, sed infeste.

Cardinalium suffragiis in Honorium tunc S. Mariae diacon. card. collatis:

Honorii in respuendo pontificatu modestia

O quantae animum nostrum perplexitatis vexabat anxietas! O quam acutis, quam amaris cor nostrum pungebatur aculeis diversis suggestionibus sub conscientiae ac rationis examine confligentibus altrinsecus in eodem! Hinc enim nostra debilitas suggerebat a molis importabilis universali mundi regimine nostros imbecilles humeros subducendos, nec Apostolorum Principis cathedram tremendae altitudinis, vitandae insufficientibus sollicitudinis speculam conscendendam. E regione vero eiusdem status Ecclesiae, orbisque totius impacatus graviter, immo in gentes fide catholica insignitas, non tamen infidelibus, sed et orthodoxis insurgentibus gentibus, et regnis in regna periculose divulsis, Terrae Sanctae nimis damnose retardata subventio, et aliorum negotiorum fidei eiusdem impedita promotio, aliaque ipsius orbis satis nota discrimina contrarium suadebant. Habebat quoque huiusmodi sua-

Quibus causis honorem admiserit.

sionis adiectio, quod cum matri sit honor ex praecepto Domini exhibendus, qui in scripturis non in salutationum solummodo, sed in aliorum suffragiorum exhibitione sentitur, non erat eidem reverendae matri Ecclesiae, quin potius orbi toti, maxime hoc tempore, tam necessarii subsidii solatium subtrahendum: praesertim cum de praeteritis vacationibus coniectura consurgens filialem in nobis, et dictis fratribus ad prosperitatem ipsius matris affectum sollicitatione timoris solliciti plena concuteret, ne si tam prompta eorumdem fratrum concordia (quae non absque Illius gratia qui unanimes habitare facit in Domo, provenisse devote supponitur) negligeretur, seu praeteriret inefficax, inimico homine superseminante zizania, instantis tunc provisionis negotium in discordiam laberetur prolixioris vacationis ipsius Ecclesiae, aliaque grandia pericula comminantem.

His autem et aliis, quae subticeri ad praesens brevitatis suasit obtentus, non leviter alternantibus anxie deliberationis nostrae iudicium, occurrit deliberantis obtutibus ille Israelitici populi protector egregius, et strenuus bellorum Domini praeliator, qui aliis terrore concussis prae multitudine nimia insurgentium ex adverso constanter ait, inquit intrepide: Melius est mori nos in praelio, quam videre mala gentis nostrae, et sanctorum, sicut fuerit voluntas in coelo, sic fiat; exemplari doctrina vocatum ad regendam Ecclesiam, dirigendam et protegendam tamquam Salvatoris vicarium in summi pontificatus apice, populi christiani salutem instruens et informans, ut instar ipsius pericula regendi gregis abhorreat, in occurrendo illis sua non metuat et non solum quieti suae non consulens, immo et vitae non parcens, nequaquam sic de virium suarum ad ea, quae iminent, imparitate desperet; quin sub spe coelestis auxilii se illis confidenter exponat, et divinae voluntati committat. Praemissis sane spe ac fiducia roborati, et instructione ac informatione deducti, praetacta Ecclesiae, fidei, terraeque discrimina, variaque orbis dissidia in nostrae mentis arcano non absque gravi amaritudine recensentes, elegimus potius nos ipsos ministerio, quod supra nostras est vires, exponere, quam Ecclesiam, fidem, caeteraque praedicta relinquere discriminibus tantis exposita, conscientia reluctante; sicque humiliato spiritu oculos in excelsa levantes ad coeli terraeque Factorem, a quo auxilium procedere confitetur veraciter eximius prophetarum, sub Ipsius spe onus iniunctum electioni praemissae consentiendo, cum multo timore ac tremore subivimus, de insufficientia nostra nimis, nihil vero de sua omnipotentia haesitantes, sed apud Ipsum devotis supplicationibus insistentes, et sicut memorato bellorum Dei belligero in manu Ipsius eiusdem Israelitici populi salute directa, optatum de hostibus tunc imminentibus dedit eventum; sic et in manibus nostris, gregis sui curae nostrae commissi salutem dirigat, et de dictarum Ecclesiae, fidei, terraeque persecutoribus votivum exitum sua pietate concedat, ut vertantur impii, et conversi ad Dominum impii amplius non existant, de persecutoribus prosecutores effecti, excelsi eos dextera immutante.

*Spem in Deo collocat.*

Quod ut efficaciter vestris adiuti suffragiis obtinere possimus, charitatem vestram assistricem instanter expetimus et cum instantia humili eadem suffragia imploramus, vos universos, singulos intimo rogantes affectu et affectuosa exhortatione monentes, quatenus considerato prudenter, quod cum sitis in partem tantae solicitudinis vocati, decet vos in prosecutione illius cooperatores esse solicitos humilitati nostrae in suscepti executione ministerii, devotas et sedulas fundendo pro nobis preces ad Dominum; et in plebibus diligentiae vestrae commissis, extirpando vitia, inserendoque virtutes, sic studiose cooperari velitis, quod vo-

*Praesules ad partiendum cum ipso onus hortatur.*

bis pervigilis in illis pastoris partes implentibus adeo nobis, quoad eas onere partito, sit levius, quod in aliis officii nostri debitum liberius exequentes, retributionis aeternae praemium sequamur instantius, et una cum grege nobis credito efficacius de retributionis bonorum omnium misericordia consequamur: vos quoque praeter participium retributionis eiusdem in vestris opportunitatibus, in quibus gratiose quantum cum Deo poterimus, adesse vobis intendimus, proinde favorem apostolicum propitium sentiatis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 maii anno Domini 1285, pontif. anno I.

---

## II.

*Provisiones et ordinationes tam quoad spiritualia, quam temporalia pro bono regimine regni Siciliae* (1).

SUMMARIUM

1. Ut Siculi a Frid. imperatore graviore iugo sint oppressi: — Nec levati a Carolo. — Inde conflata ab exasperatis populis coniuratio. — 2. Mederi his malis iure aggreditur Honorius. — 3. Carolus I et II Romanum Pontificem ad id precibus urserant. — Editae ab iisdem ad servandos populos sanctiones aliquae. — 4. Decernit Pontifex quibus casibus subsidiarium aes colligendum sit: — 5, 6, 7. Statuitque pecuniae quantitatem. — 8. Novum monetæ genus semel tantum conflandum a singulis regibus. — 9. Quae mulctae infligendae in homicidiis clandestinis. — 10. Quibus in casibus abstinendum a mulctis. — 11. Naves sumptu regio, non privatorum, construendae. — 12. Ad captivorum custodiam universitates non cogendae: — 13. Nec in pecunia regi destinanda gravandae. — 14. Quae castra et aedificia impensa publica instauranda. — 15. De iudiciorum forma. — 16. De passuum custodia tempore belli. — De commercii usu libero. — 17. Naufragorum bona restituenda. — 18. Qua lege regii stipendiarii hospitia sint habituri. — 19. Vina ac victualia vendere nemo cogatur invitus. — 20. Matrimoniorum libertas restituta. — 21, 22. De inquisitionibus faciendis; — 23. Causisque inter fiscum et privatos. — 24. Forestae in terris privatorum non faciendae. — 25. De salinis Ecclesiis pertinentibus. — 26. Abusus tolluntur. — 27. De strenis. — 28, 29. Animalia regio nomine capi vetita. — 30. Idonei officiales a rege creandi. — 31. Monitus rex querentibus aditum praebeat. — 32, 33. Aliae provisiones. — 34. Morientium procerum prolis clientela accipienda a rege. — 35. Successionis ratio servanda in bonis fiduciariis. — 36. De feudis quaternatis. — 37. De vassallis — 38. Et magistris iuratis. — 39, 40. Novae servitutes non imponendae: — 41. Provocandi ad Sedem Apostolicam facultas Siculis data. — Poenae regibus transgressuris obiectae. — 42. Edictum, ut regnum inituri reges ad haec servanda se obstringant. — 43. Roboratio huiusce constitutionis. — Honorii PP. et S. R. E. cardinalium subscriptiones.

**Honorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

§ 1. Iustitia et pax complexae sunt se, ita societate indissolubili sociatae, sic se comitatu individuo comitantes, ut una sine altera plene non possit haberi, et qui laedit alterutram, pariter offendit utramque. Hinc complexus earum graviter impeditur iniuriis: per eas etenim laesa iustitia, pax turbatur, ipsaque turbata facile in guerrarum discrimina labitur; quibus invalescentibus iustitia inefficax redditur, dum debitum sortiri nequit effectum. Sicque ipsa sublata, nimirum pax tollitur, opus eius, et ipsius fructus subducitur seminandus in pace, ac proinde complexis deficientibus necessario deficit et complexus. In horum vero defectu licentia laxata dissidiis multiplicantur bella, pericula subeunt animarum et corporum, crimina frequen-

(1) Ex Regest. Vatic. Consule Raynald., ad annum 1285, § 29.

tantur, nec rerum vastitas praeteritur; haec in praesidentium iniuriosis processibus, et inductarum in subditos oppressionum excessibus patent apertius, evidenter ostenduntur. In quorum multiplicatione sauciantur corda laesorum, et quanto minus datur opportunitas licite propulsandi, quae illicite inferuntur, tanto rancor altius radicatur interius, et periculosius prorumpit exterius, opportunitate concessa. Fiunt enim plerumque hostes ex subditis, transeunt auxilia securitatis in metum, munitiones in formidinem convertuntur; nutant regnantium solia, redundant regna periculis intestinis, quatiuntur insidiis extrinsecis, insultibus impetuntur audactius, et regnantes in eis, qui operantes iustitiam, exaltationis gloriam mererentur, humiliati propter iniustitias frequenter opprobrium deiectionis incurrunt.

Ut Siculi a Frid. imperatore graviore iugo sint oppressi.

In praemissis etsi Scripturae nos instruant, efficacius tamen notis docemur exemplis: quantis enim, tempore quondam Friderici olim Romanorum imperatoris propter illatas regniculis afflictiones illicitas et oppressiones indebitas in regno Siciliae non absque immensitate gravaminum inductas ab ipso, regnum ipsum tempestatibus fluctuarit; quot et quantis rebellionibus concussum extiterit, quot invasionibus attentatum; quantum per ipsum et posteros suos depauperatum opibus, quot incolarum exiliis et stragibus diminutum, nullum fere angulum orbis latet. Quam praecipiti Fridericus idem et genus ipsius ruina corruerint, probat notorius casus eius et manifestum eorumdem exterminium posterorum. Verum adeo Friderici eiusdem in dictis continuata et aucta posteris, ac in alios exemplari derivatione transfusa processit iniquitas, quod per eum inventa gravamina usque ad haec tempora duravisse, nec non et augmentata dicuntur aliqua eorumdem, et adiectani hilominus alia non minora. Propter quod nonnullorum supponit opinio, quod clarae memoriae Carolum Siciliae regem, quem persequtionis dictorum gravaminum eorumdem Friderici et posterorum perniciosa exempla fecerunt saltem permissione participem, dum opinaretur forsitan licita, quae ab illis audiverat tam longis temporibus usurpata, reddiderunt etiam praedictorum consequentium ad illa discriminum non prorsus expertem, prout Siculorum rebellio multis onusta periculis aliorumque ipsam foventium persequtio manifestant, non solum in eiusdem regis ac haeredum suorum grave adeo excitatae discrimen, quod ipsis haeredibus, nisi per nos celeri occurratur praetactorum subductione gravaminum, instans perditionis totius dicti regni periculum comminantur, sed et in grande nostrum et Ecclesiae Romanae dispendium prorogatae; cum sit per eas in Siciliae insula et in nonnullis aliis eiusdem regni partibus ipsarum incolis, nec nobis, nec Ecclesiae ipsi parentibus, sed adhaerentibus potius inimicis, nostra et ipsius Ecclesiae civilis interversa possessio, et in caeterarum aliquibus turbata frequentius, et turbetur. Ex quo datur patenter intelligi, quantum in his nostrum et Ecclesiae praefatae interesse versetur, quantumque ad nostrum spectet officium et haeredum ipsorum praecipue necessitas exigat, non tantum praemissis obortis in eodem regno, quod est ipsius Ecclesiae speciale tamquam ad ius et proprietatem eius pertinens, dictisque regi et haeredibus in feudum ab ipsa concessum, obviare periculis: sed etiam ne similia oriantur imposterum, diligentem curam et curiosam diligentiam adhibere, praetacta gravamina eorumdem periculorum, ut veritati concurrat expressio, manifestas occasiones et causas congruae provisionis beneficio abrogando. Cum proprietatis domino praedium, in quo est ius alii constitutum, pro eo quod sua interest tueri, fines ipsius custodire liceat, eo etiam cui ius debetur, invito; custodiae autem nomen id habeat, quod qui tenetur ad eam, non solum id debeat,

Nec levati a Carolo.

Inde conflata ab exasperatis populis coniuratio.

ut si casu viderit in re custodienda fieri quid adversum, prohibeat facientem; verum etiam ut curet dare operam, ne id fiat.

Mederi his malis iure aggreditur Honorius.

§ 2. Multiplex itaque nos ratio interpellat et exigit, illud in huiusmodi gravaminibus, super quibus fama publica et variae inquisitiones per venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum Sabinensem Apostolicae Sedis legatum factae de speciali mandato Sedis ipsius, et indagationes alias habitae nos informant, nostrae provisionis edicto remedium adhiberi, per quod iniustis submotis oneribus circa ea, in regno praefato solide stabilita iustitia regium thronum firmet, pacis tranquilla producat; sit inibi publicae tranquillitatis silentium cultus eius, et ipsa vinculum societatis humanae sic superiorem populo sibi subiecto domesticet, eique ipsius populi corda consolidet, quod superior insidiarum sollicitudine absolutus, securitatis iucunditate laetetur, populus pressuris indebitis liberatus in pacis pulchritudine sedeat, in requie opulenta quiescat, et in unanimitate ipsorum ac mutuo sinceritatis affectu eiusdem regni statu roborato pacifico, non sit, profligatis hostibus, qui foris exterreat, aut qui pacatis incolarum eiusdem animis intus turbet.

Carolus I et II Romanum Pontificem ad id precibus urserant.

§ 3. Instantiae quoque praemissae interpellationis non modicum adiicit, quod memorati regis, dum viveret, et dilecti filii nobilis viri Caroli sui primogeniti ex eo manifeste percepimus, ad id vota concurrere, quod idem rex super directione, ordinatione, reformatione seu quacumque alia dispositione collectarum, exactionum, matrimoniorum aut aliorum quorumlibet, quae gravamina dicerentur vel dici possent, tam circa Ecclesias, monasteria et alias ecclesiasticas personas, quam circa communitates et universitates civitatum, castrorum et aliorum locorum, et etiam circa singulares personas, totius regni praedicti aut cuiuslibet partis eius felicis recordationis Martini Papae quarti praedecessoris nostri directioni, reformationi, dispositioni et ordinationi se plene ac libere, alte ac basse submisit, dans et concedens eidem super his plenam et liberam potestatem; ac promittens quicquid per eumdem praedecessorem ipso rege dictove primogenito tunc eius vicario in regno eodem et aliis suis officialibus requisitis vel irrequisitis etiam actum foret, se ac haeredes suos ad hoc specialiter obligando inviolabiliter observare: suis super hoc patentibus literis praedecessori concessis eidem. Praemissa quoque in mortis articulo per alias suas similiter patentes literas plenius repetens et confirmans eidem praedecessori, per eas humiliter supplicavit, ut omnia onera fidelium regni sui, et quae gravamina dici possent, removere, tollere ac cassare, dictumque regnum prospere reformare, omniaque statuere, quae ad bonum statum haeredum suorum et fidelium eorumdem expedire videret, sua provisione curaret, non obstante si regem ipsum tunc infirmitate graviter laborantem naturalis debiti solutione contingeret praeveniri, sicut praemissae ipsius regis literae, quae per nos et aliquos ex fratribus nostris diligenter inspectae in archivio eiusdem servantur Ecclesiae, manifestius attestantur. Et tam idem rex, quam dictus primogenitus super tollendis aliquibus eorumdem gravaminum constitutiones varias edidisse dicuntur, licet et illae plenioris exequtione observationis indigeant, non plene, ut intelleximus, hactenus observatae.

Editae ab iisdem ad servandos populos sanctiones aliquae.

Decernit Pontifex quibus casibus subsidiarium aes colligendum sit.

§ 4. Volentes igitur illis robur apostolicae confirmationis adiicere, ut inferius exprimetur, et praetactum nostrum exequi accommodae provisionis adiectione propositum, infrascripta omnia, prout infrascripta eorum series indicat, de fratrum nostrorum consilio et assensu ac potestatis plenitudine providendo, a gravamine illo deliberavimus inchoandum, quod maiorem scandali materiam et generalius ministrabat. Ideoque ut omnino

cesset in regno eodem onerosa exactio collectarum, praesenti edictali provisione ac constitutione valitura perpetuo prohibemus, per reges, qui pro tempore fuerint, seu pro eis dominantes in regno praedicto vel ministros ipsorum, collectas fieri, nisi tantum in quatuor casibus infrascriptis.

Primus est pro defensione terrae, si contingat invadi regnum invasione notabili sive gravi, non procurata, non simulata, non momentanea seu transitura facile, sed manente. Aut si contingat in eodem regno notabilis rebellio, sive gravis, similiter non simulata, non procurata, non momentanea, sive facile transitura, sed manens.

Secundus est pro regis persona redimenda de suis redditibus et collecta, si eum ab inimicis captivari contingat.

Tertius est pro militia sua, seu fratris sui consanguinei et uterini, vel saltem consanguinei, sive alicuius ex liberis suis, cum huiusmodi fratrem suum vel aliquem ex eisdem liberis militari cingulo decorabit.

Quartus est pro maritanda sorore, simili coniunctione sibi coniuncta, vel aliqua ex filiabus aut neptibus suis, seu qualibet alia de genere suo ab eo per rectam lineam descendente quam et quando eam ipse dotabit.

Statuitque pecuniae quantitatem.

§ 5. In praedictis enim casibus prout qualitas tunc immineutis casus exegerit, licebit regi collectam imponere ac exigere a subiectis: dum tamen pro defensione, invasione seu rebellione praedictis aut ipsius domini redemptione quinquaginta millium, pro militia duodecim millium, pro maritagio vero quindecim millium auri summam collectae universitatis totius regni eiusdem tam ultra Pharum, quam citra, quantitas non excedat, nec concurrentibus etiam aliquibus ex praedictis casibus, collecta in uno et eodem anno nisi una tantummodo imponatur.

§ 6. Sicut autem collectae quantitatem praedictas summas in suis casibus limitatas excedere, ut praemittitur, prohibemus: sic nec permittimus indistincte ad ipsas extendi, sed tunc tantum, cum casus instantis qualitas id exposcet.

§ 7. Et ut in praedictis etiam casibus possit rex, qui pro tempore fuerit, eo vitare commodius gravamina subditorum, quo uberiores fuerint redditus et obventiones ipsius, eum a demaniorum donatione volumus abstinere, id sibi consultius suadentes.

Novum monetae genus semel tantum conflandum a singulis regibus.

§ 8. Simili quoque prohibitioni subiicimus mutationem monetae frequentem, apertius providentes, quod cuilibet regi Siciliae liceat semel tantum in vita sua novam cudi facere monetam, legalem tamen et tenutae secundum consilium peritorum in talibus competentis, sicut in regnis illis observatur, in quibus est usus legalium monetarum, quodque usualis moneta sit valoris exigui, et talis quod in eodem valore sit apta manere toto tempore vitae regis, cuius mandato cudetur. Nec pro ea vel aliqua magna moneta, quam idem rex semel tantum in vita sua fecerit, expendenda, fiat collecta vel distributio, sed campsoribus et aliis mercatoribus volentibus eam sponte recipere tribuatur, et hoc ita praecipimus perpetuis temporibus observari.

Quae mulctae infligendae in homicidiis clandestinis.

§ 9. In homicidiis clandestinis providendo praecipimus, nihil ultra poenam inferius adnotatam ab universitatibus exigendum; videlicet ut pro christiano, quem clandestine occisum inveniri continget, ultra centum augustales, pro iudæo vero vel saraceno ultra quinquaginta nihil penitus exigatur: augumento, quod circa eamdem poenam idem rex dicitur induxisse, omnino sublato: praesertim cum memorati rex et primogenitus dicantur idem per suas constitutiones noviter statuisse, quas quoad haec decernimus inviolabiliter observandas. Et hoc intelligi tantum in homicidiis vere clandestinis, in quibus ignoratur maleficus, nec aliquis accusator apparet, adiicientes

quod non nisi tantum in locis magnis et populosis exigi possit quantitas supradicta: in aliis vero infra quantitatem eamdem pro qualitate locorum exactio temperetur.

Quibus in casibus abstinendum a mulctis.

§ 10. Eidem provisioni adiiciendo praecipimus universitates ad emendationem furtorum, quae per singulares personas contingit fieri, nullatenus compellendas: nec ad mutuandum regi seu curiae suae, aut officialibus vel ministris ipsorum, aut recipiendam aliquatenus regiae massariae custodiam sive onus, seu possessionum regalium procurationem, aut gabellae vel navium, seu quorumcumque vassellorum fabricandorum curam quemquam cogendum invitum: usurpationibus, quae contrarium inducebant, penitus abrogatis; maxime cum dicti rex et primogenitus ad relevanda, non tamen plene, gravamina in praemissis inducta, constitutiones varias promulgasse dicantur.

Naves sumptu regio non privatorum construendae.

§ 11. Concedimus autem, ut si casus emergat, in quo sit necessarium naves vel alia vassella pro utilitate publica fabricari, liceat tunc regnanti committere curam fabricationis huiusmodi expensis regiis faciendae personis idoneis, videlicet huius rei peritiam habentibus, et quas officium tale decet, et ipsis satisfaciat pro susceptione curae praedictae de competenti mercede: et idem servari praecipimus in faciendo biscotto.

Ad captivorum custodiam universitates non cogendae

§ 12. Ad captivorum custodiam universitates, vel earum singulares personae nullatenus compellantur, praesertim cum hoc ipsum dicatur eiusdem regis constitutione provisum, quod praecipimus inviolabiliter observari.

Nec in pecunia regi destinanda gravandae.

§ 13. Gravamen quod in pecunia destinanda regi, vel regali Camerae, seu ad alia loca quaecumque alicuius universitatis expensis per aliquas personas eiusdem universitatis periculo eligendas inferri dicti regni universitatibus dicebatur, provisione simili prohibemus ipsis universitatibus, vel singularibus personis earum de caetero irrogari: maxime cum dicatur idem quoad universitates dicti primogeniti prohibitoria constitutione provisum, quam in hoc decernimus inviolabiliter observandam.

Quae castra et aedificia impensa publica instauranda.

§ 14. Illud quod in eodem regno dicitur usurpatum, videlicet quod incolae ipsius regni ad reparanda castra, et construenda in eis expensis propriis nova aedificia cogebantur, emendatione congrua corrigentes providendo praecipimus, ut nihil ultra expensas necessarias ad reparationem illorum antiquorum castrorum, quae consueverunt hactenus incolarum sumptibus reparari, et aedificiorum, quae in huiusmodi castris fuerant ab antiquo, ab eisdem incolis peti possit: et constitutio, quam circa hoc idem primogenitus edidisse dicitur, in huiusmodi antiquis castris et aedificiis solummodo intelligenda servetur: antiqua vero castra intelligi decernimus in hoc casu, quorum constructio annorum quinquaginta iam tempus excessit.

De iudiciorum forma.

§ 15. Circa personas accusatas, quae in eodem regno iniuste capi dicebantur, si etiam idoneos fideiussores offerrent, licet idem rex aliquid statuisse dicatur ad gravamen huiusmodi temperandum; nos tamen, ut nulla super hoc querela supersit, providendo praecipimus, iura civilia observanda, et eadem observari iubemus circa destitutionem possessorum comitum, baronum et quorumlibet aliorum, qui per regalem curiam, et officiales ipsius, ac alios alienigenas feuda tenentes in regno suis possessionibus, si quando curia, officiales, vel alienigenae praedicti se ius habere praetendebant in illis, spoliari sive destitui dicebantur, et de possessoribus effici petitores nullo iuris ordine observato: nec non et cum aliquis dicitur invenisse thesaurum, et etiam cum quis apud eamdem curiam pro alio fideiussit: ita quod nec aliquis suae destituatur possessionis commodo, vel spolietur, aut destituatur eadem, nec quoad illum, qui defertur, aut convincitur de inventione thesauri, nec quoad fideiussores curiae

datos aliter quam eadem iura statuunt, procedatur.

De passuum custodia tempore belli.

§ 16. Regibus futuris pro tempore in regno praedicto et memoratis incolis, qui de inordinata passuum eiusdem regni custodia querebantur se immoderate gravari, similiter providentes eidem custodiae moderamen competens adhibemus: videlicet quod tempore impacato, seu imminente turbatione, aut verisimili turbationis suspicione contra ipsum regem, aut dictum regnum, seu in regno eodem, rex possit facere passus eosdem ad vitanda pericula custodiri. Tempore vero pacifico incolis regni habitantibus in eodem, ac aliis non suspectis liber sit ex eo exitus et ingressus in illud: ita tamen quod equi ad arma nullo tempore sine regis licentia extrahantur exinde ad vendendum: victualia vero quaelibet de suis possessionibus, vel massariis, seu oves, boves et alia animalia humano competentia esui, de propriis gregibus, armentis, vel redditibus habita, extra regnum, dummodo tamen non ad inimicos eorumdem regis, aut regni, unusquisque libere mittat, etiam ad vendendum, nisi sterilitas aut praetactae turbationis instantia, seu verisimilis suspicio suadeat circa missionem huiusmodi per regem eius temporis aliud ordinandum. Si vero praedicta victualia, vel animalia ex negotiationis commercio habeantur, etiam fertilitatis tempore absque regnantis licentia extra regnum mittere, vel ex ipso extrahere non liceat sic habenti: in omnibus praemissis missionis seu extractionis casibus iure, quandocumque regi competit, per omnia semper salvo: infra regnum vero etiam per mare liceat cuilibet ecclesiasticae, saecularive personae frumentum et alia blada, nec non et legumina de propriis terris, massariis, atque redditibus habita sine iure exiturae, fundaci, seu duanae in loco, in quo victualia recipientur vel deponentur, praestando, de uno loco deferre, seu facere deferri ad alium, a rege seu eius officialibus licentia non petita; emptitia vero iure exiturae ac fundaci non soluto, sed alio, si quod regi debetur, dummodo emptitiorum delatio de portu licito ad similem portum, et cum barcis paucis centum solummodo salmarum, vel infra caputium tantum fiat: et deferentes seu deferri facientes praemissa emptitia dent particulari portulano loci, in quo fiet oneratio eorumdem, fideiussoriam cautionem, quod literas testimoniales de ipsorum victualium et leguminum exoneratione a simili portulano loci, in quo exoneratio ipsa fiet, habeant infra certum terminum pro locorum distantia praefigendum. Et haec omnia praecipimus perpetuo observari.

De commercii usu libero.

Naufragorum bona restituenda.

§ 17. Ausum contra naufragos, ut fertur, inductum, in eo quod bona, quae naufragium evadebant, capiebantur per curiam, nec ipsis naufragis reddebantur, eiusdem provisionis oraculo penitus abolemus, praecipientes bona huiusmodi illis restitui, ad quos spectant.

Qua lege regii stipend. hospitia sint habituri.

§ 18. Querelam gravem hominum regni eiusdem super eo nobis exhibitam, quod curiales stipendiarii regii et alii regalem sequentes curiam in civitatibus et locis, ad quae cum dicta curia vel sine, ipsos declinare contingit, domos civitatis, seu locorum eorumdem pro suo arbitrio dominis intrabant invitis, et interdum eiectis, eisque in altilibus, animalibus et aliis bonis eorum, et quandoque horum occasione in personis ipsorum graves iniurias inferebant, sopire competentis provisionis remedio cupientes; prohibemus, ne aliquis curialis stipendiarius, vel alius curiam sequens memoratam domum vel hospitium aliquod capere, sive intrare propria auctoritate praesumat, sed per duos, vel tres, aut plures, prout civitatis aut loci magnitudo poposcerit, per eamdem curiam et totidem electos a locorum incolis, auctoritate tamen regia deputandos, hospitia memoratis curialibus, stipendiariis et aliis assignentur. Iidem autem curiales, stipendiarii et alii nulla bona suorum hospitum capiant,

nec in illis, aut in personis eorum ipsis aliquam iniuriam inferant; nec ipsorum aliquis, pro eo, quod sibi hospitium fuerit aliquando taliter assignatum, si eum alias ad eumdem locum cum curia vel sine curia venire contingat, sibi ius hospitandi vendicet in eodem, aut ipsum intrare audeat, nisi fuerit sibi simili modo assignatum. Huiusmodi autem hospitia taliter assignata praefati rex, et illi de modo et familia sua gratis semper obtineant; reliqui vero sive stipendiarii, sive quicumque alii per unum mensem solum, si tanto tempore in eodem loco contingat curiam residere; si vero ultra resederit, vel ipsos stipendiarios, aut alios ad aliqua loca sine curia venire contigerit, satisfaciant dominis hospitiorum, seu ipsorum auctoribus de salario competenti per deputatos, ut praemittitur, moderando.

Vina ac victualia vendere nemo cogatur invitus.

§ 19. Similiter prohibemus, ne in locis, in quibus vina et victualia possunt venalia reperiri, quisquam ea per regalem curiam, aut curiales, seu quoslibet alios ministros ipsorum vel quoscumque alios invitus vendere compellatur, nec aliqua bona nolentibus vendere auferantur, nec eorum segetes consignentur; et si de facto fuerint consignatae, signa eis imposita liceat dominis auctoritate propria removere, praesertim cum praefatus rex hoc ipsum de remotione huiusmodi statuisse dicatur. Si vero in loco, ad quem curiam, curiales, ac alios praedictos declinare contingit, talia venalia non habentur, abundantes in illis, per aliquem vel aliquos ad hoc regali curia et totidem a locorum incolis electos, auctoritate tamen regia deputandos, omnia huiusmodi, quae habent, ultra necessaria suis et familiarum suarum usibus, non solum curiae, sed curialibus et aliis eam sequentibus cogantur vendere pretio competenti per deputatos, ut praemittitur, moderando.

Matrimoniorum libertas restituta.

§ 20. In matrimoniis, in quibus volentibus ea contrahere varia impedimenta contrahendi adimentia libertatem per regem et suos ingeri dicebantur, apostolicae provisionis beneficium deliberavimus adhibendum. Ideoque provisione irrefragabili prohibentes, regnicolis regni habitatoribus matrimonium intra se contrahere volentibus per regem, vel suos officiales, aut alios quoslibet inhibitionis seu cuiuslibet alterius obicem impedimenti praestari, declaramus, et declarando praecipimus libera esse matrimonia inter eos, ita quod bona mobilia vel immobilia, feudalia vel non feudalia libere sibi mutuo dare possint in dotem, nec iidem regnicolae regni, ut praemittitur, habitatores eiusdem super matrimonio inter se contrahendo, aut in dotem dando bona quaelibet licentiam petere teneantur; nec pro eo quod matrimonium cum bonis quibuslibet, aut dote quantumcumque contractum fuerit, a rege licentia non petita, contrahentibus, aut alterutri eorumdem, vel parentibus, consanguineis, sive amicis ipsorum in personis, aut rebus impedimentum, dispendium, vel gravamen aliquod irrogetur, nulla in praemissis constitutione vel consuetudine contraria de caetero valitura.

De inquisitionibus faciendis;

§ 21. Providendo praecipimus, ut si quando in regno praedicto contra certam personam fuerit inquisitio facienda, nisi ea praesente, vel se per contumaciam absentante, non fiat. Si vero praesens fuerit, exhibeantur sibi capitula, super quibus fuerit inquirendum, ut sit ei defensionis copia et facultas.

§ 22. Simili provisione praecipimus, ut pro generalibus inquisitionibus nihil vel sub compositionis colore, vel alias ab universitatibus exigatur, sed si procedendum fuerit, iuste procedatur ex eis, praesertim cum dictus rex Carolus id statuisse dicatur.

Causisque inter fiscum et privatos.

§ 23. Huiusmodi praecepto adiicimus, ut quoties inter fiscum et privatum causam moveri contingit, non solum in examinando iura partium, sed et ad diffinitivam sententiam iuste ferendam sive pro privato, sive pro fisco, nec non et ad

ipsius exequtionem, nulla in hac difficultate ingerenda, per fiscum efficaciter procedatur: ita quod nec in praedicto examine, nec in prolatione vel exequtione sententiae iniustam moram, vel aliam iniuriam patiatur per fisci potentiam iustitia privatorum.

Forestae in terris privatorum non faciendae.

§ 24. Providendo districtius inhibemus, forestas per regem, aut magnates suae curiae, vel officiales, seu quoscumque ministros in terris fieri privatorum, vel aliquarum forestarum occasione per regiam curiam, magistros vel custodes forestarum ipsarum aliquem in cultura terrarum suarum, seu etiam perceptione fructuum impediri, sive ipsis propter hoc damnum aliquod vel iniuriam irrogari; factas vero de novo forestas huiusmodi omnino praecipimus amoveri.

De salinis Ecclesiis pertinentibus.

§ 25. Omnes Ecclesiae, seu ecclesiasticae, saecularesve personae regni Siciliae libere suis salinis utantur, et praesentis provisionis oraculo prohibemus, ne illis per regem, officiales, aut quoscumque ministros ipsius usus aut exercitium interdicatur earum; neque quisquam prohibeatur sal de salinis ipsis proveniens emere ab eisdem.

Abusus tolluntur.

§ 26. Abusiones castellanorum, per quas homines dicti regni ad portandum eis paleas, ligna et res alias, etiam sine pretio, cogebantur inviti, et iidem castellani de rebus, quae circa seu per castra eadem portabantur, pedagia exigebant, praesentis provisionis beneficio prohibemus.

De strenis.

§ 27. Eiusdem provisionis edicto praecipimus, ut pro literis regiis et sigillo nihil ultra ipsius regni antiquam consuetudinem exigatur, videlicet ut pro literis iustitiae, nihil omnino; pro literis vero gratiae, in qua non est feudi vel terrae concessio, nihil ultra quatuor tarenos auri ab impetrante solvatur, nulla in praemissis distinctione habita inter clausas literas et apertas. Pro literis autem super concessione feudi vel terrae confectis, nec non et pro privilegiis aliis, pro concessionis seu privilegii qualitate, ac benevolentia concedentis curiae satisfiat, dummodo tamen summam decem unciarum pro quolibet feudo integro concesso satisfactio non excedat: sed nec praetextu sigilli regii iustitiae sive gratiae literis in aliquo casuum praedictorum impressi vel appensi forsitan impetrans ultra quam praemittitur solvere compellatur.

Animalia regio nomine capi vetita.

§ 28. Animalia deputata molendinis, quae Centimuli vulgariter nuncupantur, per regalem curiam, vel officiales, aut ministros ipsius, eamve sequentes, stipendiarios, vel quoscumque alios nullo modo ad aliquod eorum ministerium dominis capiantur invitis, nec alia etiam, sed pro competenti pretio, de quo conventum fuerit inter partes, a volentibus conducantur: et haec ita de caetero praecipimus observari, maxime cum idem rex statuisse dicatur, quod iustitiarii et subofficiales eorum, ac stipendiarii et subofficiales eorum non capiant animalia deputata ad Centimulos, sed cum est necesse, inveniantur animalia alia habilia ad vecturam et loerium (1) conveniens; et si contra fecerint, restitutis animalibus, cum toto damno eorum dominis, poenae nomine et pro qualibet vice et quolibet animali solvant curiae unciam auri unam.

§ 29. Praemissam quoque constitutionem dicti regis similiter observari praecipimus.

Idonei officiales a rege creandi.

§ 30. De creatione officialium praesertim extraneorum, qui propter ignorantiam status regni, et favorem, qui eis a regali curia praestabatur, subditos impune gravabant, consulte suggerimus, quod rex creare studeat officiales idoneos, qui subditos iniuste non gravent.

Monitus rex querentibus aditum praebeat.

§ 31. Super eo quod regnicolae querebantur, videlicet quod eis gravatis pro relevationis obtinendo remedio ad regem aditus non patebat, suademus per regem taliter provideri, quod querelae subditorum ad eum valeant libere pervenire.

§ 32. Prohibemus, ne quisquam pro

(1) *Loerium* (gallice *loyer*) pretium conductionis (Ducange).

Aliae provisiones.

animali silvestri, extra defensam vel limites defensae invento, sine aliqua invenientis impulsione, arte vel fraude, aliquatenus puniatur, etiam si illud capiat vel occidat.

§ 33. Nullus comes, baro, vel alius in regno praedicto de caetero compellatur ad terridas (1) vel alia quaecumque vassella propriis sumptibus facienda: per haec autem iuri regio in lignaminibus et marinariis vel alio servitio vassellorum, quae a quibusdam universitatibus et locis aliis, sive personis singularibus dicti regni deberi dicuntur, nolumus in aliquo derogari.

Morientium procerum prolis clientela accipienda a rege.

§ 34. Si contigerit baronem aliquem mori, filio vel filia superstitibus aetatis, quae debeat cura balii gubernari, providendo praecipimus, quod rex alicui de consanguineis eius balium concedat ipsius, et quoad hoc inter consanguineos proximior, si fuerit idoneus, praeferatur.

Successionis ratio servanda in bonis fiduciariis.

§ 35. Si aliquem feudum a rege tenentem in capite, vel etiam subfeudatarium nullo haerede legitimo per lineam descendentem, sed fratre aut eius liberis superstitibus mori contingat, si decedentis feudum ab aliquo ex parentibus sibi et fratri communibus pervenerat ad defunctum, idem frater, aut ex liberis suis usque ad trinepotem ille, qui tempore mortis supererit defuncto proximior, in feudo succedat, habiturus illud cum onere servitii consueti, ad successionem feudi omnibus personis, feudatario aut subfeudatario defuncto simili gradu coniunctis, eodem ordine admittendis. In successione vero praemissa inter feudatarios et subfeudatarios viventes in regno, iure Francorum, sexus et primogeniturae praerogativa servetur, ut inter duos, eodem gradu feudatario defuncto coniunctos, foeminam masculus, et iuniorem maior natu praecedat, sive sint masculi sive foeminae concurrentes, nisi forsan duabus concurrentibus esset primogenita maritata, et iunior remanserit in capillo; tunc enim iunior, quae in capillo remanserat, primogenitae maritatae in successione huiusmodi praeferatur. Sed si, nulla remanente in capillo, duae vel plures fuerint maritatae, maiori natu ius primogeniturae servetur, ut alias in dicta successione praecedat. Si vero feudum, de quo agitur, non ab aliquo parentum processerat, sed inceperat a defuncto, tunc solus defuncti frater in eo succedat, nisi lex concessionis in praemissis aliud induxisset; et haec ita de caetero praecipimus observari, qualibet contraria consuetudine vel constitutione cessante.

De feudis quaternatis.

§ 36. Nullus subfeudatarius de feudo, quod ab aliquo feudatario regis tenet, compellatur ipsi regi servire, sed si aliquod aliud feudum ab ipso rege tenet in capite, pro eo sibi serviat, ut tenetur. Si contingat subfeudatarium crimen committere, propter quod publicanda fuerint bona eius, aut ipsum sine legitimis haeredibus fati munus implere, si feudum eius fuerit quaternatum, nihilominus immediatus dominus illud cum onere servitii consueti personae concedat idoneæ regi postmodum praesentandae, ut eius super hoc habeatur assensus: si vero quaternatum non fuerit, sic ad eumdem immediatum dominum revertatur, ut ipsum huiusmodi personae pro sua voluntate concedat, nec eam regi praesentare, aut eius super hoc requirere teneatur assensum. His itaque deinceps ex nostro praecepto servandis, constitutione vel consuetudine contraria non obstante.

De vassallis:

§ 37. Vassalli baronum per curiam vel officiales ipsius ad aliqua privata officia non cogantur, et si ea voluntarii subeant ratione debiti, ex huiusmodi officii receptione vel gessione contracti, vel delicti forsan in ea commissi, baronibus eorum dominis in bonis vassallorum ipsorum, vel aliis praeiudicium nullum fiat.

Et magistris iuratis.

§ 38. In terris Ecclesiarum, comitum et baronum regni praedicti magistros iuratos poni de caetero prohibemus, et positos exinde praecipimus amoveri.

§ 39. Ad novas communantias vassalli

(1) Navis onerariae species (Ducange).

Novae servitutes non imponendae:

baronum vel aliorum ire non compellantur inviti, sed nec voluntarii admittantur, si sint ascriptitiae similisve fortunae, vel ratione personae, non rerum tantum personalibus servitiis obligati. Si vero ratione rerum tantummodo huiusmodi servitiis teneantur et ad easdem communantias transire voluerint, res ipsas dominis suis sine contradictione dimittant.

§ 40. Barones, vel alii extra regnum nec servire personaliter, nec adiumenta praestare cogantur. In casibus quoque, in quibus intra regnum servire vel adiumenta praestare tenentur, servitia exhibeant et adiumenta praestent antiquitus consueta, videlicet ut vel tribus mensibus personaliter serviant cum numero militum debitorum, vel pro singulis militibus, ad quos tenentur, pro quolibet trium mensium praedictorum tres uncias et dimidiam auri solvant. Et haec ita de caetero inconcusse de nostro praecepto serventur.

Provocandi ad Sedem Apostolicam facultas Siculis data.

§ 41. Caeterum ut contra pericula, quae, sicut praetactum est, propter gravamina illata subditis excitata creduntur, ne, quod absit, recidant in tanto periculosius recidivum, quanto recidenti solet esse deterius, quam cadenti; eo maior sit regnantibus in regno praedicto securitas, quominus erit libera eadem gravamina irrogandi facultas; provisioni praemissae subiungimus ad perpetuum sui roboris fulcimentum, quod si ventum fuerit in aliquo contra eam, licitum sit universitatibus, et gravato cuilibet libere ad Apostolicam Sedem habere pro sua querela exponenda et obtinenda illati gravaminis emendatione recursum: adiicientes inter illa, in quibus contra provisionem eamdem fieri contigerit, congrua distinctione delectum, videlicet ut si ea fuerint, quae per ipsam prohibitorie vel praeceptorie sunt provisa, et principaliter factum regnantis respiciunt, nec solent absque ipsius auctoritate praesumi, ut est collectarum impositio, monetae mutatio, matrimoniorum prohibitio, vel impedimentum aliud eorumdem; nisi rex eius temporis illa infra decem dies revocaverit per se ipsum, eo ipso cappella sua ecclesiastico sit supposita interdicto duraturo solum quousque gravamen fuerit revocatum. In reliquis vero prohibitoriis et praeceptoriis, et specialiter si universitas, singularisve persona gravata volens propterea recurrere ad Sedem eamdem, per officiales regios, seu quoscumque ministros, vel quoslibet alios fuerit impedita, vel ipse, aut alius pro eis exinde damnum passi, nisi, satisfactione laesis praestita, impedimentum infra mensem, postquam ipse rex sciverit, revocetur, ex tunc sit cappella eadem similiter interdicta. In quolibet autem casuum praemissorum si regnans interdictum huiusmodi per duos menses sustinuerit animo contumaci, ab inde loca omnia, ad quae ipsum, uxorem vel filios suos declinare continget, donec ibi praesentes fuerint, simili subiaceant interdicto. Et si deinde per sex menses contumacia obstinata sustineat, ex tunc subditi ad mandatum Sedis eiusdem ipsis propterea faciendum in nullo sibi obediant, quandiu in huiusmodi obstinatione persistet.

Poenae regibus transgressuris obiectae.

Edictum, ut regnum inituri reges ad haec servanda se obstringant.

§ 42. Ad maiorem quoque provisionis huiusmodi firmitatem eidem illud specialiter adiicimus, quod quilibet rex Siciliae, quando iuramentum fidelitatis et homagii praestabit Summo Pontifici, solemniter eidem et Ecclesiae Romanae pro se, ac suis haeredibus in regno sibi successuris eodem promittere teneantur, quod provisionem praesentem in omnibus et per omnia, quantum in eis erit, observabunt inviolabiliter, et facient ab aliis observari; nec contra eam vel aliquam partem ipsius per se vel per alium quoquomodo aliquid attentabunt, et super hoc tam ipse, quam quilibet eorumdem successorum dent ipsis Pontifici et Ecclesiae suas patentes literas sui pendentis sigilli munimine roboratas. Licet autem praemissae provisionis verba gra-

vamina certa respiciant, de quibus ad nos querela pervenit, reges tamen, qui continuanda temporum et successionum perpetuitate regnabunt in regno praedicto, non propterea extiment gravandi alias subditos arbitrium sibi fore concessum; sed sciant potius debere ipsos in bono statu tenere ab omnibus illicitis exactionibus, et indebitis eorum oneribus per se ac per alios abstinendo. Sane si quod in eadem provisione, vel aliquo eius articulo dubium, non tam sollicitam, quam rationabilem dubitationem continens, oriri contingat, interpretationem dubii huiusmodi nobis, quamquam etiam de iure competat, reservamus expresse.

Roboratio huiusce constitutionis.

§ 43. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis, constitutionis, inhibitionis, praecepti, declarationis, abolitionis et abrogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Honorii PP.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus.

et S. R. E. cardinalium subscriptiones.

Ego Ordonius Tusculanus episcopus.

Ego frater Bentevenga Albanen. episc.

Ego frater Latinus Ostien., Velletren. episcopus.

Ego frater Hieronymus Praenestin. episcopus.

Ego Bernardus Portuen. et S. Rufinae episcopus.

Ego Ancherus tituli S. Praxedis presbyter cardinalis.

Ego Hugo tituli S. Laurentii in Lucina presb. cardinalis.

Ego Gervasius tituli S. Martini presb. cardinalis.

Ego Comes tituli Ss. Marcellini et Petri presb. cardin.

Ego Gaufridus tit. S. Susannae presb. cardinalis.

Ego Gottifridus S. Georgii ad Vel. Aur. diac. card.

Ego Iordanus S. Eustachii diac. card.

Ego Iacobus Sanctae Mariae in Via Lata diac. cardin.

Ego Benedictus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Datum Tibure per manum magistri Petri de Mediolano S. R. E. vicecancellarii, quintodecimo kalendas octobris, indictione quartadecima, Incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, pontificatus vero domini Honorii Papae quarti anno I.

Dat. die 17 septembris 1285, pont. anno I.

---

## III.

*Subsequitur confirmatio constitutionis editae a Carolo II Siciliae rege pro tuitione ecclesiasticorum, rerumque ad eos pertinentium* (1).

SUMMARIUM

1. De persolvendis decimis. — 2. De clericis non trahendis ad forum saeculare: — 3. De immunitate ecclesiastica. — 4. De libertate domorum ecclesiasticorum ab invito hospitio. — 5. De provisionibus liberis beneficiorum. — 6. De immunitate clericorum ab exactionibus. — 7. De possessionibus Ecclesiis donandis. — 8. De vassallis Ecclesiarum. — 9. De tuendis iuribus Ecclesiarum. — 10, 11, 12, 13, 14, 15. Aliae constitutiones. — 16. Clausulae.

**Honorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

De persolvendis decimis.

§ 1. Dilectus filius nobilis vir Carolus clarae memoriae Caroli regis Siciliae primogenitus tunc princeps Salernitanus, et eiusdem regis in regno Siciliae vicarius generalis, tamquam vir catholicus de genere ortus christianissimo devotam ad Deum, et ipsius Ecclesias mentem gerens eiusdem generis vestigia imitatus pro bono statu Ecclesiarum regni praedicti, et ad conservationem iurium earumdem inter caetera, licet sub alio forsan verborum schemate, dicitur statuisse

(1) Ex Regest. Archiv. Vatic.

et mandasse inviolabiliter observari, quod decimae, quae debebantur Ecclesiis et personis ecclesiasticis regni eiusdem, catholicorum regum Siciliae temporibus, et debentur, et recipi ab Ecclesiis consueverunt eisdem, ipsis Ecclesiis sine difficultate, obstaculo ac morae dispendio persolvantur: scilicet, quae debentur in pecunia, in festo Pentecostes, et alia, quae debentur in frumento, et aliis victualibus, vino, oleo seu fructibus aliis, illis temporibus, quibus percipiuntur. Et si aliqua sint, quae certis diebus persolvi consueverunt, die debita persolvantur. Et ne de hoc Ecclesiae vel personae ecclesiasticae necesse habeant, singulis annis a curia literas impetrare statuit, quod sub poena dupli eius, quod pro decimis vel aliis iuribus personis vel Ecclesiis, quibus secundum ordinationem praemissam solutum non fuit, debetur. Secreti seu magistri procuratores ac magistri Salis, bailivi vel alii officiales, qui eas debent persolvere tam praesentes, quam futuri, teneantur ea integraliter solvere, secundum quod superius est distinctum, nullo inde mandato alio expectato. Item quod comites, barones et caeteri, qui tenentur ad decimas, et iura alia Ecclesiis vel personis ecclesiasticis pro bonis, quae tenent, ea teneantur solvere suis temporibus, quibus hactenus extitit consuetum; adiiciens, quod ad hoc auctoritate sui statuti super hoc editi ad requisitionem personarum, quibus debentur, per iustitiarios provinciae compellantur, quodque solvantur a baliis quibuscumque, a quibus bona pupillorum, terras et feuda tenentium procurantur, sive baliatus curia teneat, sive alii sint commissi, sive terrae vel feuda aliquorum occasione delicti, vel quacumque alia causa per curiam teneantur.

De clericis non trahendis ad forum saeculare:

§ 2. Item quod clerici nisi pro bonis feudalibus prout continetur in conventionibus inter dictum regem et Romanam Ecclesiam habitis, ad iudicia saecularia non trahantur.

De immunitate ecclesiastica.

§ 3. Item quod Ecclesiae in toto regno praedicto gaudeant privilegio eis per communia iura indulto, scilicet quod rei, qui ad eas confugiunt, abinde non extrahantur inviti, nisi in casibus a iure permissis.

De libertate domorum ecclesiasticorum ab invito hospitio.

§ 4. Item quod domus praelatorum, religiosorum et aliarum ecclesiasticarum personarum sine voluntate ipsorum, causa hospitandi, ab officialibus vel aliis personis, eis invitis, nullatenus capiantur, et si de voluntate ipsorum praelatorum, religiosorum vel aliarum personarum ecclesiasticarum recepti fuerint, ibi criminalia iudicia exercere aliquatenus non praesumant; nec lectos vel res eorum contra voluntatem ipsorum accipiant: et si secus factum fuerit, post emendationem, et restitutionem damni, si comes fuerit, vel baro, qui contrafecerit, teneatur ad poenam duodecim unciarum auri, si simplex miles, ad sex, et si burgensis, ad tres.

De provisionibus liberis beneficiorum.

§ 5. Item quod officiales, comites, barones vel aliae quaecumque personae laicales non intromittant se de electionibus praelatorum vel collationibus praebendarum seu quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum directe vel indirecte, nec de aliis ad spiritualia pertinentibus, nisi quantum ratione iurispatronatus aliquibus competit, vel ex privilegio est concessum. Nec propter praelatos, capitula Ecclesiarum, seu conventus piorum locorum, ipsorum consanguinei vel vassalli quomodolibet molestentur.

De immunitate clericorum ab exactionibus.

§ 6. Item quod clerici, qui clericaliter vivunt, in collectis et exactionibus aliis quibuscumque, nec pro bonis ecclesiasticis, nec pro patrimonialibus de portionibus eos legitime contingentibus cum aliis teneantur.

De possessionibus Ecclesiis donandis.

§ 7. Item quod res et possessiones, quae non sunt in aliquo curiae vel alii obligatae, dari et donari possint Ecclesiis, et legari; sed si ea obligatione tenentur, propter quam datio, donatio vel legatio de iure impediri non possit, hoc casu

res et possessiones huiusmodi praefatis titulis cum onere suo ad Ecclesias transferantur.

De vassallis Ecclesiarum.

§ 8. Item quod vassallis Ecclesiarum, qui ea, quae habent, ab Ecclesiis tenent et sunt eisdem Ecclesiis ad servitia personalia obligati, officia per curiam, comites, barones vel alios sine ipsorum praelatorum licentia nullatenus committantur.

De tuendis iuribus Ecclesiarum.

§ 9. Item quod privilegia et iura concessa Ecclesiis et personis ecclesiasticis a catholicis et antiquis regibus Siciliae, in quorum possessione sunt, serventur illaesa. De illis vero, in quorum possessione non sunt, fiat eis sine difficultate iustitia in curia competenti.

Aliae constitutiones.

§ 10. Item quod officiales et commissarii curiae possessiones et res, quae ab Ecclesiis possidentur, non auferant, nec in ipsis easdem Ecclesias contra iustitiam perturbare praesumant.

§ 11. Item quod officiales seu saeculares personae se nullatenus intromittant ad cognoscendum de aliquo crimine ecclesiastico, nec impediant praelatos, aut ipsorum officiales, quin de huiusmodi crimine libere cognoscant et puniant, ut iuris est.

§ 12. Item quod iustitiarii vel alii officiales vassallos Ecclesiarum coram se, vel ad ipsorum iudicia in civilibus trahere non praesumant.

§ 13. Item quod praelati Ecclesiarum, ecclesiasticae personae ac officiales ipsarum vassallos earum debitores suos possint, prout eis competit, compellere ad satisfaciendum sibi de debitis et iuribus earumdem, contradictione aliqua illegitima non obstante.

§ 14. Item, licet idem princeps statuerit aliqua de vassallis Ecclesiarum eis ad personalia servitia obligatis, si forsan a terris, in quibus morari debent, aufugerint, per praelatos et personas ecclesiasticas revocandis; nos tamen dicimus distinguendum, ut si ratione personae ad huiusmodi servitia teneantur, possint, si recesserint, legitime revocari. Si vero tenentur rerum tantummodo ratione, et recedere voluerint, res ipsas Ecclesiis et personis eisdem omnino dimittere compellantur.

§ 15. Item quod iudæis, qui sunt Ecclesiarum vassalli, nulla committantur officia, nec eis alias oppressiones vel gravamina inferantur. Nos itaque cum fratribus nostris deliberatione habita, praemissa in favorem Ecclesiarum Dei et ministrorum ipsius attendentes inducta, de ipsorum fratrum consilio et assensu ac plenitudine potestatis, ea firmitatis perpetuae robur statuimus obtinere, ipsaque praecipimus perpetuis temporibus inviolabiliter observari.

Clausulae.

§ 15. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis atque praecepti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus.

(*Sequuntur nomina cardinalium prout in praecedenti*).

Datum Tibure per manum Petri magistri de Mediolano S. R. E. vicecancellarii quintodecimo kalendas octobris, indictione quartadecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, pontificatus vero domini Honorii Papae IV anno I.

Dat. die et anno eodem.

---

## IV.

*Monasterium S. Silvestri in Capite de Urbe conceditur nonnullis piis foeminis ut inibi vivant secundum regulam S. Clarae* (1).

(1) Ex Regest. Vatic.

SUMMARIUM

1. Moniales commendantur, ac praecipue Margarita Columnensis. — 2. Earumdem petitio. — Episcopo Praenestino committitur ut regulam postulatam concedat. — 4. Monasterium donatum cum omnibus pertinentiis. — 5. FF. Minores in monialium obsequium destinati. — 6. Monasterium immediate subiectum Sedi Apost. — 7. Clausulae.

**Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Herminiae abbatissae monasterii Sancti Silvestri in Capite de Urbe, eiusque sororibus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.**

Moniales commendantur, ac praecipue Margarita Columnensis.

§ 1. Ascendit fumus aromatum in considerationis nostrae conspectu fide dignorum assertione diffusus de fama et conversatione vestra laudabili, de meritis commendabilium processuum vestrorum merito laudandis, de actibus virtuosis. Fragrat enim in Domo Domini, audientium mentes multo reficit gaudio, multo replet odore, quod, sicut intelleximus, quondam Margarita de Columna, divitiis et nativa proprii generis nobilitate contemptis, caeterisque saeculi huius abnegatis illecebris, prudenter elegit Christo pauperi humiliter in paupertate servire, Ipsique velut apes argumentosa deserviens, vos ad id suo commendabili provocavit exemplo: sicque vota vestra inspirante Domino, ac vias misericorditer dirigente, vos consultius attendentes quod transit mundus, transeunt et concupiscentiae eius, fallaces illius blanditias repudiando, prudentius decrevistis vobis ipsum crucifigere et vos ipsi, aliquibus ex vobis ab adolescentia, nonnullis etiam sub religioso habitu ab infantia, licet nulli adhuc observantiae specialis essetis religionis astrictae, gratum exhibentibus Domino famulatum.

Earumdem petitio.

§ 2. Demum vero praevenientis gratiae vos prosequente virtute, in illud robur animi, sicut speratur, erectae, ut constanter proponatis habere pro minimo, sive hostis aspera turbidus insaeviat, sive mundus prospera mentitus illudat, desiderantes in castris claustralibus sub observantia ordinis Sororum Minorum Inclusarum dimicare securius contra hostiles incursus, supplicastis humiliter regulam concessam eidem ordini a felicis recordationis Alexandro, et correctam et approbatam a piae memoriae Urbano, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, nec non locum ipsius observationi congruum vobis per Sedem Apostolicam misericorditer assignari.

Episcopo Praenestino committitur ut regulam postulatam concedat.

§ 3. Nos autem vestris petitionibus saluti animarum vestrarum accommodis benevolo concurrentes assensu, venerabili fratri nostro Hieronymo Praenestino episcopo ad suam dioecesim, ubi tunc temporis in Monte Praenestino habitabatis, et adhuc habitare dicimini sub decenti clausura, personaliter accedenti, viva voce commisimus, ut vobis petitam regulam assignaret, et a vobis recipiens regulae professionem eiusdem, abbatissam per vos, sicut in eadem conceditur regula, eligendam auctoritate apostolica confirmaret: qui votis vestris cum maturitate debita diligentius exquisitis, vos constantes in praemisso proposito vestro comperiens, assignavit vobis regulam memoratam, et ipsius, id a vobis instanter petentibus, professione recepta, teque, dilecta in Christo filia Herminia, in abbatissam per viam scrutinii electa concorditer, electionem huiusmodi, quia eam invenit canonicam, et de persona idonea celebratam, auctoritate sibi a nobis in hoc tradita confirmavit.

§ 4. Sane facta nobis per eumdem episcopum ad nostram praesentiam redeuntem super huiusmodi suo processu relatione fideli, nos processum ipsum provide habitum ratum et gratum habentes, et auctoritate apostolica confirmantes, ac volentes iuxta praemissae vestrae petitionis instantiam de loco vobis

congruo providere, monasterium Sancti Silvestri in Capite de Urbe ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, hactenus ordinis Sancti Benedicti, vacans per translationem sui abbatis ad monasterium Sancti Laurentii foris muros Urbis ordinis supradicti, monachis ipsius monasterii Sancti Silvestri alibi, prout eorum saluti expedire putavimus, collocatis: quod quidem monasterium Sancti Silvestri non facile poterat de personis eiusdem ordinis reformari, quia ipsum consideravimus habitationi vestrae, nec non observationi eiusdem vestri ordinis congruum, vobis de fratrum nostrorum consilio ex speciali gratia cum domibus, hortis, vineis, terris, casalibus, possessionibus, vassallis et omnibus aliis bonis, privilegiis, immunitatibus et quibuslibet suis pertinentiis et iuribus duximus concedendum: statuentes ipsum monasterium Sancti Silvestri in Capite ordinis Sororum Minorum Inclusarum de caetero nominandum: et quod idem ordo vester inibi perpetuis temporibus observetur, et tam vos, quam vobis in eodem monasterio successurae libere uti possitis omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus et gratiis eidem ordini vestro ab Apostolica Sede concessis: et idem monasterium S. Silvestri nobis et ipsi Ecclesiae Romanae subiectum immediate remaneat, sicut erat.

**Monasterium donatum cum omnibus pertinentiis.**

§ 5. Volumus quoque, quod quatuor fratres ordinis Minorum, experientia longa probati, perpetuo in eodem monasterio seorsum continue maneant ad divina celebranda vobis officia, et ministranda ecclesiastica sacramenta: quodque omnia et singula ea, quae vobis ex institutione vestrae regulae tam circa electionem abbatissae, quam circa quaecumque alia, nec non et illa, quae ordini praefato Minorum, vel personis ipsius ex eadem institutione in monasteriis saepefati ordinis vestri competunt, vobis ac eidem ordini Minorum et personis integra et illibata remaneant, nec illis pro eo, quod idem monasterium Sancti Silvestri remanet nobis et Ecclesiae Romanae, ut praemittitur, immediate subiectum, detrahatur in aliquo, seu aliquatenus derogetur.

**FF. Minores in monialium obsequium destinati.**

§ 6. Caeterum vobis praesentium tenore concedimus, ut ad idem monasterium Sancti Silvestri nulla alia expectata vel petita licentia transeatis: adiicientes expressius, quod si contingat saepefatum monasterium vestrum Sancti Silvestri a personis eiusdem vestri ordinis deseri et pro derelicto haberi, monasterium ipsum cum omnibus bonis suis, pertinentiis et iuribus supradictis volumus in nostra, successorum nostrorum Romanorum Pontificum ac eiusdem Romanae Ecclesiae dispositione libera remanere.

**Monasterium immediate subiectum Sedi Apostolicae.**

§ 7. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, concessionis, constitutionis et mandati nostri infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis *etc.*

**Clausulae.**

EGO HONORIUS catholicae Ecclesiae episcopus.

*(Sequuntur nomina aliorum dd. Card. qui constitutionem eamdem subscripserunt).*

Datum Tibure per manum magistri Petri de Mediolano sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, octavo kalendas octobris, indictione quartadecima, incarnationis dominicae anno MCCLXXXV, pontificatus vero domini Honorii Papae IV anno I.

Dat. die 24 septembris 1285, pont. anno I.

---

## V.

*Damnatio sectae sub nomine Ordinis Apostolorum, nulla habita Sedis Apostolicae licentia, temere introductae.*

SUMMARIUM

Gregorius X vetuit novas institui religiones (in c. 1 *De Relig. don.*, 1, n. 6). — 1. Quidam tamen religionem sub nomine Ordinis

Apostolorum induxerunt multa mala patrantes. — 2. Hic ergo Pontifex eos damnat. — 3. Haec constitutio populis declaranda.

**Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus patribus, universis archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis cathedralium Ecclesiarum electis, et vicariis earumdem, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Gregorius X vetuit novas institui religiones (in c. 1 De Relig. don., 1, n. 6).

Olim fel. recor. Papa Gregorius X praedecessor noster, in concilio Lugdunensi, omnes religiones et ordines Mendicantium adinventos post generale Lateranense concilium, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerunt, perpetuae prohibitioni subiecit: et quatenus processerant, revocavit.

Quidam tamen religionem sub nomine Ordinis Apostolorum induxerunt, multa mala patrantes.

§ 1. Verum sicut ad nostri apostolatus auditum, fama querula deferente, pervenit, quidam, qui post generale, et ante Lugdunense praedicta concilia sub nomine Ordinis Apostolorum habitum novae religionis assumpserunt, quamquam nullam aliquando confirmationem Sedis Apostolicae meruissent, prohibitionis ac revocationis praedictae temerarii praesumptores eumdem habitum, seu ei consimilem sub eodem nomine usque hodie deferentes, quamplures etiam alii, assumpto post dictum Lugdunense concilium huiuscemodi habitu, per diversas mundi partes mendicando discurrere non verentur, facientes ea quae non condecent, in animarum suarum periculum, et grave scandalum plurimorum: praesertim cum nonnulli pravitatis haereticae vitio laborantes sub huiusmodi habitu sint inventi.

Hic ergo Pontifex eos damnat.

§ 2. Nos igitur volentes, talium praevaricatorum insolentem audaciam refraenari, et praedictam non tam religionem, quam perniciosam sectam penitus aboleri, ne forte fidelium simplices falsa sanctitatis eorum imagine seducantur, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus quoscumque de praedictis in vestris civitatibus et dioecesibus inveniri contigerit, eos ad deponendum huiusmodi habitum, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, monentes eosdem, ut si religiosam vitam ducere cupiunt, ad aliquam se transferant de religionibus approbatis. Quod si aliqui eorum censuram praedictam contempserint, vos contra ipsos ad poenam carceris, seu aliam, prout expedire videritis, procedatis, invocato adversus eos, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Haec constitutio populis declaranda.

§ 3. Caeterum ut praedicti eo facilius a sua insolentia compescantur, quo magis a Christi fidelibus abiici se viderint et contemni: volumus nihilominus, quod huiusmodi processum nostrum, in vestrarum civitatum et dioecesum terminis, iteratis vicibus publicantes ac facientes per aliquos publicari, eosdem populos auctoritate nostra moneatis et inducatis attente, ne aliquem de praedictis praefatum habitum deferentibus recipere praesumant in hospitio, vel eis aliquas eleemosynas largiantur; nec ad deferendum habitum illum, seu ei consimilem impendant consilium, auxilium vel favorem.

Dat. Romae apud S. Sabinam, 5 id. martii, pont. nostri anno primo.

Dat. die 11 martii 1286, pont. anno I.

---

## VI.

*Quod filii et nepotes eius, qui de haeresi inquisitus et absolutus fuit, ad officia et beneficia admitti possint* (1).

### SUMMARIUM

1. Romani Pont. frequenter inquisitoribus commiserunt haereticos et fautores, eorumque filios et nepotes beneficiis et officiis privari. — 2. Quidam Philippus, inquisi-

(1) Haereticorum filios omnibus officiis et dignitatibus privatos voluit Innocentius IV constit. II, tom. III, pag. 503. Huic vero poenae subiiciendos esse filios illorum haereticorum, quos poenitentiam egisse constiterit, declaravit Alexander IV, constit. XLVI, § 2, tomo eodem, pag. 663.

tus et emendatus fuit, et tamen Communitas Spoleti nolebat admittere ad officia Archionum eius filium, neque ipsius natos. — 3. Hic tamen Pont. iubet eos admitti constito esse fideles.

**Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio fratri Galgano de Eugubio, ordinis fratrum Minorum inquisitori haereticae pravitatis in ducatu Spoletano, salutem et apostolicam benedictionem.**

Romani Pontifices frequenter inquisitoribus commiserunt haereticos et fautores, eorumque filios et nepotes beneficiis et officiis privari.

Exhibita nobis dilecti filii Archioni militis nati quondam Philippi dicti Palmerii militis Spoletani petitio continebat, quod olim significantibus fel. rec. Alexandro Papae praedecessori nostro inquisitoribus pravitatis haereticae per Italiam deputatis, quod frequenter a Sede Apostolica committebatur eisdem, ut tam haereticos, credentes, fautores et receptatores haereticorum, quam ipsorum filios et nepotes privandi dignitatibus, personatibus et officiis publicis et beneficiis ecclesiasticis, de dioecesanorum, vel eis absentibus, vicariorum suorum consilio haberent liberam potestatem; et qualiter hoc deberet intelligi postulantibus declarari, praefatus praedecessor eisdem inquisitoribus per suas duxit literas respondendum, quod de filiis et nepotibus illorum haereticorum, credentium et aliorum huiusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videbatur, non autem illorum, quos emendatos esse constaret, ac pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiae poenitentiam recepisse, quam ipsi, vel iam perfecerant, vel humiliter prosecutioni eius instarent, vel parati fuerant, dum viverent, ad recipiendum eamdem.

Quidam Philippus, inquisitus et emendatus fuit, et tamen Communitas Spoleti nolebat admittere ad officia Archionum eius filium, neque ipsius natos.

§ 2. Verum licet inquisitor pravitatis huiusmodi, tunc in partibus illis per Sedem Apostolicam deputatus, memoratum Philippum, qui sibi confessus extitit, quod cuidam haeretico reverentiam fecerat, quaedam contra fidem proferendo catholicam, privaverit bonis suis, ac idem Philippus iniunctam sibi propter hoc ab eodem inquisitore poenitentiam perfecerit reverenter, ac tandem sicut vere catholicus, receptis ecclesiasticis sacramentis, viam fuerat universae carnis ingressus, et ab inquisitore praefato etiam absolutus, tamen potestas, consilium et commune Spoletanum dictum Archionum eiusque filios, occasione praemissorum, ad officia civitatis Spoletanae pro sua recusant admittere voluntate. Quare praelibatus Archionus nobis humiliter supplicavit, ut nos misericorditer attendentes, quod idem Philippus, sicut praemittitur, tamquam vere catholicus et fidelis Ecclesiae Romanae decessit, eumdem Archionum et filios eius decernimus (1), iuxta praemissum eiusdem praedecessoris responsum, in aliquo puniri occasione huiusmodi non debere; sed eos ad omnia saecularia officia et beneficia ecclesiastica et dignitates, ac ad omnes ordines, impedimento huiusmodi non obstante, potius admittendos.

Hic tamen Pontif. iubet eos admitti constito esse fideles.

§ 3. Quia igitur de facto huiusmodi et eius circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem: nos gerentes de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, praesentium tibi auctoritate committimus et mandamus, ut si diligenti inquisitione praemissa, praedicta inveneris veritate fulciri, et tibi etiam constiterit, quod praefati Archionus et filii non sint de haeretica pravitate suspecti, et in fidelitate ac devotione Ecclesiae supradictae persistant (super quibus omnibus tuam intendimus conscientiam onerare) auctoritate nostra denuncies et declares, quod propter praemissa, vel eorum occasione nihil eis possit obiici vel opponi, quin ad omnia saecularia officia et beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates existant, illis non obstantibus, assumi libere valeant: et hi, qui liberati esse noscuntur, ad omnes ordines promoveri, prout secundum Deum et honorem catholicae fidei videris expedire. Quicquid autem super his inveneris et duxeris faciendum, nobis per tuas patentes literas

(1) Forsan *decerneremus*.

harum seriem continentes fideliter studeas intimare.

Dat. Romae apud S. Sabinam, 5 calendas decembris, pontificatus nostri an. secundo.

Dat. die 27 novemb. 1286, pont. anno II.

---

# NICOLAUS IV

## PAPA CXCI

*Anno aerae Ch. comm. MCCLXXXVIII.*

Hieronymus, patria Asculanus in Piceno, antea frater ordinis Minorum S. Francisci, cuius fuerat minister generalis, postmodum S. R. E. cardinalis episcopus Praenestinus, electus est in Summum Pontificem die 22 februarii anno 1288, eademque die coronatus, Nicolaus voluit appellari. Sedit in pontificatu annos V, mensem I, dies XIII (1), imperantibus in Oriente Andronico, in Occidente vero Rodulpho rege Romanorum. Obiit siquidem die 4 aprilis 1292, et sepultus est in basilica S. Mariae Maioris. Vacavit sedes annos II, mens. III, diem I.

---

### I.

*Sanctae Agathae terram, aliaque castra et loca ad provinciam Massae Trabariae, non autem ad Romandiolae spectare declarat* (2).

SUMMARIUM

Massa Trabaria iuris Sedis Apost. — Causae declarationis. — Declaratio.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Massa Trabaria iuris Sedis Apost.

Cum inter alias provincias et terras Romanae Ecclesiae, quarum statum praeservari a noxiis et prospere dirigi peroptamus, de pacifico statu hominum Massae Trabariae, quae est Camerae Sedis Apostolicae demanium speciale, tanto teneamur propensius cogitare, quanto ipsos praerogativa favoris et gratiae prosequimur potiori; nos pia consideratione inducti, quod olim plerumque inter ipsius Massae et Romandiolae rectores dudum diversis temporibus in ipsis partibus per Sedem Apostolicam deputatos, super eo gravi contentione exorta, quod eorum alterutro asserente castra et tenimenta, quae dicuntur Sanctae Agathae, Silvae Planae, Billis, Raynerii de Monte Auriolo, Raynerii de Castaldeto, Hugolini, Piagnani, Maceratae, Gattariae, Vergnanti et Trivii, Wittoni et Savinae cum omnibus districtibus, curtibus, villis, iuribus, finibus et pertinentiis suis ad suam iurisdictionem spectare; homines ipsius Massae in quadam perplexitate positi nonnunquam damna gravia et pericula incurrerunt: et ideo cupientes ipsorum indemnitati praecavere, ac quieti paterna imposterum sollicitudine providere; volumus, et auctoritate apostolica declaramus statuentes, ut ex nunc in antea praedicta castra et tenimenta cum omnibus districtibus, curtibus, villis, iuribus, finibus et pertinentiis suis, nec non et omnes alii homines, et castra, quae infra fines ipsorum locorum existunt, sub iurisdictione ac dominio rectoris ipsius Massae, qui pro tempore fuerit inibi auctoritate apostolica deputatus, perpetuo maneant et consistant: ac eorumdem locorum homines sicuti incolae dictae Massae in omnibus et per omnia eidem rectori teneantur firmiter et efficaciter obedire.

Causae declarationis.

Declaratio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Reate, kalendis augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 1 augusti 1288, pontif. anno I.

(1) Inclusis extremis. (2) Ex Regest. Vatic.

II.

*Quod christiani ad iudaeorum ritum transeuntes, ipsique iudaei ad christianam fidem conversi, ad illum redeuntes, ab inquisitoribus uti haeretici, eorumque auxiliatores, puniantur: iudaei vero, christianos ad eorum ritum trahentes, poena debita compescantur* (1).

SUMMARIUM

Causae huius constitutionis. — 1. Sanctio contra christianos ad ritum iudæorum transeuntes, et iudaeos conversos ad illum redeuntes: — 2. Et contra iudaeos ad eorum ritum christianos inducentes.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum inquisitoribus haereticae pravitatis, auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, et imposterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Causae huius constitutionis.

Turbato corde audivimus et narramus, quod non solum quidam de iudaicae caecitatis errore ad lumen fidei christianae conversi, ad priorem reversi esse perfidiam dignoscuntur; verum etiam quamplurimi christiani, veritatem catholicae fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum iudaicum transtulerunt, quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate, securius blasphematur.

Sanctio contra christianos ad ritum iudaeorum transeuntes et iudaeos conversos ad illum redeuntes:

§ 1. Cum autem huic pesti damnabili, congruis et festinis deceat remediis obviare, universitati vestrae, per apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra haereticos, auctoritate Sedis Apost. designatos, super praemissis, tam per christianos quam etiam per iudæos, inquisita diligenter et sollicite veritate, contra omnes, quos talia inveneritis hactenus commisisse, aut committere in futurum, tamquam contra haereticos, contra fautores quoque, receptatores et defensores eorum procedere studeatis.

Et contra iudaeos ad eorum ritum christianos inducentes.

§ 2. Iudaeos autem, qui christianos utriusque sexus ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inveneritis de caetero inducentes, poena debita puniatis; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Dat. Reate, nonis septemb., pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 septembris 1288, pont. anno I.

(1) Eiusdem argumenti constitutiones ediderunt Clemens IV, const. XXIII, Greg. X, const. VII.

---

III.

*Certos proventus S. R. E. Cardinalibus assignat ex Romanae Ecclesiae redditibus* (1).

SUMMARIUM

Cardinalium dignitas. — Cum iis Ecclesiae vectigalia partitur. — 1. Pars pontificio fisco, pars Cardinalibus addicta, aequa inter eos portione dividenda. — 2. Conclusiones. — Nicolai PP. IV et cardinalium subscriptiones.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Cardinalium dignitas.

Caelestis altitudo potentiae clementi providentia cuncta disponens, voluit cum Summo Pontifice considere S. R. E. cardinales, ut ipsi tamquam membra eiusdem Ecclesiae capitis, ipsi capiti deservirent, et submissis humeris ad regendum universalis Ecclesiae firmamentum, operosa sedulitate cum ipso Summo Pontifice laborarent, et tam ipsius Ecclesiae, quam totius orbis incumbentia onera indefessis cum eo sollicitudinibus partirentur. Hi sunt, quos dilexit Dominus, et velut praecipuas et sublimes Ecclesiae praedictae columnas praerogativa sublimavit honoris. Horum coetus in orbe magnificus omnes et singulos quibuslibet titulis decoratos, excellit. Horum altitudo

(1) Ex Raynaldo ad ann. 1289, § 49.

consilii, et expertae circumspectionis industria circa dirigenda quaelibet et agenda salubriter afferre universaliter maiora commoda dignoscitur. Ac ideo reputantes incongruum, ut ipsi Cardinales tanta praediti dignitate, tantisque sollicitudinibus ac laboribus aggravati, qui ad ferendum nobiscum tantorum sarcinam onerum nobis incumbentium ex apostolicae officio servitutis, dies laboriosos agunt, noctesque perducunt insomnes, reddantur eiusdem Romanae Ecclesiae proventuum et reddituum, ac prosperitatis expertes, cui communicant in diversis; conspicientes quoque in nonnullis regnis, provinciis, insulis, lacubus, civitatibus, terris et locis Ecclesiae memoratae ubilibet constitutis iura et iurisdictiones ipsius Ecclesiae multae hactenus negligentiae patuisse, et alias multis exposita fuisse dispendiis per occultatores et occupatores multiplices, qui ad ea manus illicitas extenderunt; dignum duximus, ut praedictos Romanae Ecclesiae universos fructus, redditus et proventus, quos in Siciliae et Angliae, aliisque quibuslibet regnis, Sardinia, Corsica, aliisque insulis; nec non in Marchia Anconitana, provincia Romaniolae, ducatu Spoletano, terra Arnulforum, patrimonio B. Petri in Tuscia, Campania et Maritima, Sabinia, Massa Trabaria, Carfagnana, comitatu Venesini, civitate Beneventana, ac aliis terris et locis, et censibus praedictorum eadem Ecclesia obtinere dignoscitur, Cardinales ipsi modo participent infrascripto, firmam habentes fiduciam, quod de caetero per eorum sollicitudinem, diligentiam, et considerationem expertam favorisque praesidium, in eisdem locis et terris fidelium crescet devotio, iustitia plenius reddetur, et aequitas diligentiori studio habita servabitur; occupata et alienata in statum debitum reducentur, et restaurabuntur etiam dissipata; ita quod huiusmodi participatio magni honoris et utilitatis pariter sit incrementum.

Cum iis Ecclesiae vectigalia partitur.



Pars pontificio fisco, pars cardinalibus addicta, aequa inter eos portione dividenda.

§ 1. Quare, de communi fratrum nostrorum consilio et assensu, praesenti sanctione statuimus et decernimus de plenitudine apostolicae potestatis, ut de universis fructibus, redditibus, proventibus, mulctis, condemnationibus et censibus supradictis fiat divisio in duas partes, quarum una Papali Camerae semper cedat, reliqua vero inter Cardinales eosdem aequaliter dividatur, quodque partem huiusmodi praedictorum fructuum, reddituum, proventuum, mulctarum, condemnationum et censuum Collegium Cardinalium eorundem percipiat iure suo. Ut autem praedicta successivis temporibus salubrius et utilius valeant effectui mancipari, sancimus, ut institutio et destitutio rectorum, qui præerunt locis et terris praedictis et quorumcumque etiam aliorum fructuum, dictorum reddituum et proventuum, mulctarum, condemnationum et censuum collectorum fiat de consilio Cardinalium praedictorum.

Conclusiones.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, statuti, mandati, sanctionisque infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Nicolai PP. IV et cardinalium subscriptiones.

Ego Nicolaus catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Gerardus Sabinensis episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Tusculanus episcopus subscripsi.

Ego frater Matthaeus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli Sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Iacobus Sanctae Mariae in Via Lata diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Neapoleo Sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Fr. Latinus Ostiensis et Velletrensis episcopus subscripsi.

Ego Bernardus Portuensis, et Sanctae Rufinae episcopus subscripsi.

Ego Berardus Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego frater Hugo tit. Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Matthaeus Sanctae Mariae in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Benedictus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Reate per manum magistri Ioannis decani Baiocensis, S. R. E. vicecancellarii, decimo quinto kalendas augusti, indictione secunda, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo octuagesimo nono, pontificatus vero domini Nicolai Papae quarti anno secundo.

Dat. die 18 iulii anno Domini 1289, pontif. anno II.

## IV.

*Approbatio Tertiae Regulae fratrum et sororum Tertii Ordinis a B. Francisco institutae, pro saecularibus in propriis domibus viventibus, Tertiariis nuncupatis* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Cap. I. Examen recipiendorum. — II. De receptione ad probationem et professionem, ac stabilitate in ordine. — III. De habitu et indumentis fratrum et sororum. — IV. De spectaculis et conviviis vitandis. — V. De ieiuniis. — VI. De Confessione et Communione. — VII. De armorum delatione. — VIII. De horarum recitatione et aliis orationibus. — IX. De testamentis. — X. De pace. — XI. De vexatione contra privilegia. — XII. De iuramentis. — XIII. De missa audienda et congregatione facienda. — XIV. De infirmis et exequiis defunctorum. — XV. De officiis recte administrandis. — XVI. De correctione delinquentium. — XVII. De litigiis vitandis. — XVIII. De dispensatione circa abstinentias. — XIX. De incorrigibilibus. — XX. De non observantibus regulam. — Sanctio poenalis.

(1) Nonnullas Ordinem hunc concernentes constitutiones se praetermisisse, asserit Cherubinus: illam enim in viridi esse vult, quae legitur in Leone X incipien., *Dum infra*. Hanc vero Cherubini exemplo non omittendam putavi.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus, et dilectis in Christo filiabus sororibus ordinis fratrum de Poenitentia, tam praesentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Supra montem catholicae fidei, quam populis gentium, qui ambulabant in tenebris, discipulorum Christi sincera devotio igne caritatis exaestuans, verbo solicitae praedicationis edocuit, quamque Romana tenet et servat Ecclesia, solidum christianae religionis positum noscitur fundamentum, nullis umquam concutiendum turbinibus, nullis quassandum fluctibus tempestatum. Haec est etenim recta, veraque fides, absque cuius consortio nemo in cospectu Altissimi acceptus redditur, nemo gratiosus occurrit. Haec est, quae salutis semitam praeparat, et felicitatis aeternae praemia gaudiaque pollicetur. Ideoque gloriosus Christi Confessor B. Franciscus huius ordinis institutor, viam ascendendi ad Dominum verbo pariter et exemplo demonstrans, ipsius sinceritate fidei suos filios erudivit, eosque illam profiteri, constanter tenere, similiter ac opere voluit adimplere, ut per eius semitam salubriter incedentes, mererentur post vitae praesentis ergastulum, aeternae beatitudinis effici possessores.

### *De modo examinandi volentes intrare in ordinem.* — Cap. I.

Examen recipiendorum.

Nos igitur ordinem ipsum opportunis favoribus prosequentes, ad eius augumentum benignius intendentes, statuimus, ut omnes, quos ad servandum huiusmodi vitae formam assumi contigerit, ante assumptionem seu receptionem ipsorum, de fide catholica et obedientia

erga praefatam Ecclesiam diligenti examinationi subdantur. Et si eas professi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, seu recipi tute poterunt ad eamdem. Praecavendum est tamen solicite, haereticus ne quis, vel suspectus de haeresi, aut etiam infamatus, ad vitae observationem ipsius quomodolibet admittatur. Et si talem inveniri contigerit extitisse receptum, assignetur ille quamcitius inquisitoribus pravitatis haereticae puniendus.

*De forma recipiendi volentes intrare ordinem.* — Cap. II.

De receptione ad probationem et professionem, ac stabilitate in ordine.

Cum autem fraternitatem huiusmodi quis intrare voluerit, ministri ad receptationem talium deputati, eius officium, statum et conditionem solerter explorent, sibi fraternitatis eiusdem onera, et praecipue alienorum restitutionem apertius exponentes. Quibus praemissis, si eidem placuerit, iuxta modum huiusmodi induatur, et de alienis (siqua fuerint apud eum) satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundum exhibitam pignoris cautionem: seque nihilominus proximis reconciliare procuret. Quibus omnibus ad effectum perductis, post unius anni spatium, cum aliquorum discretorum fratrum consilio, si is videbitur ipsis iodneus, recipiatur hoc modo, videlicet, ut promittat se divina praecepta omnia servaturum, ac etiam satisfacturum (ut convenit) de transgressionibus, quas contra hunc vivendi modum commiserit, cum interpellatus ad visitatoris extiterit voluntatem. Et huiusmodi ab eo facta promissio, per manum publicam, in scriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus a ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit, conditione personae, ac ipsius instantia, solicita consideratione discussis. Ordinamus praeterea statuentes, ut nullus post ipsius fraternitatis ingressum de eadem egredi valeat, ad saeculum reversurus. Possit tamen transitum habere liberum ad religionem aliam approbatam. Mulieribus vero viros habentibus (nisi de ipsorum licentia et consensu) non pateat ad consortium dictae fraternitatis ingressus.

*De forma habitus, et qualitate indumentorum.* — Cap. III.

De habitu et indumentis fratrum et sororum.

Fratres insuper ipsius fraternitatis, de humili panno in pretio et colore, non prorsus albo vel nigro, communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per visitatores de consilio ministri ob causam legitimam et apertam, cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque ac pelles, absque scollaturis, scissas vel integras, affibulatas tamen, vel patulas, ut congruit honestati, clausasque manicas fratres habeant supradicti. Sorores etiam chlamyde induantur, et tunica de huiusmodi humili panno factis, vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum, seu placentinum, coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, sive lino, absque ulla crispatura consutum. Circa humilitatem vero panni et pellitones sororum ipsarum, iuxta conditionem cuiuslibet earumdem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis et ligaturis sericis non utantur, pelles dumtaxat agninas, bursas de corio et corrigias, simpliciter absque serico ullo factas et non alias, tam fratres habeant, quam sorores, depositis caeteris (iuxta B. Petri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius saeculi ornamentis.

*Quod non vadant ad inhonesta convivia et spectacula, et quod histrionibus non donent.* — Cap. IV.

De spectaculis et conviviis vitandis.

Sit eis ad inhonesta convivia, vel spectacula, sive curias, seu choreas, accessus penitus interdictus. Histrionibus, seu vanitatis intuitu nihil donent. Et ne quidquam illis donetur a propria familia, prohibere procurent.

*De abstinentia et ieiunio.* — Cap. V.

De ieiuniis.

Ab esu carnium secunda, quarta et

sexta feria, dieque sabbati, abstineant universi, nisi aliud infirmitatis instantia suaderet. Minutis vero per triduum carnes dentur, nec subtrahantur in itinere constitutis; sit quoque ipsarum comestio licita singulis cum solemnitatem praecipuam intervenire contigerit, in qua caeteri christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus, in quibus ieiunium non servatur, ova et caseus non negentur. Sed et cum religiosis caeteris in eorum conventualibus domibus licite sumere valeant de appositis ab eisdem. Sintque prandii, coenaeque refectione contenti, exceptis languidis, et viatoribus et infirmis. Sit sanis cibus moderatus et potus, cum textus evangelicus habeat: Attendite ne corda vestra crapula et ebrietate graventur. Prandium autem vel coena, nisi praemissa semel dominica oratione, non sumatur: post sumptionem cuilibet cum *Deo gratias*, iteranda, quod si omitti contigerit, dicatur tribus vicibus *Pater noster*. Qualibet vero sexta feria totius anni ieiunium celebretur, nisi forte infirmitatis vel alia caussa legitima excusentur, nisi festum Natalis Domini feria ipsa occurreret observandum. Sed a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, quarta et sexta feria ieiunabunt; alia, quae ab Ecclesia sunt statuta, vel ordinariis ex caussa communiter indicta, ieiunia nihilominus servaturi. In quadragesima vero B. Martini usque ad diem Nativitatis Domini, et a dominica Quinquagesimae usque ad Pascha, diebus singulis (exceptis dominicis) ieiunare procurent, nisi aliud fortasse infirmitas vel necessitas alia suaderet. Sorores gravidae, usque ad suae purificationis diem ab exercitatione qualibet corporali (orationibus dumtaxat exceptis) poterunt, si voluerint, abstinere. Laborantes autem (propter fatigationis afficientis instantiam) a Dominicae Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Francisci praedicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbent, licite sumere cibum possunt. Cum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appositis, die quolibet sumere licebit eisdem, nisi sexta feria, vel dies sit alia, in qua generaliter ab Ecclesia ieiunium noscitur institutum.

*Quoties debeant confiteri per annum, et sumere Corpus Christi.* — CAP. VI.

De Confessione et Communione.

Singuli autem fratrum et sororum ipsarum, ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Resurrectione ipsius et Pentecostes festivitatibus, peccata propria confiteri, et Eucharistiam devote suscipere non postponant, reconciliando se proximis et restituendo etiam aliena.

*Quod non ferant arma impugnationis.* CAP. VII.

De armorum delatione.

Impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi pro defensione Romanae Ecclesiae, christianae fidei, vel etiam terrae ipsorum aut de suorum licentia ministrorum.

*De dicendis horis canonicis.* — CAP. VIII.

De horarum recitatione et aliis orationibus.

Dicant universi quotidie septem horas canonicas, videlicet, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium. Clerici, videlicet Psalterium, pro Prima *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati*, usque ad *Legem pone*, ac alios horarum psalmos, iuxta clericorum ordinem cum *Gloria Patri* dicant. Cum vero ad Ecclesiam non accedent, pro Matutino psalmos dicere studeant, quos dicunt clerici vel Ecclesia cathedralis, vel saltem, ut illiterati alii pro Matutino duodecim, et pro alia qualibet hora septem vicibus *Pater noster* cum *Gloria Patri* dicere non omittant. In quibus, videlicet Primae ac Completorii horis, minorem symbolum et *Miserere mei*, *Deus*, adiiciant qui noverunt. Sed si horis non dixerint constitutis, dicant tribus vicibus *Pater noster*. Infirmi autem horas huiusmodi non teneantur dicere, nisi velint. In quadragesima vero S. Mar-

tini, et etiam in maioribus Ecclesiis in quarum parochiis habitant, matutinalibus horis personaliter adire procurent, nisi causa rationabili excusentur.

*Quod omnes, qui de iure possunt, faciant testamentum.* — CAP. IX.

De testamentis.

Omnes praeterea, quibus de iure facultas affuerit, condant seu faciant testamentum, et de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum immediate sequentes ordinent et disponant, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum.

*De pace reformanda inter fratres et alios extraneos.* — CAP. X.

De pace

De pace vero inter fratres et sorores aut etiam exteros in discordia positos facienda, sicut ministris videbitur, ita fiet, adhibito (si facultas affuerit) episcopi dioecesani consilio in hac parte.

*Quando molestantur contra ius, aut eorum privilegia.* — CAP. XI.

De vexatione contra privilegia.

Si vero fratres vel sorores contra ius vel eorum privilegia per potestates seu rectores locorum, ubi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, ministri loci ad episcopos et alios locorum ordinarios studeant habere recursum, iuxta consilium et ordinationem ipsorum in tabulis processuri.

*Quod caveant, in quantum possunt, a iuramentis solemnibus.* — CAP. XII.

De iuramentis.

A iuramentis autem solemnibus omnes abstineant, nisi necessitate cogente in casibus per indulgentiam Apostolicae Sedis exceptis, videlicet, pro pace, fide, calumnia et testimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis et donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, prout poterunt, iuramenta. Et qui die aliqua minus caute iuraverint lapsu linguae (prout contingere in multiloquio consuevit) die lapso in sero, cum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus orationem dominicam, propter incaute facta huiusmodi iuramenta. Memor autem sit quilibet, ut ad divina obsequia familiam propriam exhortetur.

*De audienda missa et congregatione facienda.* — CAP. XIII.

De missa audienda et congregatione facienda.

Universi sani fratres et sorores cuiuscumque civitatis aut loci, diebus singulis (si commode poterunt) Missae officium audiant, et mense quolibet ad ecclesiam sive loca, ad quam, vel ad quae ministri curaverint intimare, conveniant missarum solemnia inibi audituri. Unusquisque autem usualis monetae denarium missario tribuat, qui pecuniam huiusmodi colligat, et eam de consilio ministrorum inter fratres et sorores paupertate gravatos, et praecipue infirmantes, ac eos, qui funeris carere dignoscuntur exequiis, et deinde inter pauperes alios dividant congruenter. Offerant insuper de ipsa pecunia Ecclesiae memoratae. Tuncque (si commode poterunt) virum religiosum et in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui eos ad poenitentiam et misericordiae opera exercenda hortetur, solicite moneat et inducat. Studeat quilibet, dum Missae celebratur officium, et praedicationis verbum proponitur, servare silentium; orationi et officio sit intentus, nisi cum communis utilitas fraternitatis impediat.

*De fratribus infirmis et defunctis.* CAP. XIV.

De infirmis e exequiis defunctorum.

Cum autem quemquam ex fratribus infirmari contigerit, ministri per se vel per alium, seu alios (si hoc eis infirmus fecerit intimari) semel in hebdomada, visitare teneantur aegrotum, ipsum solicite ad recipiendum poenitentiam (prout melius et efficacius expedire putaverint) inducentes, necessaria illi de bonis communibus ministrando. Et si praefatus infirmus de praesenti luce migraverit, fratribus et sororibus tunc in civitate vel

loco, ubi eum contigerit mori, praesentibus nuntietur, ut defuncti exequiis procurent personaliter interesse. A quibus, donec Missarum fuerint celebrata solemnia, et corpus tumulo conditum, non recedant. Hoc quoque circa sorores infirmas et decedentes volumus observari. Praeterea intra octo dies post ipsius sepulti obitum immediate sequentes, quilibet fratrum et sororum ipsarum dicat pro anima eius, sacerdos videlicet missam unam, sciens psalterium, 50 psalmos, et illiterati totidem *Pater noster*, et in fine cuiuslibet *Requiem aeternam* adiiciant. Et post haec, infra annum pro fratrum et sororum, tam vivorum, quam defunctorum salute, tres missas faciant celebrari. Qui vero psalterium sciverint, illud dicant, et caeteri orationem dominicam centies dicere non omittant, *Requiem aeternam* in fine cuiuslibet addituri.

*De ministris.* — CAP. XV.

De officiis recte administrandis.

Ministeria quoque ac alia officia, quae praesentis formulae series exprimit, imposita sibi quisque devote suscipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cuiuslibet certi temporis spatio limitetur. Nullus minister instituatur ad vitam, sed eius ministerium certum tempus comprehendat.

*De visitatione et correctione delinquentium.* CAP. XVI.

De correctione delinquentium

Ad haec ministri et fratres ac sorores civitatis, et loci cuiuslibet, ad visitationem communem in aliquo loco religioso, vel ecclesia, ubi locum huiusmodi contigerit deesse, conveniant, et visitatorem habeant sacerdotem, qui alicuius approbatae religionis existat, quique illis de commissis excessibus iniungat poenitentiam salutarem. Nec quivis alius possit eis huiusmodi visitationis officium exhibere. Quia vero praesens vivendi forma institutionem a B. Francisco praelibato suscepit, consulimus, ut visitatores et informatores de fratrum Minorum ordine assumantur, quos custodes vel guardiani eiusdem ordinis, cum super hoc requisiti fuerint, duxerint assignandos. Nolumus tamen congregationem huiusmodi a laico visitari. Huiusmodi autem visitationis officium semel exerceatur in anno, nisi necessitate aliqua suadente fuerit pluries facienda. Incorrigibiles vero ac inobedientes monitio trina praeveniat. Qui si se corrigere non curaverint, de ipsius congregationis consortio expellantur omnino de consilio discretorum.

*De vitandis litigiis inter se et cum aliis.* CAP. XVII.

De litigiis vitandis.

Vitent insuper fratres et sorores (iuxta posse) litigia inter se, illa (si suscitari contigerit) solicite dirimendo: alioquin, de iure coram illo respondeant, apud quem potestas residet iudicandi.

*Qualiter et per quos in abstinentiis posse dispensari.* — CAP. XVIII.

De dispensatione circa abstinentias.

Ordinarii autem locorum, vel visitator, cum fratribus et sororibus universis, in abstinentiis, ieiuniis et austeritatibus aliis, ex caussa legitima (cum expedire viderint) poterunt dispensare.

*Quod ministri eorum manifestas culpas denuncient visitatori.* — CAP. XIX.

De incorrigibilibus.

Ministri vero manifestas fratrum et sororum culpas visitatori denuncient puniendas. Et si quisque incorrigibilis fuerit, post trinae admonitionis instantiam a ministris (de discretorum fratrum aliquorum consilio) visitatori nuncietur eidem, de fraternitatis consortio abiiciendus ab ipso, et in congregatione postmodum publicandus.

*Qualiter in praedictis nemo obligatur ad culpam mortalem.* — CAP. XX.

De non observantibus regulam.

Caeterum in praemissis omnibus, ad quae fratres vestri ordinis non ex divinis praeceptis vel statutis tenentur Ecclesiae, nullum ipsorum ad mortalem culpam vo-

lumus obligari, sed impositam sibi poenitentiam, pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, et efficaciter studeat adimplere.

Sanctio poenalis.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis et voluntatis infringere *etc.*

Dat. Reate, sextodecimo kalen. septembris, pontificatus nostri anno 2.

Dat. die 17 augusti 1289, pontif. anno II.

---

## V.

*Declarationes reformationis Gregorii IX monachorum congregationis Cluniacensis ordinis S. Benedicti* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Gregorii IX constitutio. — 2. Declaratio eiusdem. — 3. Capitulum generale quando, a quibus et qualiter fieri debeat. — Quae in eo tractanda sint. — 4. Definitores quindecim capituli generalis pro prima vice eligantur. — 5. Forma eligendi definitores in capitulo generali. — 6. Causae per abbates non definitae, in capitulo terminentur. — 7. Constitutiones capituli generalis in primis observandae et non immutandae sunt. — 8. Ordinationes capit. quando obligent ad mortalem culpam: — 9. Et quoties per praelatos recitandae sunt. — 10. Visitatores in capitulo generali ordinentur et corrigenda corrigant, *etc.* — 11. Visitatores quatuor monasterium Clun. et personam abbatis visitent. — 12. Abbates Clunii de proventibus et expensis coram visitatoribus reddant rationem. — 13. Abbates Cluniac. loca ordinis visitent. — 14. Beneficiorum collatio prout hic ordinetur. — 15. Illegitimis prioratus et decanatus ne conferantur. — 16. Priores cur amovendi. — 17. Abbas vel prior criminosus aut infamis quomodo et per quos deponendus. — 18. Institutio priorum conventualium qualiter fiat. — 19. Pluralitas beneficiorum interdicitur. — 20. Nullus nisi Cluniacensis ordinis religiosus in Clun. ordine beneficium habere debet. — 21. In uno prioratu unicus monachus manere non debet. — 22. Refectio monachorum sit uniformis. — 23. Esus carnium relinquitur arbitrio abbatis. — 24. Habitus honestas praefinitur. — 25. Equitaturarum superfluitas submovetur. — 26. Contrahendi et rationis reddendae mos mandatur. — 27. Poena monacis proprietariis infligenda. — 28. Exactiones et extorsiones vitandae. — 29. Bona vacantia quae et qualiter per abbates percipienda sint. — 30. Novitii ante 15 annum non recipiantur. — 31. Iuste appellans non molestandus est. — 32. Levis appellatio prohibetur. — 33. Regulae S. Benedicti observantia non praetermittatur. — 34. Haec reformatio ab omnibus observetur.

(1) Laudatam Gregorii reformationem legere est in constit. XXXV, tom. III, pag. 475.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cluniacensi, eiusque coabbatibus, prioribus et conventibus universis Cluniacensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Regis pacifici pacis opera diligentis gerentes (licet immeriti) vices in terris, pacis bonum et concordiae stabilis unitatem cunctis fidei orthodoxae cultoribus, sed potissime regularis observantiae vinculo alligatis, ferventibus votis appetimus et solicitis studiis procuramus, ut divinorum cultui, cui salubris illos dedicavit intentio, liberius et commodius immorentur. Quamobrem vigiles reddimur, et propensius affectamus, ut inter vos divinis obsequiis regulariter deputatos, tranquilla pax vigeat, fraterna caritas ferveat, animorum identitas perseveret.

Gregorii IX constitutio.

§ 1. Sane felicis recordationis Gregorius Papa IX praedecessor noster, ad vestrum et monasterii vestri statum prosperum et tranquillum intendens, nonnulla pro reformatione Cluniacensis ordinis duxit, dum viveret, auctoritate apostolica statuenda, quae districte ac inviolabiliter observari praecepit in ordine supradicto.

Declaratio eiusdem.

§ 2. Nos autem diligentius attendentes, quod aliquorum ex statutis huiusmodi, quae nobis non modicum difficilia

videbantur, non poterat observatio efficax provenire, circa illa, prout expedire cognovimus, duximus providendum. Et volentes ipsius praedecessoris vestigia imitari, auctoritate apostolica duximus statuendum, ut statuta ipsa iuxta moderationem nostram, prout notatur inferius, in eodem ordine perpetuis futuris temporibus observentur.

Capitulum generale quando, a quibus et qualiter fieri debeat.

§ 3. In primis itaque statuimus, ut omnes abbates et priores Cluniacensis ordinis, immediate monasterio Cluniacen. subiecti, in regno Franciae constituti annis singulis, existentes autem in Anglia, Hispania, Alemania et Lombardia, de biennio in biennium conveniant ad capitulum generale, ubi sine personarum acceptione, secundum Deum, et B. Benedicti regulam et Cluniacen. ordinis instituta, delinquentium corrigatur excessus, et de salute animarum, et conservatione ordinis, ac domorum indemnitate tractetur et statuatur quod fuerit regulariter statuendum. Nec in hoc priores et camerarii invicem sibi parcant: sed unusquisque quae viderit in ordine corrigenda, in personis, vel rebus, quae per visitatores non fuerint correcta, coram definitoribus annis singulis in publico vel privatim in caritate proponat. Et hoc idem visitatores coram definitoribus facere teneantur, et correctus hoc moleste non ferat, sed correctionem accipiat patienter. Hoc autem capitulum (in quo volumus, ut nullae fiant exactiones ab aliquo, nulla dentur munera vel recipiantur, seu etiam promittantur, sed omnia in sinceritate procedant) modo qui sequitur celebretur, et in eo definitores de abbatibus et prioribus Cluniacensis ordinis eligantur. Ad quod quidem capitulum abbates et priores praefati, modo praedicto per obedientiam venire teneantur (causa dumtaxat infirmitatis excepta), nisi casus inopinatus et multum damnosus incurreret, definitorum et capituli iudicio relinquendus, et eorum quibus proprium impedimentum seu casum capitulo et definitoribus denunciet supradictis. Qui vero non venerit, et se secundum modum legitime non excusaverit memoratum; post sequens capitulum, ad quod venire similiter teneatur, in claustro Cluniacensi duorum mensium spacio assidue moram trahat. Mediati autem abbates et priores, singulis annis semel ad capitulum conveniant in principalibus abbatiis et prioratibus, quibus subsunt, statuto tempore, prout visum fuerit expedire. Quod si non fecerint, in suis immediate maioribus abbatiis vel prioratibus poena simili puniantur.

Quae in eo tractanda sint.

Definitores quindecim capituli generalis pro prima vice eligantur.

§ 4. Circa vero electionem definitorum capituli generalis Clunaciensis celebrandi, ordinamus ut dilecti filii nostri Matthaeus tit. S. Laurentii in Damaso, et H. tit. S. Sabinae, presbyteri cardinales, ac abbas Mauziacensis, et magister Albertus prior S. Lupi, de ipsius ordinis Cluniacensis reformatione tractantes apud Sedem Apostolicam, quindecim de abbatibus et prioribus Cluniacensis ordinis supradicti eligant hac vice in definitores primi capituli reformationem huiusmodi subsequentis.

Forma eligendi definitores in capitulo generali.

§ 5. Qui quindecim sic ab ipsis electi, iurent in ipso primo futuro capitulo generali ad sancta Dei evangelia, corporaliter tacto libro, quod in definitionibus secundum Deum et B. Benedicti regulam et Apostolicae Sedis statuta, sine omni personarum acceptione, procedent, ac ipsi in principio sequentis capituli, antequam tractatus capituli aggrediantur eiusdem, iurent tactis sacrosanctis evangeliis, et bona fide, sine acceptione personarum, eligere quindecim definitores de abbatibus et prioribus. Si abbates defuerint, nihilominus de prioribus praefati Cluniacensis ordinis viros probos, ac Deum timentes, ac zelum communis utilitatis habentes, et praestito ab eis huiusmodi iuramento, viros tales postmodum eligant. Volumus autem, quod illi, qui definitores in uno capitulo fuerint, in capitulo immediate sequenti definitores esse non

possint: et haec forma eligendi definitores in posterum observetur. Si autem aliqui de definitoribus capituli praecedentis, ad quos spectat electio definitorum, abesse contigerit, reliqui, qui praesentes fuerint, nihilominus ad ipsorum electionem procedere non omittant. Et qui a maiori parte ipsorum eligentium nominati fuerint et electi, sine aliqua exceptione, pro definitoribus habeantur. Et hoc etiam in definitoribus et definitorum sententiis observetur. Diligentiam autem vel negligentiam ordinis supradicti, annis singulis definitores per suas patentes literas, ad moderatas Cluniacensis ordinis expensas, significare Summo Pontifici teneantur: quomodo regula B. Benedicti et praesentia in ordine ipso serventur statuta.

Causae per abbates non definitae, in capitulo terminentur.

§ 6. Omnes vero causae, quae inter eiusdem ordinis personas emerserint, et per abbatem non fuerint terminatae, delatae ad capitulum per definitores statutos in capitulo terminentur, et ea statuantur, quae provenire ad correctionem, conservationem et restrictionem, non ad relaxationem ordinis vel regulae videbuntur.

Constitutiones capituli generalis in primis observandae et non immutandae sunt.

§ 7. Nec aliquis definita seu acta per definitores capituli generalis possit vel audeat immutare; nisi in casu magnae necessitatis et evidentis utilitatis, in quo potestas abbati intelligitur relinquenda de consilio et assensu peritorum et discretorum duorum ex illis, qui domini ordinis appellantur. Nec dispensare praesumat in poenis, nisi contra aliquem sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ferretur, qui si paruerit, poterit per abbatem Cluniacensem aut alium, vel priorem suum immediate superiorem absolutionis beneficium obtinere, ita tamen quod sic absoluti culpa et satisfactio referatur et appareat definitoribus in primo tunc sequenti capitulo generali. In aliis vero poenis impositis a definitoribus nullus dispenset, nisi ex necessaria causa et rationabili, quam significari volumus sequenti capitulo generali, et si definitores non iudicaverint eam esse legitimam, relaxantes seu dispensantes per ipsos definitores poena simili puniantur.

Ordinationes capit. quando obligent ad mortalem culpam.

§ 8. Definitiones autem seu ordinationes capituli generalis ad mortalem culpam non obligent, sed ad poenam, nisi contra essentialia observantiae regularis existant.

Et quoties per praelatos recitandae sunt.

§ 9. Omnes vero abbates et priores annis singulis ad capitulum venientes, definitiones, si quae factae fuerint, in suo reditu habere procurent, in vigiliis quinque festorum praecipuorum, et visitationis tempore nihilominus recitandas, ut nullus praetextu ignorantiae se valeat excusare. Statuta vero praesentia in prima die mensis cuiuslibet legantur, ne per ignorantiam negligantur.

Visitatores in capitulo generali ordinentur et corrigenda corrigant, etc.

§ 10. Statuimus insuper, ut in capitulo generali Cluniacensi more solito per definitores ordinentur visitatores discreti ac Deum timentes per singulas provincias, qui iurent ad sancta Dei Evangelia, corporaliter tacto libro, quod visitationis officium exercebunt (prout eis fuerit possibile) secundum Deum, et B. Benedicti regulam, ac Sedis Apostolicae, et Cluniacensis ordinis instituta; et quae per eos corrigi poterunt, corrigent secundum gratiam a Domino sibi datam. Ea vero, quae adeo gravia emerserint vel occurrerint, quod per eos sufficienter non possint commode corrigi; quae probata fuerint vel per famam deducta, in publicum referant corrigenda et punienda per definitores in capitulo generali; caetera autem non nisi abbati exponant propter pericula evitanda. Statum quoque abbatiarum et prioratuum, quantum ad spiritualia et temporalia, referre et exponere, quoad praelatos et subditos fideliter coram definitoribus teneantur, sed caveant visitatores, ne ea, quae invenerint in locis visitatis de praelatis vel subditis, pandant quomodolibet seu revelent, nisi eo modo, quo superius est expressum. Et visitatores sic instituti,

per abbatem vel alium mutari non possunt, nisi ex causa rationabili, et multum urgenti, et evidenti, et hoc de consilio et assensu dictorum dominorum, qui superius nominantur, sed causa ipsa in visitatorum exprimatur literis, et in sequenti capitulo et coram definitoribus exponatur. Quae si non fuerit rationabilis iudicata, mutans definitorum arbitrio puniatur. Nec dicti visitatores a personis et locis quae visitant, recipere quicquam praeter moderatas expensas victui necessarias, quoquo modo praesumant, excutientes manus suas ab omni munere, et cum quatuor tantum, ratione visitationis aut alias, equitaturis incedant.

Visitatores quatuor monasterium Clun. et personam abbatis visitent

§ 11. Statuimus insuper, ut quolibet anno in capitulo per definitores quatuor discretae personae, ac Deum timentes, videlicet duo abbates et totidem priores Cluniacensis ordinis eligantur, si abbates praesentes fuerint, alioquin loco abbatum eligantur priores ad visitandum monasterium Cluniacense, personam abbatis et loca circumadiacentia. Qui, terminato generali capitulo et licentiatis abbatibus et prioribus, ac aliis, qui ad capitulum convenerant, prius praestito corporali iuramento, suae visitationis officium infra sex dies post terminatum capitulum incipiant exequi: ne visitationem huiusmodi (quae nullo modo debet omitti) contingat quomodolibet impediri. Qui de statu dicti monasterii, et locorum circumadiacentium in temporalibus et spiritualibus, et de abbatis persona diligenter inquirant, et ea quae corrigenda invenerint, corrigere non omittant. Et ea vero, quae maiori consilio indigent, referentur annis singulis ad capitulum generale, ut Ecclesia Cluniacensis in bono statu per visitationem huiusmodi perseveret. Et si abbatis exigerent demerita, quod tolerari non debeat, per visitatores moneatur, ut cedat, et liceat visitatoribus et conventui Cluniacensi recipere huiusmodi cessionem. Quod si forte abbas sibi de cessionis remedio providere noluerit, quae de ipso visitatorum inquisitio comprehendet, ad Sedem Apostolicam referant.

Abbates Clunii de proventibus et expensis coram visitatoribus reddant rationem.

§ 12. Adiicimus autem, quod abbas Cluniacensis coram visitatoribus de omnibus obligationibus per eumdem vel de eius mandato factis, ac etiam de proventibus et expensis reddat explicite rationem, et visitatores praedicti hoc significare sequenti generali capitulo, et deinde Summo Pontifici annis singulis teneantur.

Abbates Clun. loca ordinis visitent, ut hic.

§ 13. Quia vero propter defectum abbatis remotas provincias minime visitantis, et domus ordinis existentes in eis spiritualiter et temporaliter male tractantur, et aliqua a subiectione ordinis se subtrahere moliuntur, praecipimus, ut abbas Cluniacensis studeat, sicut ei possibile fuerit, ordinem visitare, ac domos a Cluniacensis ordinis subiectione subtractas procuret cum Apostolicae Sedis auxilio ad subiectionem ipsius revocari ordinis, vel reduci. Quod si dictus abbas in eiusdem ordinis visitatione, quam per se, vel per alium facere debet, negligens fuerit, vel remissus, eum definitores corrigere teneantur. Qui etiam dum sui ordinis loca visitat, sit temperatus et sobrius in expensis, ita quod, omnibus computatis, summam decem librarum turon. parvorum diebus singulis in sumptibus non excedat. Et visitationis tempore tam ipse, quam sui excutiant ab omni munere manus suas, prout de acceptione munerum in statutis fel. rec. Greg. Papae IX praedecessoris nostri noscitur contineri. Infra dictam autem summam idem abbas se temperet secundum locorum exigentiam et facultatem ipsorum, et definitores de mora seu spatio temporis ordinent, quo abbas et visitatores huius suae visitationis officium debeant terminare.

Beneficiorum collatio prout hic ordinetur.

§ 14. Caeterum quia ex mala ordinatione prioratuum et obedientiarum, vel frequenti mutatione priorum, multa evenisse detrimenta noscuntur, districte praecipimus, ut prioratus, decanatus et omnes aliae administrationes gratis conferantur,

et absque venalitate et aliqua pactione. Nec Cluniacenses aut alii abbates, aut priores Clun. ordinis de prioratibus audeant aut possint facere decanatus: nec de decanatibus, in quibus decanus curam animarum habet et monaci sunt et esse consueverunt, possint facere grangias; ita quod nec a monaco, nec a saeculari persona pro aliquo pretio conducantur, et ubi factum est, vel acceptatum contrarium, per definitores in statum pristinum et antiquum reducantur. Et prioratus et decanatus huiusmodi nonnisi sacerdotibus dicti ordinis monacis committantur. Haec autem nolumus ad illas grangias seu administrationes extendi, quae curam animarum non habent, et laicis consuevere committi. Si quis autem propter haec aliquid dedisse vel recepisse convictus extiterit, numquam in ordine Clun. dignitatem habeat, vel honorem. Et si adversus aliquem super hoc apud visitatores vel definitores vehemens habeatur praesumptio, ipsum per eos a prioratu vel administratione sic obtenta volumus amoveri. Et si quis humana confisus potentia, per interventum saecularium personarum committi sibi obedientiam vel prioratum poposcerit, numquam illum obtineat, sed nec alium infra annum.

Illegitimis prioratus et decanatus ne conferantur.

§ 15. Nec personis illegitime natis prioratus et decanatus curam animarum habentes in ordine ipso ullatenus conferantur: et si secus factum fuerit, id per definitores decrevimus revocandum.

Priores cur amovendi

§ 16. Conventuales quoque priores quamdiu in spiritualibus et temporalibus bene administraverint, non nisi ex certis causis debent amoveri; videlicet si dilapidatores vel inobedientes, aut rebelles, seu infames vel incontinentes extiterint, seu alio gravi crimine irretiti, sive ad maiorem dignitatem fuerint promovendi; quod etiam de minoribus prioribus volumus observari.

Abbas vel prior criminosus aut infamis quomodo et per quos deponendus.

§ 17. In destitutione vero abbatum et priorum conventualium, videlicet octo monacorum et supra, talis modus et forma serventur. Videlicet, quod si visitatores abbatem vel priorem criminosum aut infamem invenerint, patri abbati referre procurent; qui de consilio sex abbatum vel priorum propinquorum eiusdem ordinis, talem admoneat, vel suspendat, ipseque sic admonitus vel suspensus inclinet humiliter, nec appellet. Nihilominus autem visitatores, admonitiones et suspensiones huiusmodi, et earum causas capitulo referant generali. Et definitores super hoc ordinent et definiant, secundum quod eis iuste, ac secundum Deum videbitur expedire. Et quidem ut huic morbo plenum adhibeatur remedium, prout infra duximus providendum, videlicet, quod singulis annis in generali capitulo definitores scribant et retineant nomina singulorum abbatum et priorum, qui tunc in eodem fuerint congregati. In sequenti capitulo lectis eorum nominibus, in quibus Ecclesiis sive abbates vel priores mutati sint, et mutationis causam diligenter attendant; et tunc excessus mutantium, si sine iusta causa mutaverint, et mutatorum huiusmodi puniant et emendent, secundum qualitatem excessuum eorumdem. Verum quia monaci nonnumquam abbatum vel priorum suorum delicta revelare formidant, ne ad ignotas et remotas provincias quasi in exilium relegentur, huic morbo sic duximus providendum: quod videlicet visitatores cum accesserint ad monasteria visitanda, diligenter inquirant, si quis e monasterio illo anno, cui officium visitationis impendunt, et propter quam causam emissus fuerit. Et si causa regularis extiterit, approbetur; alioquin revocetur monacus, et qui eum emisit, visitatorum arbitrio puniatur. Si quis autem fuerit ab abbatia vel prioratu sua culpa remotus, ad aliud monasterium, in quo digne defleat quod commisit, superioris providentia transmittatur. Et si forte propter senectutis defectum, aut aliam causam honestam spontaneus cesserit, revertatur ad claustrum, illo sibi quod

eligere maluerit deputato, nullusque literas confirmationis habeat, quod a suo prioratu vel obedientia non debeat amoveri.

Institutio priorum conventualium qualiter fiat.

§ 18. Ad institutionem vero prioris conventualis absque duorum priorum conventualium consilio minime procedatur. Abbates autem et priores circa temporalia et spiritualia negligentes, per definitores graviter puniantur, et tales praeficiantur, qui sciant et possint præesse pariter et prodesse, ac iura commissorum sibi prioratuum observare. Circa personarum vero dicti ordinis promotionem, sic provida et aequa ordinatione censemus, quod abbas Clun. in arduis et gravibus negotiis uti debeat consilio sapientium, et dicti ordinis seniorum. Et in promovendo personas ordinis, et conferendo beneficia, non sequatur carnalem affectum: sed habendo Deum prae oculis, imitetur in omnibus legem Dei. Et quod dictum est de abbate Clun., idem per alios abbates et priores ordinis decrevimus observandum. Et quia denunciatum est nobis, quod raro aut numquam de claustro Clun. aliquis vel aliqui ad regimen prioratuum Cluniacensis ordinis assumuntur; statuimus, quod non tam de claustralibus, quam de aliis, sine personarum acceptione, personae idoneæ ad ipsorum prioratuum regimen assumantur, cum per tales qui sunt in monasterio enutriti, magis in religione ordo possit et debeat informari.

Pluralitas beneficiorum interdicitur.

§ 19. Ad haec districtius inhibemus, ne quis plures prioratus vel prioratum cum abbatia eiusdem ordinis, vel alterius habere praesumat. Nec abbas Cluniacensis vel aliquis alius abbas vel prior eiusdem ordinis, aliquem de subiectis sibi prioratibus ad manus suas retineat: sed singulis prioratibus priores singuli deputentur.

Nullus nisi Cluniacensis ordinis religiosus in Clun. ordine beneficium habere debet.

§ 20. Nec aliquis qui Cluniacensis ordinis non fuerit professus, habeat eiusdem ordinis prioratum. Nec aliquis prioratus vel decanatus Cluniacensis ordinis, cui annexa est cura animarum, vacet ultra sex menses; sed infra huiusmodi tempus abbas Cluniacensis caeterique abbates et priores, qui habent prioratus et huiusmodi decanatus subiectos, eis debeant providere. Aliter provisio prioratuum et decanatuum eorumdem abbati Cluniacensi nullo medio subiectorum, intelligatur ad Sedem Apostolicam devoluta. Prioratuum vero et decanatuum aliorum provisio ad suos immediate superiores devolvatur omnino, nec prioratus vel decanatus cum cura personis saecularibus, clericis vel monacis alterius ordinis, laicis, praelatis, seu subditis aliquatenus conferantur: et ubi contrarium attentatum esse dignoscitur, definitorum arbitrio revocetur. Circa vero illos prioratus, qui alienati et permutati esse dicuntur absque Sedis memoratae licentia, praecipimus, ut quod per abbatem super illis actum est, penitus revocetur, et abbas ad revocationem huiusmodi faciendam, quam primum commode poterit, exhibeat se vigilem, solicitum et etiam studiosum: ita quod ad clerum divinum et solitum monachorum numerum, ac subiectionem dicti ordinis reducantur.

In uno prioratu unicus monachus manere non debet.

§ 21. Nec in prioratu aliquo unus solus monacus commoretur, sed ei, qui solus est, unus, vel plures socii monaci adiungantur, si loci suppetant facultates. Alioquin monacus revocetur ad claustrum, proviso quod in eo divina celebrentur honeste.

Refectio monachorum sit uniformis.

§ 22. Circa qualitatem autem ciborum, et potus, scrutari praecipimus, ut omnes monaci in uno reficiantur refectorio, de eodem potu et pane, eademque coquina: nisi forte aliquem ipsorum comedere cum abbate vel priore, seu in infirmaria contingat. Abbas autem cum fratribus in refectorio comedat: nisi propter hospites mutet locum. In infirmaria vero nullus comedat, nisi propter infirmitatem vel debilitatem illuc fuerit destinatus.

Esus carnium relinquitur arbitrio abbatis.

§ 23. Circa esum vero carnium licentiam relinquimus dispensationi abbatis,

secundum indulgentiam Clementinae. Caveat tamen abbas, ne super hoc sit nimis ad dispensandum facilis, vel laxet nimium manus suas.

Habitus honestas praefinitur.

§ 24. Illud quoque praecipimus observari, ut monaci, sicut in claustro, ita foris se habeant: nec incedant sine cuculla et flocco, vel sine cuculla et cappa regulari et honesta, nec nimium sumptuosa. Nec equitet abbas aliquis vel prior sine postella et sella regulari, quae tamen sumptuosa nimium non existat. Nec aliquis monacus equitet corrigiatis calceis, nisi in longo itinere constitutus: sed contra imbres et pluvias, frigus et aestus, cappellis filtreis possint uti. Nec quisquam in quovis loco tunicis vel coopertoriis de bruneto, aut pellibus silvaticis, seu camisiis aut linteaminibus lineis uti praesumat: nec deferat vestes scissas ante et retro. Nec aliquis claustralis habere propriam cappam pluvialem aut equitaturam sibi deputatam attentet.

Equitaturarum superfluitas submovetur.

§ 25. Circa equitaturas enim et familiam, omnem superfluitatem amputare volentes, mandamus, ut abbas Clun. sexdecim equitaturis contentus existat: et alii abbates eiusdem ordinis, ac prior de Caritate octo: prior S. Martini sex: priores alii conventuales tribus vel quatuor: et caeteri minores duabus evectionibus sint contenti. Abbates quoque et priores dicti ordinis servientes honestos habeant, nec nimis comptos, qui et vestes decentes deferant non nimium curiosas.

Contrahendi et rationis reddendae mos mandatur.

§ 26. Quia vero ad desolationem domorum plurimum operatur laxa potestas debita contrahendi, et quod ratio non redditur de debitis, vel receptis: praecipimus, ut singuli abbates et priores de consilio fratrum et familiae, quibus praesunt, cum testimonio bonorum virorum, qui ad locum pertinent, cum contrahendum, vel innovandum est mutuum, ita faciant diligenter, ut omnibus liqueat quanta summa, quibus conditionibus et quibus debeatur, et in quos usus contractum mutuum sit conversum. Et ut status domorum certior habeatur, statuimus, ut in monasterio Clun. et aliis abbatiis et prioratibus Clun. ordini subiectos prioratus habentibus, fiant registra, in quibus scribatur, quot monaci in qualibet domo, iuxta ipsius domus facultates, possint et debeant commorari, et institutio abbatum et priorum scribatur in eisdem registris, et in quo statu institutus recipiet abbatiam seu prioratum. Et si eam in bono statu receperit, et ipse in malo posuit, bona eius debitis obligando, vel ad vitam, vel perpetuo alienando, absque causa rationabili per definitores approbata post factum, vel ante, si per relationem fidelium visitatorum convictus fuerit de praedictis, absque alia iuris solemnitate per definitores abbatia sua vel prioratu privetur. Dicta vero registra ponantur et conserventur in arca communi, ubi commune sigillum consuevit pro tempore custodiri. Adiicimus etiam, ut nulla litera sigilletur sigillo conventus Clun. vel alterius eiusdem ordinis, nisi in capitulo coram conventu in vulgari et latino prius lecta fuerit: et tunc sigilletur. Et postquam sigillata fuerit, iterum modo praedicto in capitulo coram omnibus relegatur. Quo facto, ponatur tenor literae in registro, quod registrum servetur in arca eadem, in qua, ut praemittitur, servatur commune sigillum. Et si litera data fuerit de debito contrahendo, cancelletur litera in registro: et a creditoribus repetatur: et habita vel recuperata in libro cancelletur. Singuli autem officiales coram abbate vel priore (si non est ibi abbas) et coram senioribus duobus singulis mensibus de suis officiis rationem, et de omnibus receptis et expensis computationem fideliter faciant. Abbas etiam Clun. et caeteri abbates et priores, quater in anno statum suae domus in suo capitulo, et coram visitatoribus, cum venerint, plene declarent. Nullus quoque abbas vel prior, grangiam, pensionem vel praebendam

monacalem saecularibus personis concedere, seu possessionem aliquam, venditionis seu alio aliquo titulo alienare, absque patris abbatis, aut patris prioris et conventus sui consilio et consensu praesumat.

Poena monachis proprietariis infligenda.

§ 27. Poena insuper monacis proprietariis infligatur, videlicet, ut per annum ad statum novum redigantur: et infra dictum annum assidue coram conventu comedant in terra sedentes, et in depositarios, si monacis proprietariis deposita restituerint, quae sunt suis monasteriis resignanda, monitione praemissa, excommunicationis sententia promulgetur.

Exactiones et extorsiones vitandae.

§ 28. Ad haec, quoniam abbas Clun., nec non abbates et priores eiusdem ordinis, prioratus sibi subiectos exactionibus et extorsionibus consueverunt adeo aggravare, quod in eisdem prioratibus antiquus et consuetus monacorum numerus est nimium diminutus, nos id de caetero fieri sub attestatione divini iudicii prohibemus, iniungentes dicto abbati Clun. et aliis abbatibus et prioribus eiusdem ordinis in virtute sanctae obedientiae, ut deinceps novos census subiectis sibi prioratibus vel decanatibus non imponant absque licentia Sedis Apostolicae speciali: cum liqueat prioratus ipsos non ad destructionem, sed ad conservationem ordinis et correctionem sibi esse subiectos, et eisdem prioratibus pro substentatione monachorum inibi Domino famulantium possessiones pia devotione fidelium fuisse concessas.

Bona vacantia quae et qualiter per abb. percipienda sint.

§ 29. Circa ordinationem vero bonorum prioratuum vacantium praecipimus, ut in prioratibus dicti ordinis per mortem aut per amotionem priorum vacantibus, abbas Clun. palefredum, cappam et breviarium prioris praemortui (secundum antiquam consuetudinem) habeat, et deductis debitis (si qua sint) ante omnia et solutis, monacis etiam ibidem commorantibus, et priori futuro, ac familiae domus pro se et necessitatibus suis, usque ad fructus novos, prius congrua substentatione dimissa, relictis etiam ad excolendum possessiones necessariis, ad refectionem domorum (si necesse fuerit), de residuis mobilibus possit recipere quartam partem. Praecipimus etiam dicto abbati, ut nova vel falsa debita praefatis prioratibus non imponat, nec abbas pro prioratuum vel talium beneficiorum collatione aliquid recipere possit: cum hoc non careat vitio simoniae. Animalia etiam domus (praeter dictum palefredum) decernimus, quod nullatenus possit recipere vel habere. Insuper, si aliquis prior nolens præesse, sed magis in claustro Domino deservire, renunciaverit prioratui, hoc idem praecipimus observari. Si autem aliquis prior eiusdem ordinis mutatus fuerit, vel translatus alibi praeficiatur, ordinamus et decernimus, quod tunc nihil possit dictus abbas recipere, ne propter vacationem unius prioratus, in fraudem plures vacare faciat, ut bona omnia secum portet. Quod autem de abbate Cluniacensi statuimus, de aliis abbatibus et prioribus Cluniacensis ordinis praecipimus et decernimus observari. In dictis vero prioratibus vacantibus, nullus nisi prius institutus (cui committitur prioratus) officiales, administrantes vel ministratores amoveat, nisi de ipsorum administratione male constaret vel etiam appareret, vel non extiterit bonae vitae. Statuimus insuper, ut nullus abbas vel prior det seu concedat literas suas alicui clerico vel laico, super ipsius receptione futura in monacum vel conversum in aliqua abbatia seu prioratu sibi subiecto.

Novitii ante 15 annum non recipiuntur.

§ 30. Caeterum quia ordo videtur grave profitentibus iugum imponere, districtius inhibemus, ne ante quintumdecimum annum aetatis completum ad monachalem professionem puer aliquis admittatur, mulieribus ingressu claustri vel chori interdicto.

Iuste appellans non molestandus est.

§ 31. Statuimus praeterea, quod abbas Cluniacensis nullum ex causis legitimis pro utilitate ordinis, vel abbatiarum

vel prioratuum appellantem excommunicare vel incarcerare seu detinere praesumat. Quod si contrarium factum fuerit, excommunicans, incarcerans vel detinens, poenam suspensionis merito poterit formidare.

Levis appellatio prohibetur.

§ 32. Inhibemus tamen, ne monaci passim et pro causis levibus contra suos superiores appellent.

Regulae S. Benedicti observantia non praetermittatur.

§ 33. Et cum, secundum evangelicam veritatem, qui mandata Dei propter traditiones transgrediuntur humanas, a Domino arguantur: arctissime interdicimus, ne propter nostras traditiones vel constitutiones, regularia B. Benedicti statuta aliquatenus omittantur.

Haec reformatio ab omnibus observetur.

§ 34. Ut igitur huiusmodi mandatum lucerna sit vobis, lex, lux, via vitae, increpatio disciplinae, universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus mentes vestras et animos, tamquam devotionis obedientiae filii, ad pacem et quietem vestram solicite dirigentes, praescripta statuta studeatis inviolabiliter observare, ad frugem melioris vitae conversi, ascensionibus in corde dispositis, de gratia in gratiam, et de virtute proficientes salubriter in virtutem, bonus in omni loco efficiamini odor Christi: nosque in vestris meritis delectati, ad profectus vestros merito intendere valeamus.

Datum Reate II idus septemb., pont. nostri anno II.

Dat. die 12 septembris 1289, pont. anno II.

---

## VI.

*Quod processus habiti per inquisitores contra haereticos etiam post obitum Papae, a quo deputati fuerant, validi habeantur* (1).

SUMMARIUM

Causae decreti. — Decretum.

(1) Ex Regest. Vatic.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum inquisitoribus haereticae pravitatis auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, et imposterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Causae decreti.

Ne aliqui dubitationem forsan sollicitam excitantes, in dubium revocent, an processus per vos, quibus inquisitionis officium contra respersos haeretica pravitate infra certos limites extitit ab Apostolica Sede commissum, in casibus aliquibus habiti, qui post Romani Pontificis obitum, cuius auctoritate vobis idem est commissum officium, emerserunt, et in nonnullis aliis, in quibus licet antea emersissent, vivente tamen eodem Romano Pontifice, per vos vel alios inquisitores praedictos non fuerat aliquo modo processum, robur obtineant firmitatis, tenore praesentium in favorem fidei declaramus, decernimus et etiam statuimus, huiusmodi processibus per vos aut alios inquisitores praedictos taliter habitis nequaquam obstare, quod tempore Romani Pontificis, cuius auctoritate huiusmodi officii erat facta commissio, non fuerint inchoati.

Decretum.

Et ne de caetero similem dubitationem moveri contingat, hoc idem in similibus processibus habendis imposterum praetextu commissionum factarum hactenus et faciendarum a nobis vel nostris successoribus decernimus et statuimus observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, constitutionis et decreti infringere *etc.*

Datum apud Urbem Veterem tertio kalendas iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 29 iunii 1290, pontif. anno III.

---

## VII.

*Confirmatio erectionis Ulyxipponensis Academiae, quae variis ornatur privilegiis* (1).

(1) Ex Raynaldo ad ann. 1290, § 52.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Academia haec condita a Dionysio rege, — 2. Apostolicis favoribus ditatur, — 3. Ornaturque privilegiis a Nicolao. — 4. Clausulae.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, Universitati magistrorum et scholarium Ulixbonensium.**

Exordium.

De statu regni Portugalliae tanto solertius cogitamus, quanto maiori desiderio ducimur, ut in regno ipso, submotis quibusvis obstaculis, divini cultus observantia vigeat, salubribus intendatur operibus, et fidei catholicae puritas ad laudem divini nominis et salutem fidelium in illo degentium invalescat.

Academia haec condita a Dionysio rege.

§ 1. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod, procurante charissimo in Christo filio nostro Dionysio Portugalliae rege illustri, cuiuslibet licitae facultatis studia in civitate Ulixbonensi sunt de novo non sine multa et laudabili provisione plantata: quorum magistris, ut liberius possint vacare studiis et doctrinis, a quibusdam praelatis, abbatibus Cisterciensibus ac prioribus Sancti Augustini et Sancti Benedicti ordinum, et rectoribus quarumdam saecularium Ecclesiarum regnorum Portugalliae et Algarbii promissum esse dicitur certum salarium statutum.

Apostolicis favoribus ditatur.

§ 2. Nos autem diligentius attendentes, quod huiusmodi studiis, cooperante Illo, a quo bona cuncta procedunt, in regnis ipsis divinus cultus augebitur, crescet devotio, et fidei orthodoxae cultores informationem suscipient, virtutum decorabuntur insigniis, thesauros scientiae vendicabunt, et ideo ad augmentum et corroborationem studiorum ipsorum solicite intendentes, desiderantes quoque, ut per apostolici favoris auxilium studia ipsa firmis radicibus fulciantur; quodque super hoc factum est, ratum et gratum habemus, praefatum regem rogantes attentius et hortantes, ut cives Ulixbonenses domos vacantes ad inhabitandum scholaribus sub competenti pretio, taxando a duobus clericis, et totidem laicis, viris discretis, catholicis et iuratis, communiter electis a vobis et civibus ipsis, locare regia potestate compellat; quodque ballivos, officiales et ministrales suos civitatis eiusdem personis et rebus scholarium, ac etiam nuntiis eorumdem securitatem et immunitatem promittere faciat, super hoc ab eis praestito iuramento.

Ornaturque privilegiis a Nicolao.

§ 3. Statuimus praeterea, ut universi magistri actu regentes in civitate praedicta, proventus praebendarum et beneficiorum suorum, etiamsi personatus et dignitates existant, quotidianis distributionibus, quae iis, qui divinis intersunt officiis, assignantur, dumtaxat exceptis, integre percipere valeant et habere. Sancimus insuper, ut nulli magistri et scholares ac servientes ipsorum si, quod absit, contigerit eos in quocumque maleficio deprehendi, ab aliquo laico iudicentur vel etiam puniantur, nisi forte iudicio Ecclesiae condemnati relinquantur curiae saeculari; quod scholares in artibus et iure canonico et civili, ac medicina, quos magistri reputabunt idoneos, possint per Ulixbonensem episcopum, qui pro tempore fuerit, vel Ulixbonensi sede vacante, per vicarium ab Ulixbonensi capitulo in spiritualibus constitutum in Studio licentiari praedicto. Et quicumque magister in civitate praefata per episcopum vel vicarium supradictos examinatus et approbatus fuerit in facultate quacumque, theologica dumtaxat excepta, ubique sine alia examinatione regendi liberam habeat potestatem.

Clausulae.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, concessionis *etc.* infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Urbemveterem, v idus augusti, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 aug. anno Dom. 1290, pont. anno III.

## VIII.

*Prohibitio faciendi coniurationes, societates, confoederationes seu colligationes in terris Ecclesiae, earumque cassatio et annullatio sub excommunicationis sententia, aliisque poenis spiritualibus et temporalibus* (1).

SUMMARIUM

Ex huiusmodi confoederationibus mala solent oriri. — Eas fieri vetitum. — Factae declarantur irritae. — Poena contra inobedientes. — Clausulae.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Ex huiusmodi confoederationibus mala solent oriri

Solent coniurationes et colligationes aliae inter civitatem et civitatem vel universitates alias initae graves plerumque turbationes inducere, aliaque grandia corporum et animarum pericula germinare. Hinc talia non improvide sunt imperiali sanctione prohibita, et quae processerant, eius auctoritate cassata, poenis et aliis remediis in ipsius violatores adiectis. Nos igitur quibus Ecclesiae Romanae temporaliter subiectorum cura etiam spiritualis incumbit; ideoque ipsis maxime contra quaevis saluti animarum adversa providere tenemur, non immerito huiusmodi periculis occurrere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione de fratrum nostrorum consilio districtius inhibemus, in quibuscumque terris Ecclesiae memoratae inter civitates vel universitates quaslibet, seu inter ipsarum aliquam, et singularem personam coniurationem, societatem, confoederationem, seu colligationem quamlibet absque Sedis Apostolicae consensu et expressa licentia deinceps iniri aut contrahi, vel sub colore quolibet attentari: et si contra praesumptum fuerit, coniurationem, societatem, confoederationem seu colligationem ipsas, etiamsi poenarum vel iuramentorum fuerint adiectione vallatae, irritas decernimus et inanes: contractas autem hucusque, etiamsi poenarum vel iuramentorum simili fuerint adiectione firmatae, cassamus: statuentes, ut singulae civitates, universitates atque personae constitutionem huiusmodi violantes trium millium marcarum argenti poenam incurrant: et nihilominus non solum censura percellentur ecclesiastica, sed et alias spiritualiter et temporaliter punientur, prout qualitas commissorum exegerit, et Sedes ipsa viderit expedire: poena huiusmodi circa minora loca sive personas pro ipsorum locorum et personarum qualitate praefatae Sedis arbitrio moderanda. Moderandi vero poenam huiusmodi vel remittendi, vel super ipsa quomodolibet componendi provinciarum, terrarum vel locorum rectoribus omnimodam adimimus facultatem.

Eas fieri vetitum

Factae declarantur irritae.

Poena contra inobedientes.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis, cassationis, constitutionis et ademptionis infringere *etc.*

Datum apud Urbemveterem quartodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 novemb. 1290, pont. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

## IX.

*Excommunicationis, aliarumque poenarum contra haereticos, eorumque fautores et alios decretarum promulgatio* (1).

SUMMARIUM

Anathema, corporalesque poenae contra haereticos, — 1. Eorumque fautores, *etc.* — 2. Et utrosque non vitantes. — De suspectis. — 3. Aliae poenae. — 4. Ecclesiastica privandi sepultura. — 5. Laicis interdicuntur de fide controversiae. — Haeretici publicandi. — 7. Filiis haereticorum emancipatio interdicta.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.**

Anathema, corporalesque pœ-

Noverit universitas vestra, quod nos excommunicamus et anathematizamus uni-

(1) Ex Regest. Vatic.

nae contra haereticos.

versos haereticos, Catharos, Patharenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas et alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Damnati vero per Ecclesiam saeculari iudicio relinquantur animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si quis autem de praedictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam poenitentiam, in perpetuo carcere detrudantur: credentes autem eorum erroribus similiter haereticos iudicamus.

Eorumque fautores etc.

§ 1. Item receptatores, defensores et fautores haereticorum excommunicationis sententiae decernimus subiacere: firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, nec testamenti habeat factionem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliaque ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti: sed cum auctore damnato damnentur, et in similibus idem praecipimus observari: si vero clericus fuerit, ab omni officio et beneficio deponatur.

Et utrosque non vitantes

§ 2. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur; alias animadversione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque per-

De suspectis.

sonae propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, tunc velut haeretici condemnentur. Item proclamationes aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur.

Aliae poenae.

§ 3. Item iudices, advocati et notarii nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarii, aut Templarii, aut quilibet regulares, alioquin suo priventur officio; ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicae speciali.

Ecclesiastica privandi sepultura.

§ 4. Item quicumque tales praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiae se noverint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent et proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetua careat sepultura.

Laicis interdicuntur de fide controv. (1).

§ 5. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

Haeretici publicandi.

§ 6. Item si quis haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii per quem credat ad praelati sui et inquisitorum haereticae pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Haeretici autem et receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admit-

(1) Vide Constit. xxv Innocentii III.

tantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. Nos enim praedictos ex nunc privamus beneficiis acquisitis, volentes, ut tales et habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequaquam imposterum admittantur.

Filiis haereticorum emancipatio interdicta.

§ 7. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem huiusmodi ad invium superstitionis haereticae a via declinasse constiterit veritatis.

Datum apud Urbemveterem quinto nonas martii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 3 martii 1291, pont. anno IV.

---

## X.

***Hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, cum omnibus eius membris et bonis atque personis, sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur, et subiectio hospitalis S. Spiritus in Monte Pessulano hospitali praedicto approbatur*** (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Hospitale hoc sub A. S. patrocinio susceptum. — 1. Enunciatio locorum ad illud pertinentium. — 2. In Urbe et eius territorio. — In regno Siciliae. — 4. In Campania. — 5. In Tuscia. — 6. In Patrimonio. — 7. In Marchia Anconitana. — 8. In patriarchatu Aquileien. — 9. In Burgundia. — 10. In Lotharingia. — 11. In regno Alemanniae. — 12. In Anglia. — 13. In provincia Narbonen. — 14. In provincia Auxitana. — 15. In provincia Burdegalen. — 16. In provincia Bituricen. — 17. In provincia Arelaten. — In provincia Viennen. — 19. In provincia Terraconen. — 20. In provincia Toletan. — 21. Munus clericorum in hoc hospitali. — 22. Victum et vestitum habeant, administrationique sacramentorum vacent. — 23. Hospitale S. Spiritus in Montepessulano hospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe qua lege unitum. — Papae subscriptio. — Card. subscriptiones.

(1) De institutione hospitalis vide Innoc. III, tom. III, const. XL, pag. 189, ac Alexandrum IV, constit. XLIII, pag. 653 tomi eiusd.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, ac illius fratribus, tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.**

Exordium.

Inter opera pietatis, *etc. (Omittitur residuum huius proœmii, quia est idem cum proœmio bullae Innoc. III).* Haec igitur attendentes, hospitale nostrum apud S. Mariam in Saxia, locum satis idoneum ad hospitalitatis officium exercendum, eleemosynis Ecclesiae Romanae solemniter constructum, in quo reficiuntur et recipiuntur pauperes et infirmi, et exhibentur alia opera pietatis, ad exemplar felicis recordationis Innocentii III, Honorii III, Gregorii IX, Alexandri IV, Clementis IV, Gregorii X et Nicolai III, praedecessorum nostrorum Rom. Pontif., sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut regularis ordo, qui secundum Deum in institutione fratrum hospitalis S. Spiritus ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Hospitale hoc sub A. S. patrocinio susceptum.

Enunciatio locorum ad illud pertinentium:

§ 1. Propterea quascumque possessiones, quaecumque bona quae idem hospitale in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis et vestris successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

In Urbe et eius territorio.

§ 2. Locum ipsum in quo praefatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis, domos, vineas, hortos, annuos redditus denariorum, et quicquid iuris habetis in Urbe et in territorio et districtu Urbis. Grangiam de Vallecula cum pertinentiis suis: de Brain, de Malliana, de Peccuritia, de Pauli, de Murasuri, de Campagnano et de Caesano grangias, cum domibus, terris, vineis, sylvis, pratis, pascuis, possessionibus cultis et incultis, aquarum decursibus et omnibus

pertinentiis suis, et casale novum iuxta flumen, cum terris, pratis, possessionibus.

In regno Siciliae

§ 3. In regno Siciliae, ecclesiam de Diano et ecclesiam S. Laurentii extra Dianum, S. Mariae de Campo Diamese, S. Quirici et S. Spiritus de Claromonte ecclesias, cum pertinentiis earumdem. Apud castrum Corilionis, domum S. Spiritus cum pertinentiis suis. In dioecesi Caputaquen. ecclesiam Ss. Apostolorum Philippi et Iacobi cum pertinentiis suis. In civitate Marsici hospitale S. Spiritus, et hospitale S. Spiritus, quod habetis in civitate Troiana, et hospitale S. Spiritus, quod habetis in civitate Asculi, domos, terras, anneta (1), iardinos, et quicquid iuris habetis in territorio Genetan. Hospitale novum quod habetis in civitate Aquilen. cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Adria, cum ecclesia S. Claudii, cum domibus, terris, vineis, pratis, possessionibus, redditibus et omnibus pertinentiis suis in usum brachiae, et flumina Gomaui. In civitate Theatin. hospitale S. Spiritus. Et hospitale S. Spiritus in Piscaria. Et hospitale S. Spiritus, quod habetis in civitate Penneu. cum terris, domibus, possessionibus, redditibusve universis, bonis, et iuribus spectan. ad Ecclesias et hospitalia supradicta, et quicquid iuris in eodem regno hospitale vestrum obtinere noscitur.

In Campania.

§ 4. In Campania et Maritima, in civitate Anagnin. hospitale S. Trinitatis, cum domibus, terris, possessionibus ac omnibus pertinentiis suis. Casale Ursinum quod habetis in civitate Anagnin. cum pertinentiis suis, et ecclesiam S. Ægidii de Rapello, cum domibus, vineis, terris, sylvis, possessionibus et omnibus pertinentiis earumdem. De Monte Fortino, de Velletro, et Cora grangias, cum domibus, terris, vineis et omnibus pertinentiis earumdem, domos, terras, vineas, redditus, possessiones, et quicquid iuris habetis in Ferentin. ac Alatrin. et Terracin. civitate et dioecesi earumdem, domos, terras, vineas, prata, pascua, nemora, molendina, cum aquarum decursibus, et quicquid iuris habetis in castro et territorio Nymphae, in civitate Tiburtin. cum domibus, terris, vineis, pratis, possessionibus ac omnibus pertinentiis suis. In dioecesi Nepesin. ecclesiam S. Tolomaei cum terris, possessionibus, cum omnibus pertinentiis suis, et etiam quicquid iuris in civitate et dioec. Nepesin. hospitale vestrum noscitur obtinere. In civitate et dioecesi Sutrin. castrum Sanctae Pupae, cum ecclesia S. Mariae ad Portam in dicto castro, terris, possessionibus, molendinis, aquarum decursibus, ac omnibus aliis iuribus et pertinen. et appenden. suis: necnon iurisdictionem temporalem, et quicquid iuris habetis ibidem. Oratorium S. Mariae de Flore cum omnibus pertinentiis suis. Medietatem Caselli in de Gemita, cum terris, sylvis, possessionibus et aliis ad dictam medietatem spectan., necnon alias possessiones, terras et redditus, et quicquid iuris in civitate et dioecesi Sutrin. hospitale vestrum noscitur obtinere.

In Thuscia.

§ 5. In Thuscia, hospitale S. Spiritus de Castro Casali, cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis. Hospitale S. Spiritus quod habetis apud S. Quiricum, cum terris, vineis, possessionibus et omnibus iuribus et pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Florentia, cum domibus, terris, vineis, possessionibus et omnibus iuribus et pertinentiis suis.

In Patrimonio

§ 6. In civitate Viterbien. domos, terras, vineas, prata, hortos et quicquid iuris habetis ibidem. In castro Vite alle Placentin. cum turri sibi iuncta, et aliis domibus, terris, vineis, pratis, hortis et omnibus pertinentiis earumdem. Ecclesiam S. Leonardi de Ponte Grandinato cum pertinentiis suis, et molendinum cum acquarum decursibus, terras, vineas, possessiones. Et quicquid iuris habetis apud Gallesium, et in eius territorio obti-

(1) *Annetum*, *alnetum*, locus ubi crescunt alni (Ducange).

netis, terras, vineas, possessiones. Et quicquid iuris habetis in civitate et dioecesi Narnien., medietatem castri Tramise, et partem, quam habetis in castro Turricole, cum domibus, terris, vineis, sylvis, possessionibus et homagiis, aquarum decursibus et omnibus iuribus et pertinentiis ad easdem: partem et medietatem spectan. ad Ecclesiam S. Blasii Hortan. cum terris, domibus, possessionibus et omnibus pertinentiis suis. Castrum Pontani, cum terris, vineis, sylvis, homagiis, aquarum decursibus et omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Leonardi de Septemunis in stratu, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, sylvis et omnibus pertinentiis suis, S. Andreæ de Castro Porchiani, cum terris, vineis, sylvis, homagiis, aquarum decursibus, et omnibus pertinentiis suis, domos, terras, possessiones et quicquid iuris apud Fulginaten. obtinetis.

In Marchia Anconitana.

§ 7. In Marchia Anconitan. hospitale S. Spiritus de Asculo, cum domibus, terris, vineis, possessionibus, ac omnibus pertinentiis suis. Castrum Offidae. Ecclesiam S. Iacobi, et Ecclesiam S. Martini, cum domibus, terris, vineis, possessionibus et omnibus iuribus et pertinentiis suis.

In patriarchatu Aquileien.

§ 8. In patriarchatu Aquileien. hospitale S. Spiritus, et Ecclesiam S. Mariae de Collibus Clemone, cum domibus, terris, vineis, possessionibus et omnibus pertinentiis suis.

In Burgundia.

§ 9. In Burgundia, hospitale S. Spiritus de Divione cum pertinentiis suis, de Dola, de Tornodoro, de Barro, de S. Severa hospitalia, cum terris, possessionibus, et omnibus pertinentiis eorumdem, de Bisuntio, de Novosoro, de Fovento, de Calci, de Novocastro et de Lausanna hospitalia, cum grangiis, terris, possessionibus et omnibus terris eorumdem.

In Lotharingia.

§ 10. In Lotharingia, hospitale S. Spiritus de Novocastro, cum grangiis Berthonevalte, terris, pratis, nemoribus, molendinis, aquarum decursibus, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Tullo, cum pratis, vineis, aquarum decursibus cum pertinentiis suis, hospitale S. Spiritus de Vallicolore, cum capella, terris, pratis, possessionibus et omnibus pertinentiis suis.

In regno Alemanniae.

§ 11. In regno Alemanniae de Gtefelt, et de Winipina Ecclesias, cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis earumdem. Hospitale de Vienna, cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis suis, de Comundia, de Manuch et Cracovia hospitalia: cum terris, possessionibus et omnibus pertinentiis eorumdem. Hospitale S. Spiritus de Stetina, cum grangiis, villis, domibus, terris, vineis, sylvis, molendinis, aquarum decursibus, ac pratis, nemoribus, necnon et domibus eidem hospitali subiectis, et omnibus pertinentiis eorumdem.

In Anglia.

§ 12. In Anglia, Ecclesiam de Writell. cum capellis dependen. ab eadem, terris, possessionibus et omnibus pertinentiis, ac iuribus ad eamdem Ecclesiam et capellas spectantibus.

In provincia Narbonen.

§ 13. In provincia Narbonen. hospitale S. Spiritus de Montepessulano Magalonen. dioecesis, cum capella, grangiis, domibus, terris, vineis, pratis, pascuis, possessionibus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Clapomalauelba, cum capella et omnibus pertinen. suis.

In provincia Auxitana.

§ 14. In provincia Auxitan. hospitale S. Spiritus iuxta S. Severam, cum capella, grangiis, aquarum decursibus, terris, vineis, pratis, pascuis, nemoribus et omnibus pertinentiis; hospitale S. Spiritus de Parduvaco, cum capella et omnibus pertinentiis suis.

In provincia Burdegalen.

§ 15. In provincia Burdegalen. hospitale S. Spiritus de Brageriaco Petragoricen. dioecesis, cum capella, grangiis, terris, domibus, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Ponte Bononae cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de

Sulmaco cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de S. Fide cum capella et omnibus pertinentiis suis.

In provincia Bituricen.

§ 16. In provincia Bituricen. hospitale S. Spiritus de Confluento Lemovicen. dioecesis, cum capella, domibus, terris, vineis, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Marterello Caturcen. dioecesis cum capella, domibus, terris, vineis, possessionibus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Montevalenti eiusdem dioecesis, cum domibus, terris, possessionibus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Amelian. Ruthenen. dioecesis, cum grangiis, domibus, terris, vineis, possessionibus et omnibus pertinentiis suis.

In provincia Arelaten.

§ 17. In provincia Arelaten., hospitale S. Spiritus Aurasicen. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Brizone, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus Aquen., cum omnibus pertinentiis suis.

In provincia Viennen.

§ 18. In provincia Viennen. hospitale S. Spiritus de Argentaria Vivarien. dioecesis cum omnibus pertinentiis suis.

In provincia Tarraconense.

§ 19. In provincia Tarraconen. hospitale S. Spiritus Ilerden. cum capella, domibus et pertinentiis suis.

In provincia Toletan.

§ 20. In provincia Toletan., hospitale S. Spiritus Segobien. cum grangiis, domibus, terris, vineis, molendinis, aquarum decursibus, pratis, pascuis, nemoribus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale S. Spiritus de Valentia cum Ecclesia S. Lucae, domibus, terris, possessionibus, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitalia S. Spiritus de Valira, et S. Spiritus Iaemia cum omnibus pertinentiis eorumdem; monasterium S. Eliae quondam ordinis S. Benedicti Nepesin. dioecesis, cum ecclesiis, castris et pertinentiis, quod praefatus Alexander praedecessor noster de fratrum suorum consilio, vobis et per vos hospitali vestro concessit, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et in aliis omnibus libertatibus et immunitatibus suis.

Munus clericorum in hoc hospitali.

§ 21. Hoc tamen adiecto, ut in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici regulares eiusdem hospitalis professi, qui pro nobis, et praedecessoribus ac successoribus et fratribus nostris vivis et defunctis specialiter obsecrantes, omnia spiritualia liberaliter administrent, et super his nullius, nisi Rom. Pont., correctioni subiaceant, ad quem quotiens expedierit, monitione praemissa caritativa, fiat a fratribus proclamatio propter Deum, ut ipse, cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit providendum.

Victum et vestitum habeant, administrationique sacramentorum vacent.

§ 22. Ipsi autem victu et vestitu contenti, quem eis secundum eamdem regulam praecipimus exhiberi, divinis vacent officiis, et intendant sacramentis ecclesiasticis, ita quod de aliis hospitalitatis negotiis, praeter concessionem magistri, se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuae, fili magister, et successorum tuorum, vel eorum, qui per te vel per eos fuerint deputati ad hoc, sine contradictione ac murmuratione relinquant.

Hospitale S. Spiritus in Monte Pessulano hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe qua lege unitum.

§ 23. Caeterum autem praedictus praedecessor Honorius, unionem eiusdem hospitalis et S. Spiritus in Montepessulano, nobis et hospitali nostro in spiritualibus et temporalibus perniciosam et damnosam recognoscens, ipsam de consilio fratrum suorum dissolvit, statuens ut nec istud illi, nec illud isti in aliquo teneatur, nec nobis nec illis aliquid sit commune. Non obstan. privilegio dicti Innocentii, nec suo, quod super unione ipsa apparuerit impetratum. Verum postmodum rector et fratres praedicti hospitalis de Montepessulano, per procuratorem ad hoc legitime constitutum, ipsum hospitale suum cum omnibus domibus sibi subiectis et subiiciendis in posterum, universis rebus et iuribus supradictis auctoritate bo. mem.

Stephan. tit. S. Mariae in Transtyberim, et R. S. Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, quos ad id deputaverat praefatus Gregorius Papa IX domui nostrae sponte et voluntarie submiserunt, ut idem hospitale cum domibus suis nobis et domui nostrae ita sit suppositum et subiectum, sicut domibus hospitalis Hierosolymitani ex militia temporali sunt subiectae et suppositae domus suae, quam submissionem et subiectionem admittentes, duximus apostolica auctoritate confirmandas.

Certum, *etc. (Residuum omittitur, quia est idem ac in Constit. Innocentii III citata sup. in rub.).*

Papae subscriptio.

Ego Nicolaus catholicae Ecclesiae episcopus.

Card. subscriptiones

Ego fr. Latinus Ostiensis et Velletrensis episcopus subscripsi.

Ego Gerardus Sabinensis episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Tusculanus episcopus subscripsi.

Ego Ioannes tit. S. Caeciliae presb. card. subscripsi.

Ego frater Ugo tit. Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli Sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Iacobus Sanctae Mariae in Via Lata diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Neapoleo Sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Datum apud Urbem Veterem per manum magistri Ioannis decani Baiocensis S. R. E. vicecancellarii, 11 kal. iulii, indictione quarta, incarnationis dominicae 1291, pontificatus vero D. Nicolai IV anno IV.

Dat. die 21 iunii 1291, pontif. anno IV.

## XI.

*De recuperatione Terrae Sanctae Hierusalem a Saracenis, et de indultis crucesignatorum ad id proficiscentium, vel contributionem praestantium* (1).

### SUMMARIUM

Pia adhortatio ad incumbendum in recuperationem Terrae Sanctae.— 1. Illorum locorum sanctitas. — Saracenorum saeva crudelitas. — 2. Iterata Papae adhortatio ad recuperationem Terrae Sanctae. — 3. Eberardus Angliae rex crucesignatorum dux. — Crucesignatis praesignata dies. — 4. Indulgentia pro d. crucesignatis, vel auxilium aut subsidium subministrantibus. — 5. Indultum quod non trahantur extra dioecesim ad iudicia. — 6. Usurarum relaxatio. — 7. Facultas petendi absolutionem ab excommunicationis sententia in certis casibus.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apost. ben.**

Pia adhortatio ad incumbendum in recuperationem Terrae Sanctae.

Illuminet super vos Dominus vultum suum, et ita suo lumine ad recensendum attentius, qualiter Redemptor noster salutem humani generis in Terra Sancta dignatus est misericorditer operari, oculos in vobis hominis interioris illustret, quod accendatur ut ignis ad subveniendum Terrae illius necessitatibus, zelus vester concalescat, corda inflammentur, affectum et effectum prompta operis prosecutio subsecuta commendet. Cuius etenim pectoris etiam lapidaei quamcumque duriciam non emolliat, considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut

(1) Huic recuperationi enixe studuerunt literis ad hoc datis, indulgentiis et privilegiis concessis, Eugenius III, const. VIII, tom. II, pag. 521, Alex. III, const. XXXVII, ibid. pag. 719; Gregorius VIII, constit. II, tom. III, pag. 49; Innocentius III, constit. XLII, ibid. pag. 193; et constit. LXII, ibid. pag. 222; et constit. CVII, ibid., pag. 300; Honorius III, constit. V, ibid. pag. 314.

homo? Cuius viscera non inflammet caritatis ardore pia consideratio illius humilitatis extremae, in qua Ipse factus est obediens usque ad mortem, ad exprobrantium opprobria? velut agnus coram tondente se vere mitis obmutuit, et sicut ovis ad occisionem deductus, propter contumelias et terrores, post spinas et sputa, post flagella varia, innocens est sine causa damnatus, ac demum saturatus opprobriis, clavis affixus, aceto et felle potatus, in crucis patibulo tam dirae mortis subiit passionem, mysterium nostrae Redemptionis consummans, post traditum etiam spiritum lanceæ illusione confossus. Haec, filii, et innumerabilia largitatis divinae charismata in Terra praedicta ipsi humano impensa generi, ab eodem Redemptore piissimo, si frequenter intra claustra pectoris attenta meditatione revolvitis, si, qua decet attentione pensatis, quis vestrum non fervebit intus, foris ebulliet, exclamabit et dicet: Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? et non expectato monitoris, vel sollicitatoris officio, subiunget ultroneus: Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini vocabo?

Illorum locorum sanctitas.

§ 1. Quis sine acutissimi doloris aculeis considerare potest, non solum veneranda et piissima loca illa, in quorum altero oriens ex alto pro nobis nasci dignatus est humiliter, in reliquo mori crudeliter non expavit, sed etiam totam quasi iam terram eamdem, quam ipse idem sua illustravit corporali praesentia, miraculis clarificavit immensis, et tandem effusione sui pretiosi sanguinis in nostrae salutis effusi pretium consecravit, occupata per nefandissimos Saracenos, ipsorum immunditia pollui, foedari? Quis absque amaritudine summa commemoret tot christianorum castra, civitates et alia loca solemnia destructa penitus, ad nihilumque redacta, et eorum incolas eorumque Saracenorum immanitate peremptos? Proh dolor, qui novitatis (quoniam deplorare libet potius, quam narrare) solers censor, et discriminum, quae comminari videtur, discussor attentus, per noctem et diem, quasi torrentem lacrymas non deducat? cuius pupilla tacebit? cuius pectoris penetrale continebit suspiria vel singultuum frequentiam non erumpet, lugubri contemplatione recensens, quod, quantumcumque mater Ecclesia casum eumdem praevenire studuerit, incolis illarum partium in galeis, bellatorum multitudine ac subventione pecuniaria; iuxta persuasam ab eis denunciatae necessitatis exigentiam, et oblatae super hoc petitionis instantiam, succurrendo; nihilominus tamen civitas Acaone sic eiusdem matris Ecclesiae studio communita quadraginta et quatuor diebus arctissima babylonicae potentiae obsidione circumdata, terribilibus machinis diu noctuque vexata, impedita crebris et diris insultibus, membris etiam ipsius per cuniculos arietatis occultos, quadragesimo quarto die, obsidentium viribus (Dei permissione admirabili et stupenda) succubuit, capta per eos, et igni exposita, christicolis inibi existentibus caesis innumeris, et caeteris, qui habere nequiverunt ad maritima vasa recursum, in captivitatem abductis, ut per iugum barbaricae servitutis horribile, dispendiis civilis mortis adducti, naturali etiam diutius moriantur? et de Tirensis civitatis deditione secuta?

Saracenorum saeva crudelitas.

Iteratas Papae adhortatio ad recuperationem Terrae Sanctae

§ 2. Quis igitur de caetero marcebit ocio? quis non exurget? quis ad recuperationem Terrae praedictae non promptus exiliet? quis tardabit? quem non pudebit ingratitudinis argui? quin potius quasi de infidelitate notari, si Creatori proprio, tam benefico Domino ad redemptionem Terrae illius, quam ipsa Sacra Scriptura testatur omnium cariorem, qua potest promptitudine non assistat? cum etiam secundum iuris humani censuram subditos suis dominis, et ad tuenda, quae possident, et ad recuperanda iniuste subtracta, debitum fidelitatis adstringat? Quis de tot fidei ortho-

doxae cultoribus tam immaniter trucidatis, de tot calamitatibus captivorum, et aliis christianitatis opprobriis non ex tota mente movebitur? non suspiret? non anxiabitur ad vindictam? Profecto, cum, secundum Apostolum, omnes simus unum corpus in Christo, non immerito cum illis, de quibus scriptum est: Percussisti eos, et non doluerunt, insensibilitatis arguitur quisquis tantam huius nostri corporis mutilationem, praedictorum videlicet christicolarum non sentit excidium, et tam graviter non moeretur. Accingimini ergo, christifideles, et qui christiana religione censemini, vos christianos esse operis prosequtione monstrate; accipite devotione, qua rex vivificae Crucis signum, illud in considerationis vestrae scrutinium deducentes, quod viris quantumcumque magnificis, quantacumque dignitate praeditis et virtute, ad gloriam magnam adscribitur, si eis quovis in bello dominorum insignia gerere concedatur: sub quibus contigit frequenter non sine salutis aeternae discrimine, mortis subire periculum sub cuiuslibet spe remunerationis. Quanto igitur gloriosius, quanto securius Regis regum in eius bello victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet Crucem? Sub qua devotione congrua puro corde suscepta, conceptum prosequentibus, munditia continua, propositum mori est vitae perennis initium, transitoriae mortis finis, retributionis inaestimabilis certitudo. Festinate itaque, festinate ad salutis vestrae properare compendium. Accendatur cuiuscumque virilis animus, et consultius attendentes, quod si forte labor maior ex dictarum civitatum captione proponitur, merces uberior subsequetur, cum, sicut scriptum est: Secundum laborem accipiet unusquisque mercedem. Corpora vestra, et corda pariter eiusdem vivificae Crucis signo in d. Terrae saepefatum subsidium insignite, nunc praecipue dum ipsius Terrae subventio multis et olim per Sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus et oneribus procurata, sed diversis et adversis adventibus diutius impedita, divina, ut supponit devota credulitas, provisione dirigitur, et ad excipiendas Terrae ipsius angustias, eamque de impiorum manibus eruendam, efficaciter sub spe divini numinis praeparatur.

*Eberardus Angliae rex crucesignat. dux.*

§ 3. Siquidem charissimus filius noster christianissimus princeps Eberardus Angliae rex illustris, post tractatus varios super generali suo passagio in ipsius Terrae subsidium faciendo, diversorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, novissime tamquam benedictionis filius nostris beneplacitis acquievit, et ut post Christum, iuxta consilium eius eat, se ipsum abnegans ac tollens, ut eumdem sequatur Dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet Nativitatis B. Ioannis Baptistae (quod erit anno Domini 1293, et ei ad transfretandum personaliter, necnon ad dictum generale passagium crucesignatis et crucesignandis omnibus duximus praefigendum) humiliter acceptavit, semetipsum exponere sui Redemptoris obsequiis Terrae praefatae personaliter subveniendo disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, praetermittens regni sui terrarumque divitias, spernens delicias et gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius praedicti gloriosi vexilli dominici charactere insignia mercare (1), felici commercio perpetuam post defunctionem corporis ex ignominio perpetuitatis comparatione, vix momentaneo labore, quietem, et permutatione consulta terrena pro coelestibus commutantes, transitoria pro mansuris, temporalia pro aeternis.

*Crucesignatis praesignata dies.*

*Indulgentia pro d. crucesignatis, vel auxilium aut subsidium subministrantibus.*

§ 4. Caeterum licet ad excitandos vestros animos in Terrae memoratae succursum, sufficere debeat solers attentio praemissorum, ut tamen eiusdem Terrae negotium eo libentius, eoque ferventius prosequi studeatis, quo potiorem fructum ex vestris laboribus vos noveritis percepturos; nos de omnipotentis Dei mi-

(1) Forsan legendum *marcare* (Ducange).

sericordia et Bb. Petri et Pauli apostolorum eius, auctoritate confisi, et illa, quam nobis, licet indignis, Deus ipse ligandi et solvendi contulit, potestate, omnibus, qui vexilli dominici charactere insigniti, personaliter propriis sumptibus in praedictae Terrae subsidium proficisci curaverint, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augumentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen illuc personis accesserint, et illis similiter, qui iuxta qualitatem et facultatem suam, personas idoneas in expensis propriis destinabunt, quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi quoque remissionis et indulgentiae volumus et concedimus esse participes, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, eos, qui licet non iuxta qualitatem et facultatem suam, aliquem tamen, seu aliquas personas, in subsidium dictae Terrae propriis sumptibus destinabunt, vel de suis temporalibus bonis contribuent ad aliquas destinandas. Necnon omnes, qui ad subventionem ipsius Terrae, de bonis eisdem aliqua ministrabunt, prout singulis divina fuerit inspiratione suggestum, aut alias ad promotionem praemissi negotii consilium et auxilium impenderint opportunum. Porro si forte aliquos eorum, qui cruce suscepta in iam dictum Terrae Sanctae subsidium proficiscendi laborem subierint, post arreptum iter huiusmodi, ex hac luce migrare contigerit, ipsos nihilominus plene percipere volumus indulgentiam praelibatam. Personas quoque, familias et bona eorum, quos ad transfretandum personaliter, vel iuxta quantitatem et facultatem suam, personas idoneas destinandi, votum assumptae iam crucis adstringit, ex nunc; quos vero suscipiendae crucis de caetero votum obligavit ad idem, a die qua taliter crucem assumpserint, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus; statuentes ut sub dioecesanorum defensione suorum consistant. Quod si eos aliqui indebite molestare praesumpserint, per dioecesanos locorum, in quibus iidem molestatores fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescantur.

*Indultum quod non trahantur extra dioecesim ad iudicia.*

§ 5. Praeterea ipsis qui praedicto modo crucem vel iam assumpserint vel assument in posterum, indulgemus, ut per Sedis Apostolicae literas, vel legatorum eius (nisi forte illae quae ab eadem Sede obtentae fuerint, plenam de indulto huiusmodi fecerint mentionem) extra suas dioeceses non valeant conveniri, dummodo parati existant coram suis ordinariis de se querelantibus respondere, quos per eosdem ordinarios ecclesiastica censura defendi, cessante appellationis obstaculo, volumus ab iis, qui eosdem contra indultum huiusmodi praesumpserint temere molestare.

*Usurarum relaxatio.*

§ 6. Si qui vero ipsorum ad praestandas usuras iuramento teneantur adstricti, creditores eorum per dioecesanos suos censura simili compellantur, ut iuramentum huiusmodi penitus relaxantes, ab usurae ulterius exactione desistant. Si autem aliqui creditorum, eos ex tunc ad solutionem coegerint usurarum, ipsos ad restitutionem ipsarum per eosdem dioecesanos simili volumus districtione compelli. Iudæos quoque ad remittendas ipsis usuras per saecularem compelli praecipimus potestatem, et donec eas remiserint, ab omnibus christifidelibus, quibus hoc per suos dioecesanos denunciatum extiterit, tam in mercimoniis, quam in aliis, sub excommunicationis poena iubemus eis communionem omnimodam denegari.

*Facultas petendi absolutionem ab excommunicat. sententia in certis casibus*

§ 7. Postremo, crucesignatis et crucesignandis eisdem volentes plenius providere, dioecesanis ipsorum ac nonnullis aliis, absolvendi eos ab excommunicationis sententiis in variis casibus, de quibus secundum facti exigentiam puta-

vimus expedire, necnon dispensandi cum clericis, qui cum a canone vel homine latam sententiam incurrissent irregularitatis notam, immiscendo se divinis officiis, contraxerunt, per has nostras literas plenam et liberam concedimus facultatem.

Dat. apud Urbem Veterem kalen. aug., pont. nostri anno IV.

Dat. die 1 augusti 1291, pont. anno IV.

## XII.

*Quod exhibeantur ordini fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum omnia legata, quae pro d. redemptione non tamen certis personis relinquuntur* (1).

SUMMARIUM

Ordinis supplicatio pro obtinendo eiusmodi indulto. — 1. Indultum (*de quo in rubrica*). — 2. Derogatio contrariorum.

**Nicolaus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Caesaraugustan., salutem et apostolicam benedictionem.**

Ordinis supplicatio pro obtinendo eiusmodi indulto.

Ex parte dilectorum filiorum magistri, prioris, et fratrum S. Mariae Redemptionis Captivorum, Barchinonen. ordinis S. Augustini, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsi sua omnia, quae habent, reponant solicito studio pro redemptione captivorum, qui detinentur ab inimicis nominis christiani, exhiberi eis, quae pro redemptione captivorum huiusmodi (2) christifidelibus relinquuntur, per districtum aliquem mandaremus.

Indultum (de quo in rubrica).

§ 1. Nos itaque dignum reputantes, ut relicta huiusmodi exhibeantur magistro, priori et fratribus supradictis, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus pecuniam, terras, possessiones et alia bona, quae generaliter Christi fidelibus relinquuntur pro redemptione huiusmodi facienda, illis dumtaxat exceptis, quae certis et expressis personis in captivitate detentis, relicta vel dimissa esse noscuntur, magistro, priori et fratribus praedictis, per te vel per alium, aut alios facias exhiberi, detentores pecuniarum, terrarum, et bonorum praedictorum, ad exhibendum magistro, priori et fratribus praefatis, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica fuerit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, quae de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia dictae Sedis, cuiuscumque tenoris existat, per quem effectus praesentium impediri valeat vel differri, et de qua eiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Dat. apud Urbem Veterem, nonis aug., pont. nostri anno IV.

Dat. die 5 augusti 1191, pontif. anno IV.

(1) Regulam huic ordini dedit Innocentius III, constit. XVII, tom. III, pag. 133; et constit. LXIX, ibid. pag. 234, nonnulla ei concessit privilegia. Eiusque fratribus, vivendi sub regula S. Augustini facultatem dedit Gregorius IX, constit. XLII, ibid., pag. 485. Tandem regulam explicavit Clemens IV, constit. XXV, ibid. pag. 786. (2) Legendum forsan hic et in tertio versu seq. columnae *a Christifidelibus*.

# COELESTINUS V

## PAPA CXCII

*Anno aerae Christi comm. MCCXCIV*

Coelestinus Quintus, antea Petrus de Murrhone monachus, filius Angelerii, patria Iserniensis, electus est in Romanum Pontificem Perusii die 5 iulii anno 1294, consecratus est Aquilae die 29 augusti anno eodem. Sedit in pontificatu annum I, mens. V, dies VIII. Die siquidem 13 decembris anni 1294, habito Neapoli cardinalium consensu, se pontificatu abdicavit: tandemque in eremo Fumonis pie obiit die 19 maii 1296. Post eius abdicationem vacavit sedes dies XI.

# I.

*Approbatio statutorum congregationis monacorum Coelestinorum ordinis S. Benedicti, cum indultorum et gratiarum concessione.*

SUMMARIUM

Pontificis studium erga ord. S. Bened.—1. Confirmatio statutorum ordinis Coelestinorum. — 2. Exemptio ab omnium iurisdictione pro monasterio S. Spiritus de Sulmona, et eius membris. — 3. Celebratio capituli generalis et electio abbatis. — 4. Abbatis benedictio. — 5. Subrogatio alterius priori defuncto, durante officio. — 6. Ordinis protectio, sub Sede Apostolica. — 7. Ordo approbatur in d. monasterio et aliis. — 8. Exemptio a decimis. — 9. Facultas recipiendi quoscumque etiam alterius religionis. — 10. Prohibitio discedendi ab ordine. — 11. Prohibitio alienandi stabilia absque consensu capituli. — 12. Fideiubendi et mutuo recipiendi. — 13. Monachi cogi nequeant ad synodos, *etc.* — 14. Facultas alia monasteria construendi. — 15. Priorum liberae consulitur electioni. — 16. Abbatis facultas benedicendi populum, vasaque et paramenta Ecclesiarum: — 17. Primumque lapidem ponendi in Ecclesiis aedificandis: — 18. Minores ordines conferendi. — 19. Ordinarius nihil capiat pro consecratione Ecclesiarum, *etc.*: — 20. Monachi vero ad ordines conferendos, *etc.* quem libuerit episcopum vocare possint: — 21. Et celebrare tempore interdicti: — 22. Sacramenta ministrare, mortuosque sepelire: — 23. Absolvere etiam intrantes ordinem. — 24. Personae ordinis non tenentur publicare interdictum, *etc.*: — 25. Neque monialium curam suscipere. — 26. Facultas eis datur ordinis apostatas censuris impetendi. — 27. Habitus consimilis caeteris prohibetur. — 28. Ordinem profitentes quomodo de incertis debeant satisfacere. — 29. Omnimoda Ecclesiarum ordinis libertas. — 30. Personae ordinis eius prælatis confiteantur. — 31. De oblatis vel legatis nihil aliis solvant. — 32. Exemptio a iurisdictione ordinariorum. — 33. Prædicandi facultas: — 34. Confessionesque audiendi: — 35. Campanam pulsandi: — 36. Dispensandi cum intrantibus ordinem. — 37. Oblationes recipiendi, etiamsi sint bona feudalia: — 38. Et praecipuum monasterium ad libitum mutandi. — 39. Irritatio omnium quae contra praemissa attentata fuerint. — 40. Annua recognitio debita Sedi Apost.

**Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Honufrio patri abbati monasterii S. Spiritus de Sulmona Valven. dioecesis, eiusque coabbatibus ac prioribus et praelatis monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum, membrorum, et locorum eidem monasterio S. Spiritus subiectorum, eorumque conventibus, collegiis et fratribus ordinis S. Benedicti, praesentibus et futuris in perpetuum.**

Pontificis studium erga ord. S. Bened.

Etsi cunctos ordines plantatos in agro sacrosanctae ac universalis Ecclesiae, paternis prosequamur affectibus, et ad statum ipsorum tranquillum et prosperum sollicite intendamus; Beati tamen Benedicti ordinem (in quo, dum iuventutis nostrae progressio ordiretur, professionis nostrae vota devovimus) singulari et praecipua affectione diligimus, et zelo sincerioris et strictioris caritatis afficimur circa ipsum. Et ad suae stabilitatis et promotionis incrementa felicia, opem, operamque solicitam impendentes, speramus in Domino, quod idem ordo ab antiquis annis in divinae laudis caritate fundatus, per vestrae solicitudinis studium servabit eo perfectius fructus suos, quo... per vestrae solicitudinis studium, quantum vobis ex alto permissum fuerit restauratus, amissi luminis propriam reassumere poterit in summae lucis, quae Christus est, potentia claritatem.

Confirmatio statutorum ordinis Coelestinorum.

§ 1. Cupientes igitur, ut circa praefatum ordinem, huiusmodi nostrae caritatis affectus eniteat operis per effectum, statuta, constitutiones, instituta et ordinamenta in eodem ordine pro salute vestra facta, auctoritate apostolica confirmamus, et canonice in posterum facienda volumus et mandamus ex tunc inviolabiliter observari.

§ 2. Ac eumdem ordinem, necnon

Exemptio ab omnium iurisdictione pro monasterio S. Spiritus de Sulmona, et eius membris.

monasterium S. Spiritus de Sulmona et alia monasteria, ecclesias, prioratus, membra et alia omnia loca dicto monasterio S. Spiritus subiecta ubicumque consistentia, eidem ordini incorporata vel incorporanda in posterum, eorumque personas ab omni prorsus iurisdictione, potestate ac dominio archiepiscoporum et episcoporum et abbatum omnium, in quorum civitatibus et dioecesibus ac provinciis illa consistunt et consistent etiam in futurum, ac aliorum quorumlibet ordinariorum, praelatorum et capitulorum, seu conventuum, monasteriorum et Ecclesiarum et personarum quarumlibet, prorsus eximimus et etiam liberamus, et ea omnia et singula libera et exempta volumus perpetuo totaliter permanere. Exemptionum gratiis, in illis ex vestris monasteriis, quae prius per Sedem Apostolicam exempta fuerant, in suo robore nihilominus duraturis. Non obstante si monasteria, prioratus, ecclesiae, membra et alia loca praefata dioecesanis episcopis vel aliis personis ad census aliquos teneantur, vel reperirentur forsitan esse aliquibus in aliquo obligata. Et in eo praecipue, quod fratres d. ordinis in S. Spiritus de Maiella et S. Spiritus de Sulmona monasteriorum conventibus constituti submissiones quasdam dilectis filiis capitulo basilicae Principis Apostolorum de Urbe, de facto sive de iure fecisse dicuntur, quas submissiones sub quacumque verborum concessione vel expressione confectas, necnon et praefatos census de plenitudine potestatis enervamus, cassamus, irritamus omnino et viribus carere decernimus, et nullius ex nunc existere firmitatis, ita quod praetextu earumdem submissionum ac censuum aliquorum, tu, fili pater abbas, tuique successores et fratres, ac personae monasteriorum et locorum aliorum vestrorum praedictorum, a quoquam de caetero nequeant molestari, vosque vestrosque successores, ac monasteria et loca in perpetuum nolumus molestari.

Celebratio capituli generalis et electio abbatis.

§ 3. Et quia inter alia quae immunitates sapiunt, de praecipuis casibus arbitramur hoc esse necessarium, ut de substitutione futuri abbatis, tibi, fili abbas S. Spiritus, quem patrem abbatem caeteris tuis coabbatibus et praelatis et fratribus tibi subiectis praesentibus et futuris perpetuo stabilimus, praecipue ordinamus, et praesenti decreto statuimus, annis singulis in maiori vestro monasterio vel in alio loco vestri ordinis, ubi vobis expediens visum fuerit, fiat capitulum generale, ubi vestri ordinis et locorum, secundum B. Benedicti regulam, facta tractentur. Praesidentes vestri capitulis celebrandis et visitatores vestri, locorumque vestrorum constituantur in illo, secundum vestri ordinis instituta. Ubi volumus et districte praecipimus observari, quod pater abbas singulis trienniis in generali capitulo sponte suam offerat et exhibeat cessionem. Nisi forte dictus pater abbas ante tempus huiusmodi in aliqua de gravioribus culpis a visitatoribus vel alias legitime deprehensus amotionem in dicto capitulo mereatur. Quod si idem pater abbas, vel cesserit, aut amotus extiterit, idem capitulum statim, et absque temporis intervallo ad patris abbatis substitutionem procedat et iuxta formam in regula traditam debitos constituat electores. Qui sub conclavi positi, antequam cibum et potum sumant, de abbate cedente (si eum utilem esse putaverint), vel de alia persona monasteriorum et locorum vestrorum per electionem canonicam praedicto monasterio S. Spiritus provideant de abbate. Qui quidem abbas, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso suae administrationis officium habeat, et illud tamquam pater abbas, prout ad eum pertinet, libere exequatur.

Abbatis benedictio.

§ 4. Ac idem electus, si alias non extiterit benedictus, benedictionis suae munus a quocumque maluerit catholico episcopo, gratiam et communionem Apo-

stolicae Sedis habente recipere studeat, illudque sibi dictus episcopus (si divinam ultionem evitare voluerit) gratis impendat. Alioquin praedictum electum, ut praemittitur, in executione suae administrationis, in ordine tamen sacerdotii volumus permanere.

Subrogatio alterius priori defuncto, durante officio.

§ 5. Et si dictus pater abbas infra annum forte decederet, prior vel superior dicti monasterii S. Spiritus, et visitatores etiam, curam et administrationem ac custodiam dicti monasterii S. Spiritus gerant et habeant usque ad tempus capituli generalis, ubi secundum praemissum modum dicto monasterio provideri debeat de abbate.

Ordinis protectio, sub Sede Apostolica.

§ 6. Nosque volentes vos et bona vestra paternis favoribus confovere; personas vestras, et loca, in quibus estis divino obsequio mancipati, cum bonis vestris omnibus sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Ordo approbatur in d. monasterio et aliis.

§ 7. In primis siquidem statuentes, ut praefatus ordo in eodem S. Spiritus, et aliis monasteriis, prioratibus, locis et membris vestris, praesentibus et futuris, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Et quascumque possessiones et bona quae praefatum monasterium S. Spiritus, cum monasteriis et locis suis in praesentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis (praestante Domino) poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus illibata maneant et quieta, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet, locum ipsum, in quo praefatum monasterium situm esse dignoscitur, cum omnibus pertinentiis suis, monasterium S. Ioannis in Plano, Nucerinae dioecesis, Sancti Spiritus de Maiella, S. Petri Vallisbonae, S. Spiritus de Buclano, Sancti Spiritus de Ortona, S. Spiritus de Lanzano, Theatinae dioecesis, S. Eusebii de Urbe, S. Mariae in Pizano, S. Salvatoris de civitate Pennensi, Pennensis dioecesis, S. Mariae de Collemadio iuxta Aquilam, S. Spiritus de Isernya, S. Mariae de Trenento, S. Mariae de Anglohe, Treventinae dioecesis, S. Spiritus iuxta Venafrum, S. Spiritus Alifanensis, S. Antonii de Campania, Ferentinatis dioecesis, S. Antonii Anagninae dioecesis, prioratus S. Ioannis de Aquasancta, S. Mariae inter Montes, Sancti Georgii de Rocha Morici, et Sancti Petri de Monte Plano; cum ecclesiis, capellis, decimis et grangiis, pratis, vineis, terris, sylvis, nemoribus, usuagiis et pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, viis et semitis, iuribus, libertatibus et immunitatibus, fructibus, et universis obventionibus eorumdem.

Exemptio a decimis.

§ 8. Sane de fructibus terrarum et possessionum vestrarum, ac etiam novalium, quae propriis manibus et sumptibus colitis, vel per homines vestros, aut alios excoli facietis, in propriis praediis seu etiam alienis, sive de hortis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat; a quarum praestatione vos totaliter liberamus. De decimis namque quae subsidio dominorum temporalium de mandato Sedis Apostolicae a clericis et personis ecclesiasticis in Italiae partibus pro tempore exiguntur, circa vos et vestra monasteria et loca, sic volumus observari, quod vobis pro singulis vestris monasteriis, cum grangiis et pertinentiis eorumdem, pro decimis praedictis singulos florenos auri plene solventibus, ad solutionem maiorem, vel aliam, pro praedictis decimis faciendis, vos et monasteria, prioratus, ecclesias, grangias et loca vestra omnia decernimus non teneri, et excommunicationum, suspensionum, et interdicti sententias contra vos, et in praedicta loca quavis auctoritate in contrarium proferendas, ipso facto aliquatenus non tenere.

§ 9. Liceat quoque vobis clericos sae-

Facultas recipiendi quoscumque etiam alterius religionis.

culares vel religiosos, cuiuscumque religionis existant, vel laicos quoscumque, qui mundi relictis illecebris, ad vos et loca vestra convolaverint, ad ordinem vestrum in locis vestris recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, literis sive indulgentiis Apostolicae Sedis super hoc cuicumque ordini vel religioni, seu personis quantumvis exemptione vel immunitate gaudentibus, sub quavis forma verborum concessis.

Prohibitio discedendi ab ordine.

§ 10. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro, vel in aliis locis vestris eiusdem ordinis professionem, fas sit sine abbatis sui licentia ordinem ipsum relinquere, et ad locum religionis alterius, vel ad ordinem alium se transferre. Discedentem vero aliter nullus cuiuscumque religionis vel status existat, audeat retinere. Quod si secus factum fuerit, tam discendens, quam is, seu illi, qui ipsum talem receperint, si requisiti eum a se non reiecerint infra mensem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Prohibitio alienandi stabilia absque consensu capituli.

§ 11. Illud quoque districtius inhibentes, ne tu, fili pater abbas, vel aliquis ex praelatis vestris, terras seu quaslibet possessiones d. monasterio S. Spiritus, vel membris eius a Christifidelibus collatas, vel in posterum conferendas, aut successores tui, dare, vendere, distrahere aut alienare absque consensu totius capituli generalis, aut maioris vel sanioris partis, et in casibus a iure permissis, modo quolibet praesumatis. Quod si secus factum fuerit, alienationes huiusmodi, ex nunc irritas esse, et tam concedentes, quam ipsos recipientes, singulos eorum videlicet excommunicationis; collegia vero et universitates interdicti sententiis, si forte requisiti a vobis, bona praedicta alienata taliter restituere noluerint infra mensem, ipso facto volumus subiacere.

Fideiubendi et mutuo recipiendi.

§ 12. Caeterum ne aliquis monacus, vel conversus, in monasteriis et locis vestris professus, absque consensu et licentia proprii abbatis, seu maioris partis sui conventus, pro aliquo fideiubeat vel ab aliquo pecuniam mutuo recipiat quoquomodo districtius inhibemus. Quod si secus factum fuerit, abbatem et conventum praefatos ad haec teneri nolumus, et fideiubentem, et recipientem pecuniam mutuatam, eo ipso volumus vinculo excommunicationis astringi.

Monachi cogi nequeant ad synodos, etc. (1).

§ 13. Inhibemus etiam, ne aliquis episcopus, vel quaevis alia persona, spiritualem vel aliam iurisdictionem habens, vos ad synodos vel conventus forenses, nec ad convocationes suas accedere vel cum eis, intra vel extra civitates vel terras, personaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, seu capitula, scrutinia et inquisitiones, in locis vestris, vel aliquid de vobis vel de vestrorum aliquo facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, et manualem obedientiam a vobis aut prioribus et superioribus vestris exigere.

Facultas alia monasteria construendi.

§ 14. Seu etiam prohibere, ne ad civitates, seu villas, et ad loca quaelibet, ubi religiose et honeste morari possitis, audeatis accedere, ibique pro vestris usibus aedificia, monasteria, ecclesias, seu oratoria ex permissione et indulto nostro construere libere valeatis. Aut in accedentes fratres et monacos vestros, seu constructores huiusmodi, vel receptatores eorum excommunicationis vel interdicti proferre sententias. Aut alias fratres vestros ire ad conventus forenses, nec ad monasteria, ecclesias, prioratus, seu membra, et loca vestra praefata causa celebrandi ordines, aut tractandi causas, vel conventus aliquos publicos convocandi, vobis invitis, venire praesumat.

Priorum liberae consulitur electioni.

§ 15. Nec regulares electiones abbatum vel priorum monasteriorum et locorum vestrorum impediat, aut de instituendis aut removendis ipsis se aliquatenus intromittat. Quod si aliter prae-

(1) Vide Concil. Trid., sess. 24, cap. 2, et sess. 25, cap. 13.

sumptum extiterit, venientem contra praemissa, cuiuscumque status, præeminentiae, dignitatis vel conditionis existat, interdicti sententiae volumus subiacere.

Abbatis facultas benedicendi populum, vasaque et paramenta Ecclesiarum.

§ 16. Liceat quoque tibi, praedicte pater abbas, tuisque successoribus inter fratres eiusdem ordinis et aliis ad missas vestras convenientibus, benedictionem solemnem facere; dummodo ibi praesens non sit aliquis episcopus vel alia quaevis persona superioris status, sicut sunt patriarchae vel cardinales.

Primumque lapidem ponendi in Ecclesiis aedificandis.

§ 17. Ac vasa et alia paramenta ad cultum divinum pertinentia; necnon in aedificandis capellis, ecclesiis, aut hospitalibus primarium lapidem et fundamenta pontificali more benedicere.

Minores ordines conferendi (1).

§ 18. Necnon omnes minores ordines fratribus et aliis familiaribus et subditis vestris, ascribi volentibus militiae clericali, vestra largitione conferre, et omnia alia facere, quae ad abbates exemptos ipsius ordinis in suis monasteriis et ordinibus pertinere noscuntur.

Ordinarius nihil capiat pro consecrat. Ecclesiarum etc.

§ 19. Pro consecrationibus vero altarium vel Ecclesiarum, aut pro Oleo Sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis alicuius, aut alio quovis modo quicquam audeat extorquere; sed haec omnia vobis gratis et liberaliter impendantur. Sit etiam in vobis liberum eadem a quocumque catholico episcopo, qui gratiam et communionem praedictae Sedis obtineat, licere recipere, qui, nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat.

Monachi vero ad ordines conferendos, etc. quem libuerit episcopum vocare possint:

§ 20. Concedimus quoque vobis, ut si quem huiusmodi episcopum, de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo consecrationes altarium et monachorum ordinationes in sacris, ex permissione Sedis Apostolicae recipere valeatis.

Et celebrare tempore interdicti (1).

§ 21. Porro cum generale terrae fuerit interdictum, in monasteriis, ecclesiis et oratoriis et aliis quibuscumque locis competentibus, si in terra sic interdicta constiterint, clausis ianuis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis (submissa tamen voce) vobis liceat celebrare divina et ecclesiastica recipere sacramenta: dummodo causam non dederitis interdicto, nec id contingat vobis per Sedem Apostolicam specialiter interdici, neque monasteria, Ecclesiae et oratoria eadem alias fuerint eiusdem Sedis auctoritate specialiter interdicta

Sacramenta ministrare, mortuosque sepelire.

§ 22. Illis vero, qui vestris immorantur obsequiis, aliisque omnibus Christi fidelibus propter hoc ad vos devote recurrentibus, ex permissione apostolica et indulgentia speciali, quas vobis huiusmodi privilegii auctoritate concedimus, cuncta libere ministrare possitis ecclesiastica sacramenta, et ipsorum corpora, cum decedunt, in vestris coemeteriis libere et absque dioecesanorum vel aliorum ordinariorum contradictione et aliorum quorumlibet sepelire. Sepulturam siquidem vestram liberam esse decernimus, ita quod extremae voluntati decedentium et illis qui se illic deliberaverint sepeliri, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, aut usurarii manifesti, nullus obsistat. Et si quando in terras, in quibus residetis, vel earum personas, excommunicationis et interdicti sententias contigerit promulgari, homines vestris servitiis insistentes, negotiorum quoque vestrorum gestores et procuratores, oblati et operarii, qui in locis vestris cum eorum operibus personaliter institerint, huiusmodi sententiis innoxii habeantur, nec praedictis sententiis sint ligati, ibique possint audire divina iuxta formam, quae locis ipsis et in eo casu, in quo a Sede Apostolica est concessa, nisi praefatae personae causam dederint interdicto, vel excommunicari specialiter seu interdici per dictam Sedem contingat eosdem.

(1) Ad hoc vide Concil. Trident., sess. 7, cap. 11.

(1) Hoc revocavit Concil. Trident., sess. 25, cap. 12.

Absolvere etiam intrantes ordinem.

§ 23. Insuper recipientibus ordinem vestrum et in eo facta professione, qui suspensionis aut interdicti vel excommunicationum sententiis, a iure vel ab homine promulgatis, generaliter et specialiter sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiae impartiri, ipsosque in fratres et monacos recipere, dummodo in eodem ordine perseverent; ac eos, qui post assumptum habitum vel professionem emissam recoluerint, se talibus in saeculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam eamdem, tu, fili pater abbas, tempore tuo, et in posterum successores tui auctoritate nostra de absolutionis beneficio providere et dispensare cum eis super irregularitatibus, quas contraxerunt vel contrahent, si talibus forsan innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis divina praesumpserint officia celebrare, aut ordines receperunt. Ita tamen, quod si aliqui huiusmodi sententiis propter debita sunt adstricti, in quantum possunt satisfaciant, ut tenentur. Vosque abbates et priores parentibus oppressorum, cum ab eis fueritis humiliter requisiti, de poenitentiis salutaribus iuxta formam a canonibus traditam providere salubriter valeatis.

Personae ordinis non tenentur publicare interdictum, etc. (1).

§ 24. Sane quieti vestrae providere volentes, quod per literas Apostolicae Sedis, aut legatorum eius seu delegatorum apostolicorum seu subdelegatorum ab eis conveniri a quoquam minime valeatis, quodque nullus correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium in monasteriis vel ecclesiis aut prioratibus, membris et locis vestris impendere, vel cognitiones causarum audire praesumat, nec subsint inquisitoribus.

Neque monialium curam suscipere.

§ 25. Nullusque vestrum citationes partium et denunciationes sententiarum interdicti vel excommunicationis facere in praedictis locis, aut recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum minime teneamini, et ad id cogi non possitis inviti per literas dictae Sedis, vel legatorum eius, nisi eædem literae apostolicae de indulto huiusmodi, et ordine vestro, et de dicto monasterio S. Spiritus de Sulmona fecerint mentionem, auctoritate vobis apostolica indulgemus.

Facultas eis datur ordinis apostatas censuris impetendi.

§ 26. Concedentes vobis nihilominus, quod si aliqui vestri monaci seu fratres post obtentam licentiam a Sede Apostolica, vel a vobis, ad religionem aliam transeundi, infra spatium trium mensium se ad illam religionem suae saluti congruam non contulerint, et ipsius non susceperint habitum regularem, licite absque alia requisitione ordinariorum seu dioecesanorum locorum, ubi reperti fuerint, ipsos tamquam apostatas monasteriorum vestrorum, et locorum, excommunicare, incarcerare, ac alias rigori subdere vestri ordinis disciplinae possitis per vos aut alios, etiam in quocumque habitu eos contigerit inveniri; et invocare super hoc (si necesse fuerit) auxilium brachii saecularis, quod tenore concessionis huiusmodi, per eos quos super hoc requiretis, sub obtestatione divini numinis volumus exhiberi. Insuper omnes monacos vel fratres, quos a monasteriis vel locis vestris, eorum culpis exigentibus, per vos aut per vestros vicarios expelli contigerit, et qui proprio suo motu de locis vel monasteriis ipsis exiverint, ad religionem aliam absque huiusmodi licentia, vel ad saeculum aut ad laicatum, tamquam canis ad vomitum rediens, convolabunt, ab omni promotione dignitatis et administrationis ecclesiasticae seu saecularis esse decernimus alienos. Praedicandi officium, audiendi etiam confessiones ac docendi alios in quacumque facultate, potestate talibus apostatis penitus interdicta.

Habitus consimilis caeteris prohibetur.

§ 27. Inhibentes expressius, ne aliqua persona cuiuscumque status, conditionis vel religionis existat, habitum vestrum aut consimilem (nisi de monasteriis et locis vestris fuerint) deferre praesumant. Contra facientes per dioecesanos locorum,

(1) Revocavit Concil. Trid., sess. ult., cap. 12.

cum a vobis super hoc fuerint requisiti, deponere habitum huiusmodi per censuram ecclesiasticam, cuiuslibet appellationis obice non obstante, arctius compellantur. Quod si iidem dioecesani vel ordinarii id efficere malitiose forte neglexerint, postquam a vobis vel nunciis vestris super hoc requisiti fuerint, in suspensionis laqueum incidant ipso facto.

Ordinem profitentes quomodo de incertis debeant satisfacere

§ 28. Adiicimus etiam, quod si aliquis in aliquo monasteriorum vel locorum vestrorum professus, ante ingressum suum in religionem, aliquibus personis, universitatibus vel collegiis, de quibus quorumque nominibus memoria penitus non habetur, in aliqua quantitate pecuniae, vel ad restitutionem aliquarum rerum esset obnoxius, illam et rerum aestimationem ab eo licite recipere, et in locis vestris, in quibus expedire videbitur, in usus utiles convertere valeatis, et huiusmodi satisfactionem impendens, a praestatione satisfactionis alterius remaneat absolutus.

Omnimoda ecclesiarum ordinis libertas

§ 29. Nullisque religiosis vel saecularibus, cuiuscumque status vel conditionis existant, liceat aliquorum corpora defunctorum, vobis invitis (quod prohibemus), penitus in vestris sepelire coemeteriis, nec in monasteriis, ecclesiis, prioratibus et aliis locis vestris missarum solemnia vel mortuorum officia celebrare.

Personae ordinis eius praelatis confiteantur

§ 30. Nullisque ex vestris monacis fratribus et conversis licitum sit cuiquam, absque praelatorum suorum licentia, nisi praelatis ipsis sua confiteri peccata.

De oblatis vel legatis nihil alii solvant.

§ 31. Concedimus quoque vobis, ut de iis, quae in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, sive aliis ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis aut victu ad substentationem vestram, vel indumentis et calceamentis vestris, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua monasteria, ecclesiae, prioratus, membra, aliaque loca vestri ordinis obligata forsitan viderentur, aut de iis, quae pro domibus, praediis, hortis, aliisque locis emendis vobis legantur; de oblationibus quoque et obventionibus etiam, quas occasione funerum, et aliis, quae iure institutionis seu successionis, aut legati vel relicti, aut fidei commissi ad vos, et ecclesias, et loca vestra, pietatis intuitu devenire contigerit, nulli teneamini iustitiam seu portionem canonicam exhibere: et ad hoc vos decernimus aliquatenus non teneri.

Exemptio a iurisdictione ordinariorum (1)

§ 32. Caeterum cum felicis recordationis Innocentius Papa quartus praedecessor noster olim duxerit statuendum, ut exempti quantacumque gaudeant libertate; nihilominus tamen ratione delicti seu contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere. Nos vobis, ut occasione constitutionis huiusmodi nullum libertatibus et immunitatibus seu indulgentiis vel privilegiis, vobis et monasteriis et locis vestris per nos (ut praemittitur) apostolica auctoritate concessis, praeiudicium generetur, auctoritate vobis praesentium indulgemus.

Praedicandi facultas (2)

§ 33. Propterea proponendi populo verbum Dei, et dandi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui huiusmodi praedicationi interesse voluerint, quadraginta dierum indulgentiam de iniunctis eis poenitentiis.

Confessionesque audiendi:

§ 34. Audiendi quoque confessiones, et iniungendi poenitentias, et imponendi absolutionem debitam pro confessis; conferendi etiam ecclesiastica sacramenta, tam hominibus et vassallis vestris, quam caeteris christifidelibus.

Campanas pulsandi:

§ 35. Necnon habendi et pulsandi campanas die noctuq. ad horas canonicas, et quandocumque de vestra processerit voluntate, absque cuiusque contradictionis obiectu.

(1) Vide Conc. Trid., sess. 25, c. 11 et 14.
(2) Item, sess. 24, cap. 4.

Dispensandi cum intrantibus ordinem.

§ 36. Dispensandi etiam cum fratribus seu monacis ad vestra monasteria et loca convolantibus, et ibidem degentibus, super irregularitatibus quibuscumque, etiam si prius eas fortasse contraxerint, quam praedicta loca et monasteria intravissent, dummodo ex homicidii vel mutilationis causa, irregularitates ipsae minime sint contractae. Absolvendi etiam fratres et monacos memoratos ab excommunicatione quacumque, etiam si eius absolutio tantum sit Sedi Apostolicae reservata, plenam et liberam vobis, filii abbates, auctoritate apostolica concedimus potestatem.

Oblationes recipiendi, etiamsi sint bona feudalia:

§ 37. Indulgemus etiam vobis, ut bona feudalia vel alia quaelibet vobis oblata libere recipere valeatis ac licite retinere, nulla constitutione seu consuetudine contraria obsistente; aut etiam si loci dioecesanus bona ipsa pro decimis non solutis, aut praestationibus aliis sibi aut Ecclesiae suae asserat obligata.

Et praecipuum monasterium ad libitum mutandi.

§ 38. Et quia mutatio temporum facti mutationem forte requireret, licitum sit vobis aliquod aliud de monasteriis vestris, praesentibus aut futuris, caput aliorum monasteriorum et membrorum vestrorum (si expediens fuerit) ordinare.

Irritatio omnium quae contra praemissa attentata fuerint.

§ 39. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum, indulgentiarum et inhibitionum huiusmodi, et capitulorum omnium et etiam singulorum, quae superius sunt expressa, per quoscumque attentatum est, vel in posterum contigerit attentari; et interdicti, suspensionum et excommunicationum sententias, si quas contra praemissa, vel aliquod praemissorum, in vos vel in vestrum aliquem, sive aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros aut executores vel haeredes, a quocumque cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, aut honoris vel status existat, in posterum contigerit promulgari, volumus eo ipso penitus non tenere.

Annua recognitio debita Sedi Apost.

§ 40. In signum vero perceptae libertatis vestrae, et subiectionis solius Romanae Ecclesiae per nos vobis concessae, ut superius praemittitur, unam unciam auri, solvendam annis singulis in festo Nativitatis Domini, tam pro capite, quam pro membris vestris, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus persolvatis (1).

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Dat. Aquilae v kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 septembris 1294, pont. anno I.

---

# BONIFACIUS VIII

## PAPA CXCIII

*Anno Domini MCCXCIV.*

Die 14 decembris anni 1294 electus est Neapoli in Summum Pontificem Benedictus Caietanus, Anagninus patria, patre vero Luitfredo, illustri Caietano stemmate ortus, qui fuerat antea presbyter cardinalis Ss. Silvestri et Martini tituli Equitii. In Pontificem electus, Bonifacius VIII voluit appellari: consecratus vero est et coronatus Romae mense ianuario anni sequentis. Sedit in pontificatu annos VIII, mens. IX, dies XVIII (2), imperantibus in Oriente Andronico, in Occidente vero Rodulpho, mox Alberto regibus Romanorum. Obiit Romae die 11 octobris anno 1303, et sepultus est in basilica Sancti Petri. Vacavit sedes dies XI.

(1) Forsan *persolvetis.* (2) Ab electionis die computandos.

I.

*Bonifacius Papa Eduardum Angliae regem certiorem facit de Coelestini PP abdicatione, suique in Pontificem electione* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Dei assistentia Ecclesiae: — Quae tutior est, et constantior in adversitatibus. — 2, 3. Maximum Ecclesiae malum, si providum non habeat pastorem. — 4. Coelestini V Summi Pontif. cessionem narrat. — 5. Electionem suam in Summum Pontificem: — 6, 7. Suam exponit in acceptando pontificatu dubietatem. — 8. Quid demum ad accipiendum moverit. — 9. Angliae regem hortatur ut administret iustitiam, ecclesiasticorumque tueatur privilegia: — 10, 11. Atque in suis et regni negotiis ad Pontificis benevolentiam recurrat.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo regi Angliae illustri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Gloriosus et mirabilis in operibus suis Deus, qui, cum sit in misericordia copiosus, in huius orbis orbita, plena malis, confecta dissidiis, innumeras miserationes exercet; Ecclesiam suam, quam ipse Summus Opifex rerum instituit, ac supra fidei firmam petram alia (2) et solida fabrica stabilivit, opportunis favoribus prosequi non desistit.

Dei assistentia Ecclesiae

§ 1. Assistit enim illi miserator et propitiator assiduus, non obdormiens, nec dormitans, in suarum opportunitatum eventibus pervigil custos eius. Ipse siquidem sibi est in turbatione solamen, in necessitate succursus; tumque maxime in adiutorium eius sua pietas larga diffunditur, cum adversus illam mundi nubila tempore caligante levantur, quae inter molestias et afflictiones intrepida colligens in vexatione vigorem, in ipsa malorum instantia convalescit; nam divino semper munita praesidio, nec comminationum strepitu deterretur, nec adversitatum superatur incursu, sed in terroribus tutior et constantior in adversis, pressa praevalet, passa triumphat.

Quae tutior est, et constantior in adversitatibus.

Maximum Ecclesiae malum, si providum non habeat pastorem.

§ 2. Haec est arca, quae per confluentias et multiplicationes aquarum elevatur in altum, et subactis culminibus montium, libera et secura profundas impetuosi diluvii calcat undas. Haec est uti navis, quae, vento contrario irruente, strepentis maris furibundis motibus agitatur; firma tamen et solida fragoribus non dissipatur aequoreis, nec marini furoris rapiditate sorbetur; sed elatas procellas obruens, ac spumosa et tumida freta sternens, triumphantes exequitur suae navigationis incessus, quae ad vitalem crucis salvificae arborem rectae intentionis alis totaliter elatis, in caelum semper intenta procellosum intrepide mundi pelagum peragrat; eo quod secum habet seduli gubernatoris auxilium, marium praeceptoris; unde regente Illo et dirigente salubriter, ac Spiritu Sancto flante, adversitatum quarumlibet nebulis dissipatis, victoriosa peregrinationis suae liberum agit iter, ad patriae coelestis portum supernis nutibus feliciter perducenda. Cumque sic adversis innumeris prematur et turbetur Ecclesia illa; in intimis ipsam acerbius sauciat, duriusque ferit adversitas, cum pastore provido viduatur.

§ 3. Sed licet saepius Ecclesia eadem pastoris regimine destituta, longae viduitatis lamenta protraxit, expectando gemebunda diutius consolationem plenariam successoris; in huiusmodi tamen moeroris nubilo dignanter illi clementia divina illuxit, doloribus et necessitatibus suis opportune subveniens per substitutionem optatam et delectabilem novi sponsi; ac eam de amissione prioris, interdum inutilis, per promotionem celerem accommodi successoris instaurans.

§ 4. Sane, vacante Romana Ecclesia per liberam et spontaneam dilecti filii

(1) Ex Archiv. Angliae Rimer., tom. II, pag. 667. — Raynaldus eiusdem fere tenoris literas Senonensi archiepiscopo, eiusque suffraganeis datas refert ad annum 1295, § 7. (2) Forrsan *alta*.

Coelestini V Summi Pontif. cessionem narrat.

fratris Petri de Murrone, olim Romani Pontificis, cessionem coram venerabilibus fratribus episcopis et filiis nostris presbyteris et diaconis cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ex certis rationabilibus et legitimis causis factam ab ipso in festo beatae Luciae virginis proximo praeterito, et a cardinalibus praedictis admissam, cum illam posse legitime fieri, et priorum gesta Pontificum, et constitutiones declararent apertius; et ad eam etiam faciendam expressus accesserit cardinalium praedictorum assensus;

Electionem suam in Summum Pontificem:

§ 5. Cardinales ipsi considerantes attentius, quam sit onusta dispendiis, quam gravia malorum incommoda secum trahat prolixa Ecclesiae memoratae vacatio: et propterea votis et ardentibus desideriis cupientes per efficacia et accelerata remedia huiusmodi periculis obviare; die Iovis decimo kalendas ianuarii post festum subsequens praedictum, missarum solemniis ad honorem Sancti Spiritus celebratis, hymnoque solito cum devotione cantato, se in quodam conclavi apud castrum novum, civitati Neapolitanae contiguum, ubi tunc idem frater cum sua residebat familia, incluserunt, ut per mutui commoditatem colloquii Ecclesiae praedictae provisio, superna cooperante virtute, celerius proveniret. Die vero Veneris immediate sequente praefati cardinales, mentis oculis erectis ad Dominum, pia desideria benignius prosequentem in electionis negotio, per viam scrutinii ferventibus studiis, ut praedicta vitarentur incommoda, procedentes; et tandem cum divina clementia Ecclesiae praelibatae compatiens eam nollet ulterioris vacationis periculis subiacere, ad personam nostram, licet immeritam, intentum animum dirigentes, quamquam inter eos quamplures magis idonei et digniores etiam haberentur;

Suam exponit in acceptando pontificatu dubietatem:

§ 6. Nos tunc tituli Sancti Martini presbyterum, in summum Pontificem canonice elegerunt, gravis oneris sarcinam nostris debilibus humeris imponendo. Nos autem, profunda et sedula meditatione pensantes difficultatem officii pastoralis, continui laboris angustias, et praecellentiam apostolicae dignitatis, quae sicut honoris titulis altioris attollit, sic magnitudine ponderis deprimit gravioris; attendentes insuper nostrae simplicis imperfectionis instantiam, expavimus et haesitavimus vehementer, nimioque concussum extitit stupore cor nostrum.

§ 7. Nam cum ad tolerandas particulares vigilias vix possibilitas nostra sufficiat, ad universalis speculae solicitudinem vocabamur, et intolerabile apostolici ministerii iugum inferebatur instanter debilitatis nostrae cervici iugiter supportandum; ac meritorum non suffulti praesidio ad suscipiendas Apostolorum Principis Petri claves, et gerendum super omnes ligandi et solvendi pontificium angebamur.

Quid demum ad accipiendum moverit.

§ 8. Verum tamen, ne divinae Providentiae opus impedire forsitan videremur, aut nolle nostrae voluntatis arbitrium suo beneplacito confirmare; ac etiam, ne corda electorum concordia per nostrae dissentionis obiectum ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem ad subeundum iugum huiusmodi nostros impotentes humeros submittendo; non quod de aliqua nostrae probitatis virtute fiduciam habeamus, sed quia in Eius speramus clementia, qui confidentes in se non deserit, sed eis propitius opportunis auxiliis semper adest, quique de sublimi polorum solio Ecclesiam sponsam suam intuetur misericorditer, et tuetur; suaeque illam exaltare non desinit copiosis beneficiis pietatis.

Angliae regem hortatur ut administret iustitiam, et ecclesiasticorum tueatur privilegia:

§ 9. Ideoque celsitudinem tuam rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Domino Iesu Christo, quod iudicium diligit regis honor, metas iustitiae curiosus observes, illamque sincere diligere studeas, aequitatem non deserens, clementiam non omittens, ut subiectus tibi populus copiosus in pacis pulchritudine sedeat, et in requie opulenta quiescat. Ecclesiam insuper matrem tuam, et ipsius

praelatos nostri utique Salvatoris ministros, caeterasque personas ecclesiasticas, eius obsequiis dedicatas, quin potius in illis Regem coelorum, et Dominum, per quem regnas et regeris, incessanter et solerter honorans, ipsos regii favoris ope confoveas, et in pulchritudine libertatum aliorumque suorum iurium efficaciter protegere studeas et tueri. Sicque in his tamquam filius benedictionis et gratiae te geras et dirigas, quod clarae memoriae progenitores tuos, qui erga praefatam Ecclesiam summae devotionis et reverentiae titulis, dum viverent, claruerunt, non solum imitari sollicite, sed etiam reverenter excedere dignoscaris, ad laudem et gloriam Dei Patris, et celebre magnumque tui honoris et nominis incrementum.

Atque in suis et regni negotiis ad Pontificis benevolentiam recurrat.

§ 10. De nobis autem, ut patre benevolo et sincero, qui te, prout celsitudinem regiam latere non credimus, in minori etiam officio constituti, affectuose dileximus et diligere non cessamus, spem certam, et fiduciam firmam gerens, in tuis et eiusdem regni negotiis et opportunitatibus, qnae occurrent, ad nos recurrere non postponas.

§ 11. Nam in his, super quibus ex parte regia fuerimus requisiti, libenter, quantum cum Deo poterimus, votis regiis annuemus, tuam et eiusdem regni prosperitatem omnimodam non solum studiis conservare sollicitis, sed etiam plenis augmentare favoribus intendentes *etc.*

Datum Laterani nono kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 24 ianuarii anno Domini 1295, pontif. anno I.

---

## II.

*Contra dantes aliquid, vel promittentes, aut recipientes, pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam, ac etiam contra scientes et non revelantes* (1).

SUMMARIUM

Excommunicatio in dantes quicquam aut promittentes et recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam: — 1. Promittentesque et recipientes: — 2. Scientes et non revelantes. — 3. Reservatio absolutionis. — 4. Irritatio gratiae vel iustitiae hac via obtentae. — 5. Excommunicatio scienter ea utentium.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Excommunicatio in dantes quicquam aut promittentes et recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam.

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexus, sive sint familiares curiae, sive alii undecumque, qui aliquod parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta vel manifesta facta sub generalibus, et plenarie non expressis aperte verbis, quicquam dederint, aut receperint, magnum vel parvum, vel promissionem de quacumque re aut utilitate propter hoc consequenda fecerint vel receperint, pro aliqua iustitia sive gratia, pro se aut pro alio, in causis vel iudiciis, seu alias per literas apostolicas et quibusque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Promittentesque et recipientes.

§ 1. Et hanc sententiam ad promittentes et acceptantes, et dantes et recipientes, duximus extendendam.

Scientes et non revelantes.

§ 2. Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in praedictis, et nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad nos verbum

(1) Constitutio ista licet sit inter extrav. commun. in tit. *De sentent. excomm.*, eam tamen posui tamquam curialibus admodum necessariam, et quia in hoc opere extat Bulla Greg. XIII incipien. *Ab ipso*, ubi haec extenditur ad praedictorum complices et auxiliatores. Prout etiam confirmata et ampliata fuit a Clemen. VIII in eius const. *Pro commissa*. Quam diligenter attende, quoniam puto eam esse intelligendam secundum eius subiectam materiam, idest ligare dantes aliquid vel recipientes de bonis communitatum Status Ecclesiastici, et non alios. Cherubinus.

fideliter perferatur, simili decernimus sententiae subiacere.

Reservatio absolutionis.

§ 3. Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro praedictis, vel aliquo praedictorum, absque speciali mandato nostro absolutionis beneficium valeat obtinere, nisi forsan ad nos habere accessum non posset, in mortis articulo constitutus. Nec etiam ad absolutionis gratiam admittatur, nisi prius quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Irritatio gratiae vel iustitiae hac via obtentae.

§ 4. Iustitiam vero, sive gratiam sic obtentam, nullius prorsus esse momenti volumus, omnique statuimus carere effectu et robore firmitatis.

Excommunicatio scienter ea utentium.

§ 5. Sed scienter utentes ipsis, simili sententia excommunicationis adstringimus, et reservantes nobis absolutionem eorum cum praemissis in omnibus ad poenas similes obligamus.

## III.

*Quod prope Ecclesias et conventus fratrum Eremitarum ordinis S. Augustini, non possint alii religiosi Mendicantes nova loca aedificare infra spatium cannarum centum quadraginta.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causa huius prohibitionis. 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — 3. Qui sint religiosi Mendicantes. — 4. Qualitas cannarum. — 5. Derogatio contrariorum.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali, aliisque provincialibus, prioribus, ac universis fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, salutem et apost. benedictionem.**

Exordium.

Ad consequendam gloriam coelestis patriae sic divina pietas per suam gratiam humilitatem vestram cernitur allexisse, quod semper ad hoc intenti estis et vigiles, ut illam vobis, et proximis per innocentis vitae studium acquiratis. Haec et alia sancta pauperrimae religionis vestrae merita nos inducunt, quod simus ex intimo cordis affectu soliciti, ut in omnibus, quae ad laudem Dei, et tranquillum statum devotionis vestrae cupitis, habeamus providentiae studium efficacis.

Causa huius prohibitionis.

§ 1. Sane non sine quadam turbatione animi frequenter audivimus, quod inter vos et religiosos aliquos, illa de causa, aemulationis et dissensionis materia oritur, quod ipsi domos et ecclesias regulares iuxta loca vestra, non sine gravi vestro praeiudicio et scandalo manifesto, quandoque construere praesumebant.

Prohibitio (de qua in rubrica).

§ 2. Cum itaque ad apostolici spectet officii dignitatem de regno militantis Ecclesiae cuiuslibet scandali materiam abolere: nos digne volentes, quod huiusmodi aemulationis et dissensionis occasio per diligentiae nostrae studium amputetur; auctoritate praesentium ordinamus, et districtius inhibemus, quod nulli liceat amodo de Minorum, Praedicatorum, Poenitentiae Iesu Christi, S. Mariae de Monte Carmelo, S. Clarae, aliisque ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de praedictis seu quibuslibet aliis ordinibus aliquod monasterium, ecclesiam vel oratorium aedificare seu construere; nulli quoque saeculari vel religioso, cuiuscumque professionis, ecclesiam vel monasterium seu oratorium iam aedificatum, in aliquem transferre de ordinibus memoratis, infra spatium centum quadraginta cannarum a vestris Ecclesiis mensurandarum per aerem, etiam ubi alias mensurari loci dispositio non permittit. Praeterea, statuimus, ut quodcumque, contra huiusmodi ordinationis et inhibitionis nostrae tenorem ex nunc in antea aedificatum fuerit, diruatur.

Qui sint religiosi Mendicantes.

§ 3. Et ne de notitia ordinum et quantitate cannarum huiusmodi, aliqua possit dubitatio exoriri, illos ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex regula vel constitutionibus suis, extra septa Ecclesiarum, monasteriorum suo-

rum vel officinarum eorum, et clausuram ipsorum nullas debent possessiones habere; quod si aliquis de ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris habere, in aliis vero non habere noscatur, eum, quoad ordinationem et inhibitionem huiusmodi, praedictis ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus.

Qualitas cannarum.

§ 4. Et quamlibet cannarum ipsarum octo palmorum longitudinem continere.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus varia locorum consuetudine seu privilegiis, indulgentiis sive literis quibuscumque tam supradictis ordinibus quam mulieribus, vel alicui eorum ab Apostolica Sede, sub quacumque forma concessis, seu etiam concedendis, quae de praesentibus specialem et expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo, *etc.*

Dat. Later. 11 kalendas martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 19 februarii 1295, pont. anno I.

---

## IV.

*Quod conservatores concessi certis Ecclesiis a Sede Apostolica ab iniuriis manifestis defendantur, qui iubentur esse canonici aut praediti dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus* (1).

SUMMARIUM

1. Conservatores eligendi qui sint in dignitate aliqua constituti. — 2. Aliis committere vices suas quando possint. — Conservatorum officium expirat post obitum concedentis. — 3. Quibus in causis concedendi ii conservatores qui a petente postulantur. — 4. Eadem statuuntur de iudicibus de simplici iustitia. — 5, 6. Aliae ad rem dispositiones. — Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Conservatores eligendi qui sint in dignitate aliqua constituti.

§ 1. Statuimus, ut conservatores, qui ab Apostolica Sede conceduntur interdum, ut aliquos a manifestis iniuriis et molestiis tueantur, sint in alicuius civitatis Ecclesia cathedrali canonici, vel dignitatem aliquam seu personatum in civitate vel dioecesi eius obtinentes, extra quam siquidem civitatem vel aliquos ad iudicium evocare non valeant, nec etiam procedere contra illos, qui de civitate vel dioecesi non fuerint supradictis, vel infra civitatem eamdem dumtaxat de commissis sibi negotiis sive causis possint cognoscere: aliis tamen nequeant committere vices suas, nisi expresse hoc eis ex litterarum conservatoriarum beneficio competere dignoscatur.

Aliis committere vices suas quando possint.

Conservatorum officium expirat post obitum concedentis (1).

§ 2. Citationes tamen et denuntiationes sententiarum, quas iidem personaliter tulerint, possint tantum infra civitatem vel dioecesim praedictam facere per se vel alium, seu alios, qui de civitate vel dioecesi fuerint memoratis; quodque conservatorum ipsorum, quoad non cepta negotia, ipso iure expiret officium post obitum concedentis; ubi vero huiusmodi civitas minime haberetur, seu destructa fortasse existeret, et in eius dioecesi locus reperiretur insignis, in loco ipso de huiusmodi negotio cognoscatur, et totalis processus habeatur in ipso.

Quibus in causis concedendi ii conservatores qui a petente postulantur.

§ 3. Cum autem per capitulum cathedralis Ecclesiae alicuius civitatis, vel singulares personas ipsius aut per immediatum superiorem eorum, utpote patriarcham, primatem, archiepiscopum vel episcopum, quisquam se diceret molestari; tunc illi taliter proponenti, ipsoque volente, poterunt conservatores concedi hi, qui in ipsa Ecclesia cathedrali canonicatum habeant vel personatum seu dignitatem in civitate vel dioecesi praelibatis; vel, si maluerit impetrator, sibi concedantur conservatores, qui canonicatum habeant in cathedrali Ecclesia civitatis, vel personatum seu dignitatem, in eadem civitate vel eius dioecesi illorum, contra quos, qui de civitatibus seu dioecesibus praedictis non fuerint, vel extra civitatem, in cuius cathedrali Ec-

(1) Ex Archiv. Angliae Rimer., tom. I, pag. 33.

(1) Vide in Lucio III, Constit. XIV.

clesia canonicatum, vel in qua seu cuius dioecesi dignitatem aut personatum obtinent, possint de negotiis sibi commissis cognoscere vel ferre sententiam contra eos.

Eadem statuuntur de iudicibus de simplici iustitia.

§ 4. Adiicimus insuper statutum huiusmodi, ut iudices, qui in litteris de simplici iustitia conceduntur, sint in alicuius civitatis Ecclesia cathedrali canonici, vel personatum seu dignitatem in eadem civitate vel eius dioecesi obtinentes: extra quam civitatem vel dioecesim aliquos ad iudicium evocare non valeant, nec procedere contra illos, qui de civitate vel dioecesi non fuerint supradictis; infra quam etiam civitatem dumtaxat de commissis sibi negotiis sive causis personaliter possint cognoscere, ac vices suas quoad cognitionem causarum talium commissarum eisdem, vel prolationes interlocutoriarum vel diffinitivarum sententiarum, aut ipsarum executiones committere nequeant, nisi his, qui in eiusdem civitatis cathedrali Ecclesia canonicatum, vel in ipsis civitate vel dioecesi dignitatem obtinent, seu etiam personatum, sed nec alia media causae, articulos vel ministeria certa minora committere liceat, nisi personis civitatis vel dioecesis earumdem.

Aliae ad rem dispositiones.

§ 5. Cum autem contra capitulum cathedralis Ecclesiae alicuius civitatis, vel singulares personas ipsius, aut contra immediatum superiorem ipsorum, utpote patriarcham, primatem, archiepiscopum vel episcopum huiusmodi litterae de simplici iustitia impetrantur, expresse impetratore volente, concedi poterunt iudices talium litterarum, qui in ipsa cathedrali Ecclesia canonicatum habent, vel personatum seu dignitatem in eisdem civitate seu dioecesi; vel, si maluerit impetrator, concedantur iudices, qui canonicatum habeant in cathedrali Ecclesia civitatis, vel personatum seu dignitatem in eadem civitate vel eius dioecesi vicinis, continuis seu conterminis civitati vel dioecesi illorum, contra quos, ut praemittitur, tales iudices impetrantur: in hoc etiam casu nullus extra dictas civitates vel dioeceses ad iudicium evocetur, nec procedatur contra eos, qui non fuerint de civitatibus vel dioecesibus memoratis.

§ 6. De causis, auctoritate et negotiis sibi commissis in civitate, in cuius Ecclesia cathedrali canonicatum, vel in qua, seu cuius dioecesi, personatum vel dignitatem obtinent, dumtaxat cognoscant; nec quoad cognitionem de negotiis et causis ipsis prolationem interlocutoriarum vel diffinitivarum sententiarum vel executionem ipsarum possint alii, vel aliis committere vices suas, qui in eiusdem civitatis cathedrali Ecclesia canonicatum, vel dignitatem seu personatum in civitate ac dioecesi non obtinent supradictis, sed nec alia media causae, articulos vel ministeria certa minora committant nisi personis civitatis et dioecesis earumdem. Decernimus quoque, ut ipso iure sit irritum et inane si quid contra praemissa contigerit attentari.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani VI idus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 8 aprilis 1295, pontif. anno I.

---

## V.

*Restituitur regi Aragonum regnum, quo ex causa occupationis regni Siciliae privatus fuerat* (1).

### SUMMARIUM

Procemium. — 1. Petrus Aragoniae rex excommunicatus, regnoque privatus: — Aragoniae regnum, aliique principatus Phi-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

lippo Francorum regi concessi. — 2. Iacobus Petri successor pacem fecit cum Philippo rege Francorum, et Siciliam Papae restituit. — 3. Carolus Valesius, obtento ab Ecclesia regni Aragonici iure, decedit. — Restituit Iacobo Bonifacius Aragoniae et Valent. regnorum iura. — 4. De Pontificis manu cardinalis S. Clementis, Iacobi nomine, accepto annulo, iis investitur. — 5. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum.**

Prooemium.

Splendor gloriae, et figura substantiae Dei Patris, in cuius lumine lumen inspicitur, operoso mysterio lenitatem pacis amare nos instruit, et quodam exemplaris speculo fragilitati nostrae viam humanae miserationis ostendit.

Petrus Aragoniae rex excommunicatus, regnoque privatus:

§ 1. Sane propter iniustitiam manifestam quondam Petri, olim regis Aragonum, circa occupationem insulae Siciliae, terrae peculiaris Ecclesiae, variosque conatus et insidias ad alias partes regni Siciliae occupandas, seditionem in ea insula motam, commotionem et concitationem populi factam inibi contra rempublicam Ecclesiamve Romanam, et clarae memoriae Carolum Siciliae regem, non absque strage et occisione multorum; felicis recordationis Martinus Papa quartus, praedecessor noster, regnum Aragoniae, caeterasque terras Petri praefati exponens, de fratrum suorum consilio, ipsum Petrum, dudum Aragonum regem, eisdem regno et terris regioque honore sententialiter, iustitia exigente, privavit, et privans exposuit eadem regnum et terras occupanda catholicis, de quibus, et prout Sedes Apostolica duceret providendum.

Aragoniae regnum, aliique principatus Philippo Francorum regi concessi.

Postmodum vero idem regnum Aragonum atque Valentiae, et comitatum Barchinonae, quae sunt de terris positis, quae olim fuerant dicti Petri, clarae memoriae Philippo regi Francorum, et dilecto filio nobili viro Carolo nato eius Alanzoni et Valesii comiti electo, ad dictorum regnorum, et comitatus regimen a rege praefato per ministerium seu deputationem bonae memoriae Ioannis tituli Sanctae Ceciliae presbyteri cardinalis, de ipsorum fratrum consilio, praehabita deliberatione, concessit.

Iacobus Petri successor pacem fecit cum Philippo rege Francorum, et Siciliam Papae restituit.

§ 2. Verum, praefato Petro sublato de medio, post varios tractatus pacis habitos inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliae regem illustrem eiusdemque Petri posteros, sibi successores in vitium, Qui facit concordiam in sublimibus suis, Iacobi de Aragonia praefati quondam Petri, olim regis Aragonum filii, praecipue succedentis in culpam, praefatam insulam et nonnulla alia loca, in regno Siciliae citra Pharum occupata tenentis, hostis Ecclesiae, regisque dictorum, ut insinuatio nobis et fratribus nostris facta continet, animum convertit ad pacem: sicque inter iam dictos regem et Iacobum tractatus pacis est habitus et firmatus; in quo ex parte praefati Iacobi illa inter caetera sunt conventa: quod insula memorata Siciliae cum omnibus terris et castris, casalibus, fortalitiis, insula Maltae aliisque omnibus insulis eidem insulae Siciliae adiacentibus, ubicumque sint, sicuti bonae memoriae praefatus rex Siciliae ante rebellionem insulae praenominatae tenebat, iuxta nostri determinationem arbitrii per eumdem Iacobum Romanae restitueretur Ecclesiae; aliis locis, castris et insulis, quae per ipsum Iacobum, valitores, factores, complices et ministros ipsius citra Pharum occupata tenentur, restituendis praefato Carolo regi viventi, iuxta nostrae provisionis arbitrium, nec non liberis et aliis obsidibus dicti regis, quos idem Iacobus apud se detinet, iuxta formam in serie praefati tractatus annexam, certis hinc inde pro firmiori pacis nexu et charitatis mutuae matrimoniis copulandis.

§ 3. Nos itaque cernentes frementia undique mundi pericula, et quae instant prae foribus ruinam minantia, gravia

detrimenta super Terram Sanctam, desertam incolis christifidelibus, ipsorum destitutam suffragiis, flentes amare; cum, catholicis principibus distractis ad bella civilia, non sit, qui consoletur eam ex omnibus charis suis; ac misericordiam potius, quam iudicium cantare cupientes Altissimo; ad reparationem quoque status praefati regis Siciliae filii specialis Ecclesiae specialem habentes considerationis intuitum; et memoratum tractatum pacis paternae charitatis brachiis amplectentes, facta iam in manibus nostris per charissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum regem illustrem, et dilectum filium nobilem virum Carolum fratrem eius Alanzoni et Valesii comitem, renunciatione legitima et solemni de praedictis regnis, et comitatu Barchinonae, clarae memoriae praedicto Philippo regi Francorum eorum parenti, et eidem Carolo comiti, ut praemittitur, per Ecclesiam ipsam concessis, omnique iure et actione eius competente pro illis, eidem Iacobo et suis haeredibus, de fratrum nostrorum consilio et assensu, restituimus, reddimus atque concedimus iam dicta regna Aragonum atque Valentiae, ac comitatum Barchinonae, honorem regium ac omnia et singula, quae sententia dictae Sedis Apostolicae lata contra dictum Petrum, olim regem Aragonum, patrem suum, continebat expresse; et ea, atque verba sententiae, vel effectus eiusdem sententiae se extendunt, ut ea habeant et teneant eo modo, quo habebat et tenebat dictus Petrus, quondam rex Aragonum, pater suus, antequam Romanam Ecclesiam offendisset in aliquo; et de praedictis regnis et comitatu in quondam Alphonsum primogenitum eius donationem, ut dicitur, contulisset: nec intendimus, quod per praedictas restitutionem, redditionem et concessionem, nobis vel ipsi Ecclesiae ius aliquod acquiratur nec retineatur in illis, occasione retentionis seu reservationis, quam fecit Ecclesia in dictis regnis et comitatu cum ipsa praedicto quondam Philippo Francorum regi concessit; nec ratione concessionis factae de ipsis per Romanam Ecclesiam dicto Carolo comiti, aut renunciationis seu resignationis praefatae factae in manibus nostris per eosdem regem Francorum et Carolum comitem fratrem eius; sed eidem Iacobo, suisque successoribus in eisdem regnis, comitatu seu terris sua iura firma et illibata persistant; nec ex iis sibi vel suis in aliquo praeiudicium generetur: sed ea habeant et teneant, ut praedicitur, eo modo, quo habebat et tenebat dictus Petrus, antequam Romanam Ecclesiam in aliquo offendisset, et de praefatis regnis et comitatu contulisset donationem in Alphonsum, ut dicitur, memoratum: investientes per nostrum anulum de praedictis omnibus et singulis, eiusdem Iacobi et haeredum suorum nomine, dilectum filium nostrum Guillelmum tituli Sancti Clementis presbyterum cardinalem, quem pro votiva perfectione tractatus eiusdem versus partes ultramontanas praesentialiter destinamus.

Carolus Valesius, obtento ab Ecclesia regni Aragonici iure, decedit.

Restituit Iacobo Bonifacius Aragoniae et Valent. regnorum iura.

De Pontificis manu cardinalis S. Clementis, Iacobi nomine, accepto annulo, iis investitur.

Clausulae

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum restitutionis, redditionis, concessionis et investiturae infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem *etc.*

Datum Anagniae per manum magistri Petri de Piperno Sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, undecimo kalendas iulii, indictione octava, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, pontificatus vero domini Bonifacii Papae octavi anno primo.

Ego Bonifacius catholicae Ecclesiae episcopus.

*(Sequuntur subscriptiones dominorum Cardinalium, qui interfuerunt in forma).*

Dat. die 21 iunii 1295, pontif. anno I.

## VI.

*Dismembratio archiepiscopatus Tolosan. et erectio episcopatus Appamiarum (1).*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae erigendi novi episcopatus. — Villa Appamiarum in civitatem erigitur: — Et Ecclesia S. Martini in cathedralem. — 2. Dos novi episcopatus. — 3. Robur decreto additum.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Romanus Pontifex, qui, supernae dispositionis arbitrio in supremae dignitatis specula constitutus, Ecclesiarum omnium rector agnoscitur, vineæque dominicae custos generalis et cultor, ac totius ovilis catholici pastorumque omnium Summus Pastor, de apostolicae plenitudine potestatis tradita sibi a Domino, cuius nutui cuncta subserviunt, obediunt singula, obtemperant universa; interdum cathedrales et alias unit et adnectit Ecclesias; interdum vero ad episcopatuum divisiones procedere non omittit: cum temporis qualitas suggerit, causae rationabiles persuadent: ut omnia, quae pontificali noscuntur officio imminere, prudenter et solerter exerceat ac salubri et provida exequi studeat actione.

Causae erigendi novi episcopatus. § 1. Sane considerantes attentius, et infra claustra pectoris meditatione sollicita revolventes, quod Tolosana Ecclesia usque adeo amplam et diffusam dioecesim obtinet, prout ex ipsa facti evidentia innotescit, quod Tolosanus episcopus, qui extitit pro tempore, nequit ipsam, ut debet et convenit, visitare, non sine gravi animarum dispendio personarum degentium in eadem: pensantes etiam, quod Ecclesia ipsa in proventibus et redditibus annuis tam affluenter, tamque magnifice abundare conspicitur, prout famae veridicae revelat assertio, et clara fide dignorum testimonia profitentur, quod de ipsorum multitudine copiosa non solum duobus, sed pluribus etiam potest episcopis iuxta suae dignitatis decentiam annis singulis provideri; quodque propter ea felicis recordationis Clemens Papa quartus praedecessor noster, animarum fidelium saluti prospiciens, et illarum partium notitiam plenam habens, ad divisionem huiusmodi episcopatus Tholosani, dum viveret, firmiter intendebat, certam ad hoc, sicut asseritur, dioecesim distinguendo, villam Appamiarum, pridem de dicta Tholosana dioecesi existentem, locum utique nobilem et insignem, multisque commoditatibus praeditum, ad Dei laudem et gloriam, exaltationem catholicae fidei, et divini cultus augmentum, de fratrum nostrorum consilio et assensu ac potestatis plenitudine supradictae, in civitatem erigimus, et civitatis vocabulo insignimus, eam a iurisdictione qualibet Tholosani episcopi penitus eximentes: auctoritate Sedis Apostolicae decernendo, ut Beati Martini confessoris ecclesia, eidem civitati vicina, in qua corpus gloriosi Antonini martyris, prout proponitur, requiescit, sit de caetero et habeatur praedictae civitatis Ecclesia cathedralis.

Villa Appamiarum in civitatem erigitur.

Et Ecclesia S Martini in cathedralem.

Dos novi episcopatus. § 2. Concedimus quoque ex nunc authoritate praedicta et donamus, deputamus, et etiam providemus futuro Appamiarum episcopo, eiusque successoribus, qui pro tempore fuerint, de situatis redditibus et proventibus supradictis septem millia librarum Turonen. parvarum, percipienda integre anno quolibet ab eisdem: ita quod idem Appamiarum episcopus et successores ipsius habeant et percipiant in huiusmodi redditibus annuatim decem millia librarum eiusdem monetae, computatis in eis tribus millibus libris monetae ipsius ad quos redditus et proventus Ecclesiae Appamiarum annis singulis ascendere dignoscuntur.

Robur decreto additum. § 3. Quia vero, quod de civitate ipsa per Apostolicae Sedis providentiam circumspectam factum et ordinatum esse dignoscitur in hac parte, perpetuis futuris temporibus esse volumus valiturum,

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

et robur obtinere incommutabilis firmitatis, auctoritate praedicta districtius inhibemus, ne aliquis cuiuscumque præeminentiae, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi episcopali vel archiepiscopali seu regia præfulgeat dignitate, huiusmodi ordinationem Sedis eiusdem quovis quaesito colore vel modo, sive causa vel occasione qualibet adinventis, turbare seu quomodolibet impedire praesumat. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc per quemcumque apostolica vel alia quavis auctoritate contigerit attentari: et nihilominus in eos, qui ex certa scientia contrarium quovis modo praesumpserint, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiam promulgamus, a qua nonnisi per Romanum Pontificem absolutionis beneficium valeat obtineri. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum erectionis, insignitionis, exemptionis, constitutionis, concessionis, dationis, deputationis, provisionis, inhibitionis et promulgationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Anagniae decimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 23 iulii 1295, pontif. anno I.

---

## VII.

*Quod fratres ordinis B. Mariae de Monte Carmelo cappis albis de caetero utantur, dimissis aliis mantellis diversorum colorum* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Petitio ad Pontificem. — 2. Statutum capituli generalis de cappis — 3. Confirmatur a Pontifice.

(1) Ordinem, regulasque Carmelitarum confirmavit Honorius III PP., Constit. LXXVIII, tom. III, pag. 415. Quas regulas declaravit Innocentius IV, Constit. XIV, *ibid.*, pag. 535. Illis vero diversas vestium species iuxta diversas in Ordine gradus distribuit Alexander IV, Constit. XVI, *ibid.*, pag. 615.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali, et caeteris prioribus et fratribus ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Petitio ad Pontificem.

§ 1. Sane lecta coram nobis vestra petitio continebat, quod olim bo. mem. Latino Ostien. episcopo, et Gervasio tit. S. Martini in Montibus presbytero cardinali significantibus, per suas literas inter alias continentes, priori generali, caeterisque fratribus vestri ordinis in generali nunc instanti capitulo congregandis, quod fel. recor. Honorius Papa IV praedecessor noster, de fratrum suorum consilio, eis, pia et provida deliberatione concesserat, ut eorum habitum, sive varietatem ipsius minus decentem, et displicentem quam pluribus, in alium decentem commutaret.

Statutum capituli generalis de cappis

§ 2. Idemque prior generalis et fratres postmodum in capitulo congregati praedicto, deliberatione super mutatione huiusmodi praehabita diligenti, unanimiter statuerunt, ut ex tunc caeteri priores et fratres ipsius ordinis mantellis diversorum colorum, quibus uti consueverant, dimissis, omnino cappis albis in posterum uterentur.

Confirmatur a Pontifice.

§ 3. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod circa huiusmodi mutationem habitus in hac parte provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum 7 kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 25 novembris 1295, pont. anno I.

## VIII.

*De auctoritate praelatorum ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici, eorum subditos, iuris apicibus et appellatione postpositis, compescendi.*

SUMMARIUM

Causae addendae constitutionis. — 1. Auctoritas praelatorum ordinis (*de qua in rubrica*). — Prohibitio appellandi.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, prioribus, ac fratribus universis ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.**

Causae addendae constitutionis.

Ad augmentum continuum religionum et ordinum, quos Romana suscepit et approbavit Ecclesia, paternis studiis intendentes, et considerantes attentius, quod non intermissa sedulitas disciplinae, religiones et ordines supradictos, statusque regulares salubriter dirigit et conservat, quodque si eam perire vel remitti contingeret, ordo quilibet collabi necessario cogeretur; pensantes etiam, quod si regularium personarum correctio, rimas iuris et apices sequeretur, huiusmodi rigor lentesceret, ac multiplici laxatione torperet;

Auctoritas praelatorum ordinis (de qua in rubrica).

§ 1. Nos, vestris supplicationibus inclinati, vobis, auctoritate apostolica indulgemus, ut ad correctiones et punitiones fratrum eiusdem ordinis delinquentium infligendas, praelati ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscuntur, rimulis et apicibus ipsis postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, et generalia facta, et etiam facienda, ipsius ordinis instituta.

Prohibitio appellandi.

§ 2. Nec volumus eisdem licere fratribus, ab eisdem correctionibus et punitionibus aliquatenus appellare, provida in hoc deliberatione ac maturitate debita observatis. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, VI idus maii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 maii 1296, pontif. anno II.

## IX.

*Novam haeresim in administratione sacramentorum exortam, aliisque scatentem erroribus damnat* (1).

SUMMARIUM

Ecclesiae catholicae firmitas. — 1. Iudiciaria acta in haereticos. — Nova exorta haeresis cuius praecipua enarrantur capita. — 2. Huius sectatores tamquam haeretici damnati. — Inquisitorum facultas contra eosdem *etc.* procedendi.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Ecclesiae catholicae firmitas.

Saepe Sanctam Ecclesiam pestis haeretica impugnavit, in eam a suae nativitatis exordio insilivit, eius iuventutem impetiit, nec prosequi desivit senectutem: sed Qui eam supra se, firmam Petram, firmavit, ac sua dextera excelsa tuetur in tantum, ut non praevaleant portae inferi contra eam, ipsam usque ad senectam et senium non relinquet; sed fecit et faciet eam de vipereis hostibus triumphare, qui in exercitium dantur fidelibus, ut, eorum expoliti tunctionibus (1) et pressuris, suis coaptandi locis per manum artificis disponantur sacris aedificiis permansuri aeternae vitae praemium consequendo.

Iudiciaria acta in haereticos.

§ 1. Sane nuper ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli in viam Cayn noviter abeuntes, errore Balaam effusi, mercede et contradictione Chore incendio perituri, quasi nubes sine aqua, quae circumferuntur a ventis, infructuosi ut arbores autumnales, sunt errantia sydera, quibus in aeternum tenebrarum procella servatur, et novis adinventionibus caecitatis aeterni supplicii non contenti conantur in proximos contagionis venena diffundere: ut ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine ipsos deducant, ubi sempiternus horror inhabitat. Accepimus namque, quod nonnullae personae se contra sanctam ca-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

(1) Forsan *tentationibus*.

Nova exorta haeresis cuius praecipua enarrantur capita.

tholicam Ecclesiam Romanam erigentes, etiam sexus foeminei, dogmatizant, se ligandi et solvendi claves habere, poenitentias audiunt et a peccatis absolvunt, conventicula non solum diurna faciunt, sed nocturna, in quibus de suis pravitatibus conferunt, et de erroribus conveniunt in id ipsum, et praedicare praesumunt; tonsura clericali contra ritum Ecclesiae abutentes, Spiritum Sanctum se dare per impositionem manuum mentiuntur, et exhibendam soli Deo (1), et non alteri, cuiuscumque fuerit conditionis, dignitatis et status. Efficaciores etiam illas orationes affirmant, quae a nudatis toto corpore offeruntur: mulieres invicem se desponsant; dicunt fidelibus operari manibus non licere: mares nudi huiusmodi sectae damnatae foeminas antecedunt; et in dicta Sancta Ecclesia ligandi atque solvendi fore abnegant potestatem: non solum praemissis, et aliis novis inviis obvoluti, quibus erronee adhaerentes, ipsa sustinent et defendunt, sed et nonnullis erroribus, quos vetustas damnata produxit: inter quos aliqui esse dicuntur apostatae, qui professi fuerant in ordinibus approbatis; qui sagittas pestiferas cordibus simpliciorum infligunt.

Huius sectatores tamquam haeretici damnati.

§ 2. Commissi ergo nobis universalis Ecclesiae cura regiminis et apostolicae solium dignitatis nos angunt et pungunt et hortantur instanter, ut talibus, qui inconsutilem Domini tunicam dissuere moliuntur, salubribus remediis obviantes, insaniae tantae malum nostro intuitu, divina nobis assistente gratia, dissipemus. Quapropter, huiusmodi sectam tam haereticam, quam insanam de fratrum nostrorum consilio omnino damnantes, damnatam et haereticam nunciamus, et universis christifidelibus ecclesiasticis vel mundanis cuiuscumque fuerint dignitatis, conditionis, aut status, districte praecipimus, ut mortale huiusmodi virus abiiciant, et talia nefanda credentibus nullum per se vel per alium publice vel occulte praestent auxilium, consilium vel favorem, et ut non receptent eosdem: Ecclesiarum vero praelatis, et etiam inquisitoribus haereticae pravitatis, authoritate apostolica institutis ubilibet et instituendis imposterum, districtius iniungentes, ut contra tales, sicut contra haereticos, auxiliatores, consiliatores, receptatores et fautores eorum debitum sui officii diligentius exequantur: quos puniri volumus sententiis, poenis et mulctis, illatis ipso iure et inferendis per apostolicas, canonicas, ecclesiasticas et saecularium principum sanctiones; praesertim quondam Friderici olim Romanorum imperatoris, tempore quo idem in devotione Romanae Ecclesiae persistebat, contra haereticos, seu quorumcumque ratione pravitatis haereticae ordinatas.

Inquisitorum facultas contra eosdem etc. procedendi.

Datum Anagniae, kalendis augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 augusti 1296, pontif. anno II.

(1) Deest aliquid, forsan *reverentiam*, *venerationem*, etc.

---

## X.

*Sardinia et Corsica Aragonum regi Iacobo iure beneficiario traditae*, ***sub annua praestatione duorum millium marcharum argenti Sedi Apostolicae*** (1).

### SUMMARIUM

Exordium ab auctoritate et stabilitate Sedis Apostolicae petitum. — 1. Bonifacii erga Iacobum regem amor: — 2. Eum de Sardinia et Corsica investit sub nonnullis conditionibus. — Militum numerus in Ecclesiae obsequio substentandus. — Qua ratione terrestres copiae cum maritimis commutandae. — 3. Census annuus. — Poenae non solventi obiectae. — 4. Ex nunc promulgantur poenae in regem si conditionibus hisce non satisfecerit. — 5. Ordo successionis servandus qualis, et quo casu regna haec ad Ecclesiam devolvantur. — De successione per foeminas. — Sardicum et Corsicum regna inter plures haeredes non dividenda. — 6, 7. Forma iuramenti Sedi Apost. per reges prae-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

standi. — Idem iuramentum singulis Pontificibus renovandum. — Libertas Ecclesiarum servanda. — Ecclesiasticorum causae ab ordinariis cognoscendae. — 8. Antiquae laudabiles servandae consuetudines. — 9. Leges contra libertatem ecclesiasticam latae revocandae. — 10. Aliae conditiones. — 11. Nova tributa Ecclesiis non imponenda. — 12. Iura et laudabiles consuetudines servari debent. — 13. Obsides Romani liberandi. — 14. Foedus contra Rom. Ecclesiam non feriendum. — 15. In Urbe aut eius provinciis nulla praefectura admittenda. — 16. Sardiniae rex Rom. imperii spe exclusus. — Regnum ipsum in cautionem dandum: — 17. Dandaque a rege bulla, *etc.* — 18. In dubiis declarationi Rom. Pontificis standum.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Iacobo, Sardiniae et Corsicae regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium ab auctoritate et stabilitate Sedis Apostolicae petitum.

Super reges et regna positi ex divinae præeminentia potestatis, de ipsis opportune disponimus, prout commodius ex alto prospicitur, actionum se qualitas ingerit, et iudicium sanioris inspectionis inducit. Nonnunquam enim in ipsis evellimus, de gente in gentem propter culpas et dolos solia transferendo regnantium: interdum plantamus et colimus, caros filios et devotos almae Matris Ecclesiae ad nova regnorum praeficiendo dominia, ut, eradicatis vitiis et plantatis virtutibus, laudetur virtus Altissimi in Ecclesia sponsa sua, quam sic supra petram fidei soliditate fundavit, ei tribuens in confessionis apostolicae fortitudine fundamentum, ut ipsam foetu novae prolis amplificet, et ei nec procella turbinis, nec praevalere possit spiritus tempestatis.

Bonifacii erga Iacobum regem amor:

§ 1. Sane ad genus tuum, ex quo prodierunt filii benedictionis et gratiae, dirigentes intuitum considerationis internae, tibi de regione dissimilitudinis redeunti brachiis paternae affectionis accumbimus, et te solidae charitatis amplexu pressius obsculamur; et quo plus tuae ferventis devotionis affectum erga nos, et ipsam Ecclesiam, a cuius olim unitate recesseras, oculate et attente conspicimus, eo potius erga te ipsius benignitas excitatur Ecclesiae, et nostrae dilectionis sinceritas incalescit.

Eum de Sardinia et Corsica investit sub nonnullis conditionibus.

§ 2. Ad honorem igitur Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti, ac Beatae et Gloriosae semperque Virginis Mariae, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli, necnon et sanctae Romanae Ecclesiae, de fratrum nostrorum consilio et assensu, regnum Sardiniae et Corsicae, quod ipsius Ecclesiae iuris et proprietatis existit, cum iuribus omnibus et pertinentiis suis tibi et tuis haeredibus, ex tuo et ipsorum corporibus legitime descendentibus utriusque sexus natis iam et etiam nascituris, in perpetuum feudum gratiose conferimus, et ex Apostolicae Sedis liberalitate concedimus et donamus sub modo, forma, tenore, et conditionibus, seu conventionibus contentis praesentibus, a nobis, nostrisque successoribus canonice intrantibus, et dicta Romana Ecclesia tenendum in feudum, et per cuppam auream te de eodem praesentialiter investimus: ita quod tam tu, quam quilibet tuorum haeredum in dicto regno, pro ipso regno Sardiniae et Corsicae nobis et ipsi Romanae Ecclesiae praestabitis et praestare tenebimini ligium homagium, vassallagium plenum, et fidelitatis iuramentum sub forma inferius adnotata; et pro eodem regno Sardiniae et Corsicae supradicto nobis et eidem Ecclesiae servire infra Italiam sitis adstricti de centum equitibus decenter armatis cum uno equo ad arma, et duabus equitaturis ad minus per quemlibet, et quingentis peditibus, inter quos sint saltem centum balistarii de bonis balistis armati et muniti; et reliqui pedites suo modo sint convenienter armati: et tam equites quam pedites sint incolae terrae vestrae, in Aragoniae vel Cathaloniae vel aliis partibus eisdem adiacentibus constitutae, cum sumptibus, gagiis, et expensis vestris per trimestris temporis

Militum numerus in Ecclesiæ obsequio substentandus.

spatium, a die, quo ipsi equites et pedites intrabunt terram Ecclesiae, computandum. Erit autem in potestate Romani Pontificis seu dictae Ecclesiae praedictos equites et pedites ultra praefati trimestris temporis spatium ad similia sumptus, gaggia et expensas ipsius Ecclesiae, si plus eos vel ipsorum aliquos voluerit retinere.

Qua ratione terrestres copiae cum maritimis commutandae

Et si Romanus Pontifex, vel ipsa Ecclesia maluerit dictum servitium equitum et peditum commutare totaliter cum stolio, vel certo numero galearum, seu vasorum marinorum armatorum intra maritimam Italiae, possint hoc facere; et tu et haeredes ipsi commutationem eamdem facere teneamini, et sitis astricti, dando infra ipsam maritimam quinque galeas bene guarnitas, munitas et armatas de bonis hominibus et aliis opportunis, vestris expensis, per tres menses computandos a die, quo ingressae fuerint maritimam Italiae terris Ecclesiae supradictae vicinam: quas munitas taliter ultra dictos tres menses ad similia gaggia et expensas suas si Romanus Pontifex vel Ecclesia ipsa voluerit, poterunt retinere; praestabitis autem et praestare tenebimini supradicta servitia equitum, peditum et galearum, ut superius est expressum, semel in anno, quandocumque indigebit Romanus Pontifex seu Romana Ecclesia: de quo ipsius Romani Pontificis vel ipsius Ecclesiae simplici verbo credetur.

Census annuus.

§ 3. Et insuper tam tu, quam quilibet tuorum haeredum in dicto negotio Sardiniae et Corsicae pro ipso regno censum duorum millium marcarum argenti bonorum et legalium sterlingorum, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsis, Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et Ecclesiae, vel ipsi Ecclesiae, ubi ipsa fuerit, sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, et pro portione collegium ipsius Ecclesiae cardinalium contingente, in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis integraliter pro dicto regno Sardiniae et Corsicae persolvetis: ad quem censum, ut praemittitur, persolvendum, tam tu, quam quilibet haeredum tuorum in dicto regno tenebimini et sitis astricti.

Poenae non solventi obiectae.

Si vero tu vel quicumque haeredum tuorum in ipso regno, statuto termino, non solveritis integre, ut praemittitur, censum ipsum; et expectati per quatuor menses terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si tam in secundo termino, quam infra subsequentes alios quatuor menses, eumdem censum, sine diminutione qualibet, non persolveritis, totum regnum Sardiniae et Corsicae erit ecclesiastico suppositum interdicto: si vero nec in tertio termino, nec infra alios quatuor menses proximos, per plenam satisfactionem eiusdem census, tu et haeredes tui vobis duxeritis consulendum, ita quod, transactis eodem tertio termino et quatuor proxime sequentibus mensibus, non sit de huiusmodi censu primi termini ipsi Ecclesiae integre satisfactum, ab eodem regno Sardiniae et Corsicae ipso iure cadatis ex toto, et regnum ad Romanam Ecclesiam eiusque dispositionem integre ac libere revertatur. Nihilominus pro singulis duobus millibus marcarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaveritis, vel illa non solveritis, tu, et quivis tuorum haeredum in dicto regno Sardiniae et Corsicae poenas similes incurratis, salvis aliis poenis, processibus et sententiis, quae vel qui de iure inferri vel haberi seu proferri poterunt per Romanum Pontificem, vel Sedem Apostolicam specialiter in hoc casu. Sed ad censum ipsum solvendum, et ad ipsum servitium exhibendum dictae Ecclesiae tunc teneamini cum effectu, cum tu vel haeredes tui in dicto regno Sardiniae et Corsicae ipsius regni, vel maioris partis eius fueritis possessionem adepti.

Ex nunc promulgantur poenae in regem si conditionibus

§ 4. Caeterum, quia in quibusdam articulis, seu capitulis, formae, tenoris seu conditionum vel conventionum ipso-

hisce non satisfecerit.

rum praesentibus contentorum, expressius continetur, quod in certis casibus, tu et tui in eodem regno haeredes excommunicationis sententiam incurratis, et dictum regnum sit ecclesiastico suppositum interdicto, quodque tam tu, quam haeredes ipsi cadatis a regno, seu sitis regno ipso privati; nos ex nunc huiusmodi sententias, videlicet excommunicationis in te ac eosdem haeredes et interdicti in praefatum regnum Sardiniae et Corsicae, et privationis regni eiusdem, si tua vel ipsorum culpa huiusmodi casus emerserit, de dictorum fratrum nostrorum consilio, authoritate apostolica, promulgamus.

Ordo successionis servandus qualis, et quo casu regna haec ad Ecclesiam devolvantur.

§ 5. In succedentibus vero tibi, tuisque haeredibus circa successionem tuam, tuorumque haeredum in dicto Sardiniae et Corsicae regno forma adiicitur et servabitur infrascripta, videlicet quod ille vel illa dumtaxat, qui vel quae tibi tuisque haeredibus in Aragoniae regno debebit succedere, in dicto Sardiniae et Corsicae regno succedat, et non alius vel alia, ita quod unus et idem sit rex regni Aragoniae et regni Sardiniae et Corsicae praedictorum: et in suis casibus, ubi ad successionem foemina admitteretur, utriusque regni eadem sit regina: et si in tuo vel haeredum tuorum obitu, legitimos haeredes, prout sequitur, te et ipsos, quod absit, non habere contingat, de tuo vel ipsorum corporibus legitime procreatos, regnum ipsum Sardiniae et Corsicae ad Romanam Ecclesiam supradictam, et eius dispositionem libere revertatur. Descendentes autem ex te, et tuis haeredibus Sardiniae et Corsicae regibus, ex tuo vel ipsorum corporibus de legitimo matrimonio nati, mares et foeminae in eodem regno succedent; sic tamen, quod de liberis pluribus maribus in eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, et de pluribus foeminis similiter primogenita, et de mare et foemina in eodem gradu similiter concurrentibus masculus omnibus aliis praeferatur: sed nec mares, nec foeminae illegitime natae succedant. Quod autem de foeminis rectae lineæ dicitur, intelligendum est tam de nuptis quam etiam de innuptis; dummodo tamen nuptae sint fidelibus, et Ecclesiae Romanae devotis. Et sicut inter has personas gradum servari volumus, ut scilicet prior gradu posteriori gradui praeferatur; sic et in eodem gradu, pluribus concurrentibus, priorem natum posteriori, et marem foeminae in huiusmodi successionibus volumus anteferri; personarum autem huiusmodi nulla superstite, regnum ipsum Sardiniae et Corsicae ad Romanam Ecclesiam et eius dispositionem libere revertatur. Quod si forte, deficientibus masculis, contigerit foeminam innuptam in regno ipso succedere, illa maritabitur personae, quae ad ipsius regni regimen et defensionem existat idonea, Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito: nec nubet nisi viro catholico et Ecclesiae Romanae devoto: et si contra hoc fieret, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad privationem regni Sardiniae et Corsicae, de plano sine strepitu et figura iudicii, et absque omni iuris solemnitate, in quacumque aetate filia ipsa consisteret, procedere, si hoc ei videbitur expedire. Verumtamen quandocumque, te vivente, vel quovis tuo haerede in eodem regno Sardiniae et Corsicae vivente, tu vel quis haeredum tuorum in ipso regno volueritis cum consensu expresso Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae de persona, quae tibi vel ei successura sit in praedicto regno Sardiniae et Corsicae, aliter ordinare, illud de huiusmodi persona successura servabitur, quod per te, vel per quemvis haeredum tuorum in ipso regno cum consensu expresso Romani Pontificis et Romanae Ecclesiae fieri vel ordinari continget. Ad haec tam tu quam tui in regno ipso haeredes, regnum ipsum Sardiniae et Corsicae nullatenus dividatis, sed semper illud unus tantum sub ipsis modo et forma, tenore, condi-

De successione per foeminas.

Sardicum et Corsicum regna inter plures hæredes non dividenda.

tionibus et conventionibus, immediate ac in capite a nobis ac successoribus nostris et ab ipsa Romana tenebit Ecclesia.

§ 6. Forma vero iuramenti fidelitatis, vassallagii, et ligii homagii, quae tu in nostra praesentia facies, et praestabis pro regno Sardiniae et Corsicae saepedicto, et quam praestari et fieri volumus, ac servari a tuis haeredibus in eodem, verbis competenter mutandis, talis est:

Forma iuramenti Sedi Apostolicae per reges praestandi.

§ 7. Ego Iacobus, Dei et Apostolicae Sedis gratia rex Sardiniae et Corsicae, plenum vassallagium, fidelitatem et ligium homagium faciens, et iuramentum praestans pro dicto regno Sardiniae et Corsicae, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro et domino meo domino Bonifatio, divina providentia Papae octavo, suisque successoribus canonice intrantibus, sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae: non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione: consilium, quod mihi credituri sunt per se, aut per nuncios, sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam; et si scivero fieri vel procurari, sive tractari aliquod, quod sit in ipsorum damnum, illud pro posse impediam; et si impedire non potero, illud eis significare curabo: Papatum Romanum et regalia Sancti Petri, tam in regno praedicto, quam alibi existentia, adiutor eis ero ad retinendum, defendendum et recuperandum, et recuperata manutenendum contra omnem hominem: universas et singulas conditiones, modos, seu formas et tenores contentos in literis concessionis dicti regni Sardiniae et Corsicae, ac omnia et singula, quae continentur in eisdem literis, plenarie adimplebo, et inviolabiliter observabo; nec ullo unquam tempore veniam contra illa: sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Similia autem fidelitatem, vassallagium plenum, et homagium ligium, et iuramentum renovabis, facies et praestabis unicuique Romano Pontifici, et dictae Ecclesiae infra annum a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum. Et similia praestabit, faciet, et similiter renovabit, et facere, praestare et renovare tenebitur unusquisque haeredum tuorum in dicto regno unicuique Romano Pontifici, qui erit pro tempore et ipsi Romanae Ecclesiae secundum formam praescriptam, nomen Romani Pontificis, qui tunc erit, et suum proprium exprimendo; sed postquam tu, et haeredes tui in regno Sardiniae et Corsicae saepedicto praestiteritis et feceritis personaliter iuramentum, fidelitatem, homagium, seu vassallagium, secundum praedictam formam, uni Romano Pontifici, per vos ipsos alii Romano Pontifici non astringemini personaliter praestare et facere; dummodo illa praestetis et faciatis infra annum per idoneum vel idoneos substitutos, ad hoc plenum mandatum habentes: et si plus placuerit Romano Pontifici vel Romanae Ecclesiae iuramentum, fidelitatem, vassallagium, et homagium praedicta praestabitis et facietis tu et haeredes tui nomine Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae illi vel illis, quem vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex, vel Sedes eadem, deputabit. Quandocumque vero tu, vel haeredes tui in regno praedicto praedicta iuramentum, fidelitatem, vassallagium et homagium praestabitis et facietis per vos vel alium seu alios, ut superius continetur, dabitis infra mensem post Romano Pontifici et eidem Ecclesiae patentes literas vestras aurea bulla bullatas, praedictos et infrascriptos modos, conventiones, conditiones, tenorem et formam acceptantes expresse; et formam dictorum homagii et iuramenti fidelitatis et vassallagii similiter et specialiter exprimentes. Sane omnibus Ecclesiis tam cathedralibus, quam aliis regularibus et saecularibus, nec non et omnibus praelatis et clericis, ac universis personis ecclesiasticis saecularibus et religiosis, et

Idem iuramentum singulis Pontificibus renovandum.

Libertas Ecclesiarum servanda.

quibuslibet religiosis locis dicti regni Sardiniae et Corsicae libere dimittantur et conserventur integre omnia bona et iura eorum. Omnes insuper Ecclesiae tam cathedrales quam aliae regulares et saeculares, nec non et omnes praelati et clerici, ac universae personae ecclesiasticae religiosae et saeculares, ac quaecumque religiosa loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, et omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, sive in electione, vel post, regius assensus vel consilium aliquatenus requiratur; quam utique libertatem tu et tui in eodem regno haeredes semper manutenebitis et manuteneri et conservari facietis ab omnibus subditis vestris; dictaeque Ecclesiae et personae utentur libere omnibus bonis et iuribus suis, salvo tibi et tuis in regno ipso haeredibus iurepatronatus in Ecclesiis in tantum, quantum in hoc patronis Ecclesiarum canonica instituta concedunt, in illis dumtaxat Ecclesiis, in quibus tibi, tuisque haeredibus iuspatronatus competere dignoscetur. Omnes etiam causae, ad forum ecclesiasticum pertinentes, libere et absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur et ventilabuntur coram suis ordinariis et aliis ecclesiasticis iudicibus, et terminabuntur per eos: et si ad Sedem Apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus libere et absque inhibitione aliqua permittantur. Omnibus insuper capitulis, collegiis, conventibus et personis ecclesiasticis, religiosis et saecularibus, ac communitatibus vel universitatibus et personis saecularibus quorumcumque locorum dicti regni, cuiuscumque conditionis et status extiterint, quoties per te, vel aliquem haeredum tuorum tuos officiales vel ministros, aut alicuius eorum senserint se gravatos, ad Apostolicam Sedem liberum super hoc liceat habere recursum; nec praestabitur eis obstaculum, quominus libere et secure recurrant. Sacramenta vero fidelitatis seu assecurationis praestabuntur secundum antiquam et rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis Ecclesiarum praelatis, quorum praedecessores illa antiquitus soliti sunt praestare.

Ecclesiasticorum causae ab ordinariis cognoscendae.

Antiquae laudabiles servandae consuetudines.

§ 8. Ab illis autem praelatis et Ecclesiis, qui temporalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui huiusmodi bona teneant a domino dicti regni, et aliis dominis temporalibus, et qui ratione huiusmodi bonorum ab antiquo consueverunt regibus vel aliis dominis temporalibus, in dicto regno Sardiniae et Corsicae constitutis, servitia exhibere, huiusmodi honesta et antiqua servitia eis secundum rationabilem et antiquam consuetudinem, et sicut instituta patiuntur canonica, impendantur: salva semper circa Ecclesias cathedrales, et alias regulares et saeculares, ac personas et loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus et electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscumque aliis, Romani Pontificis et Ecclesiae Romane iurisdictione, ac auctoritate plenaria et libera potestate.

Leges contra libertatem ecclesiasticam latas revocandae.

§ 9. Revocabis quoque omnes constitutiones, seu leges vel statuta per reges seu principes saeculares Sardiniae et Corsicae editas contra ecclesiasticam libertatem; nec statuta vel constitutiones aliquas tu vel aliquis haeredum tuorum in dicto regno edetis aut promulgabitis, per quae seu quas iuri et libertati ecclesiasticae derogetur.

Aliae conditiones.

§ 10. Promittes etiam, quod, tuo vel haeredum tuorum tempore, nullus clericus vel persona ecclesiastica eiusdem regni in civili vel criminali causa convenietur coram iudice saeculari, nisi super feudis iudicio petitorio conveniatur civiliter, quatenus canonica iura permittunt: sed omnibus Ecclesiis et personis ecclesiasticis conservetur libertas; nisi sit de illis personis, de quibus iura permittant.

Nova tributa Ecclesiis non imponenda.

§ 11. Nullas insuper tu aut quivis alius tuus in regno Sardiniae et Corsicae haeres tallias imponetis Ecclesiis, monasteriis, clericis et viris ecclesiasticis, vel rebus seu vassallis eorum; et in Ecclesiis vacantibus tu, vel tui in praedicto regno haeredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, redditus et proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia percipietis ex eis; nihilominus custodia earumdem Ecclesiarum, iurium et bonorum ipsarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas iuxta canonicas sanctiones; salvis tibi dictisque haeredibus iis, quae tibi vel eis, tanquam regi vel domino temporali, competerent ex praescriptione legitima, consuetudine antiqua et rationabili, privilegiis legitimis, aut alias de iure, quibus iura divina vel canonica non obsistant.

Iura et laudabiles consuetudines servari debent.

§ 12. Iudices vero, comites et barones, milites et personae caeterae saeculares regni eiusdem tam magnae quam parvae in suis bonis, iuribus, rationabilibus et laudabilibus consuetudinibus servabuntur: et tam tu, quam tui in praedicto regno haeredes per vos vel alium seu alios exercebitis regimen dicti regni secundum iura civilia, quibus canonica instituta non obviant, et laudabiles consuetudines; salvis regiminibus Ecclesiarum, vel saecularium personarum competentibus eis de approbata et laudabili consuetudine, privilegiis legitimis, aut alias de iure.

Obsides Romani liberandi.

§ 13. Omnes captivos et obsides, praesertim romanos, et alios de terra Ecclesiae oriundos, si quos tu, vel tui in dicto regno haeredes tempore, quo acquiretis dictum regnum Sardiniae et Corsicae, invenietis in eo, ad mandatum Romani Pontificis seu Romanae Ecclesiae restituetis pristinae libertati; vel de eis facietis, quod dictus Romanus Pontifex vel Romana Ecclesia ordinabunt.

Foedus contra Rom. Ecclesiam non feriendum.

§ 14. Nullam etiam confoederationem seu pactionem, vel societatem cum aliquo imperatore, vel rege, seu principe, vel barone christiano vel graeco, aut saraceno, vel cum aliqua provincia, seu civitate, vel communitate, aut loco aliquo seu personis, scienter contra Romanam Ecclesiam tu, vel tui in eodem regno haeredes in damnum Ecclesiae facietis: et, si etiam feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Romani Pontificis seu Romanae Ecclesiae revocare. Et tam tu, quam tui in eodem regno haeredes amicos et devotos Ecclesiae habebitis pro amicis et pro devotis: et inimicos et indevotos Ecclesiae pro (1) indevotis habebitis; nec emulis seu inimicis Ecclesiae auxilium dabitis, consilium vel favorem.

In Urbe aut eius provinciis nulla praefectura admittenda.

§ 15. In Urbe urbisque districtu, seu in circumposita regione, aut in provinciis, civitatibus, terris, seu locis Romanae Ecclesiae subiectis, non recipietis vel assumetis aut acquiretis dominium, regimen, seu rectoris officium, quocumque nomine censeatur: nec de occupandis, vel recipiendis, aut capiendis, vel subiugandis eisdem, seu aliis bonis et iuribus eiusdem Ecclesiae tu et quivis tuorum haeredum intromittetis vos publice vel occulte, scienter: quod si contra feceritis ignoranter, et moniti ab ipsa Ecclesia, non destiteritis, cadetis a iure dicti regni Sardiniae et Corsicae ipso facto; et eritis illo privati; et regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur.

Sardiniae rex Rom. imperii spe exclusus.

§ 16. Quod si forte contigeret, te, vel haeredes tuos in praedicto regno Sardiniae et Corsicae successores, in regem vel imperatorem Romanorum, seu regem Theutoniae eligi vel assumi, electus vel assumptus nullo modo dictum regnum Sardiniae et Corsicae cum dictis imperio et regimine valeas vel valeant retinere: et si moniti ab ipsa Ecclesia, dicta imperium et regna Romanorum seu Theutoniae non dimiseritis, a iure dicti regni Sardiniae et Corsicae ipso facto cadatis ex toto, ac regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur: nisi forte

(1) Addendum forsan *inimicis et*.

tu, vel idem electus aut assumptus filium habeat successurum sibi in regno Aragoniae; quem, si voluerit emancipare, legitime poterit, sine fraude renunciando dicto regno Sardiniae et Corsicae, nihil umquam iuris habiturus in eo publice vel occulte, et dicta regna Romanorum seu Theutoniae ac imperium retinere. Quod si contra tu vel tui in praedicto regno Sardiniae et Corsicae haeredes, feceritis, et moniti ab ipsa Ecclesia, non destiteritis, a iure dicti regni Sardiniae et Corsicae ipso facto cadatis, et regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam libere devolvatur. Ad haec, ut tibi plus praesidii et favoris accrescat, te, regna et bona tua stabilia ubilibet constituta sub beati Petri et nostra protectione suscepimus; disponentes, te et ipsa gladio spirituali defendere ac tueri, prout expediens esse videbimus, et tibi fuerit opportunum. Demum in nostra praesentia confiteberis et recognosces expresse, ex gratia et liberalitate nostra et dictae Ecclesiae dictum regnum Sardiniae et Corsicae tibi, tuisque haeredibus fore concessum in feudum; et sic te illud recipere, vel recepisse sub conditionibus, conventionibus, sive pactis, modo, tenore ac forma, quae in praesentibus nostris literis continentur: quos per stipulationem solemnem promittes et iurabis te inviolabiliter servaturum; pro quibus etiam servandis dictum regnum Sardiniae et Corsicae, iura tibi in eo competentia et competitura, et bona tua, quae ibidem consistent, nobis et ipsi Ecclesiae obligabis; et promittes nihilominus, quod successores tui, haeredes in dicto regno Sardiniae et Corsicae, eo tempore, quo facient et praestabunt vassallagium, homagium et fidelitatis iuramentum sub forma praedicta, similia confessiones, recognitiones, promissiones, iuramentum et obligationes facient et praestabunt Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et Ecclesiae supradictae.

*Regnum ipsum in cautionem dandum:*

§ 17. Insuper tam tu, quam quilibet haeredum tuorum in dicto regno Sardiniae et Corsicae, illis temporibus, quibus feceritis et praestiteritis vassallagium, homagium et fidelitatis iuramentum pro eodem regno Sardiniae et Corsicae, dabitis, infra mensem post, privilegium seu literas aurea bulla bullatas, in quo vel quibus fatebimini et recognoscetis expresse dictum Sardiniae et Corsicae regnum a nobis et Romana Ecclesia recepisse in feudum, sub conditionibus, conventionibus, modo et forma, atque tenore, quae in praesentibus nostris literis continentur: quos tenorem, modum, conditiones, conventiones et formam promittetis vos inviolabiliter servaturos: pro quorum observantia obligabitis vos et dictum Sardiniae et Corsicae regnum, iura et bona vobis competentia et competitura in eo.

*Dandaque a rege bulla, etc.*

§ 18. Omnium autem praedictorum, et quae in praesentibus literis nostris continentur declaratio et interpretatio, quoties opus fuerint, faciendae, ad Romanum Pontificem, seu ad Romanam Ecclesiam pertinebunt, quotiescumque super ipsis vel eorum aliquo vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubii oriri continget: cuius Romani Pontificis, vel Romanae Ecclesiae interpretationi et declarationi stabitur verbo seu literis, prout ipsis Romano Pontifici vel Ecclesiae placuerit faciendis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum collationis, concessionis, donationis, investiturae, promulgationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

*In dubiis declarationi Rom. Pontificis standum.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum secundo nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 4 aprilis 1297, pontif. anno III.

## XI.

*Erectio prioratus S. Antonii Viennen., ubi eius corpus requiescit, in abbatiam, et institutio illius prioris in abbatem, data regula S. Augustini, et habitu cum signo T, quod potentiam vocant.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Controversia inter abbates Montis Maioris Arelaten. et S. Antonii Viennen. exorta super hoc prioratu. — 2. Pontifex eundem prioratum soli Apost. Sedi subiectum declarat: — 3. Et in abbatiam erigit: — 4. Eique unit hospitale: — 5. Addita lege, ut prior abbas deinde nuncupetur; — 6. Cui obediant monachi. — 7. Eis regulam dat S. Augustini. — 8. Habitum cum signo T praescribit. — Monasterium, abbatem, *etc.* soli subiicit Rom. Pontifici. — 10. Monasterio Montis Maioris de nonnullis compensat bonis. — 11. Novæ abbatiae dat abbatem. — 12. De obedientia ei praestanda.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui monasterii S. Antonii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinen., ordinis S. Augustini Viennen. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

In dispositione ministrorum Ecclesiae Dei nobis creditae potissimum considerare nos expedit, tempus, causas, personas et loca, secundum quae pro emergentibus negotiis nova sunt consilia capienda. Et licet ex multarum inopinabilium diversitate causarum iugiter emergentium continua reddamur attentione soliciti, et profundis circa illa vigiliis excitemur, ne desit apostolicae solicitudinis studium, ubi pastorale tenemur iniunctum nobis officium exercere; in eo tamen praecipue studiorum nostrorum sedulitas officiosa versatur, quod ad curam omnium Ecclesiarum et locorum ac religiosorum maxime, quorum (licet immeriti) regimini praesidemus, opportunam solertiam et solertem diligentiam impendamus, ut, gratia cooperante divina, sic eorum statui salubriter consulatur, quod expiatis dissidiis et perturbationibus, ab eisdem praeserventur innoxii, quietis ubertate laetentur, et rectoribus providis, cum tempus provisionis occurrit, eorum regimen committatur.

Controversia inter abbates Montis Maioris Arelaten. et S. Antonii Viennensis exorta super hoc prioratu.

§ 1. Sane inter dilectos filios abbatem et conventum monasterii Montis Maioris ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentium, ordinis S. Benedicti Arelaten. dioecesis ex parte una, et dilectum filium Aymonem abbatem monasterii S. Antonii ad eamdem Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Augustini, Viennen. dioecesis, tunc magistrum, necnon praedecessores suos magistros, et fratres hospitalis S. Antonii eiusdem dioec. Viennen. ex altera, tam super prioratu S. Antonii eiusdem dioec. tunc ad ipsum monasterium Montis Maioris pertinentis, quam super votis et promissis ipsi S. Antonio factis, et legatis in testamentis relictis eiusdem, aliisque diversis articulis suscitata, instigante generis humani inimico, iam dudum gravi materia quaestionis, ex qua olim, strages corporum, animarum pericula, et eorum grandia discrimina pervenerunt et pervenire poterant in futurum, nisi Sedis Apostolicae circumspecta providentia, cuius interest singulorum, prout est possibile, praecavere periculis, super his opportunum remedium adhiberet.

Pontifex eumdem prioratum soli Apost. Sedi subiectum declarat:

§ 2. Nos, qui regis pacifici existentes ministri, ut commissum nobis ministerium digne implere possimus, quietem et pacem inter universos solicitudini nostrae commissos, intentae solicitudinis studio votisq. ferventibus procuramus, praetacta discrimina sedula meditatione pensantes, et attendentes, quod nondum huiusmodi potuerat discriminibus obviari, licet per aliquos diversae compositiones sive ordinationes, diversis temporibus pro danda pace partibus hinc inde factae fuissent, diligentia excitati paterna, quae consiliis providis filios libenter fovet et dirigit, illo cogitato remedio in hac parte, per quod, superni favoris dex-

tera suffragante, finis praedictae imponeretur discordiae, ac via deinceps praetactis discriminibus tolleretur, de fratrum nostrorum consilio et assensu praedictum prioratum cum omnibus Ecclesiis, membris, iuribus et pertinentiis suis existentibus ubicumque ab omni spirituali et temporali potestate, iurisdictione, dominio, subiectione, iure, obedientia et dispositione quacumque praedicti monasterii Montis Maioris, nec non abbatis et conventus, et personarum eiusdem, de Apostolicae Sedis plenitudine potestatis, omnino duximus eximendum, ipsumque ab eis decernimus esse liberum penitus et exemptum; priorem, monacos et conversos, et alios quoscumque si qui existant in ipso prioratu per abbatem et conventum eosdem, vel eorum mandato seu auctoritate per alios forsitan deputatos ab eo totaliter amovendum, eisque priori, monacis et conversis praecipiendum, ut ad dictum monasterium redire curarent, inibi Domino servituri.

Et in abbatiam erigit:

§ 3. Et quia prioratum eumdem propter ipsius B. Antonii reverentiam, cuius gloriosa merita per universas Ecclesias in huius Orbis latitudine constitutas manifestius innotescunt, cuiusque corpus, sicut fama celebris misit ad posteros, et innumera, quae per eumdem Sanctum ibidem Dominus miracula iugiter operatur, patenter ostendunt, in prioratu ipso quiescit, condignis efferri honoribus, non tam dignum, quam debitum existimantes, prioratum ipsum in abbatiam ereximus, de praedictorum fratrum consilio, et eiusdem plenitudine potestatis, certo canonicorum seu fratrum inibi numero constituto.

Eique unit hospitale

§ 4. Ac ut dissensionis et aemulationis cuiuslibet occasio inde praecideretur omnino, praedictum hospitale cum omnibus membris suis, in quibuscumque mundi partibus constitutis, eorumque pertinentiis et iuribus, ipsi subiecimus et univimus abbatiae.

Addita lege, ut prior abbas deinde nuncupetur.

§ 5. Auctoritate apostolica statuentes, ut locus ipse qui prioratus in antea dicebatur, foret et appellaretur de caetero abbatia, et ii qui præessent eidem, nomen semper et dignitatem obtinerent abbatis, et abbatiam ipsam ac dictum hospitale sibi unitum simul perpetuis futuris temporibus, constitutione vel consuetudine quavis non obstante contraria, gubernarent, nec magistri vel domini de caetero, sed abbates monasterii S. Antonii tantummodo appellarentur.

Cui obediant monachi:

§ 6. Quibus universi fratres hospitalis et membrorum eorumdem, quos canonicos seu fratres monasterii S. Antonii volumus de caetero nuncupari, parerent humiliter in omnibus et intenderent.

Eis regulam dat S. Augustini.

§ 7. Quodque in eodem monasterio S. Antonii, et hospitali, ac membris eisdem, B. Augustini regula servaretur, et secundum eam dicti abbas et canonici seu fratres perpetuo vivere tenerentur.

Habitum cum signo T praescribit.

§ 8. Habitum vero cum signo T, quod potentiam vocant, in honorem ipsius B. Antonii tam abbas, quam canonici seu fratres praefati, iuxta morem solitum ipsius hospitalis, semper et ubique portarent.

Monasterium, abbatem, etc. soli subiicit Romano Pontifici.

§ 9. Ipsum quoque monasterium cum hospitali praedicto, et omnibus membris, ac bonis suis existentibus ubicumque, et abbatem, canonicos seu fratres eiusdem nunc praesentes atque futuros, ab omni iurisdictione ac dominio archiepiscopi, episcopi et ordinarii cuiuscumque omnino duximus eximenda. Decernentes ea omnia immediate soli dumtaxat Romano Pontifici subiacere.

Monasterio Montis Maioris de nonnullis compensat bonis.

§ 10. Et quia erat aequitati et rationi conveniens, ut praedictum monasterium Montis Maioris, nobis et Ecclesiae Romanae immediate subiectum, et abbatem et conventum eiusdem sic benigno respiceremus affectu, quod exemptio, amotio et alia, quae in favorem monasterii S. Antonii et hospitalis praedictorum, et propter bonum pacis et concordiae per nos ordinata erant, in ipsorum

monasterii, abbatis et conventus Montis Maioris non cederent omnino dispendium et iacturam, in recompensationem eorum, quae praemissorum occasione subtracta noscebantur eidem, certam quantitatem bonorum stabilium in locis idoneis infra certas provincias, eisdem monasterio, abbati et conventui Montis Maioris, per abbatem S. Antonii certo modo praecipimus assignari, prout haec et alia in aliis nostris literis inde confectis plenius continentur.

Novae abbatiae dat abbatem.

§ 11. Cum igitur praedicto monasterio S. Antonii, quod per huiusmodi ordinationem nostram praefectione abbatis noscitur indigere, sit de abbate idoneo providendum, nos de ipsius statu prospero, more patris soliciti propensius cogitantes, et considerantes attentius, quod vix ulli committi posset melius eius cura, quam praedicto Aymoni, qui loci et personarum conditiones et statum oculata fide palpavit, et cui, sicut fide dignorum testimonio accepimus, religionis observantia, morum honestas, circumspectionis industria, et alia dona virtutum multipliciter suffragantur, praefatum Aymonem olim hospitalis praedicti magistrum, a vinculo quo ipsi hospitali tenebatur hactenus absolutum, eidem monasterio S. Antonii, de fratrum praedictorum consilio, in abbatem praefecimus et pastorem, sibi curam, administrationem et regimen ipsius monasterii S. Antonii in spiritualibus et temporalibus committentes.

De obedientia ei praestanda.

§ 12. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eumdem abbatem benigne recipientes et honeste tractantes, exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo, devote et efficaciter adimplendo, ita quod mutuo inter vos ac ipsum et spirituale possit abundare gaudium, et prosperitatis optatae consurgere incrementum: alioquin sententiam quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. apud Urbem Veterem 15 kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 18 maii 1297, pontif. anno III.

---

## XII.

*Canonizatio S. Ludovici regis Franciae, confessoris: et institutio festivitatis pro die 25 augusti quotannis celebrandae; ac indulgentiarum elargitio pro visitantibus eius sepulchrum.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Nonnulla de eius virtutibus delibat: — 2. Amor in Deum. — 3. A Blanca matre prudenter educatus. — 4. Divinorum officiorum recitationi diligentem navat operam. — 5. Terrae Sanctae recuperationi se vovet: — 6. Quo magno cum apparatu se confert. — 7. Captivitatem patienter sustinet. — 8. Cum Saracenis contra conscientiam pacisci renuit. — 9. Christianum exercitum periclitantem nullo pacto induci potest, ut deserat. — 10. Obsidem se pro exercitu christianorum captivo liberando spondet. — 11. Agarenos quam plurimos convertit ad Christum. — 12, 13. In christianos liberalis. — 14. In Franciam reversus, multa pietatis opera exercet. — 15. Leproso ministrat suis manibus alimenta. — 16. Hospitalium infirmis servit. — 17. Pauperibus eleemosynas: — Virginibus dotes elargitur. — 18. In haereticos severus. — 19. Egestatis tempore pauperibus consulit. — 20. Humilis in vestibus. — 21. Ciliciis et ieiuniis carnem domat: — 22. Ligneo contentus lecto. — 23. Hostis mendacii. — 24. Pius in sermonibus. — 25. Tuneti animam Deo reddit. — 26. Multa per eum Deus operatur miracula. — 27. Mulieris brachium aridum: — 28. Aliudque pene emortuum vivificat. — 29. Paralyticos sanat. — 30, 31. Caecos illuminat, *etc.* — 32. Exultatio pro tanti

regis gloria. — 33. Ss. confessorum albo adscribitur. — 34. Eius festus dies celebrandus. — 35. Indulgentia eius sepulchrum invisentibus proposita.

**Bonifacius Papa VIII, universis Christi fidelibus, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Gloria, laus et honor Patri luminum, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, a crucis fidei orthodoxae cultoribus, quorum spes tendit ad superos, summis et sedulis devotionis et reverentiae studiis referatur. Ipse namque in misericordia copiosus, liberalis, in gratiis, et in retributione munificus, de supremis coelorum ad ima mundi oculos suae maiestatis inflectens, et benigna consideratione discutiens, B. Ludovici quondam regis Franciae inclyti, suique gloriosissimi confessoris merita grandia, operaque mirifica, quibus in tempore constitutus, in saeculo ceu lucerna luminosa resplenduit, eaque velut iustus iudex et retributor laudabilis, dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum tamquam emeritum et retributione dignissimum, post vitae praesentis ergastulum et laboriosa mundi certamina, quae fervens in divinis obsequiis potenter et patenter exercuit, aethereis sedibus collocavit, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat, felicitatis aeternae dulcoribus potiturus. Exultet igitur Mater Ecclesia et solemnia festiva concelebret gaudiorum, quod tantum et talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum iam inter regum gloriosa coelestium agmina rutilantem. Laetetur, inquam, et iubilet, ac in laudes Altissimi voces promat, quod sobolis tam praecelsae, tam celebris illustrata fulgoribus, insigniis decorata conspicitur, quae sonoris attollenda praeconiis, summaeque venerationis exhibitione colenda enucleatius aperit, evidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia et haereditatis aeternae participium admittendo, qui praedictam Ecclesiam, Matrem fidelium, Sponsam Christi, claris fidei et operis testimoniis profitentur, nullosque in supernae patriae gloriam, nisi per eius, utpote coelorum clavigeri, ministerium virtuosum, ostiis reseratis altissimis, introire. Gaudeant incolarum turbae coelestium de tam sublimis, tam lucidi habitatoris adventu, quodque ipsis expertus probatusque fidei christianae colonus cultorque praecipuus aggregatur. Personet laetitiae iubilum civium generosa nobilitas supernorum, quod tanti talisque concivis suscepisse dignoscitur adiectivum, ac venerabilis Sanctorum coetus gaudio et exultatione refloreat de nova dignissimi adhibitione consortis. Exurge itaque concio fidelium numerosa, exurgite fidei zelatores, et una cum eadem Ecclesia laudis uberis hymnum concinite: perfundantur imbre copioso laetitiae vestra praecordia, et foecundo rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta et tam potentis et egregii principis exaltatione terreni, spei tutissimae plenitudine praeconcepta, quod nobis de condigena terrenorum compatriota coelestium iam effectus, apud aeterni Patris Filium efficax patronus accrevit, qui pro salutis nostrae profectibus iam in eius praesentia positus, solertis exercet officium oratoris. Porro quis posset amplo famine praepotens, quis disertus quamtumlibet aut eloquentiae nitore coruscans, sufficienter exprimere praecelsa sanctitatis insignia, et multiplicum excellentiam meritorum, quibus B. Ludovicus praedictus in terris constitutus effulsit, cum eo plura de ipsius laudabilibus actibus referenda se offerant, quo plura calamus exprimit, pandunt labia, lingua pangit? Sed ne ipsorum actuum claritas sub nubilo lateat, et tenebris obducatur, dignum duximus, ut de illis aliqua sermo noster aperiat et deducat in publicam notionem.

Nonnulla de eius virtutibus delibat.

§ 1. Hic profecto clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, praecelsus virtutibus, moribus elegans,

conspicuus extitit honestate, inhonestis et turpibus a se penitus relegatis. Nam sic pudicitiae adhaesit operibus, sic carnis studuit evitare contagia, quod (sicut habet certa credulitas plurimorum) nisi ei nexus accessisset uxoris, candore virgineo rutilasset. Longo quippe temporis spatio praedicti regni regimini praefuit, eiusque gubernacula plena curis provida circumspectione direxit. Nulli noxius, non iniuriosus alicui, nemini violentus, iustitiae limites summopere servavit et coluit, aequitatis tramitem non relinquens, perversorum conatus nefarios poenae debitae mucrone compescuit, malorum molimina conterens, pravorum illicitos ausus fraenans, pacis zelator eximius, fervidus amator concordiae, promotor extitit solicitus unitatis, dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens, propter quod sui felicis regiminis tempore, sedatis undique fluctibus, subductis noxiis, turbinibus profugatis, regni eiusdem incolis aurora dulcifluae tranquillitatis illuxit, laetaque serenitas votivae prosperitatis arrisit.

Amor in Deum.

§ 2. Et ut de vita ipsius aliqua referamus, licet illa quo maiori dispositione discutitur, examine indagatur, eo referentis afferat gustui plus dulcoris, mentesque delectet obnixius auditorum: ab ineuntis aetatis primordiis Dei Filium tenera mentis affectione dilexit, nec diligere desiit studia continuando salubria, dum vitae sibi commoditas affuit temporalis; sed quanto maiori profecit aetate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto Eius exarsit amore, fervore spiritus ampliori.

A Blanca matre prudenter educatus:

§ 3. Hic quidem cum esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio, sub clar. mem. Blancae reginae Franciae matris suae custodia et gubernatione remansit, quae circa divina obsequia ferventer intenta, eum prudenter dirigere ac diligenter instruere satagebat, ut ad praefati regni regimen, quod suae directionis expetere providentiam noscebatur, dignus et sufficiens fieret, idoneus haberetur.

Divinorum officiorum recitationi diligentem navat operam.

§ 4. Cumque per incrementa temporum idem rex aetatis annum quartumdecimum attigisset, praedicta regina illi magistrum proprium deputavit, qui eum scientia literarum imbueret, ac bonis moribus informaret, ipseque rex sub eiusdem magistri ferula positus, sic ei obediens et reverens existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna praeventus gratia, profecit laudabiliter in utrisque circa divina sic intentus officia, ut nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea quae coram se die noctuque a suis faciebat clericis solemniter celebrari, ab ipso cum eorum aliquo attentius dicerentur.

Terrae Sanctae recuperationi se vovet.

§ 5. Demum successu temporis in anno vigesimo constitutus, et quadam sibi aegritudine superveniente gravatus, a Parisien. et Melden. episcopis assistentibus tunc eidem, vivificae crucis signaculum in Terrae Sanctae subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei, rationabili causa moti, praefati dissuaderent episcopi, ipse tamen utpote fervens spiritu erga Dominum, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum huiusmodi de manu praefati Parisien. episcopi cum multa laetitia et exultatione suscepit, praelatis, nobilibus et militibus pluribus signum ipsum assumentibus cum eodem.

Quo magno cum apparatu se confert.

§ 6. Et tandem amplo praeparato navigio, factisque apparatibus aliis, quae in talibus requiruntur, cum trigesimum quartum annum attigisset aetatis, in praedictum subsidium transfretavit, N. consortem et quondam Robertum Artebaten., Alphonsum Pictaviae, et clar. mem. Carolum regem Siciliae, tunc Andegaviae comites, fratres suos dum adhuc viverent secum ducens, multa graviaque pericula, quae solent aequoris fluctus infligere sustinendo.

Captivitatem patienter sustinet

§ 7. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia pervenisset, et habito de civitatis Damiatae captione triumpho, processisset ulterius, generali quasi totius eiusdem exercitus, sicut Domino placuit, aegritudine subsecuta, et aliis adversis urgentibus, praefatus rex cum toto fere exercitu supradicto in N. Soldani et Saracenorum manus ac potentiam incidit, multa opprobria, multasque iniurias, quae inferentium foeda conditio adaugebat, patienter et humiliter tolerando, praefato Roberto comite pro fide Christi ab illis immaniter interempto.

Cum Saracenis contra conscientiam pacisci renuit

§ 8. Postmodum autem habito cum Soldano tunc vivente tractatu de iam dictis rege et exercitu liberandis, maxima interveniente pecuniae quantitate, ipsoque Soldano occasione huiusmodi a vassallis propriis interfecto, Saraceni qui eius dominium usurparant, ad pecuniam anhelantes eamdem, cum multa instantia postulabant, ut in conventionibus ordinatis concorditer inter partes iureiurando firmandis adderetur, quod nisi ipsi pacta servarent, omnino Machomettum, quem colunt, ut dicitur, denegarent, ac idem rex in suo similiter adiiceret iuramento, quod et ipse Dei negaret Filium, ac extra fidem eius existeret, si conventiones praedictae ab eo minime servarentur. Quod praefatus rex prorsus abhominans, id efficere constantissime recusavit, quin potius quadam indignatione commotus patenter asseruit, quod talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret, neque in tam vesanam et reprobam prorumperet negativam: quamquam id ei iam dicti Pictaviae et Andegaviae comites aliique tunc plurimi circumstantes instantissime suaderent, cum exinde sibi caeterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent, praesertim cum hoc ageretur cum illis, qui, sicut praemittitur, Soldanum praedictum occiderant, eius sibi dominium usurpantes, ipsique regi apertius diceretur, quod nisi in actum perduceret, quod petebant, ipsum et suos crucifigere non differrent; ipsius regis ad hoc intrepida firmaque responsione secuta: quod si Saraceni praedicti eius corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent.

Christianum exercitum periclitantem nullo pacto induci potest, ut desereret.

§ 9. Sane cum iam dicti passagii tempore, post conflictus diversos et varios, validae famis inediam, graves penurias, diraque vulnera, quae fideles Christi pertulerant, eodem rege tunc temporis fluxum ventris et aegritudines alias patiente, christianus reverteretur exercitus Damiatam, rex ipse nolens ipsum omnino deserere, sed eius potius clementer intendens communicare laboribus et participare periculis, quae tunc ex verisimili poterant coniectura timeri, illuc rediit cum eodem, contra Saracenorum rabiem truculentam insultusque nefarios sibi efficax defensionis impendendo praesidium, ut ab huiusmodi hostium scelestis insidiis servaretur. Et tandem cum Saracenorum ipsorum astuta nequitia et dolosa calliditas, tam grandi bellantium copia christianum circumdedisset exercitum; valida tunc, sicut praemittitur, infirmitate detentum, ipsumque tam graviter invasisset, quod regem et exercitum supradictos oportuit se praefatis reddere Saracenis, ac idem rex nisi facto voluntatis libitum obstitisset, navis tunc promptae potuisset evasisse suffugium, sibique hoc plurimi magnique praesentes inibi suaderent; ipse tamen propter nimiae caritatis ardorem, quo vehementius aestuabat, volens potius periculis corpus exponere, ut christianus populus servaretur illaesus; licet Saracenorum notitiam ipsius debilitas non lateret exercitus, nec Saracenorum existeret innota potentia christianis, evadere noluit remanentibus caeteris vinculo captionis adstrictis, apertius asserendo, quod militiam quam secum duxerat, secum si posset reducere intendebat, vel capi seu mori pariter cum eadem.

10. Cumque inter regem et christianos, ac Saracenos praedictos, de ipsorum

Obsidem se pro exercitu christianorum captivo liberando spondet.

regis et christianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus, et conventionum subsecuta ordinatio extitissent, Saraceni pro quadam parte pretii redemptionis huiusmodi, quae solvenda restabat, securitatem plenariam habere intendentes, in electionem ipsius regis totaliter posuerunt; ut vel ipse liberaretur a carcere, remanentibus caeteris christianis in vinculis, donec huiusmodi solutio perfecta succederet, vel quod idem in carcere remaneret, christianis ipsis omnimode liberatis, praefatus rex super hoc promptum nec dilatum responsum praebuit: quod ipse, quousque solutionis huiusmodi proveniret integritas, remanere in carcere intendebat, christianis eiusdem libertati pristinae restitutis, quamquam praefati Alphonsus et Carolus, ac alii viri nobiles tunc astantes expresse dicerent, et profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent, supplici adiicientes instantia, quod potius rex ipse recederet, aliis minime absolutis, rege ipso firmissime replicante contrarium, nec assentiente sermonibus eorumdem. Et tandem rege caeterisque captivis eisdem plene redditis libertati, dictoque Alphonso pro eiusdem solutionis perfectione obside facienda dimisso, praefatus rex de galea, in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alphonsus ad eius praesentiam rediit, ac omnes etiam christiani, quos in propinquo carcere detinebat inclusos, quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati a vinculis, ac illi etiam, qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in navibus collocati.

Agarenos quamplurimos convertit ad Christum.

§ 11. Demum praefatus rex cum eodem liberatus exercitu, ad civitatem rediens Acconen., moramque inibi fere per quinquennium contrahens, et tamquam fervidus humanae salutis amator, multorum Agarenorum mentes duras quantumlibet, non solum salubribus eloquiis suadens, sed etiam exemplo vitae laudabili convertit ad Dominum, ipsos faciens ad laudem divini nominis et exaltationem catholicae fidei honorifice baptizari, eos donis prosequendo largifluis, et gratiosis favoribus confovendo.

In christianos liberalis:

§ 12. Multosque milites et alios christianos redimi faciens, eis de munificentia regia tam vestes, quam caetera necessaria victu, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat.

§ 13. Muros quoque seu moenia civitatum et castrorum quamplurium, quae in illius partibus a fidelibus tenebantur, fecit reparari solemniter, eaque alias muniri plenarie, prout necessitas suadebat.

In Franciam reversus multa pietatis opera exercet.

§ 14. Verum praedictus rex processu temporis, intellecto quod matrem eius mors amara subtraxerat, et eidem regno grave periculum immineret, de procerum suorum consilio, ad partes Franciae remeavit, nunc sanctitatis insistens operibus, nunc monasteria et hospitalia pauperum, nunc domos alias divinis obsequiis dedicandas (quae longum esset enarrare per singula) construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis, nunc etiam infirmos ac debiles in diversis monasteriis et xenodochiis decumbentes, personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confovebat, eis manibus propriis, flexo genu, potum et cibaria ministrando.

Leproso ministrat suis manibus alimenta.

§ 15. Cumque in monasterio regali Montis Belvacensis dioecesis, quod idem rex opere plurimum sumptuoso construxit, ac dotibus decoravit eximiis, monacus quidam Leodegarius nomine moraretur, quem adeo leprae morbus invaserat, quod abhominabilis factus et despectus quamplurimum, manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus monasterii memorati, eiusque oculi ob gravis infirmitatis pondus seu malitiam iam consumpti, nihil omnino videbant, eorum foraminibus sive locis rubeis et horridis iam effectis, quique nasum perdiderat, eius tumefactis non modicum labiis, et profunda fixura destructis, ac idem rex

eum, praesente dumtaxat abbate monasterii supradicti, personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum, ut poterat, invenisset, praefatus rex, praemisso benignae salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, et scindens manibus propriis carnes eidem appositas, bolos in os eius studiosissime immittebat, et huiusmodi non contentus obsequio, illatis dapibus eius iussione regalibus, de ipsis eidem monacho ministrabat, loci aut aegri qualitatem horribilem non evitans, eodem abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas principis, talibus quantumcumque salubribus involvi studiis ac servitiis poterit occupari.

Hospitalium infirmis servit

§ 16. Praeterea cum dictus rex hospitale Compendien. ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus, et iam fessus non modicum in labore, infirmum quemdam iuxta se positum conspexisset morbum, qui S. Eligii dicitur, patientem, et flexis genibus coram ipso, morsellum piri remoto cortice poneret in os eius, sanies de illius naribus affluens, foedavit turpiter manus regis, qui pie benigneque id tolerans, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico manibus, salubre quod inchoaverat obsequium, diligenter extitit persecutus.

Pauperibus eleemosynas:

Virginibus dotes elargitur.

§ 17. Hic revera circa servos Christi ac pauperes, aliasque miserabiles ac devotas personas valde compatiens, se ipsis in eleemosynarum elargitate munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulae denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis providebat, illud de bonis regalibus laudabiliter et salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas, et alios pios usus converti pro tempore noscebatur.

In haereticos severus.

§ 18. Hic praedicationibus et aliis propositionibus verbi Dei attentum accommodabat auditum, non auditor obliviosus factus, sed factor operis. Occurrebat haereticae pravitatis infectos, ne fidei christianae cultores labe huius contagionis inficerent, de regni praedicti finibus efficacibus studiis expellendo, ac alias circa statum eius providendo solicite, ut ab ipso, fomentis talibus prorsus exclusis, in eo fidei praedictae sinceritas rutilaret.

Egestatis tempore pauperibus consulit.

§ 19. Cum vero aliquibus partibus dicti regni ob sterilitatem seu malitiam temporis, victualium caristia imminebat, statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniae, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuncium inter pauperes dividendam.

Humilis in vestibus.

§ 20. Hic profecto humilitate sublimis, sublimitate humilis, in apparatu et vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat, post primum potissimum de ultramarinis partibus reditum, summae humilitatis insignia demonstravit. Non enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus usus fuit, saecularibus pompis a se penitus abdicatis.

Ciliciis et ieiuniis carnem domat.

§ 21. Et ne fervorem spiritus, sociae carnis ardor extingueret, sed mortificatione et repressione ipsius illum potius accendi contingeret, altiusque substolli, et carnem ipsam, quam assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effraene ipsius libitum arctae abstinentiae fraeno coercuit, eiusque nexibus alligavit, ut non voti proprii ducta libidine, non sui desiderii directa remigio, sed salubri moderamine spiritus, tute ad licita pergeret, provide ab illicitis abstineret: districtis enim corpus atterebat ieiuniis, priscorum observantiae a Sanctis Patribus ordinatae, novorum austeritatem adiiciens sibi motu propriae voluntatis indictam. Nam per totum quadragesimale tempus, et quadraginta dies festum Natalis Domini praecedentes, ac omnium festivitatum vigilias, necnon et quatuor tempora, quae catholica indicit Ecclesia, in ieiuniis et orationibus existebat, deliciosis et curiosis cibariis usui proprio

penitus interdictis. In festivitatum vero Virginis gloriosae ac Natalis Domini memorati vigiliis, et sexta feria maioris hebdomadae, ieiunium observabat, panis et aquae dumtaxat modica substentatione contentus. Qualibet etiam die Veneris quadragesimae supradictaé, ac totius adventus, ab esu piscium abstinebat multis praeterea se vigiliis occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret.

Ligneo contentus lecto:

§ 22. Post eius reditum supradictum non in pluma vel paleis iacuit, sed super ligneum lectum portatilem, materacio simplici superiecto, stramine nullo supposito, decumbebat.

Hostis mendacii:

§ 23. Hic insuper vitae puritate praelucidus, sincerus veritatis amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis.

Pius in sermonibus.

§ 24. Cuncta quoque ipsius eloquia salutis augumentum, operaque salubria hortabantur, demulcebant auditorum praecordia, et in eorum aedificationem multiplicem redundabant.

Tuneti animam Deo reddit.

§ 25. Cumque ad incrementa catholicae fidei, et liberationem celerem Terrae Sanctae votis ardentibus anhelaret, in ipsius Terrae Sanctae subsidium assumpsit denuo signum Crucis, et denuo potenti et valido congregato navigio, copiosa et strenua comitiva suffultus, cum praefato Pictaviae comite, suisque liberis, et clar. mem. regina Navarrae, ipsius regis filia, quae in reditu debitum naturae persolvit, ad partes se transtulit transmarinas, praefato Carolo, qui tunc moram in Italiae partibus contrahebat, regis memorati vestigia subsequente, ac tandem ad partes Tunitii felici gressu perveniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit, et adversus Saracenorum incursus exercens potentiae suae vires gravissimas, ob labores innumeros, quibus premebatur assidue, infirmitates incurrit, qui diebus elapsis aliquibus infirmitatum ipsarum violentia superatus, sacramenta ecclesiastica cum summa devotione recepit, ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu christiano praemissa, suam Domino devotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia, videlicet: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, feliciter migravit ad Christum, supernis deliciis fruiturus.

Multa per eum Deus operatur miracula.

§ 26. Verum cum vitae huiusmodi functus curriculo, verius viveret quam vixisset, noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti principis tantique propugnatoris fidei orthodoxae, mundo supprimi sanctitatem, quemadmodum meritorum pluralitate praefulserat, sic miraculorum diversitate claresceret, et qui eum plenissima devotione coluerat, iam secum in coelesti palatio collocatus, venerabiliter coleretur. Nam contractis arctuum extensione subvenit; curvis, terram fere tangentibus facie, plene restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem; strumosis beneficium liberationis impendit.

Mulieris brachium aridum:

§ 27. Mulierem quamdam, cuius brachium aridum et omnino impotens existebat, ab infirmitate huiusmodi liberavit.

Aliudque pene emortuum vivificat.

§ 28. Quidam quoque, cuius velut emortuum pendebat brachium, per eiusdem Sancti virtutem, gratiam curationis obtinuit.

Paralyticos sanat;

§ 29. Quampluribus paralytico morbo percussis, et aliis qui diversis languoribus tenebantur, plena reddita sospitate;

Caecos illuminat, etc.

§ 30. Caecisque visu; surdis auditu; claudis gressu, illius invocato nomine, restitutis;

§ 31. His et quampluribus aliis, Sanctus ipse coruscavit miraculis gloriosis, quorum seriem praesentibus non duximus inserendam.

Exultatio pro tanti regis gloria.

§ 32. Gaudeat itaque domus inclyta Franciae, quae talem ac tantum principem genuit, per cuius merita sublimiter illustratur; laetetur devotissimus Franciae populus, quod tam electum, tam virtuosum dominum meruit obtinere. Exultent praelatorum et cleri praecordia, quod praefatum regnum tam claris miraculo-

rum ipsius regis insigniis propensius decoratur. Iucundentur et procerum, magnatum, nobilium et militum pectora, quod per sanctissima opera dicti regis eiusdem regni status donorum multiplici praerogativa substollitur, et quasi solis radius elucescit.

Ss. confessorum albo adscribitur.

§ 33. Caeterum quia, quos superni Regis clementia corona gloriae in coelo magnificat, devote a fidelibus in hac terrestri patria convenit venerari; nos de sanctitate vitae, ac miraculorum veritate ipsius beatissimi Ludovici curiosae ac solemnis inquisitionis diligentia, et districti examinis discussione praemissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi fratrum nostrorum et praelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio et assensu, die dominico III idus augusti Sanctorum cathalogo duximus adscribendum.

Eius festum dies celebrandus

§ 34. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus in crastinum B. Bartholomæi apostoli, cum felix ipsius anima, tunc de carnis eruta vinculis, astra petens coelestem aulam adiverit aeternis gaudiis potitura, festum ipsius Sancti devote et solemniter venerari, colereque studeatis, ut eius intervenientibus precibus, et hic ab imminentibus possitis liberari periculis, et in futuro salutis perpetuae praemium obtinere.

Indulgentia eius sepulchrum invisentibus proposita.

§ 35. Ut autem ad venerabile sepulchrum ipsius ferventius et copiosius fidelium confluat multitudo, ac celebrius eiusdem solemnitas peragatur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint eius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad praedictum sepulchrum, infra eiusdem festi octavas, quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus.

Datum apud Urbem Veterem, III idus aug., pont. nostri anno III.

Dat. die 11 augusti 1297, pontif. anno III.

---

## XIII.

*Confirmatis conciliorum decretis et Nicolai IV constitutione contra arma, victualia etc. ad Saracenorum partes deferentes, inquisitoribus haereticae pravitatis facultas datur contra delinquentes procedendi* (1).

SUMMARIUM

1. Saracenis arma vel quid huius generis ferentes, vendentes, excommunicati a canonibus. — 2. Nicolaus IV similes poenas inflixit in eadem deferentes in Alexandriam vel Ægyptum: — 3. Aliasque poenas intentavit contra illuc victualia deferentes, usque ad decennium. — 4. Bonifacii studium pro recuperatione Terrae Sanctae. — 5. Nicolai decreta firmat. — Tempus prorogat ad aliud decennium. — Et haec populis explicari praecipit. — 6. Easdem poenas minatur iis, qui e Soldani terris merces extrahent, et eidem vendent. — 7. Inquisitoribus haereticae pravitatis procedendi contra inobedientes data facultas. — 8. Obstantium derogatio. — 9. Validatio singulorum actuum. — 10. Inquisitores super his nullam transactionem facere possunt Sede Apost. inconsulta. — 11. Publicatio huiusce constitutionis.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Saracenis arma vel quid huius generis ferentes, vendentes, excommunicati a canonibus.

§ 1. Fuit olim tam in generali, quam in Lugdunensi postmodum subsecuto conciliis, per Sedem Apostolicam celebratis, in illos falsos et impios christianos, qui contra Deum et christianum populum Saracenis ferrum et arma, quibus christianos impugnant, et lignamina galearum, et aliorum vasorum navigabilium deferrent; et in eos etiam,

(1) Ex Regest. Archiv. Vatic.

qui eis galeas venderent, aut naves; quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercerent; vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis in christianorum, et maxime Terrae Sanctae dispendium impenderent auxilium vel consilium, excommunicationis sententia promulgata: ipsosque rerum suarum privatione mulctari; et servos capientium fore, censent concilia supradicta: expresse quoque in ipsis praecipitur, ut talibus gremium non aperiretur Ecclesiae, nisi totum, quod de commercio tam damnato perciperent, et tantundem de sua in subsidium Terrae memoratae transmitterent; ut aequo iudicio, in quo delinquerent, punirentur.

Nicolaus IV similes poenas inflixit in eadem deferentes in Alexandriam vel Ægyptum:

§ 2. Felicis insuper recordationis Nicolaus Papa quartus praedecessor noster, gerens cordi negotium dictae Terrae, duxit hactenus authoritate apostolica statuendum, ut nullus arma, equos, ferrum, lignamina, victualia et alia quaecumque mercimonia in Alexandriam vel alia loca Saracenorum terrae Ægypti deferre vel mittere; seu de portubus suis, ut eisdem deferrentur, extrahere vel extrahi permittere, aut eis alias auxilium vel favorem praestare quoquomodo praesumeret: ac illos, qui contra huiusmodi constitutionem ipsius ausu temerario venire tentarent, eo ipso excommunicationis sententiae subiacere decrevit, a qua non possent absolvi, nisi tantum de bonis propriis in dictae Terrae subsidium convertendum exsolverent, quantum ad partes praedictas deferrent vel mitterent, aut deferri, vel de ipsorum portubus extrahi permitterent deferendum; et si personas eorum capi contingeret, illas in servitutem et capturam illorum esse voluit, in quorum caderent captionem.

Aliasque poenas intentavit contra illuc victualia deferentes, usque ad decennium

§ 3. Postmodum etiam praedecessor ipse nihilominus statuit, ut nullus omnino aliqua victualia usque ad decennium, a data literarum praedecessoris eiusdem computandum, alia vero praedicta, vel aliquod seu aliqua de eisdem, aut aliud quolibet, victualibus, sicut praemittitur, usque ad praedictum tempus dumtaxat exceptis, quacumque occasione vel causa seu quovis ingenio vel colore quaesito, ullo unquam tempore in Alexandriam, vel ad partes Ægypti mittere vel deferre praesumeret, vel, quantum in eo foret, mitti vel deferri permitteret; authoritate apostolica decernendo, ut ii, qui contra huiusmodi statutum eius venire praesumerent, praeter poenas praedictas, quas illos ipso facto incurrere voluit, perpetuo esse infames, et intestabiles haberentur, ita quod, nec testari neque legata eis seu relicta percipere possent: et insuper ad successiones tam ex testamento, quam ab intestato, forent prorsus et redderentur inhabiles, nec ad publica quaelibet admitterentur officia; essentque illis omnes actus legitimi penitus interdicti; et tanquam excommunicati hostes catholicae fidei, postquam de ipsorum huiusmodi temeritate constaret, diebus dominicis et festivis publice nunciarentur: et in fiscum bona omnia devolverentur eorum, prout haec omnia in ipsius praedecessoris literis, quae in eiusdem conservantur archivio Ecclesiae, plenius continentur.

Bonifacii studium pro recuperatione Terrae Sanctae.

§ 4. Nos vero postmodum, disponente Domino, ad summi apostolatus officium, licet insufficientibus meritis, evocati, volentes providere tanto solertius in hac parte, quanto magis dictae Terrae perurgens necessitas hoc exigere noscebatur; ratificando, confirmando et innovando praedicta, nonnulla circa haec per nostros processus et literas addenda duximus, et etiam statuenda.

Nicolai decreta firmat.

§ 5. Nunc autem quae ab eodem praedecessore, ac a nobis in hac parte facta noscuntur, rata habentes et grata, ea omnia authoritate apostolica ratificamus, approbamus et innovamus, et praesentis scripti patrocinio communimus: ipsaque praecipimus inconcussa servari. Et nihilominus ad obviandum super hoc notius et efficacius periculis imminentibus dictae Terrae, tempus supradicti de-

Tempus prorogat ad aliud decennium:

cennii, ab eodem praedecessore statutum, usque ad aliud decennium prorogamus: ita quod districte praecipimus ne aliquis victualia aliqua in Alexandriam, vel ad partes Ægypti mittat vel deferat, vel quantum in eo est, deferri vel mitti permittat: et eos, qui secus fecerint, decernimus supradictas sententias et poenas incurrere ipso facto: et de novo monemus venerabiles fratres nostros, archiepiscopos, episcopos, necnon duces, potestates, capitaneos, rectores, consiliarios, communitates, universitates et populos omnium et singularum civitatum maritimarum constitutarum ubilibet, ipsis universis et singulis districtius iniungentes, ut iidem archiepiscopi et episcopi ea omnia in civitatibus eorum, et in locis insignibus suarum dioecesum coram populo publicent, et faciant per alios solemniter publicari, iubentes et facientes ipsa a ducibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, communitatibus, universitatibus et personis singularibus provinciarum, civitatum et locorum authoritate nostra inviolabiliter observare; duces vero, potestates, capitanei, rectores, consilia, communitates et universitates omnia praedicta in cartulariis et capitularibus civitatum vel communitatum suarum conscribi faciant: ipsaque observent firmiter et faciant a suis subditis inviolabiliter observari.

Et haec populis explicari praecipit.

§ 6. Et ad subtrahendum lucra, redditus et proventus, quibus babilonicus hostis insanius fortior redditur ad impugnationem fidelium et detinentium Terram Sanctam, et alia christianorum loca, quae nequiter occupavit, firmiter statuit, certis gravibusque poenis appositis, ut nullus omnino suarum civitatum, eorumque territorii seu districtus, ad terras Soldano subiectas accedat, mercationes aliquas ferri, armorum, lignaminum et aliarum rerum quarumlibet deferat sive mittat, sibique vel suis praestet auxilium vel favorem; eos, qui secus attentare praesumpserint, per exactiones poenarum adhibitarum efficaciter puniendo; non moleste, sed cum patientia portaturi, quod praesumptores huiusmodi tam per Ecclesiae, quam per aliorum galeas, aliaque vasa fidelium, iuxta ordinationem seu dispositionem Apostolicae Sedis impune ae libere perturbentur offensis, ac a talibus compescantur, ut per auctae punitionis remedium reprimatur facilius temeritas eorumdem. Districtius insuper inhibemus universis et singulis christifidelibus, ubique locorum constitutis, cuiuscumque dignitatis, præeminentiae, conditionis aut status existant, ut nullus omnino contra praemissa, vel eorum aliquod, quomodolibet scienter attentare praesumat, et qui secus egerit, praemissis poenis, sententiis, conditionibus et praeceptis iuxta constitutionem eamdem sit eo ipso ligatus.

Easdem poenas minatur iis, qui e Soldani terris merces extrahent, et eidem vendent.

§ 7. Sed nihilominus, quia non prodest iura condere, statuta edere ac emanare praecepta, si eadem non servantes poena debita non mulctarentur, firmiter statuimus, et volumus, ut inquisitores haereticae pravitatis, qui per Romanam Ecclesiam, vel authoritate ipsius, sunt vel fuerint deputati, et eorum quilibet, eo ipso, quod eis commissum est, vel committi contigerit, contra pravitatem eamdem inquisitionis officium, authoritatem, iurisdictionem, potestatem et officii commissionem iteratam et plenam habeant; ac omnimoda sit eis attributa potestas in provinciis, ad quas fuerint deputati, inquirendi super iis; et quos in praedictis invenerint deliquisse, declarandi et denunciandi, praedictas poenas et sententias incurrisse. Illis etiam ex eis, quibus processus nostri poenam aliquam non imponunt, poenas spirituales et temporales, de quibus eis videbitur, imponendi et praecipiendi, quae per nos eis iniuncta noscuntur, firmiter observari: procedendi quoque contra eorum singulos ac terras et loca ipsorum, et poenas praedictas, et quae imponuntur, ab eis exigendi, ac huius-

Inquisitoribus haereticae pravitatis procedendi contra inobedientes data facultas.

modi poenas et sententias executioni mandandi et praecipiendi exigi, et executioni mandari, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis: contradictores quoque cuiuscumque status, præeminentiae, dignitatis et conditionis extiterint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstante si eis, vel alicui seu aliquibus eorumdem ab eadem sit Sede indultum, vel contigerit indulgeri, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas, vel eorum authoritate, quae de indulto huiusmodi, ac de personarum et locorum nominibus plenam, determinatam et expressam non fecerint mentionem.

Validatio singulorum actuum

§ 9. Decernimus insuper, ut mandata et processus quae iidem inquisitores, ac eorum quilibet in hac parte fecerint; poenae, quas imposuerint, ac sententiae, quas protulerint, plenum vigorem habeant et obtineant perpetui roboris firmitatem, ac si in casu quolibet plena eis et cuilibet eorum esset specialis commissa potestas et iurisdictio procedendi; eorumque iurisdictio in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset.

Inquisitores super his nullam transactionem facere possunt Sede Apostolica inconsulta.

§ 10. Nolumus autem, quod inquisitores praedicti, vel eorum aliquis de huiusmodi poenis, sententiis et processibus vel eorum aliquibus ullam remissionem, absolutionem vel relaxationem seu transactionem faciant absque speciali mandato dictae Sedis, faciendo per eiusdem Sedis literas, quae plenam et expressam de iis faciant mentionem, et quod secus fieret, irritum decernimus et inane.

Publicatio huiusce constitutionis.

§ 11. Ut autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eumdem, in basilicae Lateranensis appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt; ita quod ii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem: cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani in die Coenae Domini, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 16 aprilis 1299, pont. anno v.

---

## XIV.

*Amotis canonicis regularibus ordinis Sancti Augustini ab Ecclesia Lateranen. saeculares canonici subrogantur.*

SUMMARIUM

Procemium. — Causae submovendi ab hac Ecclesia regulares. — Quindecim canonici saeculares in eadem instituuntur.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Romana Ecclesia, quae super universas Ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas maternae diligentiae cura sedulo vigilans, earum profectibus velut solicita mater ardenter intendit, studens ea penitus submovere, per quae ipsae Ecclesiae substinere possent circa spiritualia seu etiam temporalia nocumenta; et illa efficaciter agere, quorum suffragio eis in utrisque augumentum Deo propitio valeat provenire.

Causae submovendi ab hac Ecclesia regulares.

Sane inter varias et innumeras solicitudines, quae nobis ex officio apostolatus incumbunt, ad patriarchalem Lateranensem Ecclesiam, quam inter caeteras Urbis et Orbis Ecclesias velut caput ipsarum antiquitatis, dignitatis ac nobilitatis praerogativa fulgentem, utpote a clarae memoriae Constantino imperatore Romano eximia devotione constructam, et a beato Silvestro Romano antistite ante

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

aliam eiusdem Urbis Ecclesiam dedicatam, dilectionis et devotionis affectu prosequimur speciali: praesertim ob reverentiam Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, et beati Ioannis, quorum est ipsa Ecclesia vocabulo insignita, nostrae mentis aciem convertentes, ac attendentes, quod dicta Ecclesia, in qua ordo Sancti Augustini ab antiquo fuerat institutus, ex eo maxime, quod canonici regulares eiusdem Ecclesiae vivebant enormiter, et impotentes erant ad iura ipsius Ecclesiae defensanda, patiebatur non modicam in spiritualibus ac in suis bonis et iuribus laesionem; nec per alios, quam saeculares clericos poterat eadem Ecclesia salubriter reformari; cum propter religionis nexum, cuius observantiae recipiendos in dicta Ecclesia se adstringere oportebat, viri potentes, idonei et literati ad defensionem ipsorum bonorum et iurium, qui in Ecclesia ipsa vellent institui, non poterant inveniri; firmiterque ac indubitanter credentes, quod si ex providentiae nostrae praesidio ad saeculares clericos transferatur; exinde honor proveniet ipsi Ecclesiae ac profectus: horum consideratione ducti, post deliberationem super hoc cum fratribus nostris praehabitam diligentem, de ipsorum fratrum consilio providimus et fore decrevimus dictam Ecclesiam de huiusmodi solummodo saecularibus clericis perpetuo ordinandam, ac amotis exinde canonicis regularibus in eadem Ecclesia manentibus, quindecim electas et idoneas personas, per quarum probitatem, industriam et potentiam eadem Ecclesia salubriter poterit in spiritualibus et temporalibus gubernari, et in praedictis bonis et iuribus manuteneri utiliter, et defendi, auctoritate apostolica instituimus in ipsa Ecclesia in canonicos et in fratres. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae institutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem *etc.*

Quindecim canonici saeculares in eadem instituuntur.

Datum Trebis tertio nonas septembris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 3 septembris 1299, pont. anno v.

---

## XV.

*Institutio Sanctissimi Iubilaei, plenariaeque peccatorum remissionis pro quolibet centesimo anno basilicas Ss. Petri et Pauli Apostolorum de Urbe visitantibus.*

SUMMARIUM

Visitantibus Ecclesiam S. Petri Romae indulgentiae. — 1. Innovantur a Bonifacio. — 2. Pro quolibet centesimo anno Iubilaeum institutum. — 3. Quoties Apostolorum visitanda basilica.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Antiquorum habet fide relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de Urbe, concessae sunt magnae remissiones et indulgentiae peccatorum.

Visitantibus Ecclesiam S. Petri Romae indulgentiae

§ 1. Nos igitur qui, iuxta officii nostri debitum, salutem appetimus et procuramus libentius singulorum, huiusmodi remissiones et indulgentias omnes et singulas ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate apostolica confirmamus et approbamus, et etiam innovamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Innovantur a Bonifacio.

§ 2. Ut autem beatissimi Petrus et Paulus apostoli eo amplius honorentur, quo eorum basilicae de Urbe devotius fuerint a fidelibus frequentatae, et fideles ipsi spiritualium largitione munerum, ex huiusmodi frequentatione magis senserint se refertos, nos de omnipotentis Dei misericordia, et eorumdem apostolorum eius meritis et auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, omnibus in praesenti anno millesimo trecentesimo, a festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi praeterito proxime inchoato, et

Pro quolibet centesimo anno Iubilaeum institutum.

in quolibet anno centesimo secuturo, ad basilicas ipsas accedentibus reverenter, vere poenitentibus et confessis, vel qui vere poenitebunt et confitebuntur, in huiusmodi praesenti et quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam et largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedemus et concedimus veniam peccatorum.

Quoties Apostolorum visitanda basilica.

§ 3. Statuentes, ut qui voluerint huiusmodi indulgentiae a nobis concessae fieri participes, si fuerint Romani, ad minus triginta diebus, seu (1) interpolatis, et saltem semel in die: si vero peregrini fuerint aut forenses, simili modo diebus quindecim ad basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, et indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, 8 kal. martii, pont. nostri anno VI.

Dat. die 23 februarii 1300, pontif. anno VI.

## XVI.

*Erectio Studii generalis in civitate Firmana, provinciae Marchiae Status Ecclesiastici, cum privilegiis, gratiis et indultis Studii Bononiensis.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Firmanorum preces. — 2. Erigitur Studium cum privilegiis ad instar Studii Bononiensis. — 3. Magisteria et laurea conferenda per episcopum. — 4. Laureatorum privilegia.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

In supremae dignitatis apostolicae specula superni dispensatione consilii licet immeriti constituti, ad universas fidelium regiones nobis creditas eorumque profectus et commoda tamquam universalis gregis dominici pastor, commissae nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, intendentes, fidelibus ipsis ad quaerendum literarum studia, per quae divini nominis suaeque fidei catholicae cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnibusque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impertimur.

Firmanorum preces.

§ 1. Cum itaque nuper pro parte dilectorum filiorum communitatis, et hominum civitatis nostrae Firmanae, provinciae Marchiae Anconitanae, propositum fuerit coram nobis, quod ipsi non solum ad utilitatem et prosperitatem huiusmodi reipublicae ac incolarum castrorum et terrarum eis subiectarum, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendentes, in civitate Firmana, tamquam in insigniori loco et magis ad hoc commodo et idoneo, cuique aeris viget temperies, victualium ubertas, caeterarumque rerum ad humanum usum pertinentium copia reperitur, desiderent plurimum fieri et ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale, in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, aequitas servetur, iudicii vigeat ratio, illuminentur mentes, et intellectus hominum illustrentur.

§ 2. Nos praemissa, et etiam eximiam fidei et devotionis constantiam, quam ipsi homines, et communitas ad nos et sanctam Romanam Ecclesiam, fidemque catholicam gerere dignoscuntur, attente considerantes, ferventi desiderio inducimur, quod civitas ipsa scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dignitatibus eruditos, de quorum plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. Iis igitur omnibus, et praesertim idoneitate dictae civitatis, quae ad multiplicanda sanae doctrinae semina et germina salutaria producendum magis congrua et accommoda

(1) Addendum forsan *contiguis, seu.*

inter alias civitates, terras, loca et oppida dictae provinciae fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsius civitatis, sed etiam regionum circumiacentium incolarum commodum et profectum, paternis affectibus anhelantes, praedictorum communitatis et hominum in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem divini Nominis, et fidei propagationem orthodoxae, auctoritate apostolica statuimus, et etiam ordinamus, ut in eadem civitate de caetero sit Studium generale, ad instar Studii Bononiensis, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in theologia, iure canonico ac civili, et artibus, quam alia qualibet licita facultate. Quodque legentes et studentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis magistris in theologia et doctoribus legentibus et studentibus commorantibus in Studio Bononiensi, gaudeant et utantur.

Erigitur Studium cum privilegiis ad instar Studii Bononiensis.

§ 3. At quod illi quo processu temporis bravium meruerunt, in illa facultate, in qua studuerunt obtinere, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac magisterii seu doctoratus honorem petierint elargiri, per magistrum seu magistros vel doctores illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, venerabili fratri nostro episcopo Firmano pro tempore existenti, vel eius sufficienti et idoneo vicario, quem ad hoc idem episcopus duxerit deputandum; Ecclesia vero Firmana vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios capitulum ipsius Ecclesiae Firmanae deputatus extiterit, praesententur. Idemque episcopus aut deputatus, ut praefertur, magistris et doctoribus in eadem facultate actu ibi legentibus convocatis, illos in iis, quae circa promovendos ad magisterii seu doctoratus honorem requiruntur, iuxta modum et consuetudinem, quae super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, et magisterii et doctoratus honorem conferat, et etiam largiatur.

Magisteria et laurea conferenda per episcopum.

§ 4. Illi vero, qui in eodem Studio dictae civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine et approbatione alia, legendi et docendi tam in praedicto ipsius civitatis, quam in singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint legere et docere, statutis et consuetudinibus quibuscumque contrariis, apostolica auctoritate, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem. Nulli ergo *etc.*

Laureatorum privilegia.

Datum Romae apud S. Petrum, 17 kal. feb., pont. nostri anno IX.

Dat. die 16 ianuarii 1303, pont. anno IX.

---

## XVII.

*Publicatio processuum contra offendentes, venientes et recedentes ab Urbe* (1).

SUMMARIUM

Poenae (*prout in rubrica*). — Poenae similiter contra sacramenta eis ministrantes. — Publicatio huiusce processus.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes vel recedentes ab ea capiunt, spoliant vel detinere praesumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quominus ad eamdem Sedem libere cum personis, bonis et rebus suis veniant et recedant ab eadem; etiamsi imperiali aut regali fulgeant dignitate, seu cuiuscumque alterius fuerint præminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status. Non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis, eis vel eorum alicui vel aliquibus ab Apostolica Sede

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

sub quavis forma vel tenore concessis, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; quae prorsus tollimus et revocamus omnino ad hoc, quod contra huiusmodi nostram sententiam et processus per ea nequeant se tueri, quominus includantur in eis. Declaramus insuper, omnes praedictos, et alios, qui per se vel suos officiales seu ministros aut alios, incolis imperii, regnorum seu terrarum suarum, vel transeuntibus per ea, undecumque oriundis, ad Sedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem, equitaturas limitant vel subtrahunt, quae deferunt seu reportant pro suis opportunitatibus vel expensis, vel quasvis alias res et bona; aut aperiunt literas vel auferunt, seu taxant numerum personarum vel familiarium, seu quantitatem expensarum aut evectionum, vel alias directe vel indirecte talibus venientibus vel redeuntibus impedimentum vel obstaculum praestare praesumunt impeditores fore ad dictam Sedem venientium et redentium ab eadem; et anathematis et excommunicationis sententiam incurrere supradictam; ipsosque sic ligatos a sacramentorum perceptione nunciamus exclusos; districte praecipientes, ut nullus ea ipsis ministrare praesumat, nec etiam sacramentum Poenitentiae, nisi in mortis articulo constitutis; sed nec tunc, nisi de stando mandatis Ecclesiae satisfactione vel sufficienti cautione praemissis; eos vero cuiuscumque fuerint præeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali dignitate praefulgeant, qui contra huiusmodi nostrum praeceptum talibus, vel eorum alicui, sacramenta vel sacramentum aliquod praesumpserint ministrare, excommunicationis et anathematis sententia innodamus, eisque interdicimus praedicationis, sessionis, administrationis sacramentorum, et audiendi confessiones officium. Praedicentes aperte impedientibus et contemptoribus supradictis, nos gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, processuros. Ut autem huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eumdem, in praesentis Lateranensis basilicae appendi vel affigi ostiis seu super liminaribus faciemus, quae processum ipsum suo quasi novo praeconio et patulo indicio publicabunt; ita quod ii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem; cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani die Coenae Domini, pontificatus nostri anno IX.

Poenae (prout in rubrica)

Poenae similiter contra sacramenta eis ministrantes.

Publicatio huiusce processus.

Dat. die 4 aprilis 1303, pontif. anno IX.

---

## XVIII.

*Confirmatio electionis Alberti regis Romanorum in imperatorem electi* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Alberti erga Apost. Sedem merita. — 2. Albertus legitime in imperatorem electus. — 3. Ut Albertus postulatus iudicio ob cæsum Adulphum misericordiam implorarit: — 4. Fidem Ecclesiæ obstrixerit, eique privilegia confirmarit. — Mansuetudinis illi Bonifacius monita dat, et exempla. — 5. Eius in regem Romanorum electionem approbat. — 6. Qui intercesserant in electione eadem defectus, supplet. — 7. Eum ad grata erga Ecclesiam explicanda officia, ac imperium recte administrandum hortatur.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Alberto regi Romanorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem. Ad perpetuam rei memoriam.**

Patris Æterni Filius Dominus Iesus Christus, cuius licet immeriti vices in terris gerimus, misericordiae benignita-

Prooemium.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tem exercens, ut in Eius beneplacitis feramus iugum apostolicae servitutis, viam nos humilitatis edocuit, nosque suorum doctrinis mandatorum instruxit, ut Ipsius vestigia, qui patiens et humilis est atque misericors, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Nos itaque Ipsius exemplo dirigi cupientes, quos ad nos fiducia devota reducit, libenter brachiis paternae benignitatis amplectimur, illisque sinum mansuetudinis et misericordiae non negamus, dum eis praesertim devotionis et humilitatis instantia suffragatur.

Alberti erga Apost. Sedem merita

§ 1. Profecto dum fidem et devotionem divae memoriae Rodulphi regis Romanorum patris tui, quibus ipse, dum viveret, erga Sedem Apostolicam studuit cum sinceritate vigere, ad memoriam nostrae considerationis adducimus, dum clara et provida magnificentiae tuae studia, per quae diebus istis gratificari Deo et ipsi Sedi cum summae devotionis et humilitatis promptitudine decrevisti, diligentius intuemur; suggerit nobis horum fervens instantia, ut erga te mansuetudinem et misericordiam exercentes, statui tuo salubriter ad laudem Divini Nominis, honorem et exaltationem sanctae Matris Ecclesiae, sacrique imperii, ac tranquillitatem et pacem fidelium, authore Domino, consulamus.

Albertus legitime in imperatorem electus.

§ 2. Dudum siquidem clarae memoriae Rodulpho rege Romanorum de hac luce subtracto, et per eius obitum Romano regno vacante, principes ecclesiastici et saeculares, ad quos, translato olim romano imperio de Graecis per Sedem Apostolicam in persona magnifici Caroli in Germanos, futuri Romanorum regis in imperatorem postmodum promovendi electio pertinet, te in Romanorum regem unanimiter et concorditer elegerunt: tuque huiusmodi electioni de te factae consentiens, fuisti more Romanorum regum apud Aquisgranum in Romanorum regem postmodum coronatus: et deinde fere per quinquennium exercuisti administrationem regiam: sicut praedecessores tui legitime ac concorditer in Romanorum reges electi exercere solent hactenus, postquam apud dictum locum Aquisgrani, ubi hoc fieri consuevit, coronati fuerunt.

Ut Albertus postulatus iudicio ob caesum Adulphum misericordiam implorarit:

§ 3. Verum, cum medio tempore nonnulla contra te super iis ad nostram audientiam deducta fuissent, certis a nobis adversus te processibus propterea subsecutis; tu devoti et prudentis more filii de solita patris benignitate confidens, super iis non iudicium, sed misericordiam humiliter implorasti; nihilominus offerens te paratum tuam, prout posses, super eis ostensurus innocentiam, et alias nostra et dictae Sedis beneplacita et mandata facturum: praestitisti quoque nobis et Sedi fidelitatis et obedientiae iuramentum, et nonnulla etiam alia promisisti et iuramento firmasti, quae tam a praedicto patre tuo, quam a praedecessoribus eius Romanorum regibus iurata, promissa, facta, recognita et concessa fuerunt; sicut haec et alia in duobus patentibus literis tuo sigillo signatis, quae in ipsius archivo conservantur Ecclesiae, plenius continentur.

Fidem Ecclesiae obstrixerit, eique privilegia confirmarit.

§ 4. Cumque vicem geramus Illius, qui sedens ut rex, circumdante exercitu, est moerentium consolator, et omnipotentiam suam parcendo et miserando maxime manifestat, devotione ac humilitate tua gratanter inspecta, viam mansuetudinis, misericordiae ac dulcedinis erga te potius elegimus, quam rigoris, ut apud nos et Ecclesiam memoratam obedientia humilis tibi prosit, sicut obesse debent contemptoribus inobedientia et contemptus. Et quia levantes in circuitu oculos nostros, et Romanorum regnum et imperium intuentes, invenimus in ipsis gentem peccatricem, populos graves iniquitate, semen nequam, filios sceleratos, qui deliquerunt in Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, et alienati sunt retrorsum, et in eis omne caput languidum, et omne cor moerens; ita quod a planta pedis usque ad verti-

Mansuetudinis illi Bonifacius monita dat, et exempla.

cem quasi non est sanitas in eisdem; quorumque vultus et plaga tumens non est circumligata medicamine, nec fota oleo Samaritani illius, qui homini descendenti de Ierusalem in Ierico, vulneribus sauciato, ut proximus verus subvenit, plagis eius vinum et oleum misericorditer infundendo, vestigia imitantes decrevimus tecum misericorditer agere, severitatem superando rigoris; ut tu memor tam grandis novae nostrae miserationis acceptae, tuorum discas vulnera subiectorum et plagas per mansuetudinem olei et vini acrimoniam restaurare. Modum namque sequi providimus in hac parte, per quem tu, approbatus a nobis ac nostro et eiusdem Ecclesiae fultus auxilio et favore, super reges constituaris et regna, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, aedifices et plantes; ac sedens in solio iudicii tuo intuitu profuges omne malum: accepta, secundum Apostolum, ad vindictam malefactorum, laudemque bonorum gladii potestate.

Eius in regem Roman. electionem approbat.

§ 5. Ad gloriam igitur omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beatae ac gloriosae semperque Virginis Mariae, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli et ad honorem et exaltationem S. Romanae Ecclesiae, ac imperii praedictorum, et prosperum statum mundi, de fratrum nostrorum consilio, praesente quoque praelatorum et aliorum copiosa multitudine curialium, authoritate apostolica, et de apostolicae plenitudine potestatis, te in specialem filium nostrum recipimus et Ecclesiae memoratae, ac in regem Romanorum assumimus, in imperatorem authore Domino promovendum. Volentes et statuentes, ut de caetero talis filius rexque Romanorum existas, in imperatorem, ut praemittitur, promovendus, et quod pro tali ab aliis habearis: tibique, sicut Romanorum regi electo legitime, et Aquisgrani coronato obediri debere ab omnibus et singulis sacro Romano subiectis imperio, sicut pareri solet et debet praedecessoribus tuis Romanorum regibus legitime intrantibus, et a praefata Sede hactenus approbatis.

Qui intercesserant in electione eadem defectus supplet.

§ 6. Supplentes omnem defectum, si quis aut ratione formae aut ratione tuae vel tuorum electorum personarum, seu ex quavis alia ratione vel causa, sive quocumque modo, in huiusmodi tua electione, coronatione ac administratione fuisse noscatur. Omnia insuper et singula per te, vel alios de mandato tuo, facta et habita in administratione praedicta, quae alias iuxta et licita extitissent, ita valere decernimus, et tenere, sicut si administratio ipsa tibi competisse legitime nosceretur (1).

Eum ad grata erga Ecclesiam explicanda officia, ac imperium recte administrandum hortatur.

§ 7. Excellentiam itaque regiam monemus, rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatenus ad ipsum Deum et praefatam Ecclesiam matrem tuam mentem et oculos tuos dirigens reverenter, ac benignitatem nostram, dictaeque Matris, qua praeventus agnosceris, devota meditatione considerans, illamque conscribens in sacrario tui pectoris, inibi sub recognitione debita perpetuo permansuram, sicut christianissimus catholicusque princeps fide praeclarus, claritate fervens, devotione sincerus, et iudicio rectus, eamdem Ecclesiam et libertatem ecclesiasticam ubilibet summo studio totisque viribus revereri et colere studeas, ac tueri; et grata et grandia ipsi Ecclesiae pro gratis et grandibus impensis tibi muneribus recompenses. Populos quoque in aequitate iudices, et dirigas in terris tibi subiectis gentium nationes ad bonum; ac alias commissa tibi regni et imperii gubernacula congruis temporibus sic laudabiliter et utiliter exequaris, quod aeternae vitae praemium, Illius tibi dextera suffragante,

(1) Aliis literis die eadem datis, quae leguntur apud Bzovium, Bonifacius omnes uniones, confoederationes, societates et pactiones cum quibuscumque regibus aut principibus, in praeiudicium Romanae Sedis et imperii ab eodem Alberto factas, etiamque iuramento firmatas, irritavit, nullas dixit, et quaecumque iuramenta quibuscumque verbis concepta relaxavit.

a Cuius misericordia omne datum optimum, et omne perfectum donum descendit, exinde consequi merearis: et praefatae Ecclesiae te gratum et utilem filium repraesentes, ac de bono semper in melius in eius dilectione concrescas, tuique nominis fama latius in gentibus extollatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum receptionis, assumptionis, statuti, suppletionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Laterani secundo kalendas maii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 30 aprilis 1303, pontif. anno IX.

---

## XIX.

*Declaratio, quod Ungariae regnum ad Mariam Siciliae reginam et Carolum eius nepotem, non autem ad Venceslaum Bohemiae regis natum pertineat* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Dolet de Hungarici regni calamitatibus. — Pontificiae esse sollicitudinis tantis malis prospicere. — 1. Venceslaus filium in regem Hungariae electum Sedi Apost. commendat. — Contendit Maria regnum idem successionis iure ad se spectare. — Vocatur uterque in iudicium. — 2. Maria et Carolus oratorum opera in iudicio sistunt. — 3. Venceslaus et filius inania obtendunt diffugia. — 4. Rationes utriusque partis; — Quibus bene examinatis, regnum Mariae et Carolo adiudicatur. — Iussi proceres ac praesules obedientiam illis exhibere. — 5. Vetat iuniorem Venceslaum regis Hung. titulo insignire; — Et praestita ei sacramenta rescindit: — 6. Eique quadrimestre constituit ad iura de petitorio producenda. — 7. Reformationi eiusdem regni consulturum se profitetur.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Spectator omnium, cunctorum praescius Rex aeternus, civitatem Ierusalem ruituram praevidens, flevit compassibiliter super illam; nunquid igitur et nos, eius officium vicariae potestatis habentes, fletus arcere possimus, mitigare punctionis aculeos, gemitus cohibere, videntes acerbe regni Hungariae collapsi per plurimum dissidia gravia, inculcata frequentius diminutionis incommoda, et ruinam totaliter imminentem? Illud itaque violenti diripiunt et apprehenderunt iam inter angustias persequentes: gemunt sacerdotes ipsius, luget populus confusionis involutione perplexus; parvuli eius captivi sunt ducti ante faciem tribulantis; silet ibi belli dissidio coacta iustitia, corrupti sunt mores hominum: eradicatis virtutibus, vitiis propagatis, zelus christianae fidei tepuit, imo iam friguit, et divini cultus observanda religio dormitavit: et dum inibi de regnandi iure contenditur promiscuis actibus, sursum deorsum miscentur confuse singula, et in aperto caduco ruit populus, cum certus non appareat gubernator. Dolendum in iis pariter et lugendum illa maxime ratio piae considerationis inducit, quod regnum ipsum, retrorsum rediens, reges lactavit hactenus reginasque catholicos, et in eminentiam coelestis exercitus mira vigente sanctitate perduxit; literatos utique viros alios intelligentes et providos, scientiae claritate conspicuos, et eloquentiae facunditate disertos; in quorum vices successere proh dolor! dissidentes et stolidi modicae devotionis et fidei, abiicientes iugum disciplinae laudabilis, et debaccantes improbe sine fraeni constrictione pro libito vastatores. Numquid igitur super istis nostra consilia inhumane deficient, opportuna remedia, eclipsante charitatis fomite, et omissa lima iustitiae, delitescent? Necesse quidem adesse conspicimus, ut ruinas huiusmodi pastoralis cura nostrae provisionis impleat, collapsa reparet, iusta confoveat, vastata restauret, et paterna benignitas apta praesidia pro ipsorum congrua reparatione producat; sedando praecipue, quantum nobis

Dolet de Hungarici regni calamitatibus.

Pontificiae esse sollicitudinis tantis malis prospicere.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

ex alto permittitur, contentionis praefatae de iure regnandi turbinem, et de regno ipso auferendo pro viribus omnem per nostrae reparationis suffragium tempestatem.

Venceslaus filium in regem Hungariae electum Sedi Apostolicae commendat.

§ 1. Sane diebus non longe praeteritis charissimus in Christo filius noster Venceslaus Boemiae rex illustris per eius nuncium et expressas literas nobis supplicavit attente, ut negotium filii nobilis viri Venceslai eiusdem regis filii, quem in regem Ungariae concorditer et canonice proponebat electum; et eumdem regem Boemiae, ac tam suos, quam eiusdem filii in hac parte sequaces in benevolentiam nostram reciperemus et gratiam; ac nos eis adiutores, directores benignos et favorabiles in ipso negotio redderemus: super cuius supplicationis instantia pia et rationabili meditatione pensantes, quod praefatum regnum Ungariae, tam nobile hactenus, tam praeclarum in spiritualibus et temporalibus, per collusiones varias, sicut praetangitur, est collapsum: quodque charissima in Christo filia nostra Maria regina Siciliae in eodem regno Ungariae, tanquam haeres proximior, habere se ius asserebat et asserit, et dilectus filius nobilis vir Carolus nepos eius regnum ipsum in parte non modica ex persona iam dictae suae paternae aviae possidebat et possidet: de quo etiam in Strigoniensi Ecclesia, iuxta ritum antiquum Ungariae, per personam idoneam regale susceperat diadema; ut tolleremus invicem peccandi materiam et concertandi discrimen, exhiberemus iustitiae debitum, ac viam reformationis dicti regni accommodam sumeremus; inter contendentes eosdem tractatum pacis et compositionis amabilis more patris similiter assumere cupientes, memoratos reges Boemiae, ipsius filium et saepedictum Carolum, eorumque sequaces et alios, qui sua crederent interesse, per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Hostiensem episcopum, tunc Ungariae praefati regni legatum, peremptorie citari mandavimus, ut infra determinati et convenientis temporis spatium, in ipsa citatione praefixum, cum omnibus iuribus, actis et munimentis suis contingentibus memoratum negotium, coram nobis legitime comparere deberent: super iis complementum recepturi iustitiae, ac facturi, quae pro dicti regni statu prospero per nos essent provide ordinanda.

Contendit Maria regnum idem successionis iure ad se spectare.

Vocatur uterque in iudicium.

Maria et Carolus oratorum opera in iudicio sistunt.

§ 2. Eodem vero legato praedictos regem et filium ac Carolum legitime citante, sicut per ipsius certas literas, et verbum, postea nobis evidenter innotuit; ac adveniente peremptorio termino in ipsa citatione statuto, praefata regina Siciliae intimato iam sibi ex nostra parte per aliam, quod ipsa etiam, si sua interesse putabat, in memorato termino compareret; et iam dictus Carolus per procuratores idoneos sufficienter instructos, tamquam devotionis et reverentiae filii comparuerunt cum debita obedientia coram nobis, venerabilibus fratribus nostris S. archiepiscopo Colocen., M. Zagrabien., T. Ieurien., et B. Vesprien. episcopis ac dilectis filiis nonnullis archidiaconis et praepositis de ipso regno Ungariæ, ex citationis praefatae vigore comparentibus similiter cum eisdem.

Venceslaus et filius inania obtendunt diffugia.

§ 3. Iam dicti vero Boemiae rex et natus non comparuerunt per se vel per alium in termino praefinito, nec postea; sed sub cuiusdam palliationis astutia excusatores miserunt ad nostram praesentiam dilectos filios Honorium decretorum doctorem, Ioannem cantorem Ecclesiae de Veteri Buda, clericos, ac Ioannem Romani iuris peritum laicum, excusantes eosdem, quod procuratores ad nos non miserant sufficienter instructos, causas circa hoc minus rationabiles, imo inanes et frivolas praetendentes; et in pluribus consistoriis per nos ab ipsis seriose petito, si alias causas rationabilis excusationis haberent vel ampliori forent potestate suffulti; in excusatione culpae contumaciam geminantes, dixerunt improbe,

quod praefatus rex Boemiae nullo unquam intendebat tempore de ipso regno Ungariae litigare; procuratoribus ipsis et nunciis eorumdem reginae Siciliae ac nepotis instantibus, ut contumaciam ipsorum Boemiae regis et filii, ad declarationem et determinationem iuris, reginae ac nepoti competentis eisdem, procedere deberemus.

Rationes utriusque partis.

§ 4. Nos vero, habita super iis cum fratribus nostris examinatione solemni, profunda maxime meditatione pensantes statum praefati regni Ungariae miserabilem et depressum, flebili quidem compassione condignum, quod revera ex praetacta maxime contentione regnandi in peius continue labitur; quia, dum utrinque contenditur involuto dissidio, animarum et corporum pericula prodeunt, et ipsius cives et incolae in illo regnantibus cum debita obedientia non intendunt; quodque, sicut facti notorium permanens evidenter ostendit, et licet non in figura iudicii nobis est notum, praedicta regina Siciliae, sicut primogeniturae ius obtinens clarae memoriae Stephani regis Ungariae patris sui, in eodem regno propinquior est successor, et haeres quondam Ladislao regi Ungariae fratri suo ex utroque parente, per quod opitulatur eidem communis iuris praesumptio, quae tali casu probandi onus in adversarium iuste transfert; quia etiam quondam Carolus ipsius reginae primogenitus, dicti Caroli genitor habitus est quasi communiter et praecipue per Romanam Ecclesiam, pro Ungariae rege, dum vixit, nec ex parte dictorum Boemiae regis et filii de iure competente ipsis in Hungariae regno praedicto allegatum est aliquid vel assertum, nisi sola electio, quae de ipso filio regis facta proponitur: quae procul dubio diversis ex causis, prout rationum prima facies iudicat, minus legitima, imo prorsus inutilis esse videtur; eo maxime quod sicut scripti canonis series aperiet, regnum ipsum Hungariae successionis iure provenit: electionis arbitrio non defertur; rationibus praemissis, et causis aliisque motivis plurimis, quae religionem debent iudicantis instruere, in trutina rectae deliberationis appensis, expedientia commixta licentiae, ac benigna humanitate servata, de plenitudine potestatis in apertam contumaciam eorumdem Boemiae regis et filii, in praesentia praelatorum, plurium cappellanorum, familiarium nostrorum et aliorum in consistorio vocatorum; praesentibus eorumdem Boemiae regis et filii nunciis, ac excusatoribus supra scriptis, de fratrum nostrorum consilio decernimus, diffinimus, declaramus et volumus, quod praedicta Maria in toto ipso regno Hungariae et pertinentiis suis omnibus, ac ubique terrarum, regina Ungariae, et dictus Carolus nepos, rex nuncupentur apertis labiis scriptionibusque vulgatis, et in documentis publicis titulentur. Quodque praelati, clerici cuiuscumque dignitatis, status aut conditionis fuerint, et religiosi alii, cuiuscumque sint ordinis, nec non comites sive bani, barones, milites, cives, incolae cuiuscumque status, præeminentiae, dignitatis aut conditionis existant, iam dicti regni Ungariae omnium iurium et pertinentiarum eius, ac aliarum regionum annexarum sibi, etiamsi regnorum titulum habeant, dictis reginae Ungariae et regi nepoti, tanquam eiusdem regni Ungariae reginae et regi legitimis parere et intendere, ac de fructibus, redditibus, servitiis, iuribus et obventionibus aliis consuetis, et regi Ungariae debitis, devote respondere procurent: praelatis, clericis et religiosis comitibus sive banis, baronibus, militibus, civibus incolisque praescriptis sub poena excommunicationis iniungentes expresse, quam eo ipso, si fecerint secus, incurrant, ut eisdem reginae ac regi Ungariae circa recuperationem, defensionem et conservationem regni praedicti auxiliis, consiliis et favoribus opportunis assistant.

Quibus bene examinatis, regnum Mariae et Carolo adiudicatur:

Iussi proceres ac praesules obedientiam illis exhibere.

§ 5. Et quia in praedictis eosdem efficaciter, obedienter et placide sic agere

Vetat iuniorem Venceslaum regis Hung. titulo insignire.

cupimus, ut a contrariis prorsus abstineant et desistant, praelatis, clericis et religiosis, comitibus sive banis, baronibus, militibus, civibus incolisque praefatis sub simili poena excommunicationis, et eodem modo praecipimus, ne memoratos regem Boemiae vel eius filium, regem Ungariae nominare vel titulare aliqua nominatione vel descriptione praesumant, neve ipsis aut ministris eorum de fructibus, redditibus, proventibus ac iuribus aliis dicti regni, et praefatorum sibi adiacentium respondeant quoquo modo; vel ipsis circa occupationem, invasionem, detentionem seu usurpationem memorati regni Ungariae, et praemissorum, quae annexa sunt sibi, occulte vel publice consilium vel auxilium afferant, vel alicuius praesidium favoris impendant. Nos enim praelatos, clericos et religiosos, comites sive banos, barones, milites, cives et incolas memoratos ab omnibus homagiis, sacramentis fidelitatis, colligationis aut coniurationis, quae praelibatis regi Boemiae, filio aut ministris eorum praestiterunt, aut cum ipsis in praeiudicium dictorum reginae et regis Ungariae aliquatenus inierunt, etiamsi ea fuerint iuramentorum, poenarum adiectione vel quovis alio vinculo roborata; quae viribus vacua et nulla fore censemus et carere decernimus omni robore firmitatis; absolvimus, et ad eorum observationem, quomodocumque aut quantumcumque se astrinxerint pro observandis eisdem, ipsos decernimus non teneri.

Et praestita ei sacramenta rescindit:

Eique quadrimestre constituit ad iura de petitorio producenda.

§ 6. Caeterum, ut, quae gravitati Sedis Apostolicae congruunt, cum debita maturitate servemus, nec excludamus a nostris processibus amicam in throno sedentibus aequitatem, regi Boemiae filioque praefatis peremptorium terminum quatuor mensium, a die datae praesentium numerandum in antea, et peremptorie praefinimus, infra cuius temporis spatium ipsi per se vel alios aut alium, si qua iura de proprietate dicti regni Ungariae habere se credunt, nobis et Apostolicae Sedi reverenter ostendant; illaque petant et prosequantur, ut expedit ordine debito, et rationabile fuerit, sicut ipsis melius videbitur expedire. Super possessorio tamen cuiuscumque speciei vel generis pro dicto regno Ungariae memorato, regi Boemiae vel filio competente, propter eorum contumaciam sic contractam perpetuum silentium eis duximus imponendum. Ultra praemissi vero temporis spatium quadrimestre, ne in potestate sit dictorum Boemiae regis et filii inquietare pro libito, molestare frequenter, et ut vitandi scandali occasionem tollamus et causam, ex nunc prout ex tunc in iure ac proprietate competentibus ipsis forsitan in regno praefato iurisdictionis nostrae et Apostolicae Sedis denegamus immutabili edictione praesidium; et eis in tribunali quocumque tam de iustitia, fomite, quam de ipsius potestatis plenitudine perpetuum silentium imponimus, de fratrum consilio praedictorum. Ita quidem, quod praedicta termini praefinitio, iurisdictionis denegatio, impositio silentii ex nunc elapso iam dicto quadrimestris spatio, perinde vigorem habeant et effectum, ac si in eiusdem Boemiae regis et filii notitiam per formam citationis solitae pervenissent, cum magistratus alii etiam non maiores de iuris licentia per edicta in scriptis publice vel in aedes proposita citare valeant; nec sit verisimile vel praesumptum, ut praemissa in notitiam et conscientiam dictorum Boemiae regis et filii debito tempore devenire non valeant, quae in praesentia ipsius consistorii praedictorum praelatorum, aliorumque plurium et eorumdem nunciorum ac excusatorum maxime sunt tam vulgate, tamque solemniter publicata.

Reformationi eiusdem regni consulturum se profitetur.

§ 7. De reformatione praefati regni collapsi disponere cum ipsorum fratrum consilio, prout tempora se apta praebuerint, praevisis consiliis opportunisque remediis, auctore Domino, proponentes,

ut in ipso, gratia disponente superna, tranquilla tempora redeant, inquieta recedant: sicque ipsius regni status reformetur in prosperum, quod laeta pax et amoenitas in locum tam gravium adveniat scandalorum.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionis, diffinitionis, declarationis, iniunctionis, praecepti, absolutionis, decreti, impositionis et denegationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Anagniae secundo kalendas iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 31 maii 1303, pontif. anno IX.

---

## XX.

*Institutio Studii generalis in Alma Urbe, cum privilegiis pro doctoribus et scholaribus.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Studium generale in Urbe instituit. — 2. Exemptio doctorum et studentium a Curia Capitolina, — 3. Et a novis impositionibus. — 4. Taxa pensionis pro domibus eorumdem. — 5. Cognitio causarum quibus iniungenda. — 6. Dispensatio a residentia in beneficiis, data facultate percipiendi fructus. — 7. Executores huiusce constitutionis. — 8. Obstantium derogatio.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii S. Laurentii extra muros, et priori Basilicae ad Sancta Sanctorum, ac archipresbytero Ecclesiae S. Eustachii de Urbe, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

In supremae praeeminentia dignitatis divini dispositione consilii constituti, ad universas fidelium regiones nostrae vigilantiae creditas, tamquam pastor dominici gregis, aciem apostolicae considerationis extendimus, ad earum profectum quantum nobis ex alto permittitur intendentes: sed ad urbium Urbem, Romanam videlicet civitatem, quam divina clementia statuit caput orbis, eo attentioris meditationis intuitum retorquemus, quo principalius in eadem nostri Sedem apostolatus coelestis dispositio stabilivit, et firmavit Ecclesiae fundamenta. Hanc profecto nimirum inter caeteras urbes sub christianae religione fidei militantes, uberioris affectionis praerogativa prosequimur, studiosius apostolicis munimus praesidiis, et condignis libentius gratiis honoramus, ideoque ferventi non immerito desiderio ducimur, quod eadem Urbs, quam divina bonitas tot gratiarum dotibus insignivit, scientiarum etiam fiat foecunda muneribus, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons scientiarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi literalibus cupientes imbui monumentis.

Studium generale in Urbe instituit.

§ 1. Ad hunc igitur universalem profectum non solum incolarum Urbis ipsius et circumpositae regionis, sed et aliorum, qui propter hoc quasi continuo de diversis mundi partibus confluunt ad eamdem, studio paternae sollicitudinis intendentes, diligenti super hoc cum fratribus nostris deliberatione praehabita, de ipsorum consilio auctoritate apostolica duximus statuendum, quod in Urbe praedicta perpetuis futuris temporibus generale vigeret Studium in qualibet facultate, ac docentes et studentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis doctoribus et scholaribus in studiis generalibus commorantibus, gaudeant et utantur.

Exemptio doctorum et studentium a Curia Capitolina.

§ 2. Et ne huiusmodi ipsorum Studium (quod de bono semper in melius dirigi cupimus), perturbari contingeret, auctoritate praedicta decrevimus, ut doctores vel scholares, in huiusmodi Rom. studio commorantes, non possint inviti in Cur. Capitolii occasione qualibet civiliter vel criminaliter conveniri, nisi forsan (quod absit) homicidium per ali-

quem vel aliquos de eodem Studio Romano perpetrari contingeret: quo casu vicarius Rom. Pont. contra clericos, senator vero vel senatores, qui pro tempore fuerint in Urbe praedicta, contra laicos procedant et faciant quod iustitia suadebit.

Et a novis impositionibus.

§ 3. Nec ad aliquas contributiones in taliis, aut collectis, quae imponerentur pro tempore habitatoribus dictae Urbis, seu aliqua obsequia communi Urbis ipsius praestanda praetextu morae, quam in eadem Urbe contraherent, vel aliqua pedagia ratione rerum suarum, quas ad dictum Romanum Studium deferri, vel exinde reportari facerent, doctores, aut scholares eiusdem Romani Studii teneantur.

Taxa pensionis pro domibus eorumdem.

§ 4. Quodque pensiones domorum, quas doctores vel scholares in eadem Urbe studiorum causa morantes inhabitarent, taxari deberent per duos taxatores, quorum unum ipsi doctores et scholares, et alterum Commune ipsius Urbis eligant, et si ii duo concordare nequirent, stetur taxationi tertii taxatoris ab eisdem doctoribus et scholaribus eligendi, ac ultra taxationem huiusmodi nihil ab eis possit exigi nomine pensionis pro domibus antedictis.

Cognitio causarum quibus iniungenda.

§ 5. Et licet Roma communis sit patria, si tamen quispiam litem contra scholares peregrinantes causa studiorum in illa super aliquo negotio movere voluerit (huiusmodi rei optione data scholaribus ipsis) eos coram domino, aut magistro suo, vel praedicto vicario conveniat, iuxta legitimam super hoc editam sanctionem, et qui contrafecerint, poenam dictae sanctionis incurrant. Rectores quoque quos doctores et scholares eiusdem Romani Studii pro tempore duxerint eligendos, in ipsos doctores et scholares ac familiares ipsorum, tam circa cognitionem et decisionem causarum civilium et criminalium civiliter motarum, et etiam criminaliter in criminibus levioribus, quam ipsorum corrigendos excessus leves, ordinariam obtineant potestatem.

Dispensatio a residentia in beneficiis, data facultate percipiendi fructus.

§ 6. Ut autem doctores et scholares dicti eo liberius intendere studio valeant ac proficere in eodem, quo maioris fuerint gratiae favore muniti, ipsis auctoritate praedicta concessimus, ut dum huiusmodi Studio docendo vel audiendo insisterent, fructus, redditus et proventus omnium beneficiorum suorum cum cura vel sine cura, etiam si eorum aliqua personatus vel dignitates existerent, cum ea possint integritate percipere (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis, in quibus illa obtinent, personaliter residerent, et ad residendum in eis interim minime teneantur, neque ad id a quoquam valeant coarctari. Nec obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis, dictarum Ecclesiarum iuramento, confirmatione Sedis Apostolicae, vel quacumque firmitate alia roboratis, etiam si de illis servandis per se, vel per procuratores suos praestassent forsitan iuramentum.

Executores huiusce constitutionis.

§ 7. Verum quia non sufficit privilegiorum et indulgentiarum aliquibus dare praesidia, nisi sint, qui super iis eos manuteneant et defendant, cum parum sit in civitate ius esse, nisi, qui illud tueatur, existat, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios eisdem doctoribus ac scholaribus, qui in eodem Romano Studio pro tempore fuerint, efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eos, vel eorum aliquos contra huiusmodi statuti, constitutionis et concessionis nostrarum tenores ab aliquibus molestari. Molestatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet, et rebelles, quicumque cuiuscumque conditionis fuerint aut status, etiamsi pontificali, vel alia quavis praefulgeant dignitate, auctoritate apostolica, postposita appellatione, compescendo.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus supradictis, seu de duabus dietis (1) edita in concilio generali et nostra, qua cavetur, quod conservatores a Sede deputati praedicta aliquos ultra unam dietam a fine dioecesis eorumdem trahere non praesumant, et quibuscumque aliis constitutionibus contrariis, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam extra suam dioecesim aliquis auctoritate praesentium non trahatur, aut si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per literas apostolicas, impetratas, vel etiam impetrandas, nisi eædem literae impetrandae plenam et expressam fecerint de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet literis et indultis apostolicis, per quas, praesentibus non expressis, vel totaliter non insertis, nostrae iurisdictionis explicatio in hac parte posset quomodolibet impediri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris literis mentio sit habenda. Volumus autem, quod quilibet vestrum, etiam super negotio per collegam suum in hac parte primitus inchoato, se intromittere valeat, et procedere in eodem prout et quotiens fuerit opportunum.

Datum Anagniae, anno incarnationis dominicae MCCCIII, 8 idus iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 iunii 1303, pontif. anno IX.

---

## XXI.

### *Erectio Studii generalis in civitate Avinionis* (2).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Studia literarum favore prosequitur Pontifex. — 2. In civitate Avinion. erigitur Studium. — 3. Facultas magisteria conferendi. — 4. Laureandi prius examinentur. — A quo debeant approbari. — 5. Qui fuerint approbati ubilibet possunt legere. — 6. Iuramentum ab examinatoribus praestandum. — 7. Doctorum et scholarium privilegia.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Conditoris omnium immensa benignitas rudem hominem, quem post perceptionem mortiferi gustus ad perfectionem discretionis afferre naturalis ratio non poterat, scientiarum artiumque decrevit dogmatibus erudiri. Sicque dono dato divinitus plurium idiomata nationum, sub diversarum linguarum varietate diffusa, in unum conveniunt loquendi commercium, latinitatis ordine literalis. Sic gesta patrum et principum redacta sunt et rediguntur in monumenta librorum. Sic veri et falsi certamina certis rationibus et argumentis probabilibus dirimuntur. Sicque generationis et corruptionis corporum universorum, simplicitas elementorum a qualitate discernitur. Sic etiam vocum sonoritas pari concordia prodit in iubilum et documento colligitur, qualiter in divinis obsequiis modulatione musica Domino serviatur. Sic terminorum extrema scholastica doctrina metitur, quaslibet longitudinis et latitudinis, sublimitatis et profundi distantias, punctorum seu mensurarum connumeratione distinguens. Sic de supernorum essentia corporum prout moventur et consistunt in ordine, philosophiae perscrutatio arte nititur habere notitiam, licet sit res intellectu difficilis, et aciem humanae rationis transcendat. Sic datur iuris utriusque cognitio, querela a iurgio dirimitur, et quod suum est, redditur unicuique; sic quoque ad sacrarum acceditur altitudinem Scripturarum, et elicitur vivificans spiritus de literae visceribus occidentis. Expedit igitur singulis regionibus orthodoxis, ut in eis habeantur viri industres, literarum decore, scientiis et virtutibus praesigniti, ut singula sic ipsorum consiliis providis et consulta providentia di-

(1) Deest forsan *constitutione*. (2) Hic idem Pontifex simile Studium mox instituit in Urbe, ut in eius const. praecedenti.

rigantur, quod earum incolae subiectitudinis observantia gloriosi vivant, et qui regnant quietis beatitudine gratulentur. Tales siquidem viros, infusa eis caelitus gratia, literale studium efficit, parvulos suavitatis lactans dulcedine, cibans adultos uberius, et provectos maioris ubertatis delectatione foecundans, dum circa ipsum studiosa sedulitate versantur. De his profecto non indigne accipitur, quod refulsit sol in clypeos aureos, qui sunt iustitiae defensores, facta causarum ambigua dirimentes. Qui suae defensionis viribus, in rebus publicis ac privatis, lapsa erigunt, fatigata reparant, nec minus humano generi per scientiarum cooperationem provident, quam si praeliis ac vulneribus patriam parentesque salvarent. Ac Iustiniana sanctio non solum illos imperio militare decrevit, qui gladiis, clypeis et thoracibus muniuntur, sed alios qui praesidio gloriosi muniminis, laborantium spem, vitam posterosque defendunt, ne potentiorum manus validior afficiat humiliores iniuriis, prematque iacturis clypeo iustitiae non adiutos. Tales utique clypeos aureo titulo merito praesignivit Auctoritas, cum per aurum virtutum nobilitas, et per scutum fortitudo fidei designetur. Habet enim scientia incomparabiles thesauros deliciarum, omniumque bonorum gratiam largitur ad plenum.

Studia literarum favore prosequitur Pontifex.

§ 1. Nos itaque profectibus publicis ex debito pastoralis officii, cui dante Domino praesidemus, efficacibus studiis intendentes, ingenti utique desiderio ducimur, et cura propensioris solicitudinis excitamur, ut studia literarum, per quae scientiarum thesaurus acquiritur, ac ad spiritualis et temporalis gaudii gloriam pervenitur, laudabilibus incrementis dirigantur ubilibet, ac propensius invalescant, et in illis potissime locis et partibus, quae idonea et accommoda fore noscuntur, ad multiplicanda doctrinae semina, et germina salutaria producenda.

In civitate Avinion. erigitur Studium.

§ 2. Cum itaque Avinionen. civitas ob ipsius commoditates et conditiones quamplurimas, habilis et apta non modicum huiusmodi studio censeatur;

§ 3. Nos pro utilitate publica credentes multipliciter expedire, ut in civitate praedicta cultores sapientiae inserantur, fructum uberem largiente Domino in tempore producturi, praesentium auctoritate concedimus, ut in civitate praedicta sit et habeatur de caetero Studium literarum generale, in quo magistri doceant, et scholares libere studeant et audiant in quavis licita facultate. Ac si qui processu temporis in eodem Studio fuerint, qui scientiae bravium assequuti, docendi sibi licentiam, aut alios licenter erudire valeant, petierint exhiberi, sancimus ut in iure canonico et civili, ac in medicina et liberalibus artibus examinari possint ibidem, et in facultatibus ipsis dumtaxat magisterii titulo decorari.

Facultas magisteria conferendi.

Laureandi prius examinentur.

§ 4. Statuentes ut quotiens ad id aliqui fuerint promovendi, praesententur episcopo Avinionensi pro tempore existenti. Qui magistris facultatis illius, in qua examinatio fuerit facienda, in eodem Studio praesentibus, convocatis, eos gratis, et difficultate sublata qualibet, de scientia, facundia, modo legendi, et aliis quae in promovendis ad doctoratus seu magisteriatus officium requiruntur, examinare studeat diligenter, et illos, quos idoneos repererit, petito secrete magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium vel iacturam revelari quomodolibet, sub divinae maledictionis interminatione districtius prohibemus, approbet et admittat, eisque petitam licentiam largiatur. Alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio vel timore. Caeterum ne vacante sede Avinionen. contingat volentes promoveri ad magisterium impediri, volumus ut promovendi huiusmodi, vacationis tempore, praeposito Avinionen. Ecclesiae praesententur, qui eos examinatos ap-

A quo debeant approbari.

probet vel reprobet, secundum modum in episcopo praetaxatum.

Qui fuerint approbati ubilibet possunt legere.

§ 5. Illi autem, qui in civitate praedicta examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia legendi et docendi ubique in facultate illa, in qua fuerint approbati, plenam et liberam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Iuramentum ab examinatoribus praestandum.

§ 6. Sane ut rite in iam dictis examinationibus procedatur, praecipimus, ut magistri legere in eodem Studio cupientes, antequam incipiant, praestent publice iuramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem personaliter venient, nisi fuerint legitimo impedimento detenti, et gratis, sine difficultate, odio et amore postpositis, dabunt examinatori fidele consilium, ut de examinatis digni approbari debeant, et indigni merito reprobari. Qui vero iuramentum huiusmodi praestare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem, nec etiam ad aliqua universitatis ipsius Studii commoda vel beneficia ullatenus admittantur.

Doctorum et scholarium privilegia.

§ 7. Ut autem doctores et scholares praedicti, eo libentius valeant intendere Studio, ac proficere in eodem quo se munitos agnoverint gratia et favore, eis auctoritate praedicta concedimus, ut dum huiusmodi Studio docendo vel audiendo duxerint insistendum, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis doctoribus et scholaribus in studiis generalibus commorantibus gaudeant et utantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.* Si quis *etc.*

Dat. Anagniae kal. iulii, pont. nostri anno IX.

Dat. die 1 iulii 1303, pontif. anno IX.

## XXII.

*Philippus Galliae rex, enarratis quae ab eo gesta sunt, fidelium coetu sacrisque segregatus declaratur* (1).

SUMMARIUM

Potestatem et dignitatem Petri successoris exponit. — 1. Mansuetudine se cum Philippo usum asserit. — 2. Eum in excommunicationem contra Romipetas spoliantes latam incurrisse. — Quae lex a Bonifacio confirmata fuerat et ampliata. — Regem multa contra Romipetas commisisse, episcopos vero ne Romam venirent prohibuisse. — 3. Quare missum eidem S. Marcelli cardinalem qui absolutionem offerret. — 4. Legatum regio banno subiicit Philippus: — Canonum itaque sententias debet expavere. — 5. Maiora deinde patrasse facinora. — 6. Columnensibus publice favet: — 7. Eum itaque in excommunicationem a canonibus latam incurrisse: — Ipsoque iure subditos ab omni fidelitate erga eum esse liberos. — 8. Beneficia siquis ab eo acceperit, invasorem beneficiorum eorumdem declarat: — Omnesque confoederationes cum ipso initas invalidat. — 9. Processum hunc se publicaturum dicit.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Potestatem et dignitatem Petri successoris exponit.

Super Petri Solio, excelso throno, divina dispositione sedentes, Illius vices gerimus, cui per Patrem dicitur: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae: Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos. Quo monemur, ut intelligant reges, disciplinam apprehendant, erudiantur iudicantes terram, quod serviant Domino cum timore, et exultent ei cum tremore; ne si irascatur aliquando, pereant, cum exarserit ira Eius. Ideoque magnum iudicamus ut parvum, quia Eius sumus vicarii, apud Quem personarum acceptio

(1) Ex Leibnitio Cod. Diplomat., tom. II, pag. 318.

indigna reperitur. Hoc Veteris et Novi Testamenti veritas habet; hoc venerandorum conciliorum probat auctoritas; id Sanctorum Patrum tenet sententia; id etiam naturalis ratio manifestat. Sed, licet tanta potestate sit praedita Petri Sedes, tantaque polleat dignitate, tamen, ut pius pater, severitatem mansuetudine temperantes, ac lenientes aequitate rigorem, non ad confringendum, quamquam iuste possemus, sed ad dirigendum in viam salutis ferream directionis virgam in praesentiarum assumimus, et correctionis ferulam amplexamur. Novum ad hoc nihil; prout neque grana de spicis excuti fecimus, nempe simpliciter iudicantis opera fungimur. Quinimo utentes denuntiatorum officio, nullas poenas Philippo Francorum regi imponimus; sed ei, propter excessus suos iam excommunicato notorie, inflictas potius a iure intimamus.

Mansuetudine se cum Philippo usum asserit

§ 1. Bonus itaque medicus, si quibusdam medicamenta morbis officiant, se de gratia vertit, non iis statim duriora subiiciens, sed leniora, nisi morborum aliud exposcat acuitas, administrans: sic peccatorum eiusdem sauciati regis vulnera prius palpavimus, exactis lenitatibus mulsimus, ipsumque pietate paterna fovimus: imo lenimenta huiusmodi seminarium contumaciae fuerunt, et odiorum; eum erexerunt in superbiam, et ad contemptum pertinaciter provocaverunt. Unde nos ad alias non graves tamen medelas convertimus, ut saltem experiamur, utrum tactus leniter, non confractus, se corrigat, (sicut Nabuchodonosor prae caeteris terrae rex inclytus), quod optamus, ne obstinatus, in quem transfixit, videat; et cogamur ferro abscindere vulnera, quae fomentorum medicinam non sentiunt; poenitentiam agat; an (quod absit) in profundum malorum demersus, sordidus sordescat amplius, et veluti Pharao indurescat.

Eum in excommunicationem contra Romipetas spoliantes latam incurrisse.

§ 2. Olim siquidem, dum idem rex peccaret graviter in diversis articulis in clerum et Ecclesiam Gallicanos, primum per eiusdem regis nuntios ad nos missos, ipsum super huiusmodi salubribus monuimus monitis; deinde ad eum dilectum filium Iacobum de Normannis, notarium nostrum, ei nostras deferentem literas, in quibus excedebat, capitula continentes, transmisimus: quanquam imprudenter, quanquam infrunito animo et irreverenter tractaverit (non advertens, quod secundum Evangelicam veritatem, qui spernit missum, spernit mittentem; ideo dignus sententia, quam dudum Constantinus Papa in Iustinum imperatorem Iustiniani filium simili causa tulit): qui in vicino erant, evidenter cognoscunt, ac idem patuit de longinquo; nec considerans, quod antiquitus est sancitum a sanctis Patribus, et promulgatum canonibus (1), quod si quis Romam petentes, rebus, quas ferunt, spoliare praesumpserit, communione careat christiana: quodque ii, qui accedunt ad praesentiam Romani Pontificis, cum rebus suis debeant esse sub protectione apostolica securi; et parvi pendens excommunicationis sententiam, quam inhaerentes vestigiis Romanorum Pontificum, et praecipue Nicolai Papae, praedecessorum nostrorum, qui dictorum canonum auctoritate suffulti, contra talia facientes ad excommunicationem hactenus processerunt, addito per Nicolaum eumdem processibus ipsis, etiamsi haec committentes imperiali aut regali dignitate radient. Nos etiam eodem privilegio excluso, in omnes etiamsi praedicta fulgeant dignitate, qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel recedentes ab ea, capiunt, spoliant, vel detinere praesumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quominus ad eandem Sedem libere, cum propriis bonis et rebus suis veniant et recedant ab ea, in die Coenae Domini proximo praeterito, tali modo declarantes: etiam illos, qui per se vel per suos officiales vel ministros, aut in-

Quae lex a Bonifacio confirmata fuerat et ampliata.

(1) Leibnitius legit: *a Sanctis Patribus promulgatis canonibus* (R. T.).

colis imperii, regnorum, seu terrarum suarum, vel transeuntibus per ea, undecumque oriundis, ad Sedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem, equitaturas limitant; vel subtrahunt quae deferunt, vel reportant pro suis opportunitatibus vel expensis, aut quasvis alias res et bona; sive aperiunt literas, vel auferunt, seu taxant numerum personarum aut evectionum, vel alias directe vel indirecte talibus venientibus vel redeuntibus impedimentum vel obstaculum praestare praesumunt, impeditores fore ad dictam Sedem venientium et redeuntium, et excommunicationis sententiam incurrere supradictam. Adeo nostris temporibus, sicut alias fecerat, notorie sui regni fines in transgressores gravissimis interminatis poenis, et in nos iactatis blasphemiis arctae custodiae deputat, ablatis contra dictam sententiam nostram non solum indigenis, sed etiam ad eandem Sedem per regnum ipsius aliunde venientibus rebus suis, vel iniuriose taxatis, imo autem omnino subtractis, ac litteris quas deferunt apertis per custodes passuum, aut retentis quod nullus libere ad praedictam Sedem potest accedere: nec praelati Franciae per nos, ut super dictis deliberaremus cum iis, ad nostram praesentiam evocari potuerunt, sicut eorum huiusmodi per litteras constat, quas in archivio Romanae Ecclesiae facimus conservari. Sic et Noviomen., Constantien., Bituricen. episcopi ipsorum nuntios excusatio, eodem impediente rege, venire(1); qua causa etiamsi princeps quisquam fuerit, qui hoc prohibuerit, illum censet canon communione privandum. Quis enim libere ad memoratam Sedem proficisci dicet, qui sic tractatur, et quod retineatur, vel regnum permittatur exire, sub alterius potestate consistit? Certe nullus qui sane intelligat, et qui scripti iuris vim in hoc cognoscat, habet aliquam veritatem.

*Regem multa contra Romipetas commisisse, episcopos vero ne Romam venirent prohibuisse.*

§ 3. Sed volentes secundum sacrorum doctrinam canonum pacis servare vinculum, eum aequitate et firmitate portare, nec (1) sic moti sumus. Immo evangelica dicta pensantes conati sumus errantem ovem tam charam, tamque nobis dilectam quasi propriis humeris ne periret ad ovile reducere, in uberibus collocare pascuis, et dulcedinis pabulo confovere. Nam cogitantes secundum Evangelii parabolam, quod qui notarium spreverat saltem nostrum vereretur filium, ad reducendum eum filium nostrum Iohannem, et sanctorum Marcelli et Petri presbyterum cardinalem de regno oriundum ipsius, qui tamquam amicus suus eius zelabat salutem, curavimus destinare offerentem inter caetera sibi ex parte nostra absolutionem ab excommunicationum sententiis quibus erat notabiliter irretitus.

*Quare missum eidem S. Marcelli cardinalem qui absolutionem offerret.*

§ 4. Verum frustra nos talis cogitatus arripuit, quia si erga praedictum notarium se, ut praemittitur, gessit, filium nostrum magis ignominiose compescuit, quia sicut ipse cardinalis nobis retulit, oblatam absolutionem contempsit, eique deputatis custodiis, ne libere ire posset, quo vellet, nec recipere qui venirent ad eum, de regno suo, non reversurum sine licentia, et sic quodammodo, ut eius cardinalis verbo utamur, regio banno suppositum protulit et efflavit eundem. Et etiam ultra parabolam ipse tandem nos Patrem familias non dimisit intactum, sed iterum laceravit blasphemiis, et iniuriis lacessivit, oblitus quod legitur: Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, et quod filio semper honesta et sancta Patris querela deberet videri, et taliter eius non effici castigator: confoederationibus et colligationibus factis cum nonnullis praelatis, et personis aliis regni sui, pacis vinculum, quod salvum esse totis affectibus nitebamur, rupit, perturbavit unitatem ecclesiasticam, et inconsutilem Domini tunicam scindere non expavit, ac suae appellationi frivolae contra nos adhaerere

*Legatum regio banno subiicit Philippus.*

(1) Deest hic aliquid, etiam in Leibnitio.

(1) Leg. forsan *nos*, loco *nec*.

perperam coegit et cogit invitos, et in ruinam secum perniciose deducit. Sane parabolam timeat, ne vinea aliis locetur agricolis, qui suis temporibus fructus reddant. Paveat censuram canonum, quae contra tales dignoscitur praeparata, et ne ex huiusmodi stricta custodia cardinalis praedicti canonem (excommunicationem) latae sententiae (qui ad eos per interpretationem transit, qui clericos sine laesione detinent in custodia publica vel privata; cum non multum a specie verborum differant quibus, quo volunt, facultas recedendi non datur), incurrat, diligenter attendat.

Canonum itaque sententias debet expavere.

§ 5. Ad hoc, ut omittamus de dilecto filio abbate Cisterciense detento, et aliis multis religiosis maxime italicis, quia iussio regis urgebat, recedentibus regno, captis de ipsius conniventia, et aliquo tempore in castelletto servatis, eo quod adhaerere nollent appellationi praedictae, ac de eo, quod in persona venerabilis fratris nostri B. Apamearum episcopi, actum extitit nuper, et Nicolaum de Bonfractu capellanum cardinalis iam dicti, nostras ad eum portantes litteras, quibus regem excommunicatum per cardinalem eumdem mandavimus publice nuntiari, capi fecit, et repetitum a cardinali eodem a carcere noluit relaxare, prout idem cardinalis nobis id per proprias literas notum fecit; unde perinde dicitur habere, cum ipse rex impedimentum praestiterit, sicut si mandata renuntiatio praecepisset.

Maiora deinde patrasse facinora.

§ 6. Stephanum insuper de Columna, nostrum et Ecclesiae hostem, in suo regno receptavit patenter, non veritus excommunicationis sententiam, quam post Columnensium fugam de Tibure promulgavimus publice quibuscumque privilegiis non obstantibus in omnes etiam imperiali aut regali praefulgeant dignitate, qui dictum Stephanum, aut alios quondam filios Iohannis de Columna, et Iacobum fratrem dicti Ioannis, Ricardum et Petrum de Monte Nigro dicti Ioannis nepotes reciperent, conducerent, receptari vel recipi facerent seu conduci, aut iis vel ipsorum alicui publice vel occulte, auxilium, favorem vel consilium exhiberent, quodque contra adiutores, fautores et receptores praedictorum Iacobi et filiarum dicti Iohannis ab olim per nostras litteras procedi mandavimus, ut contra haereticos, receptatores, fautores, et adiutores eorum. Nequaquam in his servit Deo rex Francorum in timore, aut Ei cum tremore exultat, ne iratus in eum per suum vicarium exardescat; nempe tanto offendit gravius, quanto perniciosius peccat suae perditionis ad alios exempla transmittens.

Columnensibus publice favet.

§ 7. Heu ipsum consilia prava commaculant, eum Syrenes, nec non usque in exitum dulces damnose permulcent, periculose regalem mentem exagitant, et decipiunt incessanter: non enim propter eas liberare ipsum possumus nec debemus. Hominem namque primum non a peccato diaboli excusavit suggestio, quin divini mandati transgressor solverit poenam mortis, et silentium nostrum nihil foret, quam delinquendi occasio et dissolutio universae ecclesiasticae disciplinae; cum enim notorium facti continui sit, quod ipso faciente, et contra dictam nostram veniente sententiam, libertas non est per regnum ipsius veniendi ad Apostolicam Sedem, et quod si dictus Nicolaus est captus, et praefatus Stephanus receptatur in regno, nostraeque sententiae supradictae latae firmatae sint, et praedicatae publice, sic quod canonum excommunicatio in aperto liquet ex praemissis (ut taceamus ad praesens de custodia iam dicto cardinali imposita, detentione abbatis, captione religiosorum dictorum et temerariis actionibus in iam dictos commissis), ipsum eumdem regem manifestis excommunicationibus esse ligatum, et per consequens beneficia ecclesiastica, personatus, et dignitates, si eorum aliquo legitimo titulo, quandoque ad eum collatio pertinet de

Eum itaque in excommunicationem a canonibus latam incurrisse:

iure, interim non posse conferre, imperium sive iurisdictionem aliquam per se vel alios, aut communes actus, seu legitimos exercere, et collationem et exercitium ipsum nullius dignitatis; ac vassallos ipsius esse a fidelitate, etiam iuramentis quibus astringuntur eidem, et huiusmodi debito totius obsequii, auctoritate canonum, absolutos; hoc omnibus his praecipue, qui de eius regno sunt, vel in eo moram faciunt, nuntiantes eum excommunicatum comitari poenas huiusmodi declaramus: et more periti medici, cum non profuerint monita, a levioribus incipientes, ac Sanctorum Patrum nostrorum statuta tenentes, omnes fideles et vassallos eius, eique iuratos a fidelitate et iuramentis, quousque idem rex in excommunicatione permanserit, apostolica nihilominus auctoritate absolvimus, et ne eidem fidelitatem observent vel servent modis omnibus, sub interminatione anathematis (quia magis Deo, quam hominibus servire oportet, et fidelitatem christiano principi Deo adversanti eiusque praecepta calcanti nulla cohibentur auctoritate persolvere) prohibemus.

Ipsoque iure subditos ab omni fidelitate erga eum esse liberos.

§ 8. Et quin rex ipse aliquos forsitan inveniret, qui beneficia huiusmodi, Dei timore postposito, ab ipso reciperent, districte praecipimus, sub excommunicationis, amissionis beneficiorum, quae alias haberent, et inhabilitatis perpetuae ad ecclesiastica beneficia de caetero obtinenda, poena, quam ipso facto incurrant, si contrarium agant, ne ab eo sic excommunicato manente, illa recipiant quoquomodo; districte, sub huiusmodi a nobis infligendis poenis, inhibentes capitulis Ecclesiarum, in quibus beneficia ipsa per regem, excommunicatione durante, conferuntur eumdem, ne eos, quibus conceduntur, ab ipso recipiant vel admittant. Porro cum scriptum sit: Solve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, nos confoederationes praedictas, etiam cum quibusvis terrae regibus aut principibus, quod non credimus, initas, dissolvimus, et iuramenta, si qua sunt praestita, annullamus: etiam nuntiantes ipsi regi, ut a facie arcus fugiat; resipiscat, ad obedientiam redeat, et ad Dominum convertatur, ne, quod praeterire non valebimus, iusto in eum iudicio animadvertere compellamur.

Beneficia si quis ab eo acceperit, invasorem beneficiorum eorundem declarat:

Omnesque confoederationes cum ipso initas invalidat.

§ 9. Ut autem huiusmodi noster processus, quem de consilio fratrum nostrorum facimus, ad omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas processum continentes eundem, in cathedrali Ecclesia Anagnina, vel affigi ostiis, vel super liminaribus faciemus, quae processum nostrum suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio publicabunt, ita quod idem rex et alii, quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Processum hunc se publicaturum dicit.

Actum Anagniae in aula nostri palatii sexto idus septembris, pontificatus nostri anno nono (1).

Dat. die 8 septembris 1303, pont. anno IX.

(1) Hasce literas publicatas non fuisse contendit Pagius in Bonifacii vita, § LXIX. Bonifacium siquidem die 7 septembris fuisse a Nogareto, caeterisque perduellibus Anagniae captum, est in comperto, cum hoc decretum die tantum octava foret promulgandum, prout ex ipsis apparet notis chronologicis, quae in calce leguntur. At Bonifacium a Romanis post triduum libertati restitutum omnes norunt: tunc vero omnem habuisse decreti huius publicandi facultatem quis negaverit? Chronologicae siquidem notae diem tantummodo designant, quo illud promulgasset, si sui fuisset iuris. A Leibnitio, Dupuy, aliisque ex bibliothecarum diversarum mss. illud legimus erutum: ex quo coniici potest, ipsum originale Anagniae inter tumultus non fuisse deperditum, nec in hostium devenisse manus; a Bonifacio autem, Romae cum esset, exemplaria nonnulla ad principes, aliosque missa fuisse. Profecto, nisi in aliquorum saltem notitiam hae devenissent literae, nec absolvi Philippus a Clemente V petiisset, nec illas ab eodem Clemente irritari oportuisset.

# BENEDICTUS XI

PAPA CXCIV

*Anno Domini MCCCIII.*

Nicolaus Bucasinus, patria Tarvisinus, antea magister generalis ordinis Praedicatorum, mox S. R. E. cardinalis episcopus Ostiensis, electus est in Romanum Pontificem die 22 octobris anno 1303, die vero 27 coronatus, et Benedictus XI appellatus. Sedit in pontificatu mens. VIII, dies XV, imperantibus in Oriente Andronico imperatore, in Occidente vero Alberto rege Romanorum; obiit Perusii die 6 iulii 1304 et sequenti die sepultus est in ecclesia fratrum Praedicatorum. Vacavit sedes mens. fere XI.

---

## I.

*Encyclicae Benedicti literae de sua in Pontificem electione* (1).

SUMMARIUM

De divinae providentiae arcanis. — Gradus dignitatum, quos gessit. — 1. Communibus cardinalium suffragiis Pontifex renuntiatus. — 2. Tanto oneri renuncians, — Cardinalium precibus devincitur. — 3. Praesulum implorat preces.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Mediolanensi, et eius suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.**

De divinae providentiae arcanis.

Opera divinae potentiae plerumque mens humana miratur, dum mirabiles personarum et temporum immutationes attendit; in quorum contemplatione sensus hominis hebetatur, dum conatur perquirere investigabiles vias Domini, et Eius occulta consilia perscrutari; Ipse namque nonnumquam potentes humiliat, ponit humiles in sublimi; et dispensat munera gratiarum, plenam et perfectam habens ad singula, tamquam palmo concludens omnia, potestatem. Nos autem nimirum in admirationem protrahimur ac timor et tremor nos vehementer invadunt, dum infra mentis arcana revolvimus, quot et quantas immutationes receperit hactenus status noster, qui ab olim ordinem fratrum Praedicatorum professi, putabamus abiecti esse in Domo Domini cum humilibus servis Eius, et sub obedientiae iugo Creatori reddere votum nostrum. Sed divini dispositione consilii post ministeria varia in ordine praedicto nobis imposita, suscepimus magisterii generalis officium; ac subsequenter ad cardinalatus apicem dignitatis per Apostolicam Sedem assumpti, cum aliquandiu ministerii nostri debitum in gradu sacerdotii egissemus, praefecti fuimus per Sedem eamdem in episcopum Ostiensem. Novissime vero fratrum nostrorum instantia, prout series infrascripta declarat, nos subire coegit sarcinam apostolicae servitutis.

Gradus dignitatum, quos gessit.

Communibus cardinalium suffragiis Pontifex renuntiatus.

§ 1. Nuper enim felicis recordationis Bonifacio Papa VIII, sicut Domino placuit, de hac luce subtracto, et sicut speramus, post labores impensos ad praemium evocato; eiusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tradito ecclesiasticae sepulturae, nos tunc ut praetangitur, episcopus Ostiensis, caeterique fratres nostri episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales ad tractandum de Romani substitutione Pontificis, in palatio Sancti Petri de Urbe, in quo decesserat pridem ipse, convenimus; nobisque ac ipsis ad id eligentibus per viam procedere scrutinii, contigit Illo faciente, qui concordiam diligit, quod unico facto ac publicato scrutinio, tanta finaliter in votis eorumdem fratrum est inventa concordia, quod per eos de nobis, licet immeritus, fuit ad apostolatus officium XI kalendas novembris proxime elapsi electio celebrata. In quo prae admirationis magnitudine redditi, nec immerito

(1) Ex Raynaldo ad annum 1303, § 47.

sumus attoniti, stupor nostrum animum hebetavit; eumque timor et tremor pariter concusserunt: numquid enim non admiratione dignum, quod inter tot et tantas eorumdem fratrum personas, vitae ac famae claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantes insuper multiplicium sufficientia meritorum, in praesidendo apostolico culmine humilitas nostra, quae illius fuerat merito postponenda, praefertur? Nonne, dum iniuncti oneris molem attendimus, et nostram insufficientiam comparamus, digne invalescunt timor et tremor, ne portantis debilitas sub tantae molis gravitate succumbat? Nonne timendum iterum et tremendum, ne iustus Iudex, rationem de talentis creditis veniat exacturus; servum inutilem a bono torpentem opere saeve damnet?

Tanto oneri renuncians

§ 2. Haec, et alia plura quae, prolixitatis vitandae gratia, sermo succinctus omittit, insufficientiam nostram a tantae gravitatis onere subducendam adeo efficaciter suggerebant, quod eorumdem fratrum importunitati diversarum excusationum obicem opponentes, ea qua potuimus reluctatione, restitimus. Sed fratres ipsi, nostrae resistentiae obviantes, nostris excusationibus non admissis, nos ad conscendendum Petri Cathedram multae importunitatis instantia devicerunt: nosque, licet ex nostrorum defectuum conscientia diffidentes, de Illius tamen confisi omnipotentia, qui non solum sufficit eosdem supplere defectus, sed et potens est omnem gratiam abundare facere in nobis: ne, sub obedientia nutriti, diutius eam contemnere pertinaciter, graviaque pericula, quae imminere ipsi Ecclesiae, totique terrarum orbi ex eius vacatione verisimiliter timebantur, damnabiliter negligere censeremur; votis tandem fratrum acquievimus eorumdem, ac ad deferendum sarcinam Summi Apostolatus submittentes humeros imbecilles, recepti ab eis unanimiter in Romanum Pontificem, recepimus consequenter solemnia, benedictiones et caetera secundum morem praeficiendorum Romanorum Pontificum in personis praedecessorum nostrorum hactenus observatum; anxiato et humiliato spiritu Domino supplicando, ut Ipse, qui nos huiusmodi iugum subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram robore fulciat, sic illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo nos non contingat ex nostra debilitate deficere; sed ita nobis et gregi dominico nostrae vigilantiae credito, sua virtute proficere, quod de talento nobis tradito dignam possimus in extremo iudicio reddere rationem.

Cardinalium precibus devincitur.

Praesulum implorat preces.

§ 3. Quo circa fraternitatem vestram rogamus, et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, nobis compatientes in tanti ponderis gravitate, ad supportandum illud subministretis, quantum in vobis est, velut in partem apostolicae solicitudinis evocati, vestri auxilii fulcimentum, commissas vobis Ecclesias gregesque dominicos in eis vobis creditos gubernando solicite, fideliter et prudenter; ac fundendo pro nobis pias orationes ad Dominum, ut Ipse in executione pastoralis officii sic sua pietate nos dirigat quod gratum ministerium nostrum fiat; et spem certam de nobis et fiduciam habituri, quod vobis in iis, quae ad laudem Dei, vestrarumque statum Ecclesiarum spectare videbimus, favorem libenter apostolicum impendemus.

Datum Laterani kalendis novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 novembris 1303, pont. anno I.

---

## II.

*Nova confirmatio ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis sub regula S. Augustini.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Quamvis hic ordo per Sedem Apost. videatur confirmatus; —

Eum tamen expresse confirmat Benedictus. — 3, 4. Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali et universis prioribus et fratribus Servorum S. Mariae, ordinis S. Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Dum levamus in circuitu oculos nostros, et gregem dominicum nobis, licet immeritis, divina dispositione commissum, undique iuxta pastoralis officii debitum contemplamur, vigilem, quantum nobis ex alto permittitur, curam libenter impendimus, ut cultores vineæ Domini Dei Sabaoth, sic cultui salutis intendant, quod eadem vinea palmites diffusos extendens, salutarium producat fructuum ubertatem. Et licet erga singulos cultores huiusmodi, personas videlicet ecclesiasticas, apostolica sollicitudo versetur, erga tamen viros religiosos, qui contemplationi coelestium, mundanis relegatis illecebris, piae vitae studio, sine intermissione desudant, eo propensiorem nos decet diligentiam adhibere, quo ipsi pro religionis favore sunt amplius apostolicis praesidiis confovendi.

Quamvis hic ordo per Sedem Apost. videatur confirmatus;

§ 1. Sane vos, qui ordinem Sancti Augustini per Sedem Apostolicam approbatum profitemini et servatis, et devotionis affectu, quem geritis ad B. Mariam Virginem gloriosam, assumitis vobis vocabulum ab Eadem, vos Servos eiusdem Virginis humiliter nominando, dictumque ordinem Sancti Augustini, iuxta pias et honestas institutiones vestrae regulae in honorem ipsius Virginis editas laudabiliter servastis hactenus, et servatis: ac vobis per specialia privilegia, dicta Sedes indulsit, quod celebrare possitis capitulum generale, ac in eodem capitulo priorem vobis generalem eligere, qui in fratres vestri ordinis correctionem et alia, quae ad suum spectant officium libere valeat exercere; quodque ad sepulturam possitis recipere illos, qui apud loca vestra elegerint sepeliri. Ex quibus clare inspicientibus, satis innuitur, dictam vestram regulam per eamdem Sedem existere quodammodo confirmatam.

Eum tamen expresse confirmat Benedictus,

§ 2. Nos autem qui ad Virginem ipsam Dominam nostram libenter devotionem, quam possumus, exhibemus, nolentes quod aliquis contra vos et regulam ipsam quicquam possit detractionis impingere, quin eadem regula plenam habeat apostolici muniminis firmitatem, ad omnem haesitationis materiam circa haec de quorumvis animis amovendam, vestris supplicationibus inclinati, regulam et eius institutiones praedictas expresse, auctoritate apostolica, confirmamus et etiam approbamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, eamque vobis concedimus.

Et observari iubet

§ 3. Decernentes ipsam per vos fore perpetuis temporibus inviolabiliter observandam.

Clausulae.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, *etc.*

Dat. Laterani 3 idus februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 februarii 1304, pont. anno I.

---

## III.

*Receptio congregationis monachorum Coelestinorum ordinis S. Benedicti, sub Sedis Apostolicae protectione, cum nonnullarum gratiarum elargitione* (1).

SUMMARIUM

1. Prooemium. Ordinem cum dependentiis sub apost. suscipit protectione. — 2. Regulam iniungit observandam. — 3, 4. Bona omnia ei confirmat. — 5. Abbas generalis quolibet triennio eligendus: — 6. Qui eo ipso suum suscipiat munus: — 7. Benedici tamen debet: — 8. Quolibet anno visitandus. — 9. De novalibus nihil ordo solvere debet. — 10. Aliae exemptiones. — 11. Abbatis facultates. —

(1) Huius Congregationis statuta approbavit Coelestinus V, qui ante pontificatum eius institutor fuit, in sua Constit. I, pag. 116 huius tomi.

12. Prohibitio cogendi monachos ad synodos, *etc.* — 13. Exeuntes a religione hac in aliis non recipiendi. — 14. Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Berardo patri abbati monasterii Sancti Spiritus de Sulmone, Valuen. dioecesis, eiusque coabbatibus et conventibus aliorum monasteriorum et membrorum eidem monasterio Sancti Spiritus subiectorum, ordinis Sancti Benedicti praesentibus et futuris, in perpetuum.**

Procemium.

1. Religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Cum itaque Regi regum mentibus humilibus et devotis exhibeatis religiose ac iugiter famulatum, nos ob vestrae religionis zelum, quem habere dicimini, et contemplatione felicis recordationis Coelestini Papae Quinti praedecessoris nostri, praedicti ordinis professoris, ad vos, vestrumque ordinem sincerae gerentes caritatis affectum, in his quae ipsius religionis augmentum et prosperum statum respiciunt, quantum cum Deo possumus nos favorabiles exhibebimus. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Spiritus ac alia monasteria, prioratus, ecclesias, membra et loca eidem monasterio Sancti Spiritus subiecta, quae per speciale privilegium Sedis Apostolicae novimus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Ordinem cum dependen sub apostolica suscipit protectione.

§ 2. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et beati Benedicti regulam, in monasteriis, prioratibus, et membris et aliis locis praedictis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Regulam iniungit observandam.

§ 3. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona monasterium S. Spiritus, et alia monasteria, prioratus et membra praedicta in praesentiarum rationabiliter possident, aut in futurum largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant.

Bona omnia ei confirmat.

§ 4. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, videlicet locum ipsum, in quo praefatum monasterium S. Spiritus situm esse dignoscitur cum omnibus pertinentiis suis, monasterium S. Ioannis in Plano Lucerin. dioecesis, S. Bartholomaei de Civitate S. Mariae, olim vocata Luceria, S. Spiritus de Magella, Sancti Gregorii de Rocha Mauricii, S. Petri Vallisbonae, S. Petri de Monte Plano, S. Spiritus, et hospitale cum ecclesia S. Andreæ de Bucelano, S. Mariæ de Civitellis de civitate Theatin. S. Spiritus de Orthona, S. Spiritus de Lonzano, S. Mariae inter Montes Theatin. dioecesis, Sancti Eusebii de Urbe, S. Mariae in Pinezano, Pennen. dioecesis, Sancti Salvatoris de civitate Pennensi, Sanctae Mariae de Collemadio iuxta Aquilam, S. Cecidii de Caporciano, Sancti Spiritus de Issernia, Sanctae Mariae de Trivento, S. Mariae de Anglono Triventin., dioecesis, Sancti Spiritus iuxta Venafrum, S. Spiritus Alifanensis, S. Antonii de Campania Ferentinatis dioecesis, prioratus S. Antonii et Sancti Leonardi prope Sulculam Anagninae dioecesis, S. Ioannis de Aqua Sancta, S. Marci de Fucis Marsican. dioecesis, Sancti Nicolai de Civitate, Sancti Martini de Boiano, et S. Ioannis de Rodio.

§ 5. Et quia inter alia, quae salubrem et quietum statum vestrum sapiunt, de praecipuis casibus hoc esse necessarium arbitramur, ut de substitutione futuri abbatis successoris tibi, fili abbas S. Spiritus, quem patrem abbatem caeteris tuis coabbatibus, praelatis et fratribus tibi subiectis, praesentibus et futuris perpetuo stabilimus, praecipue ordinamus, et di-

Abbas generalis quolibet triennio eligendus:

stricte praecipimus observari. Quod pater abbas singulis trienniis in generali capitulo sponte suam offerat et exhibeat cessionem, et idem capitulum statim et absque temporis intervallo ad patris abbatis substitutionem procedat, iuxta formam in regula traditam, et aut de abbate cedente (si eum talem putaverint) vel de alia persona monasteriorum et locorum, per electionem canonicam praedicto monasterio Sancti Spiritus provideant de abbate.

Qui eo ipso suum suscipiat munus.

§ 6. Qui quidem abbas si fuerit in concordia electus, et nihil obstiterit de canonicis institutis, nulla super hoc a Sede Apostolica confirmatione petita vel obtenta, eo ipso suae administrationis officium seu ius administrandi in spiritualibus et temporalibus consequatur, et illud tamquam pater abbas (prout ad eum pertinet) libere exequatur.

Benedici tamen debet.

§ 7. At idem abbas si alias non extiterit benedictus, benedictionis suae munus a quocumque maluerit catholico episcopo gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, recipere studeat, illudque sibi dictus episcopus gratis impendat.

Quolibet anno visitandus.

§ 8. Praeterea ut idem pater abbas non possit a rectitudine suae regulae deviare, mandamus omni anno a tribus prioribus sui ordinis, qui pro tempore fuerint, videlicet a Sancti Spiritus de Magella, Sanctae Mariae de Collemadio iuxta Aquilam, ac Sancti Spiritus de Isernia monasteriorum prioribus visitetur.

De novalibus nihil ordo solvere debet.

§ 9. Sane de fructibus terrarum ac possessionum vestrarum hactenus acquisitarum, quas propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de hortis vel de nutrimentis animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

Aliae exemptiones.

§ 10. Concedimus quoque etiam vobis, ne de iis, quae in ornamentis, vel pro eis aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo ac trigesimo, sive alias ad perpetuum cultum divinum seu pro pietantiis vel indumentis et calceamentis vestris vobis legantur pietatis intuitu, dummodo id in fraudem non fiat, nulli teneamini iustitiam seu portionem canonicam exhibere.

Abbatis facultates.

§ 11. Concedimus etiam tibi, fili abbas Sancti Spiritus, tuisque successoribus, qui pro tempore fuerint, ut a fratribus vestri ordinis in ipso monasterio Sancti Spiritus, ac aliis monasteriis, prioratibus et membris ac locis subiectis eidem monasterio Sancti Spiritus constitutis absolutione ac dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint ordinem, sive post in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrunt sententias a canone promulgatas, et huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes, vel suscipientes ordines sic ligati notam irregularitatis incurrunt, de consilio fratrum vestrorum, qui literati sint, et Deum timentes, absolutionis iuxta formam Ecclesiae, prout secundum Deum expedire videritis, valeatis beneficium impertiri, nisi adeo gravis et enormis foret excessus, quod essent propter hoc ad eamdem Sedem merito destinandi, proviso ut laesis satisfaciant competenter.

Prohibitio cogendi monachos ad synodos, etc. (1).

§ 12. Inhibemus etiam, ne aliquis episcopus vel quaevis alia persona spiritualem vel aliam iurisdictionem habens, vos ad synodos vel conventus forenses, aut ad convocationes suas accedere, vel cum eis intra vel extra civitates vel terras processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, seu capitula, scrutinia et inquisitiones in locis vestris vel alibi, de vobis vel de vestrorum aliquo, aut fidelitatem iuramento firmatam, et manualem obedientiam a vobis aut prioribus et superioribus vestris exigere seu etiam prohibere, ne ad civitates seu villas et ad loca quaelibet, ubi religiose et honeste morari possitis, audeatis acce-

(1) Vide Concil. Trident., sess. 24, c. 1, et sess. 25, c. 13.

dere, ibique pro vestris usibus aedificia, monasteria, ecclesias seu oratoria ex permissione et indulto nostro construere libere valeatis, nec in accedentes fratres et monachos vestros seu constructores huiusmodi seu receptatores eorum excommunicationis vel interdicti sententias possint proferre.

Exeuntes a religione hac in aliis non recipiendi.

§ 13. Prohibemus insuper, ne ulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro vel in aliis locis vestris eiusdem ordinis professionem, fas sit sine abbatis sui licentia ordinem ipsum relinquere, et ad locum religionis alterius, vel ad ordinem alium se transferre; discedentes vero aliter, nullus cuiuscumque religionis vel status existat, audeat retinere: quod si secus factum fuerit, tam discedens, quam is seu illi, qui ipsum talem receperint, si requisiti eum a se non reiecerint infra mensem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Clausulae

§ 14. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat monasteria, prioratus, membra et loca praedicta temere perturbare aut eorum possessiones *etc.*

Ego Benedictus catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Ioannes Tusculan. episcopus.

Ego Theodoricus civitatis Populi episcopus.

Ego Leonardus Alban. episcopus.

Ego Petrus Sabin. episcopus.

Ego frater Ioannes Portuen. episcopus.

Ego Ioannes tit. Sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis.

Ego frater Robertus tit. Sanctae Pudentianae presbyter cardinalis.

Ego frater Gentilis tituli Sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis.

Ego Neapoleo Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Ego Londulphus Sancti Angeli diaconus cardinalis.

Ego Guilelmus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Franciscus S. Luciae in Silice diaconus cardinalis.

Ego Franciscus Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Ricardus S. Eustachii diaconus cardinalis.

Ego Lucas S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis.

Dat. Laterani per manum Papiani episcopi Parmen. S. R. E. vicecancellarii, 2 id. martii, indict. 2, incarnationis dominicae anno 1304, pont. vero domini Benedicti PP. XI anno primo.

Dat. die 14 martii 1304, pontif. anno I.

---

# CLEMENS V

## PAPA CXCV

*Anno Domini MCCCV*

Post unius fere anni Sedis Apostolicae vacationem, die tandem 5 iunii anno 1305 electus est Perusii in Romanum Pontificem Bertrandus de Gotto natione Vasco, patre Beraudo, archiepiscopus Burdegalensis, qui, coronatus Lugduni die 14 novembris eiusdem anni, Clemens Quintus appellatus est. Sedit in pontificatu annos VIII, mens. X, dies XV, temporibus Andronici in Oriente imperatoris et Alberti mox Henrici, regum Romanorum. Obiit Carpentoracti die 20 aprilis anno 1314. Vacavit sedes an. II, mens. III, dies XVIII.

---

### I.

*Saecularizatio Ecclesiae Burdegalen. ordinis Sancti Augustini* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae huius saecularizandi Ecclesiae. — Eam saecularizat: — 2. Canonicosque saeculares in ea decernit instituendos. — 3. Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sedes Apostolica, quae super universas Ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas maternae diligentiae cura sedulo vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardenter intendit, studens ea penitus submovere, per quae ipsae Ecclesiae sustinere possent circa spiritualia vel etiam temporalia nocumenta; et illa efficaciter agere, quorum suffragio eis in utrisque augumentum, Deo propitio, valeat provenire.

Causae huius saecularizandi Ecclesiae.

§ 1. Sane inter varias et innumeras sollicitudines, quae nobis ex officio apostolatus incumbunt, ad Burdegalensem Ecclesiam, quae nos olim ante nostrae promotionis initia fovit ut filium, ac demum nos sponsum habuit, nostrae gubernationi commissa, nunc vero demum nos patrem ac dominum recognoscit, cum de ipsa fuerimus, gratia favente divina, non nostris meritis, ad supremae dignitatis fastigium evocati; propter quod eius non possumus nec volumus oblivisci, nostrae mentis aciem convertentes, et attendentes, quod dicta Ecclesia, in qua ordo Sancti Augustini institutus extitit ab antiquo, propter defectum et impotentiam canonicorum regularium in ipsa Ecclesia existentium, circa bona et iura ipsius gravia recepit hactenus, et adhuc recipit nocumenta; cum nonnulli per suam potentiam illa occupaverint et invaserint, occupent et invadant, et alias de decimis et redditibus et aliis iuribus dictae Ecclesiae debitis non respondeant, nec ipsa occupata restituant, ut tenentur, eidem: quae quidem omnia possent contingere etiam in futurum: considerantes insuper, quod iidem canonici a primis institutis et observantiis regularibus sui ordinis a multis retroactis temporibus citra temeritate propria discedentes, ad mores et conditiones saecularium canonicorum quasi totaliter se traxerunt, ac attendentes, quod, consideratis statu et conditione illius patriae, dicti canonici ad huiusmodi instituta et observantias regulares servandas, ut tenentur in habitu et in aliis, sine gravi scandalo reduci non possent, nec hactenus per nos, dum præeramus ipsi Ecclesiae, ac alios Burdegalen. archiepiscopos, qui fuerant pro tempore, potuerunt; nec rigor etiam disciplinae regularis dicti ordinis posset deinceps in eos commode exerceri; ex quorum transgressione, neglectu vel contemptu de facili suarum incurrerent periculum animarum, cui ex debito pastoralis officii, prout est possibile, occurrere nos oportet; quodque propter religionis nexum, cuius observantiae recipiendos canonicos in ipsa Ecclesia se astringere oporteret, inveniri non possent de facili viri sic litterati, potentes et alias idonei, quales dictam Ecclesiam, quae metropolitana, et alias insignis existit, ad instruendum alios in literarum scientia, praesertim sacrae paginae, et in aliis, quae ad curam pertinent animarum, nec non ad recuperandum et defendendum bona et iura praedicta, habere decet, vellent institui in eadem: ac indubitanter credentes, quod si ex nostrae providentiae studio de regulari fiat ipsa Ecclesia saecularis, personae huiusmodi facilius poterunt reperiri: et quod exinde honoris et commodi eidem Ecclesiae proveniret non modicum incrementum, et salubrius poterit in spiritualibus et temporalibus gubernari ac in praedictis bonis et iuribus manuteneri utiliter et defendi; horum et etiam aliorum, quae rationabiliter animum nostrum movent, consideratione ducti, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, praefatam Burdegalen. Ecclesiam perpetuo constituimus sæcularem, ac de caetero canonicos instituendos in ea fore volumus saeculares.

Eam saecularizat:

Canonicosque saeculares in ea decernit instituendos.

§ 2. Decernentes ex nunc eadem auctoritate ipsos ad regulam sancti Augustini, in habitu, professione, et aliis observandam non astringi, et ad observantias regulares, disciplinam, et statuta eiusdem

regulae et ordinis, vel alia quaelibet regularis status in aliquo non teneri. Volumus tamen, quod canonici nunc praesentes, qui iam sunt in praedicta Ecclesia instituti, sub regula, statutis et observantia dicti ordinis, et in eo habitu et professione in qua olim fuerunt, vivant et remaneant in ipsa Ecclesia, Domino, ut tenentur, perpetuo servituri.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Pessaci prope Burdegalam quinto idus novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 novembris 1305, pont. anno I.

---

## II.

***Confirmata Bonifacii VIII constitutione, qua Hungariae regnum Mariae, Siciliae reginae, eiusque nepoti Carolo adiudicatur, Othoni Bavariae duci, a nonnullis in regem electo, dies indicitur, ut coram Apostolica Sede sistat*** (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Tumultus in Hungaria adhuc vigentes. — 2. Series facti. — 3. Bonifacii VIII constitutionem confirmat. — 4. Nonnulli proceres et episcopi contra Bonifacii edicta sensere cum rege Bohemiae. — Defuncto Venceslao, Bavariae ducem ad regnum occupandum evocaverunt; — Qui profectus in Hungariam insigne regium accepit. — Maria et Carolus auxilium Sedis Apost. implorant. — 5. Annuit eorum precibus Clemens. — Censuras iis incutit, qui in Carolum rebellionem moverint. — 6. Intentatum duci Bavariae anathema. — 7. Designatum eidem duci anni tempus ad producenda iura apud Sedem Apost. — 8. Eique silentium impositum.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Æterni providentia Principis, quae nihil in terra sine certa causa, propriaque ratione disponit, unicam Sponsam suam, catholicam scilicet et matrem Ecclesiam stabilivit in terris; in qua Christi vicarium Romanum Pontificem successorem Petri voluit obtinere primatum, ac eius caput existere; tradens sibi claves regni caelestis, ligandi scilicet pontificium, et solvendi, ut praesit familiae domus Israel, et opportuna singulis renatis fonte Baptismatis, qui oculis fidei suum conspiciunt Creatorem, opportunitatis tempore, praesertim in exhibitione iustitiae dispenset auxilia; et prout personarum, locorum, temporum et negotiorum qualitas exigit, evellat et destruat, dissipet et disperdat, aedificet atque plantet sub ipsius Creatoris nomine et doctrina; et ut gregem pascens dominicum, infirma consolidet, sanet aegrota, fracta colliget, et abiecta reducat; ac ad Eum, sicut ad omnis iuventutis animae Magistrum et Dominum et universale refugium denique recurratur. Quapropter nos, licet immeriti, eiusdem Ecclesiae regimini praesidentes, levamus in circuitu vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, et quod gregi commisso nobis expedire conspicimus, prout nobis ex alto permittitur, ministramus, fovendo iustitiam, deprimendo nequitiam, plantando et colendo virtutes, ac vitia expiando.

Tumultus in Hungaria adhuc vigentes

§ 1. Verum, licet de universis et singulis regionibus, et earum incolis Deo et Apostolicae Sedi devotis, ut pacis et quietis, repressis conatibus malignorum, beatitudine prosperentur, sollicite cogitemus, et ad id attentae considerationis diffundamus intuitum: nunc tamen regni Ungariae, nobilitate pollentis, et incolarum eius seditiosos tumultus, concertationes varias, ac deploranda discrimina, eidem Sedi frequenter exposita, amare ac praecordialiter intuentes, condolemus eis plurimum, et vastitati eorum oportuna, prout possibilitati nostrae permittitur, iustitia superante malitiam, remedia propinamus.

§ 2. Dudum siquidem, clarae memo-

(1) Ex Regest. Vatic. — Carolo eidem Hungariae regnum adiudicatum vidimus in Bonifacio VIII, Constit. XIX, pag. 162.

Series facti.

riae Venceslao rege Boemiae tunc vivente, per eius nuntium et literas suplicante felicis recordationis Bonifacio PP. octavo praedecessori nostro, ut negotium quondam Venceslai eiusdem regis filii tunc viventis, quem in regem Ungariae concorditer et canonice proponebat electum, et eundem regem Boemiae, ac tam suos quam eiusdem filii in hac parte sequaces, in benevolentiam et gratiam eius reciperet *etc.* (1), prout haec enarratis, quae a Bonifatio gesta sunt; et alia in ipsius praedecessoris Bonifacii bullatis literis inde confectis plenius et seriosius continentur, quae omnia postmodum fuisse dicuntur in locis solemnibus dicti regni Ungariae de mandato praedecessoris eiusdem tempore debito solemniter nihilominus publicata.

Bonifacii VIII constitutionem confirmat.

§ 3. Nos autem, eiusdem praedecessoris Bonifacii in hac parte vestigiis inhaerentes, ipsorum reginae ac regis Ungariae supplicationibus inclinati, constitutionem, diffinitionem, declarationem, voluntatem, mandatum sive mandata, censuram, absolutionem, termini praefixionem, silentii impositionem, praesidii denegationem, et alia supradicta, quae per eumdem praedecessorem Bonifacium taliter facta sunt, rata habentes et grata, ea ex certa scientia de fratrum nostrorum consilio et assensu, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Excommunicationis vero sententiam supradictam volumus usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra, appellatione remota, inviolabiliter observari.

Nonnulli proceres et episcopi contra Bonifacii edicta senserecum rege Bohemiae.

§ 4. Verum, sicut fama publica, quinimo infamia referente, non absque grandi admiratione seu potius turbatione didicimus, quod, etiamsi sit manifestum atque notorium, nedum in ipso regno Ungariae ac vicinis, sed in remotis etiam partibus, esse dicitur, quod nulla potest tergiversatione celari, nonnulli ex praelatis, clericis, religiosis, comitibus, sive banis, baronibus, militibus, civibus et incolis memoratis praefatorum Boemiae regis et filii in hac parte fautores atque sequaces, immemores salutis eorum huiusmodi praecepta, sententias et processus praedecessoris eiusdem damnabiliter contemnentes, ac venientes temere contra ea, praefatis reginae ac filio regi Ungariae iuxta praemissum mandatum ipsius praedecessoris, assistere circa recuperationem, defensionem et conservationem iam dicti regni Ungariae, ipsisque parere, intendere ac respondere minime curaverunt; quin potius ipsi Boemiae regi et filio, dum vivebant, eorumque ministris adversus reginam eosdem, et Carolum regem Ungariae, ac in eorum praeiudicium praestiterunt postmodum auxilium, consilium et favorem, praedictos reginam et Carolum regem super ipso regno ac eius bonis et iuribus inquietando nequiter, et multipliciter molestando, propter quod praefatam excommunicationis sententiam latam per eumdem praedecessorem Bonifacium damnabiliter incurrerunt; eodem autem rege Boemiae viam deinde universae carnis ingresso, praefato ad huc ipsius regis vivente filio, nonnulli ex praemissis praelatis, clericis et religiosis, comitibus sive banis, baronibus, militibus, incolis atque civibus in sensum dati reprobum, et spiritu obcaecati nequitiae, in multiplicationem excessuum, iniuriarum, contemptus et offensarum ausus praecipuos collabentes, contra eosdem Carolum regem et reginam Ungariae, nobilem virum Octonem Bavariae ducem nequiter convocarunt, seu potius abduxerunt, adhaerendo et assistendo sibi patenter et publice ad invasionem, occupationem, et detentionem dicti regni Ungariae, vel alicuius partis ipsius, ac praestando auxilium, consilium et favorem; ex quo etiam ipsos tenet excommunicationis praefatae laqueus alligatos: idemque dux ipsorum et aliorum potentia fultus, et auxiliis com-

Defuncto Venceslao, Bavariae ducem ad regnum occupandum evocaverunt;

(1) Caetera omisimus: concordant enim cum superallata Bonifacii Constitutione mut. mut. usque ad illa verba *solemniter publicata.*

Qui profectus in Hungariam insigne regium accepit.

munitus, praetextu convocationis seu obductionis huiusmodi ad invasionem, occupationem et detentionem praedicti Ungariae regni temeraria praesumptione se transferens, per ipsum B. Vesprimien. et quondam A. Chamadien. episcopos se coronari, ut dicitur, in regem Ungariae procuravit: in hoc etiam officium iurisdictionis Strigonien. archiepiscopi, ad quem regis Ungariae coronatio pertinet, faciens usurpari; et eosdem Carolum regem et Mariam reginam Ungariae in adiudicata, ut praefertur, eis possessione dicti regni nequiter molestare, inquietare et perturbare praesumunt, invadendo, occupando et usurpando violenter et iniuste pro viribus terras, loca, bona et iura regni eiusdem, ac etiam detinendo in ipsius regni subversionem et scandalum suae ac suorum complicium et sequacium in hac parte salutis dispendium, et praedictorum reginae ac regis grave damnum, praeiudicium, et iacturam: propter quae pro parte praedictorum reginae ac regis Ungariae pro adhibendo super iis optimo remedio ad nostram et dictae Sedis providentiam humiliter habitus est recursus.

Maria et Carolus auxilium Sedis Apost implorant.

Annuit eorum precibus Clemens.

§ 5. Nos itaque, nolentes haec non absque divina et praefatae Sedis iniuria et contemptu attentata taliter et praesumpta, sicuti nec debemus conniventibus oculis praeterire, quin circa ea, cum simus omnibus in iustitia debitores, officii nostri debitum, prout tenemus et expedire credimus, exequamur, praelatis, clericis et religiosis, comitibus sive banis, baronibus, militibus, civibus, incolis, complicibus, et sequacibus memoratis sub excommunicationis in personas et interdicti in terras et loca eorum, ac privationis omnium officiorum et beneficiorum, privilegiorum et gratiarum atque bonorum, quae a Romana, sive ab aliis vel in aliis quibuscumque tenent vel habent Ecclesiis, poenis atque sententiis, quas ipso incurrant facto, si secus egerint, districte praecipimus, ut a praemissis omnibus contra praedictos Carolum et reginam Ungariae, in auxilium et favorem ducis praefati, per eos attentatis taliter et praesumptis, cessent penitus et desistant; et tam eosdem praelatos, clericos et religiosos, comites sive banos, barones, milites, cives, incolas, complices et sequaces, quam omnes alios et singulos tam de praefato regno Ungariae ac ipsius pertinentiis et iuribus, quam de aliis regionibus quibuscumque, sive annexis sive non annexis eidem regno, cuiuscumque sint præeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis et status, et etiamsi regali vel alia quavis praefulgeant dignitate, attente monemus, eis omnibus et singulis auctoritate praedicta sub eisdem poenis et sententiis, quas si contra fecerint, eos incurrere volumus ipso facto, districte iniungentes, ne in praeiudicium praedictorum reginae ac regis Ungariae praefatum Bavariae ducem, vel quemvis alium, regem Ungariae nominare, titulare vel describere, seu habere, vel tenere praesumant: neve ipsum, vel ministros eius quomodolibet recipiant vel admittant, nec ei vel huiusmodi ministris ipsius in invasione, occupatione, usurpatione, vel detentione dictorum regni Ungariae, iurium et pertinentiarum eius, aut annexorum sibi, vel alicuius, praefatis eorum praestent auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum, vel de alicuius eiusdem regni redditibus, bonis et iuribus quoquomodo respondeant vel ministrent, neque cum eis vel pro eis ullam facient colligationem, coniurationem, convocationem vel communicationem, seu alias noxiam novitatem, donec de iure et proprietate dicti regni ab eadem Sede plene fuerit diffinitum.

Censuras iis incutit, qui in Carolum rebellionem moverint.

Intentatum duci Bavariae anathema.

§ 6. Ipsum quoque ducem Bavariae attente monemus, sibique districte iniungimus, sub similibus excommunicationis et interdicti ac privationis poenis et sententiis, quas ex nunc, prout ex tunc, si contra fecerit, proferimus contra eum ac eas ipso facto eumdem incurrere volumus, ne se regem Ungariae nominet; neve de

illo titulum sibi dignitatis regiae, vel alterius dominationis adscribat, neque praefatum regnum, vel aliquam eius partem occupare, invadere, vel detinere praesumat; neve praelibatum Carolum Ungariae regem vel ministros ipsius in possessione praedictorum regni Ungariae iurium, et pertinentiarum eius, vel quorumcumque annexorum eidem, per se vel alium seu alios impediat, perturbet quomodolibet, vel molestet: sed a qualibet eorum occupatione, invasione, usurpatione ac detentione cesset et desistat omnino, quousque super ipsius regni iure ac proprietate plena praefatae Sedis, ut praemittitur, diffinitio subsequatur.

Designatum eidem duci anni tempus ad producenda iura apud Sedem Apostolicam:

§ 7. Et ne dici possit, quod quemquam a prosecutione sui iuris super proprietate dicti regni excludere intendamus, ipsi duci Bavariae usque ad annum continuum, postquam haec in dicto regno vel vicinis partibus iuxta tenorem aliarum literarum nostrarum extiterint publicata, peremptorium assignamus terminum, infra quem per se vel alium seu alios, si qua de proprietate praedicti Ungariae regni iura se habere crediderit, illa nobis et Sedi Apostolicae reverenter ostendere, petere, ac coram nobis vel ipsa Sede prosequi debito procuret ordine; ac sicut rationis extiterit, et melius sibi videbitur expedire. Parati enim sumus exhibere ipsi favorabiliter et benigne super hoc iustitiae complementum.

Eique silentium impositum.

§ 8. Caeterum, ne molestandi et turbandi pro velle sit ei exceptionis cuiuscumque facultas, si ultra praemissum assignatum sibi terminum non prius ostenderit, petierit et prosecutus fuerit, ut praefertur, super iure proprietatis, si quod dicto duci forsitan in regno ipso competeret, a nostrae et dictae Sedis sit praesidio iurisdictionis exclusus, et in quocumque iudicio tam de rigore iustitiae, quam de apostolicae plenitudine potestatis ei super hoc perpetuum silentium imponimus de praedictorum fratrum consilio et assensu.



Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, praecepti, monitionum, mandatorum, assignationis et impositionis infringere *etc.*

Datum Pictavis quarto idus augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 augusti 1306, pont. anno II.

---

## III.

*Excommunicatio Andronici Graecorum imperatoris, eiusque complicum et adhaerentium* (1).

SUMMARIUM

1. Anathema in Andronicum. — 2. Vetatur catholicis foedus cum ipso coire. — Spernentibus imperia inflictum anathema.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium et memoriam futurorum.**

Anathema in Andronicum.

§ 1. Andronicum Palaeologum, qui Graecorum imperatorem se nominat, tanquam eorumdem Graecorum antiquatorum schismaticorum, et in antiquato schismate constitutorum, et per hoc haereticorum et haeresis ipsorum, ut schismatis antiquati fautorem, de fratrum nostrorum consilio, denunciamus excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac ipsius fore sententiae vinculo innodatum.

Vetatur catholicis foedus cum ipso coire.

§ 2. Caeterum universis et singulis regibus, principibus et ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus et caeteris omnibus, cuiuscumque sint præeminentiae, conditionis, aut status; nec non universitatibus civitatum, castrorum, et aliorum locorum districtius inhibemus, ne cum eodem Andronico Palaeologo, in huiusmodi excommunicatione manente, societatem vel confoederationem aliquam contrahere sub quovis ingenio vel machinatione praesumant; vel ei alias in iis, pro quibus excommunicatus est et de-

(1) Ex Regest. Vatic.

nunciatus a nobis, praestare consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum: et, si secus praesumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium praesumentes, non obstante qualibet indulgentia sub quacumque forma verborum vel expressione ipsis ab Apostolica Sede concessa, vel imposterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incurrere volumus ipso facto. Terras autem ipsorum, nec non et universitates praedictas, quae secus attentare praesumpserint, prout expedire videbimus, ecclesiastico subiacere curabimus interdicto: ad privationem omnium bonorum, quae a quibuslibet tenent Ecclesiis, et ad poenas alias spirituales et temporales, prout utile putabimus, processuri: et nihilominus societatem et confoederationem ipsas, etsi poenarum et iuramenti adiectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallatae, decernimus irritas et inanes.

Spernentibus imperia inflictum anathema.

Datum Pictavis tertio nonas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 3 iunii 1307, pontif. anno II.

---

## IV.

*Universis christifidelibus, pro reparatione Lateranensis basilicae igne consumptae laborantibus, conceditur indulgentia decem annorum, totidemque quadragenarum (1).*

SUMMARIUM

Lateranensis basilicae dignitas. — Fortuito igne concremata. — Christi fideles ad eius reparationem adhortatur. — Proposita indulgentia.

(1) Ex Regest. Vatic. — Hae literae datae III idus augusti in editione Mainardi habentur sub numero V; sequentes vero, datae XII idus augusti, sub num. IV. Nos chronologiam sequi cupientes, ordinem, ut par est, restituimus. (T. E.)

**Clemens episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus, praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Lateranensis basilicae dignitas.

Etsi fidei christianae cultores universas Ecclesias per orbem terrarum diffusas, in quibus maiestas Altissimi collaudatur, teneantur et debeant devotione celebri venerari; ad venerabilem tamen Ecclesiam Lateranensem in honorem Salvatoris mundi dedicatam, ac vulgariter beati Ioannis titulo insignitam, ubi imago Salvatoris depicta primum visibilis omni populo romano apparuit, quam divina clementia praerogativa sublimavit honoris, multisque dotavit singularibus titulis dignitatum, inter caeteras maiorem tenerentur reverentiae plenitudinem exhibere. Cum igitur nuper eadem ecclesia, tam celebris quam insignis, incendio fuerit, divina id permittente clementia, quod dolenter referimus, causaliter concremata: nos ad reparationem ipsius paternis studiis, prout pastorali tenemur officio, efficaciter intendentes; et considerantes attente, quam conveniens sit et dignum, ut Christi fideles eidem Ecclesiae debitum honorem exhibeant, et ad eius decorem sua etiam impendia subministrent; cum frustra non immerito salutem expectet, qui non ex omni corde ac mente suis cum veneratione et honore debitis non reveretur nec invocat Salvatorem; universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus, attendentes provide quod inter holocausta virtutum illud Deo acceptabilius redditur, quod de puri animi hilaritate ac pinguedine charitatis offertur, de bonis vobis a Deo collatis ad reparationem dictae ecclesiae, quae magna plurimum ac sumptuosa exigit onera expensarum, pias et largas eleemosynas, et grata subsidia erogetis; ut cooperantibus vestris charitativis subventionibus possit eadem ecclesia, decentis consummatione structurae laudabiliter re-

Fortuito igne concremata.

Christi fideles ad eius reparationem adhortatur.

stituta, superni Regis laudibus apta reddi: vosque per hoc et alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui usque ad consummatum finem tam pii operis, quod incumbit, circa ipsum opus personaliter laboraverint, vel ad illud manum praestiterint adiutricem, decem annos et decem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus: nec non a Domino Deo nostro Salvatore omnium, in cuius honorem supradicta basilica dedicata fuisse dignoscitur, secundum quantitatem subsidii et devotionis affectum suorum remissionem peccaminum, et suarum animarum salutem, misericorditer consequatur.

Praeposita indulgentia.

Datum Pictavis tertio idus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 11 augusti 1307, pont. anno III.

---

## V.

*Indictio XV sacri et oecumenici Concilii Viennensis primi, ad kalendas octobris 1309 (1).*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Romanae Ecclesiae dignitas. 2. Ipsius sollicitudo pro recuperatione Terrae Sanctae: — 3. Ea propter multa Templariis concessit privilegia. — 4. Multa se audisse ab illis, ait Pontifex, patrari mala. — 5. Quae audierit, exponit: — Haec a Philippi nuntiis fuisse sibi delata. — 6. Scelera nonnulla Templarium quondam fuisse confessum: — Septuaginta duos Templ. eadem scelera in concistorio publico fuisse confessos: — 7. Tribus cardinalibus caeterorum commissum examen: — 8. Ac Templarios eadem deposuisse: — 9. Veniam petentes, fuisse absolutos: — 10. Publicis itaque scripturis Papae traditis: — 11. Locorum ordinariis se commisisse inquit, ut super eisdem inquirant: — 12. Ac super his plurimum dolet: — 13. Indictoque concilio post biennium cogendum: — 14. Monitisque praelatis omnibus, ut Viennam intra hoc tempus accedant: — 15. Secum huius examen rei deferentes: — 16. Nec ullus inanis excusationis praetextu desit: — 17. Philippum hortatur, ut ipse quoque illuc pergat.

(1) Eiusmodi fere literas hic idem Pont. direxit aliis principibus, necnon archiepiscopis, episcopisque, et praelatis, quas praetermisi, una cum aliis literis prorogationis dicti Concilii usque ad kalendas octobris anni 1310, et deinde subsequentis anni 1311. In quo quidem Concilio, Ordo Militum Templariorum ab istomet Pontifice damnatus fuit, ut hic infra in eius constitutione. *Cherubinus.*

**Clemens Papa quintus, carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri.**

Regnans in coelis triumphans Ecclesia, cuius pastor est Pater æternus, cui sanctorum ministrant agmina et laudis gloriam angelorum chori decantant, in terris ad sui similitudinem et repraesentationem constituit Ecclesiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino Iesu Christo ineffabili commercio copulatam, in qua idem unigenitus Dei Filius a Patre progrediens, per illustrationem Paraclyti, procedentis pariter ab utroque, statuit fidei fundamentum.

Exordium.

§ 1. Sane Romana Ecclesia, mater alma fidelium, caput est, disponente Domino, Ecclesiarum aliarum omnium et magistra: a qua, veluti a primitivo fonte, ad singulas alias eiusdem fidei rivuli derivantur, ad cuius regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem et doctrinam ipsius eloquio veritatis evangelicae traditam, cuncti renati fonte Baptismatis teneant et conservent, ut qui sub hac doctrina cursum vitae recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur.

Romanae Ecclesiae dignita

§ 2. Ipsa nempe Romana mater Ecclesia iuxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas orbis provincias, in quibus divini Nominis cultus viget, fideique catholicae observantia rutilat, intuitum

Ipsius sollicitudo pro recuperatione Terrae Sanctae.

sedulae considerationis extendens, ac subiiciens ab olim suae considerationis examini diuturnae calamitatis angustias illius specialis haereditatis Dominicae, videlicet Terrae Sanctae ab infidelibus miserabiliter conculcatae, in qua idem Patris aeterni Filius nostrae carnis indumento contectus, salutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua Ipse voluit corporali insignire praesentia, et proprii aspersione Sanguinis consecrare, multa sollicitudine studuit eidem terrae retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperet ab ipsis impiis, subvenire.

Ea propter multa Templariis concessit privilegia.

§ 3. Et quia inter caeteros, quos professio christianae religionis includit, milites et fratres domus Militiae Templi Hierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tamquam speciali eiusdem fidei pugiles et iam dictae Terrae praecipui defensores, ipsius Terrae negotium principaliter gerere videbantur, ipsos et eorum ordinem praefata Ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens, eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diversis libertatibus et privilegiis communivit.

Multa se audiisse ab illis, ait Pontifex, patrari mala:

§ 4. Ii nimirum cum crederentur in Domini servitio sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium, cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multifarie multisque modis propterea adiutrices, sed (proh dolor) nova et calamitosa vox, de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens, nostrum replevit, imo verius, perturbavit auditum. Haec enim vox nuntia lamentationis et gemitus, audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat et cunctis fidei christianae cultoribus novae et ineffabilis amaritudinis calicem subministrat, et dum facti seriem eius necessitate praesente depromimus, noster attenuatur prae angustia spiritus; et valetudinis fatigata confractibus, membra singula prae nimio dolore tabescunt.

Quae audierit, exponit:

§ 5. Dudum siquidem circa nostrae promotionis ad apicem summi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostrae coronationis insignia, veniremus, et post, tam ibi quam alibi, secreta quorumdam nobis insinuatio intimavit, quod magister, praeceptores, et alii fratres dictae Militiae Templi, et etiam ipse Ordo, qui ad defensionem patrimonii ipsius Domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus apostasiae nefandum, detestabile idololatriae vitium, execrabile facinus sodomorum, et haereses varias erant elapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui praecipue pro Christi nomine suum saepe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa et magna, tam in divinis officiis, quam in ieiuniis et aliis observantiis devotionis signa frequentius praetendebant, suae sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent, huiusmodi insinuationi ac delationi ipsorum, eiusdem Domini nostri exemplis in canonicae Scripturae doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare: deinde vero tu, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo avaritiae, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, imo ea nobis et Ecclesiae per deputandos super hoc a nobis administranda, gubernanda, conservanda et custodienda liberaliter et devote in regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amovendo, sed fidei orthodoxae fervore, tuorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus, de praemissis, quantum licite potuisti te informans, ad instruendum et informandum nos super iis multas et magnas nobis informationes per tuos nuntios et literas destinasti.

Haec a Philippi nuntiis fuisse sibi delata:

§ 6. Infamia vero contra Templarios ipsos increbrescente, validius super sce-

Scelera nonnulla Templariorum quondam fuisse confessum:

leribus ante dictis: et quia etiam quidam miles eiusdem ordinis magnae nobilitatis, et qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto iuratus deposuit, quod in receptione fratrum praefati ordinis haec consuetudo, vel verius corruptela servatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Iesum negat, et super crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, et quaedam alia faciunt recipiens et receptus, quae non sunt licita, nec humanae conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis, urgente nos ad id officii nostri debito, vitare nequivimus, quin tot et tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum, fama publica deferente ac clamosa insinuatione, tui necnon et ducum, comitum et baronum, ac aliorum nobilium, cleri quoque ac populi dicti regni tui, ad nostram propter hoc tam per se, quam per procuratores et syndicos praesentiam venientium (quod dolenter referimus) ad nostram audientiam pervenisset, quod magister, praeceptores et alii fratres dicti ordinis et ipse ordo, praefatis et pluribus aliis erant criminibus irretiti; et praemissa per multas confessiones, attestationes et depositiones praefati magistri, et plurium praeceptorum et fratrum ordinis praelibati coram multis praelatis, et haereticae pravitatis inquisitore in regno Franciae factas, habitas et receptas, et in publicam scripturam redactas, nobisque et fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur, ac nihilominus fama et clamores praedicti in tantum invaluissent et etiam ascendissent, tam contra ipsum ordinem, quam contra personas singulares eiusdem, quod sine gravi scandalo praeteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: nos Illius, cuius vices, licet immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhaerentes, ad inquirendum de praedictis, ratione praevia, duximus procedendum, multosque de praeceptoribus, presbyteris, militibus et aliis fratribus dicti ordinis reputationis non modicae in nostra praesentia constitutos, praestito ab eis iuramento, quod super praemissis meram et plenam nobis dicerent veritatem, super praedictis interrogavimus et examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illas in nostra et dictorum fratrum nostrorum praesentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spacio, in consistorio legi fecimus coram ipsis, et illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perseverantes in illis, eas expresse et sponte, prout recitatae fuerant, approbarunt.

Septuaginta duos Templ. eadem scelera in concistorio publico fuisse confessos:

§ 7. Postquam cum magistro et praecipuis praeceptoribus praefati ordinis intendentes super praemissis inquirere per nosipsos, ipsum magistrum, et Franciae, Terrae Ultramarinae, Normandiae, Aquitaniae ac Pictaviae praeceptores maiores nobis tunc Pictavis existentibus, mandavimus praesentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram praesentiam quoquomodo adduci, nos cum eis scire volentes de praemissis omnibus veritatem, et an vera essent quae continebantur in eorum confessionibus et depositionibus, quas coram inquisitore pravitatis haereticae in regno tuo praefato, praesentibus quibusdam notariis publicis et multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, nobis, et fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitis et ostensis dilectis filiis nostris Berengario tit. Ss. Nerei et Achillei, Stephano tit. S. Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulpho S. Angeli diacono, cardinalibus, de quorum prudentia, experientia et fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus et mandavimus, ut ipsi cum praefatis magistro et praeceptoribus inquire-

Tribus cardinalibus caeterorum commissum examen:

rent, tam contra ipsos et alias singulares personas dicti ordinis generaliter, quam contra ipsum ordinem super praemissis cum diligentia veritatem, et quicquid super his invenirent, nobis referre, ac eorum confessiones et depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro apostolatui deferre ac praesentare curarent, eisdem magistro et praeceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, quam pro praemissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac devote peterent, ut deberent, iuxta formam Ecclesiae impensuri.

Ac Templarios eadem deposuisse:

§ 8. Qui cardinales ad ipsos magistrum et praeceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt, et quoniam tam personae, quam res ipsorum et aliorum Templariorum in dicto regno tuo consistentium in manibus nostris erant, quod libere absque metu cuiusquam plene ac pure super praemissis omnibus ipsis cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate apostolica iniunxerunt. Qui magister et praeceptores Franciae, Terrae Ultramarinae, Normandiae, Aquitaniae ac Pictaviae, coram ipsis tribus cardinalibus, praesentibus quatuor tabellionibus publicis, et multis aliis bonis viris, ad sancta Dei Evangelia, ab eis corporaliter tacta, praestito iuramento, quod super praemissis omnibus meram et plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter, libere, ac sponte, absque coactione qualibet et timore deposuerunt et confessi fuerunt, inter caetera, Christi abnegationem, et spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt, et quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi et spuitione super crucem fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quaedam alia horribilia et inhonesta confessi, quae ut eorum ad praesens parcamus verecundiae, subticemus. Dixerunt praeterea, et confessi fuerunt esse vera, quae in eorum confessionibus et depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquisitore haereticae pravitatis. Quae confessiones et depositiones dictorum magistri et praeceptorum in scripturam publicam per quatuor publicos tabelliones redactae, in ipsorum magistri et praeceptorum et quorumdam aliorum bonorum virorum praesentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectae fuerunt de mandato, et in praesentia cardinalium praedictorum, et in suo vulgari expositae cuilibet eorumdem. Qui perseverantes in illis, eas expresse ac sponte, prout recitatae fuerant, approbarunt, et post confessiones et depositiones huiusmodi, ab ipsis cardinalibus ab excommunicatione, quam pro praemissis incurrerant, absolutionem, flexis genibus manibusque completis, humiliter et devote, ac cum lacrymarum effusione non modica, petierunt.

Veniam petentes, fuisse absolutos.

§ 9. Ipsi vero cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem magistro et praeceptoribus haeresi abiurata expresse, ipsis secundum formam Ecclesiae auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt.

Publicis itaque scripturis Papae traditis,

§ 10. Ac deinde ad nostram praesentiam redeuntes, confessiones et depositiones praelibatorum magistri et praeceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas, nobis praesentaverunt, et quae cum dictis magistro et praeceptoribus fecerant, retulerunt, ex quibus confessionibus et depositionibus, ac relatione invenimus saepefatos magistrum, et fratres in praemissis et circa praemissa, licet quosdam ex eis in pluribus, et alios in paucioribus, graviter deliquisse.

Locorum ordinariis se commisisse inquit, ut super eisdem inquirant:

§ 11. Attendentes autem, quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque Dei omnipotentis et omnium catholicorum iniuria, non poterant, nec debebant; decrevimus de fratrum nostrorum consilio per ordinarios locorum, ac per alios fideles et sapientes viros ad hoc deputandos a nobis, contra singulares personas ipsius ordinis, nec non contra

dictum ordinem per certas directas personas, quas ad hoc duximus deputandas, super praemissis criminibus et excessibus inquirendum.

Ac super his piurimum dolet:

§ 12. Iis nempe, quae magis flere cogimur quam narrare, cor nostrum passione nimia cruciatur, et cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quisnam catholicus haec audiens, nimis non doleat et prorumpat in luctum? Quis fidelis huiusmodi sinistrum eventum intelligens, amara non emittat suspiria, verbaque lamentationis et moestitudinis non eruptet, cum tota christianitas huiusmodi doloris sit particeps, et hic casus fideles percutiat universos. Ex his etiam, dum ministerio debitae considerationis nostrae mentis praesentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, et ad tanta discrimina relevanda, suspirat affectus, zelus accenditur, et spiritus anxiatur.

Indictoque concilio post biennium cogendum;

§ 13. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium et humiliter petimus, et devote speramus: et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum eisdem fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu praehabito, prout tantae necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio, universale concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longaevae observationis exemplo nos instruit, a proximis kal. octobris ad duos annos immediate sequentes decrevimus congregandum, ut in eo tam circa dictum ordinem, et personas singulares, et bona eiusdem, et alia, quae statum tangunt fidei catholicae, quam circa recuperationem et subsidium Terrae Sanctae, ac reparationem, ordinationem et stabilitatem ecclesiasticarum personarum et libertatum eorum illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, et eiusdem approbatione concilii roboretur; per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata eiusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, et eiusdem Terrae statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret et conservet, nobisque viam aperiat idem Ipse, qui novit, et facultatem tribuat Ipse, qui potest, ut sic in praemissis iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus eiusdem universalis Sponsus Ecclesiae ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, ac monilibus ornatam, unam semper habeat et formosam ad sui nominis laudem et gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem et exaltationem popoli christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius facilius, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, praedictum tempus ad id duximus deputandum.

Monitisque praelatis omnibus, ut Viennam intra hoc tempus accedant,

§ 14. Unde venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, praepositis, archidiaconis, archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum praelatis, exemptis et non exemptis, eorumque capitulis et conventibus per alias nostras literas praecipiendo mandamus, ut iidem archiepiscopi, necnon et caeteri episcopi per ipsorum archiepiscoporum provincias constituti in eisdem literis nominati, reliquis ipsorum episcoporum in dictis provinciis remanentibus ad ea, quae pontificale officium exigunt, tam in suis, quam illarum dictarum provinciarum, qui ad huiusmodi concilium universale accesserint, civitatibus et dioecesibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis prout talis et tanti negotii qualitas exigit, dispositis et paratis, sic medio tempore se

accingant ad iter, quod in huiusmodi decreto termino, quem eis et aliis peremptorie assignamus, in Viennensi civitate, iidem archiepiscopi et episcopi taliter nominati personaliter, alii vero remanentes episcopi, electi, abbates, priores, decani, praepositi, archidiaconi, presbyteri et praelati, capitula et conventus per eosdem archiepiscopos et episcopos ad praedictum concilium accessuros, quibus ad omnia, quae in eodem concilio statuentur, fient, et ordinabuntur, et fuerint opportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica documenta, nostro se conspectui repraesentent. Quod si forsan ipsis archiepiscopis et episcopis accessuris huiusmodi noluerint concedere potestatem, eo casu venire, vel alios procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur concilium destinare.

Secum huius examen rei deferentes.

§ 15. Non obstantibus quibuslibet privilegiis seu indulgentiis quibuscumque personis, ordini, dignitati seu collegio sub quacumque verborum forma vel expressione a praedicta Sede concessis, per quae possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandavimus insuper, ut iidem archiepiscopi et praelati per se vel alios viros prudentes, Deum timentes, et habentes prae oculis omnia, quae correctionis et reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, et conscribentes fideliter, eadem ad ipsius concilii notitiam deferant. Et nos nihilominus variis modis et viis solers studium et efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen huiusmodi deducta concilii, correctionem et directionem recipiant opportunam.

Nec ullus inanis excusationis praetextu desit

§ 16. Hoc etiam in eisdem nostris literis adiecto, ut nullus inobedientiae notam, et canonicae ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quae, Domino prava in directa, et in vias planas aspera sua omnipotentia convertente, cessabunt, frivolae allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat: sed occurrant singuli voluntarii ad id, quod et divinae congruit voluntati et salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum.

Philippum hortatur, ut ipse quoque illuc pergat.

§ 17. Caeterum, quia multipliciter expedit, ut tam celebre concilium tua et aliorum catholicorum principum decoretur praesentia ut salubri consilio et auxilio fulciatur, serenitatem regiam rogamus et hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quod praescriptis loco et termino in eodem concilio, captata interim ad hoc opportunitate, studeas personaliter interesse, meditatione provida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor, quem ad tam sancti et utilis negotii promotionem assumes, tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum, qui ad veniendum ad idem concilium efficacius tuo inducentur exemplo, et nihilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire, quae in omni benevolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo ac Ecclesiae honore poterimus, admittemus.

Dat. Pictavis 2 idus aug., pont. nostri anno tertio.

Dat. die 12 augusti 1307, pont. anno III.

---

## VI.

*Erectio Studii generalis in civitate Perusii, provinciae Hetruriae.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Civitas Perusina Rom. Ecclesiae filia. — 2. Studium generale in ea erigitur.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Super specula militantis Ecclesiae dispositione dominica constituti, fidelium eiusdem Ecclesiae profectus, honores et commoda, quantum nobis ex alto permit-

titur, ferventer appetimus, illaque efficacibus studiis et promptis operibus libenti animo promovemus, ad haec omnem quam possumus opem et operam exhibentes.

Civitas Perusina Rom. Ecclesiae filia.

§ 1. Quare dum fidei puritatem et devotionem eximiam, quam civitas Perusina, spectabilis dictae Ecclesiae filia, ab olim ad ipsam Ecclesiam habuisse dignoscitur, illasque ad nos et dictam Ecclesiam continuare fideliter de bono in melius studuisse probatur, intra praecordia nostra revoluimus, dignum duximus et aequitati consonum arbitramur, ut civitatem eamdem, quam divina gratia multarum praerogativa bonitatum et foecunditate virtutum gratiose dotavit, scientiarum etiam muneribus ampliemus.

Studium generale in ea erigitur.

§ 2. Et ut, favente Deo, ex civitate ipsa producantur viri docti, qui in orbe terrarum velut splendor fulgeant firmamenti, et tamquam stellae in perpetuas aeternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire, apostolica auctoritate statuimus, ut in civitate praedicta sit generale Studium, illudque ibidem perpetuis futuris temporibus vigeat in qualibet facultate.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti infringere *etc.*

Dat. Zanctoni, VI idus septemb., pont. nostri anno III.

Dat. die 8 septembris 1307, pont. anno III.

---

## VII.

### *Confirmatio electionis Henrici in regem Romanorum (1).*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Nuncii Henrici eius in regem Rom. electionem Papae significant: — Eiusque nomine imperiale diadema postulant. — 2. Discutit cum cardinalibus Clemens an gerendo imperio par ille sit. — Perspectis illius virtutibus, regem Roman. pronuntiat. — Iubet imperii clientes ipsi obtemperare. — 3. Imperialem inunctionem ad biennium extrahit. — 4. Paterna ad Henricum exhortatio.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Henrico regi Romanorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Divinae Sapientiae imperscrutabilis altitudo, exemplo caelestium terrena disponens, rigansque montes de superioribus suis, ut suorum operum fructu inferior mundi machina salubriter dirigatur, sicut in firmamento coeli duo luminaria magna constituit, ut orbem vicibus alternis illustrent, sic in terris dona praecipua et suprema, sacerdotium videlicet et imperium, ad plenum regimen et gubernationem spiritualium mundanorumque constituens, utriusque potestatem superna provisione discrevit; ut eorum perutilis ministerii operosa diversitas nulla adversitate dissentiens, tam in executione commissi regiminis, quam in voti unitate concordes, ipsorumque procul dubio universis pro futura concordia, alterutrius fulta praesidiis, ac mutuis favoribus utriusque confota, liberius iustitiae opus exerceat, pacem mundo pariat, tranquillitatem inducat, et nutriat unitatem: imperium quidem ad salutem fidelium sacerdotali auctoritate dirigitur et ipsius adiutum praesidiis, sedatis interdum procellosis imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur et quietum: sacerdotium vero pium et tutum debet habere recursum ad imperialem mansuetudinem, debita sibi veneratione coniunctam, ut imperii romani fastigium et eius culmini praesidens, specialis advocati et defensoris praecipui circa Ecclesiam gerat affectum; et in ipsius fortitudine brachii defensentur ecclesiasticae libertates et iura manuteneantur ipsarum, extirpentur haereses, cultus christianae fidei amplietur, et inimicis consternatis eiusdem, in pacis

(1) Ex Regest. Vatic.

plenitudine sedeat populus christianus et in requie opulenta quiescat.

Nuncii Henrici eius in regem Rom. electionem Papae significant:

§ 1. Sane nuper venerabiles fratres nostri Basilien. et Curien. episcopi, et dilectus filius nobilis vir Amadeus Sabaudiae, Ioannes Salphini Viennen. et Albonen. comites, Guido de Flandria, Ioannes de Seraponte, comes et magister Simon de Manulla thesaurarius Ecclesiae Meten., ambassiatores, procuratores et nuntii tui ex parte tua cum pleno sufficienti mandato, prout per tuas patentes literas, magni tui sigilli appensione munitas, nobis extitit facta fides, ad nostram praesentiam destinati, coram nobis et fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in publico et solemni consistorio nomine tuo, et omnium principum, in regis in imperatorem (1) postmodum promovendi, in electione voces habentium tam de consuetudine quam de iure, proposuerunt inter caetera coram nobis, electionem de te ad praedictum regnum et imperium postmodum promovendo ab omnibus principibus vocem in huiusmodi electione habentibus fuisse concorditer et legitime celebratam: teque electioni huiusmodi consensisse, et alias solemnitates recepisse Aquisgrani, quas praedecessores tui recipere consueverunt ibidem: supplicantes instanter, ac inter alia humiliter postulantes, tibi unctionem et consecrationem per nostras manus impendi, et te in imperatorem romanum, advocatum et defensorem Ecclesiae imperiali diademate coronari; et ad hoc tibi certos locum et terminum assignari, et alios tibi concedi per Sedem Apostolicam favorem et gratiam consuetos.

Eiusque nomine imperiale diadema postulant.

Discutit cum card. Clemens an gerendo imperio par ille sit.

§ 2. Nos igitur praemissis per eosdem ambassiatores propositis diligenter auditis, nec non praedicto mandato, electionis quoque praedictae decreto cum praedictis fratribus diligenter inspectis, plenaque deliberatione discussis, factaque nobis de huiusmodi electione concordi et legitima plena fide, examinatione quoque de persona tua in eorumdem fratrum praesentia per nos facta, in quantum te absente fieri potuit, super conditionibus omnibus, quae requiruntur in illo, qui est ad imperialis culminis apicem sublimandus; quia ab olim nos et fratres nostri ex frequenti et familiari conversatione tua, et magnorum ac proborum virorum testimonio indubitato et certo, excellentiam tuam fore percipimus magnarum virtutum gloriosis titulis insignitam, discretionis immensitate sublimem, providentiae maturitate fœcundam, devotionis claritate conspicuam; quodque in ea adeo prompti viget intellectus prosperitas, veritatis dilectio, et constantis fortitudinis firmamentum, ut tantarum virtutum castris in ipsa regnantibus sublimium honorum extolli fastigiis rationabiliter mereatur; te, charissimum filium nostrum Henricum, in regem electum, deputamus, nominamus, denunciamus et declaramus regem Romanorum de ipsorum fratrum consilio, iustitia exigente; tuamque personam, tot excellentium meritorum claritate suffultam, approbamus, pronuntiamus et declaramus plene sufficientem et habilem ad suscipiendum huiusmodi imperialis celsitudinis dignitatem: decernentes et pronuntiantes, unctionem, consecrationem et imperii romani coronam tibi per manus nostras debere concedi loco et tempore opportunis, ad quae ex nunc nos offerimus nos paratos; magnitudini tuae nihilominus concedentes nostrum et Romanae Ecclesiae favorem et gratiam consuetos; praecipientes ex nunc omnibus subditis tuis, quod tibi tanquam regi Romanorum vero, et per Sedem Apostolicam approbato ad imperium obtinendum, efficaciter pareant et intendant.

Perspectis illius virtutibus, regem Roman. pronuntiat.

Iubet imperii clientes ipsi obtemperare.

Imperialem inunctionem ad biennium extrahit.

§ 3. Et quia tam pro generali futuro concilio, quod iam mandavimus convocari, quam pro aliis arduis et inevitabilibus fidei christianae negotiis multa nobis imminent necessario facienda, quae non possent absque gravi periculo universalis Ecclesiae praetermitti, ante quorum expe-

(1) Leg. f. *in regem et imperatorem*.

ditionem alia ponderosa implicare negotia, vel explicationi ipsorum intendere commode non possemus; ut, urgentibus ad praesens negotiis utiliter expeditis, annuente Deo, votis tuis et postulationibus tam faciliter quam celeriter satisfiat, celsitudini tuae ad unctionem, consecrationem et coronationem imperii Romanorum de manibus nostris in basilica Principis Apostolorum de Urbe, Deo auctore, sumendas, festum Purificationis beatae Mariae, quod erit usque ad biennium computandum a proximo futuro festo Purificationis eiusdem, tibi de ipsorum fratrum consilio assignamus, a dictis quoque procuratoribus et nuntiis tuis, habentibus super hoc plenum et speciale mandatum, in animam tuam, prout ipsi nobis frequenter obtulerant, recepimus debitum iuramentum.

Paterna ad Henricum exhortatio.

§ 4. Euge igitur, fili charissime, recognosce humiliter tui beneficentiam Creatoris, Eius beneplacitis te coapta, dirige vias tuas in semitis mandatorum Ipsius, eius ministros honora, immo Ipsum in illis; honora Ecclesiam matrem tuam; longaevitatem namque vitae parentum etiam temporalium honorificatio pollicetur; recogita diligenter, et tenaci commenda memoriae quam gratiosam tam olim in multis casibus, quam nunc in nuntiorum tuorum expeditione celeri et felici Romanam Ecclesiam invenisti; et ideo ipsam eius et aliarum Ecclesiarum honorem et iura dirige, protege et conserva, pacem dilige, Regem imitando pacificum; firma iustitia thronum tuum, illam sectare: fructus enim iustitiae pax, illa si ante te ambulet gressus tuos ponens in via, tibi ab invio praecavebit; nec te clementia deserat, quae amicos et devotos multiplicans, imperii adiicit firmitatem: age viriliter, et semper cor tuum in Domino confortetur.

Datum Avenioni septimo idus (1) augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 7 augusti 1308, pontif. anno IV.

(1) Apud Raynaldum legitur VII *kal. augusti.*

## VIII.

*Ecommunicatio contra cudentes et deferentes falsas monetas in regno Franciae* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causa faciendae legis. — 2. Lex (*de qua in rubrica*). — Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Prodiens quasi ex adipe iniquitatis multorum sceleratorum sinistra cupiditas eos in perniciem praecipitare conatur; dum sequi miserabilem eius ingluviem satietatis nescientem, moderamina non verentur; ipsius etenim turpium lucrorum se faecibus immergentes, ambitiosis nexibus involvuntur, Dei timorem damnabili caecitate postponunt; et, quasi ambulantes in tenebris, non vitant excidia personarum.

Causa faciendae legis

§ 1. Nuper siquidem ad nostri apostolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli, nullam habentem auctoritatem de iure vel consuetudine seu privilegio faciendi monetam, falsam monetam cudunt et fabricant in regno Franciae et locis circumvicinis. Alii vero monetam fabricatam sub vero signo charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris studiose depravant, et ex hoc cadit a suo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de iure ac consuetudine seu privilegio ius competit fabricandi monetam, signum proprium monetae regiae suae, quam fabricant, imprimere seu insculpere moliuntur, eiusdem quantitatis et rotunditatis et literarum figurae, quam habet moneta regia, monetae suae, quam fabricant, quantum possunt similius, speciem et formam insculpunt, constituunt et imponunt. Et quamvis moneta praedicta eorum ad usurpatam similitudinem praedictam deficiat a iusto pondere argenti et solito, in regia moneta et more

(1) Ex Regest. Vatic.

et consuetudine observata; simplices tamen et populares personae, non habentes inter monetas tantae similitudinis peritiam discernendi, falluntur quotidie in usu monetarum, recipientes monetas falso assimilatas pro veris. Sunt et aliqui, qui scienter falsas monetas extra regnum ipsum emunt, et postea infra regnum ipsum eas portant, vendunt et expendunt

Lex (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur, attendentes, quod iidem falsarii, et fabricatores monetarum talium, et emptores praedicti, per hoc se dignos maledictione constituunt; eos qui, ut praemittitur, praemissa moliri aut fabricare, emere vel portare ad regnum praedictum scienter praesumpserint, excommunicationis sententia innodamus, absolutione praedictorum nobis et successoribus nostris, praeter quam in mortis articulo, reservata.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Tolosae II kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 31 decembris 1308, pont. anno IV.

## IX.

***De reditu civitatis Ferrariae sub antiqua Sedis Apostolicae obedientia et iurisdictione, eiusque privilegiorum confirmatione*** (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Ferraria multas perpessa calamitates sub Longobardis: — A Carolo Magno ad Ecclesiae dominium vindicata. — Sedis Apost. de eadem solicitudo. — 2. De Venetorum tyrannide liberata. — 3. Ferrarienses per nuncios eiusdem Sedis dominium profitentur. — Ferrariensium nuncii Papae iuramentum fidelitatis praestant. — 4. Instrumentum peractae rei. — Literae credentiales dd. nunciorum. — Ipsi Ferrarienses Rom. Ecclesiae subditos se ab immemorabili fatentur. — Eadem confirmata a populo. — 5. Literae credentiales a legato Ecclesiae eiusdem roboratae. — 6. Ferrarienses Rom. Ecclesiae se dederunt, nonnullis additis declarationibus. — Salhinguerra Ferrariae tyrannus. — Estensium vis: — 7. Venetorum violentia. — Ferrarienses se, suaque Rom. Ecclesiae offerunt. — Homagium præstant. — 8. Iuramentum fidelitatis ab eorum nunciis praestitum. — Legalizatio supradicti instrumenti. — 9. Clemens PP. Ferrariae dominium recipit, adiecta lege ut nunquam a Rom. Ecclesiae iure alienetur. — 10. Vicarii ad eamdem gubernandam civitatem delegandi munus. — 11. De potestatis electione: — 12. Et officii tempore. — 13. De iudiciis et appellationibus. — 14. In causis vicarium, aut eius familiares tangentibus Sedis Apost. petendum iudicium. — 15. Confalonerii officium cassatum. — Duodecim antiani eligendi. — 16. De consiliariis. — 17. De statutorum civitatis examine, confirmatione, *etc.* — 18. Militiae equestris et pedestris numerus, stipendium, *etc.* — 19. De redditibus, expensisque ad eos exigendos. — 20. Officiales quales esse debeant. — 21. De placitis. — 22. Potestatis iurisdictio qualis. — Emendarum pretia a quibus percipienda. — 23. Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, universitati, consilio, populo, et communi civitatis Ferrarien., salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Pia matris Ecclesiae cura, de filiorum suorum salute sollicita, etsi communi quodam pietatis affectu ad cunctos gerat sedulae considerationis intuitum, illos praecipue propensiori studio refovere desiderat, et suae dulcedinis suavitate reficere, illosque in oblivionem abire non patitur, quos longe a suis ablactatos uberibus et in devium raptos praecipiti lapsu fortuna pressit acerbior, et avulsos a dulcibus eius amplexibus calamitas durioris adversitatis afflixit. Non enim pote-

(1) Ex Regest. Vatic.

rat siccis oculis intueri, quos in afflictione positos intolerabilis cruciatus attriverat; nec sine suspiriis illorum considerare miserias, quos iugo tyrannicae servitutis absortos, et cuiuslibet penitus respirationis expertes, angustiosis cernebat angariis impie cruciari. Hoc enim ipsa mater Ecclesia in vobis (quos privata peculiaritas uteri sui repositos servat in intimis, et inviolabilis necessitudo connectit) frequenter experiens, amaras plerumque lacrymas est coacta perfundere, sentire dolores, et ingeminare suspiria ex diversarum persecutionum procellosa tyrannide, quam in vobis hostilis multotiens et crudelis immanitas agitavit. Verum, quantumcumque periculosa sint tempora, et mundus positus in maligno, non tamen deserunt in fluctibus quarumlibet tempestatum consolationum remedia Sponsae Christi. Non enim attigit votum proprium Pharaonis astutia, satagens in masculis extinguere Israelem: non praevaluit Herodianae persecutionis impietas, quin puer nobis datus caelitus in haereditatem gentium supervivat: nec tyrannorum fervor, in Christi Ecclesiam, eiusque membra quantumcumque desaeviens, evertere potuit eius solida fundamenta, super firmam petram solidatae fidei stabilita; quantumvis procellosis impulsibus sint percussa.

Ferraria multas perpessa calamitates sub Longobardis:

§ 1. Sane, quantis ab olim Ferrariensis civitas eidem Ecclesiae peculiariter, ab ipso sui primordio et primario fundamento, pleno etiam iure temporaliter immediate subiecta fuerit, tempestatibus et procellis exposita, quantisve periculosis discriminibus conquassata, nec mundus ignorat: nam licet ipsa, post diram sacrilegi quondam Desiderii regis tyrannidem, eam terribiliter impugnantis, virtuoso brachio praeclarissimae memoriae

A Carolo Magno ad Ecclesiae dominium vindicata.

Caroli Francorum regis illustris in succursum eiusdem Ecclesiae invocati et viriliter occurrentis, elisam, ad dominium extiterit eiusdem Ecclesiae, ipsius incliti regis virtute suffragante, redacta; et demum etiam post longa temporum effluxa curricula diversorum tyrannorum usque ad praesentia tempora fuerit, crudeli protervia debacchante, convulsa: tandem, dextera Domini faciente virtutem, extinctis ignibus dirae tyramnidis, quae ipsam extremae servitutis cruciabat angariis, et angustiis deprimebat, eadem Ecclesia de ipsius civitatis reintegratione sollicita, desideravit anxie, ut ipsa, quae diu, tempo-

Sedis Apostolicae de eadem sollicitudo.

ris faciente malitia, eiusdem piae matris suavitatem uberum non gustarat, sed per arrupta et invia, per oberrationis involucrum deviarat, ad viam reduceretur suavis rectitudinis; et salutis modos et vias exquirendo multiplices, tam per legatos et nuntios, quam per alios devotos et fideles ipsius, ut caecitatis excussa caligine, ac iugo servitutis abiecto, ad eius reduceretur suave dominium, novaeque salutis acciperet libertatem.

De Venetorum tyrannide liberata.

§ 2. Sed adhuc Leviathan tortuosi colubri, qui habens odio vias rectas, sinuosos semper quaerit anfractus, exsufflante nequitia, irruit iterum excitatus ab illo, qui incentor est malorum omnium, venenosus Venetorum ventus; ut, recidiva peste, ipsius civitatis concuteret angulos, et everteret fundamentum. Sed eadem Ecclesia, pio sibi semper affectu compatiens, post intentatam per eosdem Venetos hostilitatis dirae saevitiam, inter terribiles eorum insultus et belligeros impetus, quibus civitatem ipsam et incolas, ut eorum servituti iterata quadam plaga subigerent, et dolorem super dolorem apponerent, undique impugnabant, occurrit statim et affuit desperatis filiis in manu forti et gloriosa potentia, quae, Venetorum ipsorum furiam ignominiose calcata, ab eorum faucibus vos et ipsam praepotenter eripuit; et a rugientibus praeparatis ad escam sua victrici dextera liberavit: ut iam, per Dei gratiam erepti de durissimo Pharaonis imperio, possitis liberius ad superna conscendere, et iugo captivitatis abiecto, acceptae laetari commodis libertatis.

§ 3. Vos ergo, sicut devotione fervidi, et fidei sinceritate praeclari, indulta vobis per eandem Ecclesiam tot gratiarum beneficia copiosa ad memoriam reducentes, et pium eiusdem matris affectum, sicut benedictionis et gratiae filii salubriter attendentes, cupientes humiliter ad benignum et gratiosum ipsius redire dominium, unde iam dudum, ut praemittitur, fueratis exclusi, ut possitis amodo suavi suorum uberum dulcedine refoveri, salubri usi consilio, et diligenti deliberatione praehabita, per venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum, et dilectos filios Pignatonum de Pignatonibus et Antonium de Alexio iudices, vassallum mercatorem Octobonum dictum, Bracharinum, et Nascimbene de Brinis notarios, concives vestros sindacos, et procuratores et nuntios ad haec specialiter ad Sedem Apostolicam destinatos, habentes ad haec a vobis sufficiens et speciale mandatum, vos et eamdem civitatem Ferrariensem, eius personas, bona, comitatum, territorium et districtum cum iurisdictione alta et bassa recognovistis pertinere, et pertinuisse etiam ab antiquo, et a fundatione civitatis eiusdem ad dominium Romanae Ecclesiae supradictae: et nihilominus civitatem, personas, bona, comitatum, territorium et districtum praefata in nostris et eiusdem Ecclesiae manibus, quantum in vobis extitit, libere et totaliter subiecistis, transtulistis, et plenarie submisistis: pro quibus omnibus et singulis sindici memorati nomine vestro nobis et eidem Romanae Ecclesiae iuramentum fidelitatis et ligium homagium praestiterunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, qui talis est:

*Ferrarienses per nuncios eiusdem Sedis dominium profitentur.*

*Ferrariensium nuncii Papae iuramentum fidelitatis praestant.*

§ 4. In nomine Domini amen. Noverint universi, praesens instrumentum publicum inspecturi, quod anno Domini millesimo trecentesimo decimo, indictione octava, die martis vigesima septima mensis ianuarii, pontificatus sanctissimi patris et domini, domini Clementis, divina providentia Papae quinti, anno quinto, Avenioni in palatio Loci fratrum ordinis Praedicatorum, in quo idem dominus Papa tunc residentiam faciebat, in consistorio publico et solemni, ubi idem dominus Papa una cum sacro collegio reverendissimorum patrum dominorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, videlicet dominis Leonardo Albanen., Petro Sabinen., Ioanne Portuen. et Berengario Tusculan. episcopis: Ioanne Sanctorum Marcellini et Petri, Thoma Sanctae Sabinae, Nicolao Sancti Eusebii, Guillelmo Sanctae Potentianae, et Stephano Sancti Ciriaci tituli, presbyteris: Landulfo Sancti Angeli, Iacobo Sancti Georgii ad Velum Aureum, Francisco Sanctae Mariae in Cosmedin, Ricardo Sancti Eustachii, Luca Sanctae Mariae in Vialata, Petro Sanctae Romanae Ecclesiae et Raymundo Sanctae Mariae Novae, diaconis cardinalibus; aderant, et praesentes erant, coram eis astante fidelium, clericorum videlicet et laicorum, multitudine copiosa, venerabilis pater dominus Guido episcopus Ferrarien. et discreti viri Pignatonus de Pignatonibus et Antonius de Alexio iudices, vassallus mercator Octobonus dictus, Bracharinus et Nascimbene de Brinis notarii, cives Ferrarienses, ambassiatores et sindici, ad haec per reverendum patrem dominum Arnaldum Dei gratia Sanctae Mariae in Porticu diaconum cardinalem, Apostolicae Sedis legatum, tam ex plenitudine potestatis, quam habet Romana Ecclesia in civitate et districtu Ferrarien., quam ex potestate sibi per nobilem virum dominum Geraldum de Tartis, potestatem, vexilliferum, praeconsulem notariorum, antianos, capita societatum, consilium, populum et commune Ferrariae, attributa, super hoc specialiter electi, prout de huiusmodi potestate dicto domino legato, ut praedicitur, concessa apparet per publicum instrumentum manu Perini nati domini Octoboni Bracarini civis Ferrarien. notarii confectum: nec

*Instrumentum peractae rei.*

non de electione ipsorum ambassiatorum et sindicorum facta per dictum dominum legatum per literas ipsius domini legati in modum publici instrumenti per manum Leonis Nigri de Setia publici, apostolica et imperiali auctoritate, notarii confectas, et dicti domini legati sigillo pendenti munitas, plene constat; idem dominus Papa praedicta instrumentum et literas publice et alta voce per discretum virum magistrum Ioannem de Verulis camerae suae clericum legi fecit, quarum tenores tales sunt: In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis millesimo trecentesimo nono, indictione septima, die secundo mensis septembris in praesentia mei notarii et testium infrascriptorum, ad haec specialiter vocatorum et rogatorum, in maiori et generali consilio quingentorum populi et communis civitatis Ferrariae super palatio ipsius communis per campanam et vocem praeconiam, more solito, congregato, ad honorem et reverentiam sanctissimi patris et domini nostri domini Clementis Papae Quinti, et sanctae Romanae Ecclesiae et sacri coetus reverendissimorum patrum dominorum cardinalium et reverendi patris domini Arnaldi Sanctae Mariae in Porticu diaconi cardinalis, Apostolicae Sedis legati: in quo quidem consilio aderant magnificus vir dominus Geraldus de Tastis potestas, vexillifer, praeconsul notariorum, antiani, capita societatum et plusquam trecenti octuaginta ex consiliariis praedictis, qui fecerunt et faciunt longe plus quam duas partes consiliariorum dicti populi et communis; praefatus dominus potestas in dicto maiori et generali consilio convocato et congregato super dicto palatio, more solito, ut supra, cum voluntate, consilio et assensu dictorum vexilliferi, praeconsulis notariorum, antianorum, capitum societatum et consiliariorum et hominum dictorum populi, communis et universitatis Ferrariae in praesentia, cum auctoritate et decreto dicti domini potestatis, ibidem praecedente et prius interposito,

Literae credentiales dict. nunciorum.

reputantes ex nunc illum et illos, suum et suos et dictorum populi, communis et universitatis sindicum et sindicos; quem et quos dictus reverendus pater dominus legatus duxerit eligendum seu nominandum, eligendos seu nominandos; eumque et eos ex nunc eligentes et approbantes, perinde ac si per ipsos eosdem potestatem, vexilliferum, praeconsulem notariorum, antianos, capita societatum, consilium, populum et commune Ferrariae fuissent vel forent specialiter electi, dederunt et concesserunt et dant et concedunt omni modo et iure, quo melius possunt, eisdem sic eligendo et nominandis, plenam, generalem et liberam potestatem et administrationem et mandatum speciale et generale: et ipsum et ipsos cum huiusmodi potestate et mandato fecerunt et faciunt suum et suos, et dictorum populi et communis ac universitatis sindicum et sindicos, procuratorem et procuratores, ad praesentandum se dicto modo et nomine et pro eis coram praesentia sanctissimi patris et domini nostri Clementis Summi Pontificis et coetus reverendissimorum patrum dominorum cardinalium; ad recognoscendum, quod dicta civitas ab antiquo et antiquissimo tempore Romanae Ecclesiae semper subfuit et adhuc subest pleno iure, etiam quoad temporalem iurisdictionem, merum imperium atque mixtum; et ab ea recepit primarium fundamentum; et ad libere et absolute offerendum et resignandum, concedendum, subiiciendum, transferendum, dandum et submittendum eidem Summo Pontifici et Ecclesiae Romanae civitatem praedictam et comitatum et districtum ipsius, omnia pedagia, datia, telonea et ripatica, aquas, aquarum decursus, omnes redditus et proventus eorumdem civitatis et districtus et comitatus et obventiones quascumque; eorumdem iurisdictiones altas et bassas, merum, mixtum imperium, gladii potestatem et bona et iura omnia, quocumque nomine nominentur, quae ipsa civitas, districtus et comitatus et populus Fer-

Ipsi Ferrarienses Rom. Ecclesiae subditos se ab immemorabili fatentur.

rariae, seu quivis ibidem praesidens soliti sunt tenere, possidere, vel quasi, seu exercere per se vel per alium quocumque modo vel nomine; ac etiam ad obligandum dictum commune, homines, personas, et bona ipsius, et permittendum, quod perpetuo et omni tempore habebunt et tenebunt rata et firma omnia et singula, quae dicti sindicus vel sindici permittent vel facient; ac etiam omnia, quae Summus Pontifex et Sedes Apostolica dixerit, fecerit vel explicaverit in praedictis et circa praedicta et eorum et cuiuscumque eorum occasione: ita quod intellectus praedictorum et eorum, quae dicti sindici permittent vel facient, quaeque aliqualiter per dominum Papam et Sedem Apostolicam dicta et ordinata fuerint in praedictis et eorum occasione, semper et omni tempore intelligi debeant ad voluntatem, interpretationem, dispositionem plenam et liberam domini Papae et Sedis Apostolicae; et quod contra ea nullo tempore venient de iure nec de facto per se nec per summissam personam aliquo modo vel causa: et ad faciendum et praestandum dicto domino Papae et Sedi Apostolicae fidelitatis homagium et iuramentum et quascumque alias conventiones, promissiones, transactiones, renunciationes, generales et speciales, et pacta et iuramenta cuiuscumque generis in dictorum constituentium animas, obligationes et summissiones, cum adiectione poenarum temporalium et spiritualium, et sive quae praefatus Summus Pontifex per (*pro*?) se et Ecclesia Romana, vel aliis recipere voluerit in praedictis et super praedictis, vel aliis quibuscumque; et quae dicti potestas, vexillifer, praeconsul notariorum, antiani, populus, consiliarii et commune promittere, obligare, facere et explicare possent, si praesentes essent, etiamsi talia sint vel fuerint, quae mandatum exigerent vel exigant speciale; et etiamsi maiora sint vel fuerint, quam ea, quae expressa sunt in praesenti instrumento: promittentes habere et tenere perpetuo rata et firma omnia et singula, quae dicti sindicus et sindici in praedictis et circa praedicta et ea tangentibus, et eorum et cuiuscumque eorum occasione, vel aliis quibuscumque dixerint, promiserint, fecerint, vel gesserint, seu procuraverint quocumque modo: dicentes insuper et protestantes, multas alias iustas, veras et rationabiles causas praecessisse, subesse et inesse, propter quas dicti potestas, vexillifer, praeconsul notariorum, antiani, capita societatum et consilium praedicta fecerunt et faciunt, et renuntiaverunt exceptioni et conditioni sine causa et ex iniusta causa doli, et in factum et omni alii iuri, legi, rationi et defensioni, quibus se contra praedicta et eorum aliquid tueri vel adiuvare possent. Actum Ferrariae in suprascripto palatio communis civitatis Ferrariae, praesentibus venerabilibus patribus, domino Arnaldo abbate Tuellen. Lemovicen. dioecesis, domino Guillelmo abbate Sancti Fremerii Vasaten. dioecesis, domino Gerardo de Ginnamis de Parma iudice et assessore dicti domini potestatis; et sapientibus viris dominis Petro de Sifante et Aimerico Sbuga, iudicibus; magistro Gratiadeo phisicae artis professore, dominis Octobono Bracharino, Gilio de Compendello et Iacobo de Oifante, notariis civibus Ferrarien., Petro et Antonio praeconibus et bannitoribus communis Ferrariae, et multis aliis ad haec vocatis testibus et rogatis. Et licet in maiori et generali consilio quingentorum populi civitatis Ferrariae in palatio communis, more solito congregato, nemine discrepante, excepto uno, obtentum fuerit et firmatum secundum quod superius continetur; demum tamen adveniente die quarta suprascripti mensis septembris anno Domini et indictione praedictis, post praedicta omnia et singula sic peracta in publico parlamento sive arengo, in maiori Ecclesia Ferrarien. congregato, in quo erant et fuerant dicti domini potestas, vexillifer, praeconsul notariorum, antiani, populus et longe maior pars hominum

dicti communis populi dictae terrae, in praesentia venerabilis patris domini Arnaldi divina providentia Sanctae Mariae in Porticu diaconi cardinalis, Apostolicae Sedis legati, praedicta omnia et singula superius adnotata, confirmata, approbata, corroborata, et de novo facta fuerunt per praedictos potestatem, praeconsulem, vexilliferum, antianos et universum populum, existentes ibidem, ad maiorem praedictorum omnium perpetuam firmitatem, praesentibus reverendis viris dominis Florentin., Ferrarien., Bononien. et Perusin. episcopis; et domino Guidone de Troctis milite, Aldigerio de Fontana, et domino Aimerico Sauga iudice, domino Antonio de Alexio iudice, domino Pignatono de Pignatonibus iudice, et Lanzaloto eius fratre, domino Ioanne de Rossetis, Francisco de Vicedominis, domino Antonio Carpifava notario, domino Octobono Bracharino notario, et dominis Albertino de Barile, Nascimbene de Brinis, Andrea de Mancis, Iacobo de Bemammi, Bonmercato de Conte, Naximpace de Nigris, et Egidio de Campedello, notariis civibus Ferrarien., et multis aliis ad praedicta vocatis testibus et rogatis. Qui omnes notarii praedicti, et omnes alii notarii in dicto arengo seu consilio existentes, rogati fuerunt facere de praemissis omnibus eiusdem tenoris unum et plura publica instrumenta. Ego Perinus filius domini Octoboni Bracharini notarii, civis Ferrarien., publicus imperiali auctoritate notarius, celebrationi huiusmodi sindicatus, et corroborationi eiusdem, necnon et omnibus et singulis superius annotatis, praesens fui, scripsi, et in publicam formam redegi, meumque signum feci rogatus.

Eadem confirmata a populo.

§ 5. Noverint universi, praesentes literas inspecturi, quod nos Arnaldus miseratione divina Sanctae Mariae in Porticu diaconus cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, de plenitudine potestatis, quam habet Ecclesia Romana in civitate Ferrarien. et in districtu; et nobis etiam per consilium quingentorum populi et per universum populum civitatis eiusdem specialiter attributa, elegimus apud civitatem ipsam, dum eramus ibi, et nunc de novo etiam eligimus in civitate Bononiae, auctoritate potestatis praedictae, venerabilem patrem dominum Guidonem episcopum Ferrarien. et prudentes viros atque discretos Pignatonum de Pignatonibus, Antonium de Alexio iudices, vassallum mercatorem Octobonum, dictum Bracharinum, et Nascimbene de Brinis, notarios, cives Ferrarienses, fideles et devotos Romanae Ecclesiae, latores praesentium, ambassiatores et sindicos populi et communis Ferrariae; nec non eligimus similiter pro notario ipsorum ambassiatorum Perinum filium dicti Octoboni; quibus auctoritate, qua fungimur, concedimus licentiam exponendi ambassiatam eis impositam per ipsum populum et commune, sigillatam sigillo communis praedicti, coram sanctissimo patre et domino nostro domino Clemente Summo Pontifice, et sacro coetu dominorum cardinalium, semel et pluries, prout ipsis ambassiatoribus et sindicis melius et convenientius videbitur, pro utilitate dicti domini nostri et sanctae Romanae Ecclesiae, et praedictorum populi et communis. In cuius rei testimonium praesentes literas scribi et publicari mandavimus per Leonem de Setia notarium infrascriptum, et sigilli nostri munimine roborari. Datum et actum Bononiae in camera nostra, praesentibus venerabili et religioso viro domino Guillelmo abbate monasterii Sancti Fremerii Vasaten. dioecesis, et domino Fortonerio cantore ecclesiae de Sancto Asterio, testibus ad praedicta vocatis specialiter et rogatis. Sub anno Domini millesimo trecentesimo nono, indictione septima, die vigesima mensis octobris, pontificatus eiusdem domini Clementis Papae Quinti anno quarto. Et ego Leo Ioannis Nigri de Setia, publicus apostolica et imperiali auctoritate, et dicti domini cardinalis notarius, praedictis omnibus praesens in-

Literae credentiales a legato Ecclesiae eiusdem roboratae.

terfui, et ea fideliter de mandato praefati domini scripsi et publicavi, signoque meo consueto signavi rogatus.

Ferrarienses Rom. Ecclesiae se dederunt, nonnullis additis declarationibus

§ 6. Huiusmodi autem per dictum magistrum Ioannem instrumento et literis seriose perlectis, praefati ambassiatores et sindici nomine potestatis, vexilliferi, praeconsulis, antianorum, capitum societatum, consilii, populi et communis Ferrariae praedictorum, et pro eis et ipsorum quolibet et singulis de dictis populo et communi, et etiam pro se ipsis recognoverunt, et etiam professi sunt, dictam civitatem Ferrariae cum omni suo comitatu, territorio et districtu, quoad temporalem etiam iurisdictionem et omnimodam, et merum imperium atque mixtum, ab antiquissimo tempore et a fundatione ipsius civitatis eidem Ecclesiae Romanae subesse et subfuisse pleno iure; et quod ab eadem Ecclesia receperat primarium fundamentum: propter quod ipsi et eorum quilibet nomine praedictorum potestatis, vexilliferi, praeconsulis, antianorum, capitum societatum, consilii, populi et communis, et cuiuslibet eorum, et pro ipsis et eorum singulis, et etiam pro se ipsis, ipsam civitatem, comitatum, territorium et districtum, cum pedagiis, datiis, theloneis, ripaticis, aquis, aquarum decursibus, iurisdictionibus altis et bassis, mero et mixto imperio, gladii potestate et omni iurisdictione, ac bonis et iuribus omnibus, quocumque nomine censeantur, praedicto domino Papae praesenti et recipienti, eiusque successoribus, et eidem Ecclesiae Romanae obtulerunt, resignaverunt, subiecerunt, transtulerunt et submiserunt in hunc modum, ne sub incerto sint dominio, et superioritatis iura profiteri tenentur et agnoscere, quocumque sub aliorum dominio et superioritate sunt; et maxime ubi continetur veritas veri dominii tyramnorum usurpatio se abiecit; qua cessante, expedit, immo necesse est, quod vera professio declaret, quod per usurpationem tyramnidis aliquantis temporibus fuerat obscuratum, propter quae nos frater Guido episcopus Ferrarien., Pignatonus de Pignatonibus, Antonius de Alexio, iudices; vassallus mercator Octobonus, dictus Bracharinus et Nascimbene de Brinis, notarii, ambassiatores et sindici populi et communis Ferrariae, nostro nomine et totius communis et populi civitatis eiusdem, cuius sindicatum cum plenissima potestate in praesentia sanctitatis vestrae et sacri collegii dominorum cardinalium exhibemus, profitemur et agnoscimus, civitatem Ferrariae ab initio fundatam fuisse per Summum Pontificem in solo Ecclesiae Romanae, ipsius sumptibus et expensis, et ab eadem dotatam, ordinatam et populorum multitudine decoratam fuisse. Cumque postmodum processu temporis per oppressionem Desiderii regis Longobardorum servituti subiecta fuisset, per ministerium Adriani felicis recordationis Summi Pontificis, invocato ad hoc brachio invictae memoriae Caroli regis Francorum, restituta extitit eadem civitas pristinae libertati et diutius in debita libertate permansit. Tempore vero postmodum succedente, tyrannica pestis Salhenguerra civitatem eamdem servili conditioni supposuit, et eam longis temporibus quasi servam suppeditavit, tyranniceque tractavit. Quod Sancta Romana Ecclesia pia mater diligenter attendens, et filiorum suorum civium Ferrarien. calamitati compatiens, ad partes illas destinavit legatum, et contra ipsum tyramnum exercitum maximum congregavit; sicque dictam civitatem, et eius comitatum, districtum, atque populum, a dicta servitute tyrannica liberavit, et sub dominio Ecclesiae redegit et reduxit. Quapropter recognoscimus et avocamus civitatem Ferrarien. cum pertinentiis suis et districtu, ac totum comitatum Ferrariae fuisse ab antiquo et a fundatione ipsius civitatis, et esse de dominio temporali Romanorum Pontificum et Sanctae Romanae Ecclesiae; super quo recognoscimus privi-

Salhinguerra Ferrariae tyrannus

legia et regestra et librum censualem eiusdem Romanae Ecclesiae, et ea, quae continent, vera esse et indubitata; et eis, quantum ad nos attinet, fidem, nomine quo supra, plenariam adhibemus. Item profitemur et agnoscimus, quod pro eo tempore, quo dicta civitas, comitatus et districtus ipsius fuerunt sub manu quondam marchionum Esten., non voluntarie subfuerunt, eisdem obediverunt, aut eorum dominium de facto agnoverunt; sed per violentiam et metum mortis et cruciatus corporum, quibus resistere non potuerunt propter nimiam saevitiam ipsorum et tyramnicam potestatem: sed suspirabant et gemebant sub indebitae servitutis mole, aspirantes et desiderantes cum multis gemitibus videre tempora, quae nunc vident, videlicet quod ad naturale dominium Sanctae Romanae Ecclesiae redirent, sub vero dominio ipsius et regimine regerentur et defenderentur, a tyramnorum impressionis, persecutionis et usurpationis molestia liberati: qui tyramni neque centenaria praescriptione quidquam de iure Sanctae Romanae Ecclesiae diminuere potuerunt, eo quod tyramnica et violenta possessio caret bono principio et medio, per quod concluditur quod et fine; licet nec tempus centum annorum, immo etiam nec septuaginta defluxerit, per quod ius et dominium Sanctae Romanae Ecclesiae intactum est et extitit ac illaesum, ut tunc et nunc et medio tempore dominium illibatum ipsius Ecclesiae est et fuit.

Estensium vis.

§ 7. Verum omnipotens Deus, qui suo alto consilio de malo bonum elicit, pro sua Sancta Romana Ecclesia, et pro nobis, communi et populo Ferrarien., iis diebus operatus est magnalia benedictus Ipse; nam Venetorum populus quaerentes, quae sua non sunt nec fuerunt nec erunt, moliti sunt iis diebus in populum Ferrariensem, civitatem et districtum, ut ipsum vel ipsa Sanctae Romanae Ecclesiae subtraherent dominio, cuius sunt et fuerunt et semper erunt, Domino concedente; ac ea per turbulentam rabiem et hostilem incursum suo iugo, igne, gladio, caede ac incendio inferentes nobis, et eidem populo per terram et aquam vim, vivaeque guerrae molestiam, manciparent; sed conatum ipsorum execrabilem pius et misericors Deus ad honorem vestrum, sanctissime Pater, et Sanctae Romanae Ecclesiae ac tranquillitatem et pacem nostri populi Ferrarien., modis et viis divinitus inspiratis, convertit. Nam idem populus Ferrarien., qui multo tempore sub tyrannis ipsum tondentibus obmutuerat, quia os aperire non poterat, nec audebat; tyrannis ipsis subductis de medio, statim supervenit Venetorum superbia cum furore, adducere moliens calamitatem super capita populi Ferrarien., et tam vehementis servitutis molem, quod populus Ferrariensis, ut huiusmodi conatui obsisteret, et ipsius obviaret principiis, os ipsum oportuit aperire, et ad vos sanctissimum Patrem, verum dominum suum, recurrere ac clamare: Abba, Pater, ut de tantis necessitatibus et tribulationibus liberaret eosdem, et ab eo postulare contra saevientem rabiem Venetorum defensionis clypeum, ut exurgeret in adiutorium contra guerram Venetorum illatam; quia populus Ferrariensis per se etiam ad modicum tempus sufficere non valebat. Vos autem, Pater sanctissime, populi vestri Ferrarien. super exhibitione praesidii ac succursus contra Venetos, statim misso legato de latere, et non quocumque, sed de latere ac vestro sanguine benedicto, reverendo scilicet patre domino Arnaldo Dei providentia Sanctae Mariae in Porticu diacono cardinali, patre videlicet magnae scientiae ac sapientiae, magnae discretionis et experientiae, magnae honestatis et munditiae, cuius virtuosa opera et fama praeclara iam per omnes fines Italiae dilatantur, extento brachio virtutis et fortitudinis sanctae Romanae Ecclesiae spirituali et temporali, exsurrexistis nedum in adiutorium

Venetorum violentia.

ipsius vestri Ferrariensis populi, immo quasi totum, ut minister et vicarius Iesu Christi, peregistis, quod ad obtundendam Venetorum superbiam, et ad nostram est liberationem peractum; vester autem populus Ferrarien. de faucibus Venetorum, in quas pene lapsi fuerant, erepti, nunc per manum vestram validam, sanctissime Pater, liberati et in tuto positi, et plena libertate fruentes, ad gratiarum actiones assurgunt, ut vassalli domino suo servire parati; certe profitemur, quod si super dominio Ferrarien. civitatis et districtus vos, sanctissime Pater, et sancta Romana Ecclesia illum ab antiquo non haberetis titulum, quem vos habere recognoscimus, pro hac defensione, tuitione et liberatione populi Ferrariensis a tyrannide Venetorum, quas in praesenti manus gloriosa vestra operata est, iustum esset civitatem et districtum Ferrariae vestro subdi dominio temporali. Cum enim civitas Ferrarien. et comitatus a cuiuscumque dominio et potestate, praeterquam Romanae Ecclesiae, sint liberi et immunes, nulli facerent iniuriam, si invicem tanti beneficii suscepti se et civitatem, comitatum et districtum et omnia bona sua mobilia et immobilia subiicerent vestro, et Sanctae Romanae Ecclesiae dominio temporali. Quapropter, quia vestra fuit civitas, et totus comitatus et districtus Ferrarien. ab antiquo et a fundatione ipsius civitatis ex causis et privilegiis contentis in regestris Sanctae Romanae Ecclesiae; et continue vestra permansit, ut et nunc de vestro dominio sit, ut supra professio a nobis emissa declarat: ideo dominium ipsius, quod, etsi vestrum non esset, ut est et fuit, et hoc quod a vobis suscepimus in hac necessitate beneficium, ut praemissum est, vobis et Ecclesiae Romanae subdi et concedi deberet; scimus, profitemur et recognoscimus nomine, quo supra, vobis domino nostro Clementi quinto Summo Pontifici, et vestris successoribus et Ecclesiae Romanae, quod dicta civitas Ferrariae ab antiquissimo tempore et a fundatione ipsius civitatis Ecclesiae Romanae subest et subfuit pleno iure, quod temporalem etiam iurisdictionem, merum scilicet imperium atque mixtum et omnimodam iurisdictionem, et quod ab ea recepit primarium fundamentum et liberationes postmodum multas et magnas, ut superius est expressum: quapropter nomine, quo supra, vobis dicto domino nostro Clementi quinto, et vestris successoribus et Ecclesiae Romanae recognoscimus et profitemur, offerimus et resignamus, concedimus, subiicimus, transferimus et submittimus, quantum possumus et ad nos pertinet, licet omnia praedicta et infrascripta sint vestra et Ecclesiae Romanae, ac fuerint ab antiquo et a fundatione ipsius civitatis, omnia pedagia, datia, thelonea, ripatica, aquas, aquarum decursus, iurisdictiones altas et bassas, merum imperium atque mixtum, gladii potestatem et omnimodam iurisdictionem, et bona et iura omnia, quocumque nomine censeantur, quae ipsa civitas et populus Ferrariensis, seu quivis ibidem praesidens, soliti sunt tenere, possidere vel quasi, seu exercere per se vel per alium quocumque nomine sive modo in dicta civitate, comitatu et districtu Ferrariae; et nomine, quo supra, obligamus dictum commune, homines, personas et bona ipsius et promittimus, quod omni tempore praefati populus et commune et singuli de ipso communi habebunt et tenebunt rata et firma omnia et singula supradicta; hoc adiecto, quod si circa praemissa vel aliquod praedictorum dubietas aliqua insurgeret, interpretatio et declaratio fiat ad voluntatem et dispositionem plenam et liberam domini Papae Clementis et successorum suorum et Apostolicae Sedis; promittentes nos sindici supradicti, nomine quo supra, sub poena amissionis omnium bonorum, si quae sibi remanserint, et singularium personarum eiusdem, quam ipso facto incurrant, si contra

Ferrarienses se, suaque Romanae Ecclesiae offerunt

Homagium praestant.

praemissa fecerint, vel aliquod praemissorum quod nos vel populus et commune praedicti contra praemissa vel aliquod praemissorum nullo unquam tempore veniemus de iure vel de facto, per nos vel per alios, aliquo modo vel causa et nomine dicti communis, nos sindici praelibati et singularium personarum eiusdem et in ipsorum animas, de omnibus praedictis adimplendis, vobis dicto domino nostro Clementi Papae quinto et successoribus vestris et Romanae Ecclesiae ligium homagium, nec non et fidelitatis iuramentum praestamus.

Iuramentum fidelitatis ab eorum nuntiis praestitum.

§ 8. Demum vero dicti sindici, et quilibet eorum in animas potestatis, ac vexillifer et aliorum omnium praedictorum, quorum sunt ambassiatores et nuntii, et cuiuslibet eorum, et pro ipsis et eorum singulis, sacrosanctis Evangeliis tactis corporaliter ab eisdem, eidem domino Papae praesenti, ut praedicitur, et recipienti, et successoribus eius et eidem Ecclesiae Romanae, huiusmodi iuramentum fidelitatis; et singulariter singuli eorumdem, iunctis eorum manibus inter manus ipsius domini Papae positis, dictum ligium homagium fecerunt et etiam praestiterunt: quibus sic peractis, idem dominus Papa publice mandavit mihi notario infrascripto; dictique ambassiatores et sindici me rogaverunt instanter, quod de praemissis omnibus conficerem publicum instrumentum. Acta fuerunt praemissa omnia anno, mense, die, indictione, pontificatu et loco praedictis, praesentibus venerabilibus patribus et dominis, Bertrando episcopo Albien., praedicti domini Papae camerario, Arnaldo, abbate monasterii Fontis Frigidi ordinis Cistercien. Narbonen. dioecesis, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellario, Guidone de Baysio archidiacono Bononien., auditore contradictarum, magistro Nicolao de Fractis correctore literarum, et dominis Bernardo Boiardi archidiacono Xanctonen., Guillelmo Accursi sacrista Caturcen., Guillelmo Helye canonico eiusdem Xanctonen., Gregorio Biffa de Placentia archipresbytero de Montesilice Paduan. dioecesis, Castellano de Tervisio canonico Tervisin. Ecclesiarum capellanis; ac magistris, Oddone de Sermineto et Ioanne de Verulis clericis camerae; ac fratribus Gotefredo et Bernardo bullatoribus literarum ipsarum, ac magistris Ioanne de Fumone, Andrea de Setia, Manule de Parma et Nicolao de Ferentino scriptoribus; ac Nicolao de Vico, et Odetto de Castillione magistris hostiariis; Ioanne de Mutina et Henrico de Yporeya servientibus ipsius domini Papae; necnon et magistris Bandino de Aretio, Simone de Podiobonici et Petro de Sancto Laurentio abbreviatoribus; ac dominis Grimerio de Pergamo, Thadeo de Eugubio et Andrea de Mediolano, in Romana Curia advocatis; et particularibus aliis ad praedicta vocatis testibus et rogatis. Et ego Ioannes de Regio clericus et notarius camerae praefati domini Papae Clementis quinti, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius praedictus, sindicatus et literarum exhibitioni, recognitioni, professioni, oblationi, resignationi, concessioni, subiectioni, translationi, submissioni, obligationi, promissioni, ac iuramenti fidelitatis et homagii praestationi et receptioni; ac omnibus aliis una cum suprascriptis testibus interfui, et de mandato supradicti domini Papae, rogatusque per ambassiatores et sindicos supradictos, praedicta omnia et singula scripsi fideliter et in publicam formam redegi, meoque signo et nomine roboravi.

Legalizatio supradicti instrumenti.

Clemens PP. Ferrariae dominium recipit, adiecta lege ut nunquam a Romanae Ecclesiae iure alienetur.

§ 9. Nos igitur, vota vestra benigno prosequi cupientes affectu, et volentes vos sicut peculiares, speciales, devotos ac dilectos filios in nostro et ipsius Ecclesiae benigno sinu favorabiliter confovere; et considerantes attentius, quod vos, spiritu ferventes et fide pollentes, posuistis in petra fidei virtutis vestrae constantiam, in devotione ipsius Ecclesiae indefessa, nec flantibus seu furentibus

ventorum turbinibus fundamenta vestra super bases solidas stabilita, nec irruentibus hostilis potentiae fulminibus subrui potuerunt; sed contra inimicas acies impugnantium Venetorum, nostrorum et Ecclesiae hostium, sicut invicti pugiles promptis ac pronis animis et robustis viribus sic fideliter et valide ipsius Ecclesiae potentiae astitistis, quod per Dei gratiam, qui superbis resistit, subsecuta est ex eis gloriose victoria et triumphus; accedentes etiam angustiosos labores et laboriosas angustias, quas olim sub servitute tyrannica subistis, et desiderantes, ut post labores et languores huiusmodi quies vobis et tranquillitas desiderata proveniat, quae tanto erit, divina gratia præeunte, gratior, quanto avidius et diutius a vobis extitit affectata; vestris supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio et assensu statuimus, ordinamus, volumus, praecipimus et mandamus et nihilominus gratiose concedimus et auctoritate apostolica inviolabiliter stabilimus, ut semper sub immediato dominio et protectione ipsius Romanae Ecclesiae civitas ipsa cum eius bonis, comitatu, territorio et districtu permaneat: nec ab eius dominio et iurisdictione subtrahi nec alienari perpetuo valeat quoquomodo; nec ad alterius personae vel civitatis aut communitatis dominium pervenire: quodque in civitate ipsa semper sit unus vicarius ponendus per nos, successores nostros, et eamdem Romanam Ecclesiam, clericus vel laicus iuxta nostrae et ipsius Ecclesiae beneplacitum voluntatis, non tamen de domo aut parentela seu consanguinitate vel affinitate aliquorum nobilium, qui habuerint dominium in civitate praedicta, vel aliorum quorumvis nobilium de eadem.

Vicarii ad eamdem gubernandam civitatem delegandi munus.

§ 10. Qui quidem vicarius cives Ferrarienses, ac eiusdem civitatis incolas, eiusque comitatus, territorii et districtus, manuteneat ut speciales filios et fideles ipsius Ecclesiae praedilectos, et eorum libertates, immunitates et iura, confinia, districtus et bona conservet; atque custodiat ipsos a quibuscumque potentibus, molestatoribus vel tyrannis, communitatibus ac civitatibus et aliis quibuscumque, eos offendere seu molestare vel perturbare volentibus, defendendo; ut possint sub manu Sanctae Matris Ecclesiae matris suae cum pace et tranquillitate ac libertate plenissima perpetuo remanere: aliaque vicarius praedictus exerceat, quae ibidem fuerint opportuna; custodiamque totius civitatis, comitatus, districtus, fortalitiorum et castrorum gerat; et, prout temporis qualitas exiget ac requiret, equestrem secum et pedestrem habeat comitivam.

De potestatis electione

§ 11. In electione vero seu creatione potestatis civitatis ipsius hoc volumus observari, quod tres personae per ipsum vicarium antianis, consilio et communi nominentur, qui antiani, consilium et commune, vel maior pars eorum, unam ex eisdem personis, ut praedicitur, nominatis, infra sex dies in eorum, et dictae civitatis potestatem eligendi habeant facultatem. Quod si antiani, consilium et commune praedicti, vel maior pars eorum, infra praedictos sex dies aliquam ipsarum trium personarum nominatarum eligere non curarent; praedictus vicarius unum de nominatis a se in potestatem praeficiat, et ille pro potestate ab omnibus habeatur.

Et officii tempore.

§ 12. Potestatis vero huiusmodi regimen per sex mensium spatium dumtaxat perduret; et quod per tres menses ante finem regiminis potestatis eiusdem nominationem praescriptam faciat vicarius praelibatus. Hic autem modus, quo supra circa eligendum seu creandum potestatem exprimitur, post biennium, vel illa, quae nunc imminet, guerra finita, vendicet sibi locum; et interim solus ipse vicarius ponat et constituat inibi potestatem; vel, si magis vobis videbitur expediens, ex nunc idem eligendi modus obtineat et sortiatur effectum.

De iudiciis et appellationibus.

§ 13. Qui potestas tam in primo quam in secundo casu iurabit publice dicto vicario in praesentia antianorum et consilii praedictorum, quod officium suum bene et fideliter exercebit et faciet omnibus iustitiae complementum, et quod servabit statuta facta et facienda, et procurabit ea, quae spectant ad honorem sanctae Romane Ecclesiae, et bonum statum et pacificum civitatis. Volumus etiam, quod idem potestas, completo officio sui regiminis, sindicetur pro se et sua familia, et alia faciat, prout extitit hactenus consuetum. Habeat etiam iudices, berruarios et personas alias, equitaturas etiam et stipendia et alia omnia iuxta consuetudinem hactenus observatam; ac etiam in palatio, ubi nunc morantur antiani, debeat immorari. Super interponendis autem seu emittendis et prosequendis appellationibus, ut quorumlibet appellantium parcatur expensis et laboribus, hoc servetur, videlicet quod tam in civilibus quam in criminalibus in casibus, in quibus appellationes praemissae fuerint a sententiis et processibus potestatis, iudicum et officialium suorum et communis Ferrarien., ad Sedem Apostolicam appelletur; quodque primarum appellationum prosecutio fiat coram iudice, et per dictum vicarium et consilium de collegio iudicum eligetur, quem et ipsi eligendi habeant potestatem: secundarum vero apud Sedem Apostolicam fiat, vel in curia dicti vicarii, prout elegerint appellantes.

In causis vicarium aut eius familiares tangentibus Sedis Apost. petendum iudicium.

§ 14. Ubi vero ad ipsum vicarium, sive inter stipendiarios et familiares suos, in quos eum solum et non alium, iurisdictionem in civilibus et criminalibus quibuscumque habere censemus, sive adversus eos, sive in placitis, de quibus infra dicetur, per querelam haberetur recursus appellationum, quae interponerentur ab eo, quas ad Sedem Apostolicam in casibus, in quibus appellari licet, interponi iubemus, apud Sedem eamdem prosecutio fiat.

Confalonerii officium cassatum.

§ 15. Verum, cum officium confalonerii a modico tempore citra in civitate ipsa incepisse dicatur, nullaque ex eo posse videatur ipsi civitati utilitas, sed potius periculum provenire; volumus, quod officium ipsum cesset omnino, duodecim quoque antiani de fidelioribus, melioribus et devotioribus civitatis ipsius eligantur per potestatem et consilium cum consensu vicarii memorati, quorum unus literatus sit proconsul, eorumque officium duret per duos menses, et ipsorum singuli duos Bononien. grossos per singulos dies percipiant, in domibus suis dormiant, nec in aliquo casu aliquam iurisdictionem exerceant: sed cum per potestatem ac consilium, de voluntate ac consilio ipsius vicarii vel eius locumtenentis, vocati fuerint, consulent fideliter super iis, de quibus requirentur et quae iniungentur eisdem: qui etiam iurent in manibus dicti vicarii, quod bene et legaliter in eorum officio se habebunt; honorem sanctae Romanae Ecclesiae vestrae matris et dominae in omnibus fideliter conservabunt: quos, si minus sufficientes reperti fuerint, idem vicarius amovere, et alios sufficientes et idoneos substituere valeat, cum consilio potestatis et consilii praedictorum.

Duodecim antiani eligendi.

De consiliariis.

§ 16. Caeterum potestas, antiani et commune praefati eligant sibi consilium ducentorum; sed, si maiorem numerum velint, possint libere eos eligere cum vicarii praedicti consensu, prout melius videbitur expedire, dum tamen quadringentorum numerum non excedant; quorum ducentorum officium ultra sex mensium spatium non durabit. De iuramento namque praestando per ipsos dicto vicario, et de ipsorum seu cuiuslibet eorum insufficientia, remotione et substitutione fiat prout de antianis supra proxime est expressum.

De statutorum civitatis examine, confirmatione, etc.

§ 17. Volumus insuper, quod dilectus filius noster Arnaldus Sanctae Mariae in Porticu diaconus cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, moram trahens in parti-

bus ipsis, per se vel per alium, seu alios, videat et inspiciat statuta civitatis ipsius iam facta, et diligenter examinet; et utilia ac necessaria approbet et confirmet, superflua vero et inutilia, damnosa et periculosa reprobet, resecet et infirmet. Et deinde, quotiens necessarium vel utile fuerit, praedictus vicarius a Ferrarien. consilio requisitus, diligenti examinatione praemissa, statuta necessaria et utilia, sibi expressa primitus, fieri consentiat ullo modo, et aliter facta eo ipso sint nulla; et in principio et in fine addatur, quod statuta sint talia, quae honori, iuribus et iurisdictioni Ecclesiae Romanae non derogent, et quod durent ad beneplacitum Ecclesiae antedictae.

Militiae equestris et pedestris numerus, stipendium, etc.

§ 18. Praeterea omnes redditus et proventus civitatis eiusdem nos et successores nostri in Ecclesia Romana usque ad triennium percipiemus, qui eiusdem Ecclesiae nomine leventur et percipiantur per quatuor viros ad id idoneos, a praedicto vicario deputandos; quorum duo saltem sint de civitate praedicta; quo casu omnes expensas pro defensione et tuitione civitatis, territorii et districtus praedictorum, nec non salariorum vicarii, potestatis, et omnium aliorum officialium, et alias expensas fieri faciamus; vel quod percipiamus in perpetuum medietatem liberam dictorum reddituum et proventuum, et commune Ferrariae aliam medietatem percipiat, et de illa omnes expensas faciat supradictas, scilicet stipendia centum equitibus et sexcentis peditibus, eorumque capitaneis, qui continue sint ibidem, videlicet singulis stipendiariis equitibus duos equos habentibus duodecim, eisdem vero singulis stipendiariis peditibus pro eorum stipendiis duos cum dimidio auri florenos pro mense quolibet persolvendo; et nihilominus equorum, et aliorum, quae consueta sunt, restitutio fiat ad arbitrium vicarii antedicti; quorum saltem stipendiariorum numerus etiam pacis tempore necessarius et expediens reputatur. Si vero processu temporis nobis aut successoribus nostris, vel Sedi Apostolicae videretur, quod plures stipendiarii necessarii forent, dictum commune teneatur illis, quotquot fuerint, de stipendiis iuxta taxationem praehabitam providere, qui omnes ponantur semper per ipsum vicarium, quem pro tempore nomine ipsius Ecclesiae ibi esse contigerit. Quod si etiam nobis aut successoribus vel Sedi praedictis videretur, non fore necessariam huiusmodi equitum et peditum quantitatem, volumus, ut iuxta nostrae, et successorum ipsorum vel Sedis praedictae voluntatis beneplacitum ipsorum numerus minuatur, et si forte nobis vel successoribus aut Sedi praefatis videretur expediens, quod praedictorum stipendiorum quantitas esset minuenda, vel etiam augumentanda, huiusmodi diminutio vel augumentum fiat iuxta nostrae vel successorum aut Sedis ipsorum beneplacitum voluntatis, sicut de stipendiariorum numero augendo vel minuendo superius est expressum.

De redditibus, expensisque ad eos exigendos

§ 19. Per dictum quoque vicarium stipendia de pecunia recipienda ab illis, qui deputati fuerint ad levandum medietatem praedictam dicti communis nomine, vel etiam aliunde, unde dictum commune voluerit, dictis stipendiariis persolvantur: quae si forte tunc non sufficerent, per potestatem, antianos atque consilium de consensu et voluntate vicarii antedicti, vel quod etiam usque ad finem dicti triennii huiusmodi facienda divisio servetur, quia tunc constare plenius poterit, quem modum cum honore et utilitate Ecclesiae, communisque praedicti fieri valeat divisio seu distributio reddituum et proventuum praedictorum; vel etiam quod Ecclesia in perpetuum totum recipiat et subeat sumptus huiusmodi et expensas, nec in hoc ultimo casu aliqui de civitate, comitatu vel districtu Ferrariae ad solvendum aliquam talliam compellantur; sed Ecclesia ipsa semper debebit omnes expensas huiusmodi supportare. De praemissis autem

quatuor viis vos eligere poteritis, quam magis duxeritis acceptandam.

Officiales quales esse debeant.

§ 20. Caeterum iudex extimatorum et duo iudices instituantur ad brevia ponenda per vicarium nostrum in consilio civitatis eiusdem. Potestates vero et iudices in comitatu Ferrariae et districtu ponendi de fidelibus eiusdem civitatis civibus; custodes vero fortalitiorum et castrorum, ac capitanei undecumque; et ponantur libere per solum vicarium supradictum.

De placitis.

§ 21. Placita vero tribus diebus singulis annis in civitate ipsa per eundem vicarium teneantur, ita tamen quod potestatis et aliorum officialium iurisdictio interim cesset omnino; reservato nihilominus, quod nos vel successores aut Sedes praefati possimus etiam alium quidem vicarium ad tenendum dicta, si videbitur, deputare.

Potestatis iurisdictio qualis.

§ 22. Postremo declaramus, ut potestas, qui in ipsa civitate pro tempore fuerit, illam et eamdem iurisdictionem habeat, quam ipsius civitatis potestas retroactis habere temporibus consuevit, salvis omnibus, quae superius sunt expressa. Si vero per consilium et commune praefata acceptari contigerit, quod nos et praedicta Ecclesia Romana omnes praedictos fructus, redditus et proventus recipiamus in totum, medietatem condemnationum faciendarum per potestatem et officiales civitatis eiusdem in mobilibus habeatis; de qua medietate ambassiatarum, legationumque vestrarum sumptus fieri valeant et expensae. Quod si eligeritis nos medietatem ipsorum, et vos reliquam velle percipere, tunc medietatem omnium condemnationum ipsarum sicut et aliarum volumus et decernimus vos habere.

Emendarum pretia a quibus percipienda:

Clausulae.

§ 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationis, voluntatum, praecepti, mandati, concessionis, stabilitionis, iussionis, declarationis et constitutionis infringere *etc.*

Datum Avinioni tertio idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 11 februarii 1310, pontif. anno v.

---

## X.

*Damnatio sectae sub nomine Libertatis spiritus in Spoletana, aliisque diversis Italiae provinciis exortae* (1).

### SUMMARIUM

Procemium. — Quae cura Pontificibus inesse debeat de Ecclesia universali. — 1. Novam insurgentem haeresim deplorat: — 2. Suamque solicitudinem explicat. — Hanc haeresim ab Apostolo praesignatam ostendit. — 3. S. Petri de haereticis huiusmodi oracula. — 4. Vesanae illius libertatis execratio. — Quae vera sit evangelica libertas. — 5. D. Iudae apost. adversus impuros huiusmodi sectarios sententiae. — 6. Spiritum S. impurae libertatis auctorem esse non posse demonstratur: — Sed daemonem esse ostenditur. — 7. Episcopo Cremonensi, ut contra huiusmodi haereticos legibus agat, demandatur. — 8. In resipiscentes clementia, in pertinaces severitate utatur.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Raynerio episcopo Cremonen., salutem et apostolicam benedictionem.**

Proœmium

Dilectus Domini et pacificus Salomon, post diversa, quae edidit opera, Spiritu Sancto inspirante, loquutus, ad extremum iam consummatum virum, et calcato saeculo praeparatum, in Cantico canticorum Sponsae vinxit amplexibus, et inspecturum locum in libello praedicto tradidit, in quo amorem caelestium, divinorumque desiderium inducit animae sub specie ac mistico nomine sponsi et sponsae, docens cantantis fervore ad Dei consortium perveniri: licet eius caetera cantica, quae lex et prophetae diversimode cecinerunt, esse videantur, parvulae adhuc sponsae, et quae

(1) Ex Regest. Vatic. — In editione Mainardi habetur sub num. XIII, licet data tres circa menses ante illas, quae ibi sub num. X et XI, turbata temporum serie, leguntur. (T. E.)

nondum sit vestibula maturae et virilis aetatis ingressa; hoc tamen Canticum canticorum adultae iam sponsae et valide robustae, et quae iam capax sit virilis potentiae perfectique mysterii decantantur, adeo ut perfecta, et unius sponsi perfecte suscipiat verba doctrinae. Haec igitur sponsa vinea Domini Sabaoth, quam Ipse verus paterfamilias sepivit virtutibus, et lapides haeresum ac spinas et vepres vitiorum elegit ex illa, et plantavit electam, in medio eius aedificans turrim muniminis virtutum atque donorum, et torcular in ipsa extruens, discretione dotando et muniendo contra vitia et peccata: vinea, inquam, Domini Sabaoth iuxta Ezechielis vaticinium, plantata in sanguine super aquas multas; in Sanguine, inquam, veri et immaculati Agni, cuius fructus et frondes ereverunt ex aquis multis gentium diversarum, et factae sunt ei virgae solidae in sceptra dominantium, et exaltata est statura eius inter frondes, et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum, et umbra eius montes operuit, et arbusta eius cedros Dei, extendens palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines suas, diversis patuit et patet insidiis ab exordio Abel iusti; sed in novissimis heu temporibus destruere nituntur maceriam eius, et vindemiare eam omnes, qui praetergrediuntur viam: viam, inquam, catholicae fidei et semitam mandatorum Dei: exterminare autem eam nititur aper de sylva, diversa genera vitiorum immittens; et conatur depascere singularis ferus per infectiones et immissiones haeresum diversarum: propter quod clamare compellimur cum propheta David; dixit enim in sùis verbis idem filius Isay, psaltes egregius domus Israel, per quem loquutus est Spiritus Domini, et per linguam suam sermo eius: Convertere, Domine Deus Israel, convertere, et respice de coelo, et vide, et visita vineam istam; et perfice eam, quam plantavit dextera tua. In supradicto autem Cantico canticorum, de quo in principio non incompetens sermo occurrit, contra demolitores huiusmodi vineæ Spiritus Sanctus exclamat: Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit: harum vinearum custodem, vinearum, inquam, universarum per orbem catholicarum Ecclesiarum, quae omnes thalamus unus Christi sunt, ex quibus Ecclesia una ex gentibus congregatur, nos, licet immeritum, divina dispensatio statuit et praefecit: absit autem a nobis, et repetendum iterum, absit, ut possimus dicere, seu nobis competat verbum illud praedicti Cantici canticorum: Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi. Custodienda est igitur a nobis toto conamine vitis vera; immo custodiendi sunt palmites in vera vite sistentes, ne convertatur in amaritudinem vitis alienae; et ex vinea Sodomorum fiant vites eorum et palmites eorum ex Gomorra, et botrus amaritudinis in ipsis, et venenum draconum vinum eorum, et furor aspidum insanabilis. Veri igitur custodis optamus et cupimus non perfunctorie officium gerere vinearum, virtutum et dogmatum scilicet divinorum, ex quibus per fideles vinum hauriri possit et bibi, quod cor hominis laetificet; et vinea nostra, quae floruit de virtute, refloreat in virtutem. Capi igitur eas praecipit sermo divinus, saluti et utilitati consulens animarum. Capi, inquam, et comprehendi, dum adhuc pusillae sunt, ut obstetur errorum principiis, et cum deceptores quasi vulpes coeperint Ecclesiam incursare, pastorum et custodum dextris auxiliis subleventur, et diligenti provideatur remedio, ne dispereat mons Syon, et vulpes ambulent in eodem: Vulpes, inquam, fallaces perversique doctores, quos velut alter Samson verus sol iustitiae Christus Deus noster per ministerium verorum fideliumque doctorum verbo veritatis caudam ad caudam colligat, ut adversantes sibi et diversa invicem sentientes docentesque confutet; ad quae ex ipsorum verbis propositiones col-

Quae cura Pontificibus inesse debeat de Ecclesia Universali.

lectionesque accipiens in Philistinorum segetes ignem mittant consumptivum falsitatis et elucidativum catholicae veritatis: itaut ex eorum propriis argumentis omnes ipsorum amaros fructus, dolosasque vineas et venenosa oliveta pessimae generationis incendat: sicque congrue praecipitur et mandatur in Canticorum Canticis antedictis a sponso suis sodalibus et ministris, ut capiant et arguant haereses, quae insidiantur vineæ Domini, ne extermineut initia fidei, floremque virtutum sub specie alicuius secretae et occultae scientiae, quin potius fallaciae, quae ex Deo non est: quae quidem haereses, quasi vulpes in foveis, ita in iis omnibus, qui semet ipsos ad haec sectanda praebuerunt, delitescunt, et quo fallacius confutari possint et argui, dum sunt parvulae, capi iubentur: nam fortasse si creverint et fuerint maiores effectae, multiplicabuntur et serpent ut cancer, et iam ab amicis et ministris sponsi capi forte nequibunt, sed ab ipso solo Sponso apud quem non est impossibile omne verbum.

Novam insurgentem haeresim deplorat:

§ 1. Nuper siquidem sicut dolenter audivimus, et grandi mentis punctura referimus, in nonnullis Italiae partibus tam Spoletanae provinciae, quam etiam aliarum circumadiacentium regionum nonnulli ecclesiastici et mundani, religiosi et saeculares utriusque sexus viri pestiferi, qui alienati ab utero matris Ecclesiae ac praeclarae fidei fundatae supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, qui est solus vita et resurrectio nostra: molientes heu obnubilare nitorem, novam sectam, novumque ritum a via salutis omnino degenerantem, etiam ipsis paganis et animaliter omnino viventibus, odiosum, et ab apostolica et prophetica doctrina et evangelica veritate remotum, quem libertatis spiritum nominant: hoc est ut quicquid eis libet, liceat, assumpserunt: ut quicumque per fidem sanctorum cives fuerant et domestici Dei, fiant nec hospites et advenae abiecti de domo Domini suis culpis et perniciosis erroribus et doctrinis, sed ut et ipsi dumtaxat pereant, non contenti nisi caeci caecorum ductores poenarum socios habeant aeternarum simul cadentes in foveis, simplices animas astute decipiunt et eas in huiusmodi pestis mortiferae professionem adducunt.

Suamque solicitudinem explicat

§ 2. Nos autem more patris benevoli, quem non praetereunt incommoda filiorum, ut reducamus abiecta, revocemus errata, vinumque infundamus et oleum vulneribus sauciatis, quod infirmum est solidantes, et quod aegrotum sanantes, et quod confractum est alligantes, et quod perierat requirentes, nostrae considerationis convertentes intuitum soliciti reddimur, non immerito anxii Scripturarum sacrarum arcana scrutantes, quoniam cum nos simus, in quos fines saeculorum, iuxta Apostolum, devenerunt, sicut idem vas electionis et doctor gentium, qui in coelis didicit, quae praedicaturus erat in terris, annuntiat loquens ad Timotheum, et statum novissimorum temporum aperte describens: Scito, inquit, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, caeci, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes; et post pauca subiungit: Quemadmodum Iannes et Mambres magi utique et arioli Faraonis sub servitute aegyptiaca populum Domini opprimentis et figurantis ferocem illum leonem gentium et draconem maris, leonem rugientem, adversarium humani generis, sub servitute tenentem damnationis aeternae ex protoplasti peccato genus humanum, restiterunt Moysi, in quo et per quem lex Domini immaculata convertens animas mystice designatur, ita et hi resistunt

Hanc haeresim ab Apostolo praesignatam ostendit.

veritati, homines corrupti mente et reprobi circa fidem, sed ulterius non proficient.

S. Petri de haereticis huiusmodi oracula

§ 3. Magis igitur et magis timendum nobis est et populo Domini, cuius nobis est cura commissa et nobis in ipso, ne tam abhominabilis Deo et hominibus pestis, quae latenter videtur subrepere, nimis periculose succrescat; timendum utique ac toto animo formidandum, quantum, sicut princeps apostolorum Petrus in canonica sua scribit: Quasi liberi et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei: et idem: Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in die iudicii cruciandos servare, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes sectas, non metuunt facere (1) blasphemantes, statimque subiungit: Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in corruptionem et in perditionem in iis, quae ignorant blasphemantes in sua corruptione peribunt percipientes mercedem iniustitiae, voluptatem extimantes Dei delitias coinquinationis et maculae delitiis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterio et incessabili delicto; pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictiones filii, derelinquentes rectam viam erraverunt. Expressiusque talium haereticorum iniquorum reatum et execrabilis pestis huiusmodi aperte subiungit: Superba vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriae eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: a quo enim quisque superatur, huius servus est.

Vesanae illius libertatis execratio

§ 4. Oh libertas omni durior servitute! Oh libertas nec nominanda libertas! non utique illa summa libertas, in qua eius servitus comprobatur, cui servire regnare est? cur non attenditur, cur non pensatur, cur non discutitur, quod Apostolus de hoc exclamat ad Galathas dicens: Utinam abscindantur, qui vos conturbant; vos enim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis? ex vestigioque subiungit: Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis, illa faciatis? nonne tuba evangelica filius tonitrui, qui fluenta Evangelii, elevatus ut aquila grandis alarum magnarum plena plumis et varietate, de ipso sacri Dominici pectoris fonte potavit, de huiusmodi apud nos erroribus futuris, proh dolor, tanquam de iam factis in canonica sua loquitur manifeste dicens: Qui habet spem in Deo sanctificet se, sicut ipse sanctus est; omnis, qui facit peccatum, iniquitatem facit, peccatum enim est iniquitas: scitis autem quod Deus apparuit, ut peccata tolleret et peccatum in eo non est: omnis igitur, qui in eo manet non peccat, et omnis qui peccat non videt eum nec cognoscit eum: qui facit iustitiam iustus est; qui facit peccatum ex diabolo est, quando ab initio diabolus peccat; apparuit autem in hoc Filius Dei, ut opera diaboli dissolvat?

Quae vera sit evangelica libertas.

D. Iudae apost adversus impuros huiusmodi sectarios sententiae.

§ 4. Nonne hunc ipsum spernendum errorem et abominandum, immo vesaniam Iudas frater Iacobi in sua canonica espresse designat ponens, more prophetico, futura tanquam praeterita: dicens: Subintroierunt homines impii (qui olim praescripti sunt in hoc iudicium) Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam; statimque subiungit: Sicut Sodoma et Gomorra, et finitimae civitates simili modo exfornicatae, et abeuntes post carnem alteram, factae sunt exemplum, ignis aeterni poenam sustinentes; similiter isti, qui carnem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem blasphemant; et infra: Vae illis, qui in via Chain abierunt, errore Balaam mercede effusi sunt, contradictione Core perierunt. Ii sunt qui in

(1) Leg. forsan *introducere* (II Pet. II, 10).

epulis suis maculant se convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quae circumferuntur a ventis, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae: sidera errantia, quibus procella tenebrarum reservatur.

Spiritum S. impurae libertatis auctorem esse non posse demonstratur:

§ 5. Cur igitur contristant Spiritum Sanctum Domini, cur blasphemant per tam horrendas insanias, cur dissimulant, quod scriptum est: Qui peccaverit in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro? Cum Iob ipse testetur: Vidi eos, qui operantur iniquitatem flante Deo periisse et spiritu irae suae esse consumptos; cur carnis illecebras sub spiritus tegmine palliant, quas constat in eodem spiritu condemnari? Cum enim Apostolus fornicatorem Corinthium excommunicandum scriberet, ait: Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est. In nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi sathanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Non est igitur a spiritu Domini talis libertas: nam incoinquinatus spiritus Domini et suavis, humanus, benignus, amans bonum, et qui nihil benefacere vetet: in spiritu enim Domini peccatum dimittitur, non peccatur;

Sed daemonem esse ostenditur.

sed talis libertas est a spiritu malo, qui vexabat Saul, spiritu immundo, qui egrediens ab homine impellit eum assumere septem alios spiritus nequiores se; colubro tortuoso, qui et tortuose incedit et tortuose suadet incedere suos spiritu cum invidia: mors introivit in orbem terrarum spiritu diaboli, qui nunc ut aspis, nunc ut basiliscus venena diffundit, ut leo devorat, insidiatur, ut draco: spiritu, inquam illius, qui proiectus est, est draco magnus et serpens antiquus, qui vocatur diabolus et sathanas, qui seducit orbem suis seductionibus universum: spiritu inquam illius, qui persecutus est mulierem Dei Ecclesiam, quae peperit masculum operis virtuosi, postquam mulierem ex ore suo aquam magnam tanquam flumen immittit, ut a flumine attrahatur spiritus erroris, cui divino iudicio acquiescere permittuntur, qui non crediderunt spiritui veritatis. Hic est ille spiritus, qui libertatem male agendi suis satellitibus et sequacibus repromittit; sed devictus est et vincetur in Sanguine Agni; quia: Vicit leo de tribu Iuda aperire librum et solvere signacula eius, de quo triumpho tres pueri tres ordines in unitate fidelium denotantes benedicunt et laudant, et superexaltant Ipsum in saecula, qui eripuit nos ab inferis suo sanguine redimendo, et salvos fecit de umbra mortis, et liberat nos de medio ardentis flammae devorantium haeresum, et de medio ignis vitiorum corrumpentium eripuit nos.

Episcopo Cremonensi, ut contra huiusmodi haereticos legibus agat demandatur.

§ 6. Ex praedictis igitur nec immerito solicitamur ex intimis solicitudine indefessa, quod pestis huiusmodi de Dei Ecclesia penitus abscindatur et pereat, exterminetur radicitus, nec nominetur in populo christiano. Te igitur, de cuius prudentia et circumspectione confidimus, ut evellas et destruas, aedifices et plantes ac omnia facias, quae ad eradicationem erroris huiusmodi et aedificationem salutiferae fidei expedire putaveris, ad partes illas decrevimus destinandum. Quocirca fraternitatem tuam obsecramus in filio Dei Patris, et nihilominus tibi per apostolica scripta mandamus, in remissionem peccaminum iniungentes, quod ad praedictas partes in Dei nomine proficiscens auctoritate nostra suffultus, nec dignitati, nec statui, nec religioni, nec sexui, nec aetati deferens plusquam Deo, de praemissis inquiras cum summa diligentia veritatem, et si quos, cuiuscumque dignitatis, ordinis, religionis, conditionis aut status extiterint, huius erroris labe respersos inveneris, iuxta datam tibi a Domino gratiam, ut ad cor redeant, oculos ipsorum aperias, et ne in umbra ambulent, increpando corrigas, et corrigendo reducas, et abiurata prorsus haeresi ab eisdem, et imposita

ipsis salutari poenitentia, iuxta morem reconciliatis (1) Ecclesiae secundum formam eiusdem beneficium absolutionis impendas.

In resipiscentes clementia, in pertinaces severitate utatur.

§ 7. Quod si eos, quod absit, vel eorum aliquos peccatorum moles praeponderans in laqueum desperationis adduxerit, nec proficere te senseris apud eos, tunc fretus Christi potentia, velut ad commune restringendum incendium te accingas et contra eos et ipsorum quemlibet sub modis et forma, iustitia mediante, procedas, quibus procedi in casibus huiusmodi consuevit. Non obstantibus quibusvis privilegiis, indulgentiis et literis, personis vel ordinibus ipsis aut ipsorum aliquibus sub quacumque forma aut expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, quae cuiuscumque tenoris existant, quomodolibet contra tenorem praesentium cuiquam nolumus suffragari, invocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Caeterum ad prosequendum viriliter causam Dei ad sui laudem nominis et exaltationem catholicae fidei sic te gerere studeas in praemissis, quod in futuro dignam tibi praepares pro labore mercedem, et nostram et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam uberius merearis.

Datum Avinioni kal. aprilis, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 aprilis 1311, pontif. anno VI.

---

## XI.

***Destinatio legatorum pro Henrici VII imperatoris coronatione, eiusque coronationis ritus et forma praescribuntur*** (2).

SUMMARIUM

Prooemium. — Romanae Ecclesiae potentia super principes orbis. — 1. Henrici regis se confirmasse electionem in imperatorem ait: — 2. Terminumque ad coronationem assignasse. — 3, 4. Quibus de causis eius huiusmodi terminus fuerit abbreviatus. — 5. Designat Henricus Assumptionis B. V. diem. — Pontifex sui loco cardinales ad peragendam pompam deligit. — 6. Inter eos coronandi Henrici munera partitur. — 7. Ritus praescribuntur. — 8. Qua forma imperator in Urbem sit excipiendus. — Ut deducendus ad basilicam S. Petri. — Qua pompa Rom. Pontifex expectet in porticu. 9. Ut rex eius pedes sit osculaturus: — Devincturus se sacramento ad tuendam Ecclesiam. — 10. Rex a canonicis S. Petri in fratrem ascitus. — Preces pro eo fundendae. — Brachio dextero et scapulis inungitur. — 11. Tamquam diaconus admittitur ad osculum. — Preces habendae a Pontifice. — Aliae inter conferenda insignia imperialia. — 12. Festae acclamationes. — 13. Calicem et ampullam more subdiaconi offert imperator. — 14. Quo ritu imperatrix coronanda. — 15. De muneribus erogandis ab imperatore. — Romanis iurat de bonis consuetudinibus conservandis. — 16. Quomodo propter Pontificis absentiam gerere se debeat Henricus. — Quo ritu aurum sit oblaturus in gradibus basilicae. — 17, 18. Legatis dispartita officia. — 19. Soli Pontifici exhiberi solita omitti iustum. — 20. Exigit ab Henrico Clemens, ut promulget nil damni ex praetermissis Rom. Pontifici obventurum.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Arnaldo Sabinen., Apostolicae Sedis legato, ac Leonardo Albanen. et Nicolao Ostien. episcopis; et dilectis filiis Francisco Sanctae Luciae in Silice, et Lucae Sanctae Mariae in Via Lata, diaconis cardinalibus, nuntiis eiusdem Sedis Apostolicae, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Rex regum et Dominus dominantium, Dei clementissimus Filius, Iesus Christus, honore multiplici reginam praefulgidam sibi in vestitu deaurato circumamictam varietate, assistentem a dextris, sanctam videlicet Ecclesiam sponsam suam, quam suo pretiosissimo Sanguine redemptam clementer sibi inseparabili foedere coniungi voluit, honore primatus multiplicis ac multifariae præeminentiae insignivit. Sed in eo potissime ipsam honorabilem

(1) Forsan *reconciliationis*. (2) Ex Regest. Vatic.

Romanae Ecclesiae potentia super principes orbis.

et felici ac praecellenti reddidit dignitatis statu fulgentem, quod eidem tantam tribuit plenitudinem potestatis, ut personis quantumcumque solemnitate insignibus et praeclaris, in iis possit, sibique competat adesse magnifice, per quae ipsae clari nominis titulum et famosae consequantur potentiae culmen et etiam incrementum. Dominator enim coeli, qui solus Altissimus potestatem habet in regno hominum, et quemcumque voluerit, suscitat super illud, potestatem dedit ei et honorem et regnum; potestatem inquam aeternam, quae non aufertur, et regnum, quod non corrumpitur: ut imperatores et reges in ipsa et per ipsam doctrina salutari intelligant et erudiantur: iudices orbis terrae Eidem servire et obsequi in timore, qui imperat ventis et mari: cuncta namque, quae in coelo sunt et in terra, sua sunt; suum est regnum; Ipse est super omnes principes; suae sunt divitiae, sua gloria, qui dominatur omnibus, et in manu eius virtus et potentia, magnitudo et imperium omnium; sub quo curvantur, qui portant orbem. Per Eum enim reges regnant, et principes et legum conditores iusta decernunt; qui habet in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium: ad cuius praeceptum elevabitur aquila, et ponet in arduis nidum suum.

Henrici regis se confirmasse electionem in imperat. ait:

§ 1. Sane dudum post electionem charissimi in Christo filii nostri Henrici regis Romanorum illustris, celebratam concorditer per regni Alemaniae principes, in electione Romanorum regis vocem habentes; cum imminet facienda, solemnes dicti regis ambassiatores ac nuntii ad nostram praesentiam accedentes, et nobis eiusdem electionis praesentato decreto, ad eorum instantem et devotam supplicationis instantiam, coram nobis et fratribus nostris iteratis vicibus, et per interstitia temporum repetita, praefatum regem, quia per decreti praefati et conditionis personae ipsius, non levi notitia antea nobis et fratribus nostris notae, examinationem coram nobis et eisdem fratribus habitam diligenter, in quantum fieri potuit eodem absente, sufficienter ipsum idoneum et habilem invenimus ad praefatum imperium obtinendum, ac electionem ipsam canonicam exstitisse; de eorumdem fratrum nostrorum consilio ipsum reputavimus, nominavimus, approbavimus, denuntiavimus et declaravimus Romanorum regem iustitia exigente, ac fore idoneum sufficientem et habilem ad dignitatem imperialis celsitudinis obtinendam.

Terminumque ad coronationem assignasse.

§ 2. Pronuntiantes insuper ac etiam decernentes, sibi per nostras manus loco et tempore oportunis debere concedi unctionem, et ipsius imperii diadema, certum ad hoc ei terminum assignantes.

Quibus de causis eius huiusmodi terminus fuerit abbreviatus

§ 3. Cumque postmodum rex praefatus Italiae partes fuisset potenter ingressus, et a Lombardiae civitatibus, aliisque locis insignibus, ad quae declinaverat, honorifice et pacifice iam receptus, alii praefati regis ambassiatores et nuntii ad Apostolicae Sedis praesentiam accesserunt, qui cum multa nobis instantia inter cætera supplicarunt, quod cum ipsi patenter adverterent, sicut eis iam per nos super hoc responsum extiterat, quod propter generale concilium, quod in kalendis octobris proxime venturi disposueramus, dante Domino, et disponimus celebrare; aliaque multa et ardua plurimumque urgentia, quae necessario in citramontanis partibus expedienda nobis negotia incumbebant tunc temporis et incumbunt, prædictam unctionem et imperii diadema, aliaque solemnia per nostras manus regi non poterant memorato concedi, terminum ipsum sub spatio temporis brevioris concludere: ipsamque unctionem et imperii diadema, caeteraque solemnia per aliquos de fratribus supradictis in festo Pentecostes tunc proxime secuturo impendi facere dignaremur.

§ 4. Nos vero praedictis nuntiis receptis mansuetudine consueta, et iis et aliis, quae coram nobis voluerunt proponere,

diligenter auditis, eis certo modo duximus respondendum; eiusdem regis, super hoc cum praedictis fratribus nostris diligenti deliberatione praehabita, nihilominus desideriis annuere intendentes; et quia propter temporis nimiam brevitatem in dicto festo Pentecostes solemnitatem unctionis et coronationis huiusmodi non posset fieri credebamus: nec rex ipse in praefato festo sibi, ut eius decebat honorem, de apparatu ad hoc necessario potuisset forsitan providere, significavimus ei per nostras literas speciales, ut tanti arduitate negotii diligenter inspecta, et considerata prudenter temporis qualitate, aliquem certum et solemnem diem, prout crederet convenire, post festum praedictum eligere, ipsumque nobis significare, illius deliberatio non differret: ut infra diem ipsum aliquos de fratribus supradictis, de quibus apostolica deliberatio provideret, qui ei unctionis eiusdem munus impenderent, et imponerent vice nostra praefatum diadema imperii, ac alia inibi agenda solemnia peragerent, mitteremus; dilectos filios magistros Robertum electum Salernitanum, et Hugonem Geraldi cantorem Petragoricen. cappellanos nostros, ad eumdem regem super iis cum eisdem nostris literis destinantes, per quos sibi paternae sinceritatis affectum, et mentis apostolicae puritatem, quos ad status ipsius et exaltationem magnificam habebamus, mandavimus clarius aperiri.

Designat Henricus Assumptionis B. V. diem.

§ 5. Verum rex praefatus, super hoc matura deliberatione praehabita, festum Assumptionis Beatae Virginis proxime venturum pro termino ad recipiendum in basilica Principis Apostolorum de Urbe more solito unctionem huiusmodi, et ipsius imperii diadema, aliaque inibi solemnia peragenda recepit, prout nobis per solemnes suos ambassiatores ac nuntios et speciales literas intimavit, suo regali sigillo pendenti munitas; cum multa devotionis instantia supplicans per eosdem, ut ad eum aliquos mitteremus de fratribus memoratis pro impendenda unctione huiusmodi, et imponendo sibi eiusdem imperii diadema, aliisque solemnibus peragendis. Porro si desuper datum esset, ut circa tanti celebritatem negotii exhiberi posset nostra praesentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi praesentialiter nostrum desiderium panderemus, ad quod etiam eiusdem regis concurrunt, ut pro certo novimus, cum promptitudine multiplicis devotionis affectus, gauderemus in Domino, et plurimum satisfieret nostris votis. Verum quia ex causis praedictis non possumus in hac parte affectibus satisfacere mentis nostrae, praedicti regis frequentibus et devotis supplicationibus inclinati, et ad personas vestras apostolicae mentis oculos fiducialiter dirigentes, vobis quorum nobis sunt notae virtutes, quasque in magnis et arduis dicta Sedes diversis vicibus est experta, et de quorum operibus fructus uberes provenisse conspicimus, super hoc nostrae sollicitudinis onus duximus imponendum: sperantes, quod tanquam viri virtute magnifici opus huiusmodi viriliter assumetis ad Divini Nominis laudem et gloriam effectualiter exequendum.

Pontifex sui loco cardinales ad peragendam pompam deligit.

Inter eos coronandi Henrici munera partitur.

§ 6. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad dictam Urbem die Assumptionis praedictae personaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum, tu, frater Nicolae Ostien. episcope, missam celebres, et regem inungas eumdem; vosque, fratres Albanen., Ostien. et Sabinen. episcopi; vosque, Francisce et Luca diaconi cardinales, vel illi vestrum, qui praesentes fuerint, eisdem regi et reginae mitras et diademata imperii; regi quoque sceptrum, pomum et gladium et alia solemnia, prout infra patentius et distinctius vobis iniungitur, tribuatis; eorumque vertices inclytos reddatis illorum insigniis cum solitis solemnitatibus decoratos: in nomine ac virtute Altissimi prudenter, honorifice, ac etiam diligenter prout

tam arduum et solemne negotium, quod vobis committimus, nostris vice et nomine exequentes in dicto festo Assumptionis, si poteritis comode, vel alio certo convenienti die, quem idem rex ad hoc pro qualitate negotiorum imminentium duxerit eligendum. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, quatuor, tres, duo, aut unus ex vobis, ea nihilominus exequatur.

Ritus praescribuntur.

§ 7. Et ne quis in agendis solemnibus antedictis error, quod absit, intervenire valeret, modum et formam et locum agendorum, et ubi et per quas personas agenda fuerint, particulariter et distincte duximus praesentibus inserenda, prout in archivio Ecclesiae et in pontificali ordinario continentur; quorum forma talis est:

Qua forma imperator in Urbem sit excipiendus.

§ 8. Cum rex, in imperatorem electus, pervenerit ad portam Collinam, quae est iuxta castellum Crescentini (1) recipiatur honorifice a clero Urbis cum crucibus et turibulis et processionaliter deducatur usque ad gradus basilicae Sancti Petri, cantantibus universis: Ecce mitto Angelum meum, *etc.* Camerariis eius missilia spargentibus ante ipsum, et praefecto Urbis gladium praeferente. Cum autem pervenerit ante basilicam in plateam, quae Cortina vocatur, dextrandus est a senatoribus usque ad gradus praedictos, ubi, eo descendente, tradendus est equus, cui rex insederat, illis. Interim Summus Pontifex cum omnibus ordinibus suis praeparet se in secretario, tanquam celebraturus divina, et processionaliter exiens usque ad suggestum areæ superioris, quæ est in capite graduum super faldestorium, ibi sedeat, considentibus super gradus a parte dextera episcopis et presbyteris, a sinistra vero diaconis cardinalibus, et in proximiori gradu subdiaconis et accolitis, primicerio et cantoribus astantibus circa illos cum magnatibus et nobilibus officialibus et ministerialibus aulæ papalis.

Ut deducendus ad basilicam S. Petri.

Qua pompa Romanus Pontifex expectet in porticu.

§ 9. Tunc rex cum archiepiscopis et episcopis, principibus et magnatibus suis ascendens ad Summum Pontificem, reverenter osculetur pedes ipsius; et offerens ei aurum, quantum sibi placuerit, benigne recipiatur ab eo ad osculum et amplexum: quo demum surgente, rex ipse a parte dextera, et prior diaconorum a parte sinistra deducant eum usque in ecclesiam Sanctae Mariae in Turribus; ubi ante altare, subdiacono Evangelii textum tenente, rex super illum corporaliter praestet huiusmodi iuramentum: Ego Henricus rex Romanorum, futurus, annuente Domino, imperator, promitto, spondeo et polliceor coram Deo et beato Petro, me de caetero protectorem et defensorem fore Summi Pontificis et Sanctae Romanae Ecclesiae in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, custodiendo et conservando possessiones, honores et iura eius, quantum divino fultus adiutorio fuero, secundum scire ac posse meum recta et pura fide: sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia; forma autem iuramenti praestiti in Avinione per procuratores et nuntios praedicti regis Romanorum, tempore suae coronationis renovandi, talis est: Nos Sifridus Curien. episcopus, Amadeus comes Sabaudiae, Ioannes Delfini Viennen. et Albonen., comes Guido de Flandria, Ioannes comes Saraponte et Symon de Marvilla thesaurarius Meten., nuncii et procuratores serenissimi principis Henrici Romanorum regis, habentes ad omnia infrascripta plenam et generalem ac liberam potestatem, et speciale mandatum ab eodem, prout constat per praedictas patentes literas ipsius, vobis sanctissimo patri et domino, domino Clementi, divina providente clementia, Papae quinto, vice et nomine dicti domini nostri regis et in animam ipsius promittimus et iuramus per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et per haec sancta Dei Evangelia, et per hoc lignum vivificae Crucis, et per has reliquias Sanctorum, quod numquam vitam aut membra, neque ip-

Ut rex eius pedes sit osculaturus.

Devincturus se sacramento ad tuendam Ecclesiam.

(1) Forsan *Crescentii*.

suum honorem, quem habetis, sua voluntate aut suo consensu aut suo consilio aut sua exhortatione perdetis: et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciet de omnibus, quae ad vos pertinent aut Romanos, sine vestro consilio et consensu; et quicquid de terra Romanae Ecclesiae pervenit ad ipsum aut perveniet, vobis reddet quamcitius poterit: et quandocumque in Lombardiam et Tusciam aliquem mittet pro terris et iuribus suis gubernandis, quotiens mittet eum, iurare faciet illum, ut adiutor vester sit ad defendendum terram Sancti Petri et Romanam Ecclesiam secundum suum posse: et si, permittente Domino, dictus dominus noster rex Romam venerit, sanctam Romanam Ecclesiam et vos rectorem ipsius et successores vestros exaltabit secundum suum posse: et cum Romae vel alibi per vos in imperatorem coronandus fuerit dominus noster rex praedictus, dictum sacramentum et aliud fieri consuetum ad requisitionem vestram tempore coronationis suae personaliter renovabit.

Rex a canonicis S. Petri in fratrem ascitus.

§ 10. Deinde Summus Pontifex cum ordinibus suis ad altare procedit; et facta ibi coronatione, ad Sedem ascendit, rege cum suis tribus episcopis, videlicet Ostien. et Portuen. et Albanen. in ecclesia Sanctae Mariae in Turribus remanente; ubi a canonicis Sancti Petri receptus in fratrem, imperialibus induatur insignibus, dato ipsius pallio camerario domini Papae, qui praecedentibus illis canonicis et cantantibus: Pater, amas me? tu scis, Domine, quia amo te: pasce oves meas. ℣. Simon Ioannis, amas me plus his? tu scis, Domine, quia amo te: pasce oves meas; cum ad ostium basilicae Principis Apostolorum pervenerit, quae porta Argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde comite Lateranen. palatii et primicerio iudicum Romanorum, Albanensis episcopus ante ipsam portam Argenteam hanc super eum benedictionem effundat: Deus, in cuius manu corda sunt, regum, *etc.* Cum autem intra ecclesiam in medio Rotae pervenerit, Portuen. episcopus hanc orationem super eum decantet: Deus, inenarrabilis auctor mundi, *etc.* Qui cum ad confessionem beati Petri pervenerit, prosternat se pronus in terram, et prior diaconorum super eum faciat Letaniam: qua finita, prior presbyterorum dicat orationem dominicam cum capitulis istis: Salvum fac servum tuum, Domine. Mitte ei auxilium de Sancto: Domine, salvum fac regem; ac deinde dicat orationem istam: Actiones nostras quaesumus, Domine, *etc.* Post haec procedant ad altare Sancti Mauritii, ubi Ostien. episcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum, et in scapulos, hanc orationem dicendo: Domine, Deus omnipotens, cuius est omnis potestas, *etc.* Item aliam orationem dicat: Deus Dei filius Iesus Christus, *etc.*

Preces pro eo fundendae.

Brachio dextero et scapulis inungitur.

Tamquam diaconus admittitur ad osculum.

§ 11. His ita peractis, ascendit rex ad altare beati Petri, ubi Summus Pontifex, facta confessione, recipiat eum ad osculum, sicut unum ex diaconibus; ipseque procedat ad pulpitum vel ambonem, ubi thalamus constructus de lignis et ornatus de palliis debet ei esse paratus cum suis archiepiscopis et episcopis, principibus et magnatibus, secundum capacitatem loci consistat; primicerius autem et schola cantorum in choro ante altare decantant Introitum; et post Kyrie eleison et himnum angelicum decantatum, Summus Pontifex dicit orationem, quae competit illi diei; et hanc orationem pro ipso imperatore: Deus regnorum omnium, *etc.* Item aliam orationem: Suscipe, Domine, preces, *etc.* Item aliam orationem: Deus qui ad praedicandum, *etc.* Cumque lecta fuerit epistola et graduale decantatum, imperator ascendat processionaliter ad altare, ubi Summus Pontifex imponit ei mitram clericalem in capite, ac super mitram imperatorium diadema, dicens: Accipe signum gloriae, *etc.* Deinde sceptrum et pomum aureum tradit ei, et post caetera gladium, ita dicens: Accipe gladium ad vindictam, *etc.*

Preces habendae a Pontifice.

Aliae intercon ferenda insignia imperialia.

§ 12. Qui coronatus incendens portet in dextra manu pomum, in sinistra sceptrum, et sic ad thalamum redeat: ipsoque ibi cum principibus suis consistente, prior subdiaconorum, cum subdiaconibus Romanae Curiae et capellanis aulae imperialis ad pectorale dextrum ante crucifixum argenteum laudem imperatori alta voce decantent hoc modo: Exaudi, Christe, *etc.* Scriniarii vero Urbis, sericis cappis induti, ante pectorale consistentes in choro respondeant: Domino Henrico invictissimo Romanorum imperatori et semper Augusto salus et victoria: qua laude tertio repetita, prior subdiaconorum cum suis tribus vicibus dicat: Salvator mundi: et scriniarii vicissim respondeant: Tu illum adiuva: deinde iste cum suis duabus vicibus dicat: Sancta Maria; et illi vicissim respondeant: Tu illum adiuva: et sic deinceps: Sancte Michael: sancte Raphael: sancte Ioannes Baptista: sancte Petre: sancte Paule: sancte Andrea: sancte Stephane: sancte Laurenti: sancte Vincenti: sancte Silvester: sancte Leo: sancte Gregori: sancte Benedicte: sancte Basili: sancte Saba: tu sancta Agnes: sancta Cecilia: sancta Lucia. Quibus finitis, isti bis dicant: Kyrie eleison; et illi vicissim respondeant: Christe eleyson; ac deinde simul omnes: Kyrie eleison.

Festae acclamationes.

§ 13. Post haec, Evangelio decantato, imperator corona et manto depositis, accedat ad Summum Pontificem et offerat ad pedes eius aurum, quantum sibi placuerit; ipsoque Pontifice descendente pro perficiendis missarum misteriis ad altare, imperator more subdiaconi offerat ei calicem et ampullam, et stet ibi, donec Pontifex ad sedem reversus communicet, sacramque Communionem de manu eius suscipiat cum osculo pacis; et sic ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter et coronam; missaque finita, pontificalem benedictionem reverenter accipiat; et statim procedat ad locum, ubi debet Summus Pontifex equitare; et cum ipse Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellae eius; et arrepto freno aliquantulum ipsum adextret; moxque suum equum ascendens, procedat iuxta Summum Pontificem usque ad Ecclesiam Sanctae Mariae in Traspadiam, ubi dato sibi osculo ad invicem, non corde, sed corpore separentur.

Calicem et ampullam more subdiaconi offert imperator.

§ 14. Si vero regina fuerit coronanda, debet super lectorium ex apposito thalamus praeparari, ubi cum duabus ad minus puellis et aliquibus ex principibus imperii, tam ecclesiasticis quam mundanis, resideat: et post coronationem imperatoris deducatur ad altare ante Summum Pontificem amicta regalibus indumentis, cui Summus Pontifex mitram imponat ita, quod cornua mitrae sint a dextris et a sinistris, et super mitram imponat coronam, ita dicendo: Accipe coronam imperialis excellentiae, *etc.* Coronata vero regina, reducatur ad thalamum, et post Evangelium, ducatur ad oblationem Summo Pontifici exhibendam, stetque in gradibus iuxta absidem versus altare sancti Leonis, donec de manu Summi Pontificis post imperatorem sacram Communionem accipiat; et nunc ad thalamum reducta, permaneat usque ad finem Missae.

Quo ritu imperatrix coronanda.

§ 15. Consuevit autem imperator larga presbyteria omnibus ordinibus exhibere, quibus ea, cum coronatur, Summus Pontifex elargitur; videlicet episcopis, presbyteris et diaconis cardinalibus, primicerio et cantoribus, subdiaconis basilicariis et regionariis, universitati cleri romani, capellanis et caeteris officialibus et ministralibus curiae, praefecto Urbis, senatoribus, iudicibus, advocatis et scriniariis, ac praefectis navalium. Consuevit etiam rex, quando descendit de monte Gaudii, et venit ad ponticellum, praestare hoc iuramentum Romanis: Ego Henricus rex futurus imperator iuro, me servaturum Romanis bonas consuetudines suas, sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

De muneribus erogandis ab imperatore.

Romanis iurat de bonis consuetudin. conservandis.

§ 16. Quia vero propter nostram absentiam nonnulla solemnia ex praedictis personam nostram tangentia, expedit in-

Quomodo propter Pontificis

absentiam gerere se debeat Henricus

termitti, volumus atque decernimus, quod non obstantibus iis, quae superius describuntur in gradibus scalarum dictae basilicae Principis Apostolorum, idem rex Romanorum solemnitate et honorificentia debitis recipiatur ad osculum per vos episcopos et diaconos cardinales, stantes in ordinibus vestris, indutos tamen omnes pluvialibus, processionaliter obviantes eidem cum subdiaconis et acolitis, primicerio et cantoribus, astantibus circa vos magnatibus et nobilibus officialibus et ministerialibus aulae nostrae. Aurum vero, quod rex in eisdem gradibus Apostolico consuevit offerre post genuflectionem et deosculationem pedum, omissis illis, quas nulli vestrum faciat idem rex, quia soli Romano Pontifici competunt et debentur, in eodem loco per eumdem regem nobis humiliter offeratur, ita dicente: Si sanctissimus Pater dominus noster dominus Clemens summus Pontifex esset hic praesens, sibi offerrem aurum istud praesentialiter; sed propter eius absentiam offero sibi, vobis dominis cardinalibus, eiusdem domini Papae vice et nomine recipientibus aurum istud. Quo facto, idem rex existens in medio vestrum vobiscum veniat ad altare Sanctae Mariae in Turribus et cum ibidem fuerit publice in vestri praesentia recipientium vestro et Ecclesiae Romanae nomine, praestet idem rex Sacramentum suo expresso proprio nomine de verbo ad verbum, prout superius continetur. Renovet autem sacramentum per procuratores suos praestitum suae approbationis tempore coram nobis, secundum tenorem supra descriptum: et si in adventu suo in gradibus, ubi eidem obviabitis, renovationem praedictam facere praeligeret, contentamur.

Quo ritu aurum sit oblaturus in gradibus basilicae

§ 17. Tu vero, frater Ostien., ut praemittitur, Missam celebres et regem praedictum inungas, prout in Ordinario continetur. Quod si te impediri contingat, hoc tu facias Albanen., et si ambo impediremini, hoc facies, Sabinen. episcopi. Letanias dicas tu, Francisce, si potes, pluviali tamen indutus; quod si te impediri contingat, tu, Lucas, hoc in eodem habitu exequaris. Orationem autem, quam dicere debet prior presbyterorum cardinalium, tu dicas, episcope Sabinen. Quod si te impediri contingat, tu facias, Albanen., quod si ambo impediremini, tu facias, Ostien. episcopi. Praestito autem in cappella praedictae Sanctae Mariae de Turribus iuramento, omnes remaneatis cum rege praedicto praeter illum, qui missarum solemnia celebrabit. Tu vero, Albanen., orationem, quae tibi dicenda competit, dicas loco et tempore debitis: orationem vero. quam deberet dicere Portuen. episcopus, si adesset, dicas tu, Sabinen.; quod si te impediri contingat, tu suppleas, Ostien.; receptio autem ad osculum inter diaconos cardinales post confessionem in altari Beati Petri factam, quia soli Romano Pontifici competit et concurrit cum osculo pectoris omittatur. Vos autem universi imponatis mitras suo modo regi, suoque reginae, prout in dicto Ordinario de Summo Pontifice continetur, et diademata regi et reginae praedictis.

Legatis dispertita officia

§ 18. Verba vero dicenda in impositione diadematum, scilicet: Accipe signum gloriae, quoad regem: item: Accipe coronam imperialis excellentiae, quoad reginam, dicas tu, Sabinen. Licet enim ratione prioratus hoc tibi non competat, quia tamen in legatione nostram repraesentas personam hoc per te volumus adimpleri. Verba autem praedicta dicas alte atque sonore, ita quod ab assistentibus audiantur. Omnes vero vos alii verba eadem voce submissa dicatis sic, ut nequaquam audiri possitis, sicut in consecrationibus praelatorum fieri consuevit per coassistentes principaliter consecranti. Verba autem competentia in assignatione gladii, post sceptrum et pomum aureum, ipsumque gladium, per te, Albanen., ea vos alios tradita, scilicet: Accipe gladium ad vindictam malefactorum, *etc.* Et idem alta et sonora voce dicas et proferas, Al-

banen., reliquis submissa voce eadem verba dicentibus, prout in verbis ad impositionem mitrarum et diadematum superius est expressum.

Soli Pontifici exhiberi solita omitti iussum.

§ 19. Decantato autem Evangelio, rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis consuevit offerri, ad pedem maioris altaris, quod vos omnes nostro recipiatis nomine cardinales. Caetera vero solemnia peragantur cum omni solemnitate et honorificentia, prout in Ordinario continetur. Oblatio vero calicis et ampullae per imperatorem iam coronatum, decantato Evangelio, corona et manto depositis, more subdiaconi Romano fienda Pontifici, et assistentia eidem fienda per imperatorem, donec Romanus Pontifex ad sedem propriam revertatur. quia soli Romano Pontifici competunt, omittantur. Idem tamen imperator, si voluerit, sacram coronationem de manu recipiat celebrantis, osculo tamen omisso. Quibus peractis, ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter et coronam. Processus autem eiusdem imperatoris ad locum, ubi Summus Pontifex equitare deberet, et detentio stapedii sellae eius, et arrepto freno equi, cui Romanus Pontifex insideret, adextratio, officiique stratoris exhibitio, quia solo Romano Pontifici competunt et praesentiam ipsius exigunt corporalem, omittantur omnino. Reliqua autem solemnia, prout exprimuntur in Ordinario, solemniter et honorifice compleantur.

Exigit ab Henrico Clemens, ut promulget nil damni ex praetermissis Rom. Pontifici obventurum.

§ 20. Quia autem, ut ex praedictis apparet, multae observantiae, multaque solemnia, multaeque reverentiae et honorificentiae, Romano Pontifici competentia, propter nostram absentiam omittuntur, protestamur et volumus et apostolica auctoritate decernimus, nullum ex hoc iuris vel facti Romanae Ecclesiae, ac nobis, nostrisque successoribus praeiudicium generari; quin cum casus regis Romanorum in imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur et fiant per coronandos Romanis Pontificibus, sicut in forma, quae in archivio Ecclesiae et pontificali ordinario continetur superius descripta, seriosius est expressum. Ad eiusdem autem Ecclesiae Romanae, nostram et successorum nostrorum conservationem iuris atque cautelam, volumus per vos ab eodem tam rege coronando, quam imperatore coronato, expresse iis nostris protestationi et decreto consentiente, recipi patentes literas quadruplicatas, de verbo ad verbum tenorem praesentium continentes, suo regali primum sigillo, ac postmodum sua imperiali bulla aurea communitas: quas vos Albanen., Ostien. et Lucas, duo, aut alter vestrum nobis aut camerae nostrae fideliter assignetis.

Datum in prioratu de Grausello prope Malausan., Vasionen. dioecesis, tertio decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 iunii 1311, pontif. anno VI.

---

## XII.

*Monumentum praestiti ab Enrico VII in imperatorem electo iuramenti fidelitatis, et confirmatarum Sedi Apostolicae imperialium donationum* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Ab Henrico praestitum iuramentum Clementi PP. — 1. Aliaeque factae sponsiones. — 2. Henrici literae super iis. — Tenor literarum. — Romanam Ecclesiam et fidem catholicam servaturum se pollicetur. — Quae promiserit Henricus Rom. Ecclesiae. — Eidem privilegia omnia imperialia confirmat: — Et antiquas donationes.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Henrico regi Romanorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

In humilitatis spiritu, qua virtutum comprobatur origo, sicut matris Ecclesiae filius, a Domino benedictus, tuae devotionis ac fidei zelus nobis et ipsi

(1) Ex Regest. Vatic.

Ecclesiae dudum offerens, reverenter iuramentum, quod tenor infrascriptarum literarum tuo pendenti munitarum sigillo continet, seriose olim in manibus dilecti filii magistri Ioannis de Mosans scholastici Tullen., cappellani nostri, de mandato per nos ei facto, nostro, Ecclesiae praedictae, et Apostolicae Sedis nomine recipientis, per te sacrosanctis Evangeliis, sicut per easdem literas plene constat, tactis corporaliter, praestitisti; promittens, teque fideliter obligans cum omni efficacia et effectu, quod post imperialis diadematis a te coronationem susceptam, omnia in iuramento et literis contenta praedictis, ratificares, confirmares, recognosceres, faceres, servares atque iurares: et de iis omnibus infra octo dies post coronationem huiusmodi ad perpetuam rei memoriam, ac nostram, et successorum nostrum, et Ecclesiae ac Sedis praedictorum securitatem atque cautelam patentes quadruplicatas, imperialis maiestatis typario communitas, concederes litteras, huiusmodi literarum tuarum seriem continentes.

*Ab Henrico praestitum iuramentum Clementi PP.*

§ 1. Quare magnificentiam regiam paterno rogamus et hortamur affectu; quatenus ut devotionis et fidei ac reverentiae fervorem huiusmodi cum tuae promotionis et exaltationis augumento praeclara tuae celsitudinis gesta erga nos et praefatam Ecclesiam crevisse demonstres, in manibus venerabilium fratrum nostrorum, Arnaldi Sabinen. legati, et Nicolai Ostien. episcoporum, nuntii Apostolicae Sedis, vel alterius eorumdem, quos ad tui praesentiam duximus destinandos, quibusve et cuiuslibet eorumdem in solidum iuramenti et aliorum praedictorum omnium et singulorum receptione per nostras literas speciales commisimus, post susceptum per te, ut praemittitur, ipsius imperii diadema, omnia in iuramento et literis contenta praedictis ratifices, confirmes, recognoscas, facias, serves, ac praestes de novo simile iuramentum; nobisque super iis omnibus et singulis iuxta tuam promissionem et obligationem easdem praedictas literas quadruplicatas, eiusdem imperialis maiestatis typario communitas, in eis tenore praedictarum tuarum literarum inserto, concedas; illasque nobis per eosdem episcopos vel alterum eorumdem transmittas. Tenorem autem praedictarum literarum tuarum, ut de ipsis plenam certitudinem habeas, de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, qui talis est:

*Aliaeque factae sponsiones*

§ 2. *Sanctissimo in Christo patri et domino suo, domino Clementi, sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, cum reverentia debita devota pedum oscula beatorum.*

*Henrici literae super iis.*

§ 3. Ferventi desiderio cupientes, sanctitatis vestrae pedibus, et Apostolicae Sedi toto corde et animo zelum nostrae reverentiae, fidei et devotionis offerre: vestris sanctis monitis, exhortationibus et mandatis nos pro viribus coaptando; et honorem vestrum, ac sanctae Romanae Ecclesiae et aliarum Ecclesiarum iura diligere et pro posse protegere ac servare; attendentes propensius, quod nihil est quod lumine clariore praefulgeat, quam recta fides in principe, nihilque est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera religio, et quod ad Dei timorem servandum, mandataque eius custodienda factus est omnis homo, sed praecipue imperialis et regalis potestas, quae a Domino Deo est, et ad eius ministerium exequendum, ad fidem et reverentiam sui nominis dilatandam in omnes regiones et regna; promittimus et obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, vobisque domino nostro Clementi summo Pontifici, vestrisque successoribus ac sacrosanctae Sedi Apostolicae et Romanae Ecclesiae, quae Ecclesiarum omnium caput est et magistra, quod sacrosanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, fidemque catholicam fun-

*Tenor literarum.*

*Rom. Ecclesiam et fidem catholicam servaturum se pollicetur.*

datam super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso scilicet angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino, in cuius nomine omne genuflectitur caelestium, terrestrium et infernorum, nec est nomen aliud sub caelo, in quo salvari oporteat credentes, toto corde et animo, pura fide, et sancta intentione conservabimus, reverebimur, atque defendemus totis viribus et toto posse: ac omnem haeresim et schisma, extollentem se contra sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, exterminabimus pro viribus, et omnes haereticos, cuiuscumque sectae et conditionis existant, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quibus vineam Domini Dei Sabaoth perdere et vastare nituntur; omnesque fautores, adiutores, valitores et receptatores ac defensores eorum; et quod nullo tempore coniungemur, confoederabimur, parentela vel foedere, vel unione quacumque cum quocumque saraceno vel pagano vel schismatico rege vel principe, vel quocumque alio fidei catholicae unionem non habente; neque cum aliquo rebelle vel inimico ipsius Romanae Ecclesiae, vel de eisdem manifeste suspecto: item promittimus et obligamus nos cum omni efficacia et effectu, quod personam vestram, statum et honorem, et successorum vestrorum, contra quemcumque seu quoscumque homines cuiuscumque status, præeminentiae vel dignitatis existant, conservabimus, defendemus et manutenebimus: nec non omnia privilegia regum et principum et imperatorum Romanorum praedecessorum nostrorum, cuiuscumque tenoris et continentiae existant, quocumque tempore concessa Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus et Sedi Apostolicae et quibuscumque Ecclesiis, praelatis et ministris ipsarum, conservabimus et manutenebimus; nec aliquo unquam tempore contraveniemus, vel aliquem, quantum in nobis erit, venire permittemus, quacumque occasione vel titulo allegato iuris vel facti: imo ad perpetuam rei memoriam, et sanctae Ecclesiae securitatem atque cautelam ipsa privilegia omnia pro nobis et successoribus nostris ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innovamus et de novo concedimus, prout melius et plenius possumus ex certa scientia cum omni efficacia et effectu: volentes ac etiam decernentes, quod ista generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innovatio et de novo concessio perinde robur obtineant perpetuae firmitatis, ac si omnia et singula privilegiorum verba singulariter et expresse, ac de verbo ad verbum, praesentibus inserta fuisent: specialiter autem et expresse cum omni efficacia et effectu supradictis ratificamus, confirmamus, recognoscimus, innovamus et de novo concedimus omnia privilegia Constantini, Caroli, Henrici, Ottonis IV, Frederici II, atque Rodulphi, regum et principum seu imperatorum romanorum, quocumque tempore concessa super quibusque, cuiuscumque continentiae vel tenoris existant, Sanctae Romanae Ecclesiae, Romanisque Pontificibus, et Apostolicae Sedi. Promittimus etiam et obligamus nos cum omni efficacia et effectu, omni iure et forma, quo melius et efficacius fieri potest, manutenere et conservare omnia privilegia, cuiuscumque tenoris vel conditionis existant, et nullo unquam tempore contravenire, vel aliquem, quantum in nobis est, venire permittere, quacumque occasione vel causa vel titulo allegato iuris vel facti, per quoscumque reges vel principes seu imperatores romanos, et praecipue per supradictos Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem quartum, Fredericum secundum, atque Rodulphum concessa Sanctae Romanae Ecclesiae ac Romanis Pontificibus et Apostolicae Sedi super recognitione, innovatione, advocatione, concessione, quietatione, renunciatione et libera dimissione terrarum et provinciarum Sanctae Roma-

*Quae promiserit Henricus Romanae Ecclesiae.*

*Eidem privilegia omnia imperialia confirmat:*

*Et antiquas donationes.*

nae Ecclesiae ubicumque positarum; praecipue Marchiae Anconitanae cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus suis, integraliter cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earumdem; exarcatus Ravennae et Pentapolis ac Romaniolae et Brettenorii; comitatus cum civitate Bononiae, et cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus, integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earumdem; Massae quoque, quae Trabaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus, integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earumdem; patrimonii etiam Beati Petri in Tuscia cum civitatibus Tuderti, Narniae, Urbis Veteris et Reate, et cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis ac confinibus, integraliter et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earumdem; comitatus quoque Sabinae cum civitate Interamnen. et cum Archecesarum, et terra, quae dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus integraliter, et cum omnibus iuribus et iurisdictionibus earumdem; comitatus quoque Campaniae atque Maritimae cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis et confinibus suis integraliter, et cum omnibus iurisdictionibus et iuribus earumdem: et ex abundantia de novo, et ad maiorem cautelam supradictas omnes terras atque provincias cum omnibus iuribus et iurisdictionibus, terminis, limitibus et confinibus earumdem, et ius et possessionem et proprietatem ipsorum cum omni plenitudine recognoscimus iure plenissimo ad ius et proprietatem Sanctae Romanae Ecclesiae spectare ac omnimode pertinere: ac ipsas omnes terras atque provincias de novo advocamus, innovamus atque concedimus, quitamus libere et dimittimus, restituimus et renuntiamus, nec non ad omnem scrupulum removendum, et ut pax, quies, atque tranquillitas inter Ecclesiam et imperium iugiter vigeat, et futuris, dante Domino, temporibus augeatur, et omnis contentionis et dissentionis cuiuslibet materia praecludatur, prout melius et efficacius fieri et intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus et donamus de novo. Promittentes et obligantes nos, prout plenius et efficacius possumus, quod nullo unquam tempore occupabimus, vel occupari, quantum in nobis est, permittemus civitates, loca, castra, terras et provincias supradictas, vel aliquam ipsarum vel earum partem; nec in ipsis vel aliqua ipsarum vel earum parte iurisdictionem aliquam per nos vel per alium geremus vel exercebimus; nec iura aliqua, possessiones vel tenutas habebimus vel possidebimus in eisdem terris vel provinciis vel aliqua ipsarum, seu parte earum; nec officium aliquod geremus per nos vel per alium potestariae vel capitaniae, seu quocumque nomine censeatur, in ipsis vel aliqua ipsarum vel earum parte; et quod tanquam princeps catholicus, advocatus et defensor Sanctae Romanae Ecclesiae iuvabimus ipsam, sibique assistemus contra quoscumque occupantes, invadentes vel turbantes provincias ipsas, civitates, loca, castra et terras vel aliquam ipsarum seu earum partem; et quoscumque inobedientes seu rebelles Ecclesiae, praecipue in provinciis, civitatibus, locis, castris et terris eisdem, in nullo fovebimus vel manutenebimus, seu per quoscumque foveri seu manuteneri, quantum in nobis est, permittemus: sed contra ipsos assistemus consiliis, auxiliis et favoribus opportunis Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Romanis Pontificibus et Apostolicae Sedi, quousque rebelles et subditi ad plenam reverentiam et obedientiam reducantur: promittentes quoque Sanctam Romanam Ecclesiam, et Ecclesias alias, ac libertatem ecclesiasticam, et bona iura, praelatos et ministros ipsarum manutenere, conservare et pro viribus defensare: vassallos quoque Romanae Ecclesiae contra iustitiam non

offendere, et quod devotos et fideles Ecclesiae etiam in imperio constitutos, benigne tractabimus, et contra iustitiam non opprimemus, neque per alium, quantum in nobis est, opprimi permittemus, sed conservabimus in iuribus et iustitiis eorumdem. Praedicta autem omnia et singula inviolabiliter observare et observari facere, et nullo unquam tempore contravenire iuravimus ad sancta Dei Evangelia, tacto libro, in manibus discreti viri Ioannis de Mosans, scholastici Ecclesiae Tullen., vestri capellani, nomine Romanae Ecclesiae et Sedis Apostolicae, ac vestro et de vestro mandato speciali recipientis; de qua etiam receptione tam per vestras praesentes quam per ipsius recipientis literas seu instrumentum publicum plene constat: et ad praedictorum omnium perpetuam rei memoriam, et Sanctae Romanae Ecclesiae ac Sedis Apostolicae, et Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam praesentes literas regiae maiestatis sigillo munitas fecimus communiri: promittentes et obligantes nos cum omni efficacia et effectu, quod post imperialis diadematis coronationem susceptam, praedicta omnia ratificabimus, confirmabimus et recognoscemus et faciemus et servabimus atque iurabimus; et de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum seriem continentes, ad perpetuam rei memoriam, et ad securitatem et cautelam vestram, et successorum vestrorum, et Sanctae Romanae Ecclesiae, et Apostolicae Sedis, imperialis maiestatis typario communitas.

Datum Lausannae quinto idus octobris, anno Domini MCCCX, regni vero nostri anno secundo.

Datum in prioratu de Grausello prope Malausan., Vasionen. dioecesis, decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 iunii 1311, pontif. anno VI.



## XIII.

*Mandatum de reducendo numero scriptorum sacrae Pœnitentiariae ad duodenarium* (1).

SUMMARIUM

Causae stabiliendi numerum huiusmodi scriptorum. — Mandatum (*de quo in rubrica*).

**Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Berengario episcopo Tusculano, salutem et apostolicam benedictionem.**

Dignum est, ut in Apostolicae Sedis officiis determinatus ministrorum seu officialium numerus habeatur; ne provisione careat superflua multitudo, vel ex paucitate opportunum eidem Sedi servitium subtrahatur. Sane frequenter pro parte dilectorum filiorum scriptorum Pœnitentiariae nostrae fuit nobis expositum, quod propter importunam instantiam plurimorum, quibus Sedes praedicta se exhibuit liberalem, eorum numerus adeo dicitur augmentatus, ut ipsi, qui ad praesens viginti unus vel circiter esse noscuntur, secundum eorum decentiam et laudabilem antiquam romanae Curiae consuetudinem non possint de officii sui obventionibus commode sustentari. Quare ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum temporibus aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum iidem scriptores in tanta multitudine non fuissent, sed eorum officium in decenti numero personarum, prout incumbentium agendorum exposcebat qualitas et utilitas, fuerat moderatum, providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur; denique officium reduci ad duodenarium scriptorum numerum mandaremus. Cum igitur nostrae intentionis existat, quod dicti scriptores, qui nostri officiales existunt, propter superfluam multitudinem

Causae stabiliendi numerum huiusmodi scriptorum.

(1) Ex Regest. Vatic.

non graventur; quinimo ad dictum duodenarium vel alium decentem redacti numerum, iuxta decentiam et consuetudinem praelibatam, commode valeant sustentari; considerantes, quod tam agendorum multiplicium qualitates et onera, quae variarum rerum producit continuata necessitas, quam dictorum scriptorum multitudo superflua te non latent, sed te ipsa facti iam longa experientia docuit, quod in talibus, secundum dictae Sedis decentiam, debeat observari; fraternitatem tuam (1), de qua in iis et aliis fiduciam in Domino gerimus specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si eorumdem scriptorum officium, consideratis circumstantiis universis, quae in hoc fuerint attendendae, inveneris in huiusmodi multitudine praegravatum, officium ipsum reducere ad ipsum duodenarium vel alium certum scriptorum numerum competentem, iuxta datam tibi a Deo prudentiam, prout consideratis praemissis cognoveris expedire, auctoritate nostra procures: statuens et ordinans, auctoritate praedicta, quod dictum officium deinceps praedicto numero sit contentum; nec ad illud de caetero aliquis admittatur quousque sit ad praedictum numerum per te statuendum redactum, et aliquis defecerit de eodem; nisi forte multiplicium agendorum vel alterius causae necessitas aliud circa haec geri et statui in futurum per eiusdem Sedis providentiam postularet.

Mandatum (de quo in rubrica).

Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionen. diœcesis quarto nonas septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 2 septembris 1311, pontif. anno VI.

(1) Forsan leg. *fraternitati tuae.*

## XIV.

*Damnatio militum Templariorum, cum bonorum totius ord. applicatione ordini militum Hierosolymitanorum (1).*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Sententia per viam provisionis contra hunc ordinem data. — 2. Eiusdem bona militibus hospitalis S. Ioannis Hierosolym. applicata. — 3. Excipiuntur bona hic enunciata, quae dispositioni Sedis Apost. reservantur. — 4. Occupatoribus dictorum bonorum inflictum anathema — 5. Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Ad providam Christi Vicarii praesidentis in specula apostolicae dignitatis circumspectionem pertinet, vices pensare temporum emergentium, negociorum causas discutere, ac personarum attendere qualitates: ut ad singula debitum dirigens necessariae considerationis intuitum et opportunae manum operationis apponens, de agro Domini sic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet; sic praevaricantium spinas tollat, ut evellendo plus plantet quam destruat, et in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantamina transferendo potiorem praebeat, de provisa et utili eorum locorum unione et translatione, laetitiam, quam vera iustitia, quae compassionem habet, doloris intulerit detrimentum personarum et locorum huiusmodi per ruinam: sic enim sufferendo quod officit, et subrogando quod proficit, virtutum profectus amplificat, et sublata de medio meliori subrogatione restaurat.

Sententia per viam provisionis contra hunc ordinem data.

§ 1. Dudum siquidem ordinem domus militiae templi Hierosolymitani, propter magistrum et fratres, caeterasque personas dicti ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis et diversis non tam nefandis, quam infandis (proh dolor) errorum et scelerum obscoenitatibus, pra-

(1) Hanc promulgavit sententiam iste Pontifex (ut hic patet) in Concilio Viennensi, quod hac et aliis de causis fuerat indictum.

vitatibus, maculis et labe respersos, quae propter tristem et spurcidam eorum memoriam praesentibus subticemus, eiusque ordinis statum, habitum atque nomen, non sine cordis amaritudine et dolore, sacro approbante concilio, non per modum definitivae sententiae, cum eam super hoc, secundum inquisitiones et processus super his habitos, non possemus ferre de iure, sed per viam provisionis seu ordinationis apostolicae, irrefragabili et perpetuo valitura sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuae supponentes, districtius inhibendo, nequis dictum ordinem de caetero intrare, vel eius habitum suscipere vel portare, aut pro Templario gerere se praesumeret, quod siquis contrafaceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto. Universa etiam bona ordinis praelibati Apostolicae Sedis ordinationi et dispositioni, auctoritate apostolica, duximus reservanda. Inhibentes districtius, ne quis, cuiuscumque conditionis vel status existeret, se de personis vel bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in praeiudicium ordinis seu dispositionis apostolicae per Sedem eamdem, ut praemittitur, faciendae, aliquid faceret, innovaret, vel etiam attentaret, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Ac postmodum ne dicta bona, quae dudum ad subsidium Terrae Sanctae et impugnationem inimicorum fidei christianae a Christi cultoribus data, legata, concessa et acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia, tamquam vacantia deperirent, vel converterentur in usus alios, ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis et dispositionis huiusmodi eorum destructio vel dilapidatio sequeretur, cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus et illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium praelatorum et etiam capitulorum et conventuum, ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus in dicto concilio constitutis, habuimus ardua, morosa et diversa consilia et tractatus: ut per huiusmodi consiliorum et tractatuum deliberationem praehabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio et dispositio ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationem Ecclesiae, dictae Terrae subsidium, salutem quoque fidelium et quietem salubris et utilis perveniret. Post quae utique longa, praemeditata, provisa et matura consilia, suadentibus plurimis iustis causis, nostra et dictorum fratrum, necnon patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum praelatorum, ac excellentium et illustrium personarum praedictorum in dicto concilio tunc praesentium deliberationes et consilia in hoc finaliter resederunt, ut praedicta bona ordini hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et ipsi hospitali, ac dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis eiusdem, nomine hospitalis et ordinis eorumdem, qui tamquam athletae Domini pro defensione fidei, se periculis mortis iugiter exponentes, onerosa nimis et periculosa dispendia continue perferunt in partibus transmarinis, in perpetuum venirentur (1).

*Eiusdem bona militibus hospitalis S. Ioannis Hierosolym. applicata.*

§ 2. Nos igitur inter caetera mundi loca in quibus vigere dignoscitur observantia regularis, dictum ordinem hospitalis et ipsum hospitale sincerae caritatis plenitudine prosequentes, ac attendentes, quod sicut evidentia facti in eo divinis obsequiis ferventer insistitur, pietatis et misericordiae opera vigilantibus studiis exercentur, fratres hospitalis ipsius, mundanis spretis illecebris, devotum impendentes Altissimo famulatum, ac pro recuperatione Terrae praedictae, tamquam intrepidi Christi pugiles, ferventibus studiis et desideriis intendentes, quaelibet ducunt humana pericula in contemptum; considerantes quoque, quod ex hoc tanto eorumdem magistri et fratrum dictorum ordinis et hospitalis crescet strenuitas,

(1) Forsan *unirentur*.

animorum fervor augebitur et ipsorum roborabitur fortitudo, ad propulsandas nostri Redemptoris iniurias et hostes eiusdem fidei conterendos, quanto ipsorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata, onera, quae prosecutionis tanti negotii necessitas exigit, levius et facilius poterunt supportare; et propterea non indigne vigiles redditi, studiisque solicitis excitati, ut ad sui status augumentum, opem et operam impendamus, eodem sacro approbante concilio, ipsam domum Militiae Templi, caeterasque domos, ecclesias, cappellas, oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias et loca, possessiones, iurisdictiones, redditus atque iura, omniaque alia bona immobilia et mobilia, vel sese moventia, cum omnibus membris, iuribus et pertinentiis suis, ultra et citra mare, ac in universis et quibuslibet mundi partibus consistentia, quae ipse ordo et dicti magister et fratres ipsius ordinis Militiae Templi, tempore quo ipse magister et nonnulli ex eisdem fratribus Militiae Templi in regno Franciae communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo, mense octobris, per se, vel quoscumque alios, habebant, tenebant, possidebant, vel ad eosdem domum et ordinem Militiae Templi et dictos magistrum et fratres ipsius ordinis Militiae Templi quomodolibet pertinebant, necnon nomina, actiones et iura, quae dicto tempore captionis ipsorum eisdem domui, ordini vel personis ipsius ordinis Militiae Templi quocumque modo competebant vel competere poterant, contra quoscumque cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis existerent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus et libertatibus, quibus praefati magister et fratres dictorum domus et ordinis Militiae Templi et ipsa domus et ordo per Sedem Apostolicam, vel per catholicos imperatores, reges et principes et fideles alios, vel quocumque alio modo erant legitime communiti, eidem ordini hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et ipsi hospitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus et annectimus in perpetuum, de apostolicae plenitudine potestatis.

**Excipiuntur bona hic enunciata, quae dispositioni Sedis Apost. reservantur.**

§ 3. Exceptis bonis quondam dicti ordinis ipsius Militiae Templi consistentibus in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellae, Aragoniae, Portugalliae et Maioricarum regum illustrium et extra regnum Franciae, quae a donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione et annexione praedictis specialiter excipienda duximus et etiam excludenda, ea nihilominus dispositioni et ordinationi Sedis Apostolicae reservantes, inhibitionem dudum per alios processus nostros factam, ne quis videlicet cuiuscumque conditionis vel status existeret, se de personis et bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in praeiudicium ordinationis seu dispositionis Sedis eiusdem faciendae de illis, necnon decreti nostri interpositionem, quoad personas et bona in dictis regnis et terris eorumdem regum proxime expressorum consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis et rebus praedictis in eisdem regnis et terris consistentibus per dispositionem Sedis eiusdem fuerit aliter ordinatum.

**Occupatoribus dictorum bonorum inflictum anathema.**

§ 4. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores, cuiuscumque status, conditionis, excellentiae vel dignitatis extiterint, etiamsi pontificali, imperiali, vel regali praefulgeant dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos magistrum et fratres ipsius hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut procuratorem seu procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plene ac libere restituerint ordini ipsius hospitalis et eidem hospitali aut magistro, seu prioribus vel praeceptoribus aut fratribus hospitalis eiusdem, in quibuscumque partibus et provinciis constitutis, eorumque singulis vel procuratori seu procuratoribus eorumdem eiusdem ordinis ipsius hospitalis nomine,

etiamsi dicti priores, praeceptores et fratres ipsius hospitalis et procuratores ipsorum et eorum quilibet a dicto magistro ipsius hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo procuratores praedicti, a dictis prioribus et praeceptoribus, vel eorum singulis, in provinciis et partibus, in quibus huiusmodi priores et praeceptores extiterint deputati, mandatum super hoc habuerint vel ostenderint speciale. Qui omnes et singuli, videlicet priores et praeceptores et fratres dicto magistro, procuratores vero praedicti eisdem prioribus et praeceptoribus, eorumque singulis, a quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis receptis et procuratis per eos quomodolibet in hac parte, computum et rationem ponere et reddere teneantur, necnon omnes, qui scienter occupatoribus et detentoribus praelibatis in occupatione vel detentione huiusmodi dederint consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, excommunicationis; capitula vero, collegia, seu conventus ecclesiarum et monasteriorum, necnon universitates civitatum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et ipsas civitates, castra, villas et loca, quae in his culpabilia extiterint, ac etiam civitates, castra et loca in quibus detentores et occupatores huiusmodi dominium obtinuerint temporale, si huiusmodi domini temporales in dimittendo bona praedicta et restituendo illa magistro et fratribus ordinis et hospitalis eiusdem, nomine hospitalis ipsius, obstaculum adhibebunt, et infra dictum mensem ab huiusmodi praemissis non destiterint, postquam super hoc, ut praemittitur, fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subiacere, a quibus absolvi non possint, donec super his plenam et debitam satisfactionem curaverint exhibere. Et nihilominus occupatores et detentores huiusmodi, vel praestantes eisdem, ut praemittitur, auxilium, consilium vel favorem, sive singulares personae sive capitula, collegia, seu conventus ecclesiarum et monasteriorum, ac universitates civitatum, castrorum, terrarum vel aliorum locorum extiterint, praeter poenas praescriptas, omnibus, quae a Romana vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos sive privata. Ita quod ad Ecclesias, ad quas spectant, illa libere sine contradictione aliqua revertantur, earumque Ecclesiarum praelati sive rectores de ipsis pro sua voluntate disponant, sicut utilitati Ecclesiarum ipsarum viderint expedire.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo, *etc.*, nostrorum donationis, concessionis, unionis, incorporationis, applicationis, annexionis, reservationis, inhibitionis, voluntatis et constitutionis infringere, *etc.*

Dat. Viennae, 6 nonas maii, pont. nostri anno 7.

Dat. die 2 maii 1312, pontif. anno VII.

---

## XV.

***Canonizatio S. Petri de Murrone Summi Pontificis Romani, Coelestini Quinti nuncupati, eiusque relatio in cathalogum Ss. confessorum, cum festivitatis institutione pro die 19 mensis maii.***

SUMMARIUM

Exordium. — 1. B. Petri merita et virtutes. — 2. Eiusdem patria et parentes. — 3. Vita aspera in eremo. — 4. Cilicium, aliaeque carnis macerationes. — 5. Carnibus nunquam usus. — 6. Eius ieiunia: — Et austeritates in quadragenis. — 7. Continuae preces ad Deum. — 8. Labori manuum vacat. — 9. Suo exemplo alios ad bonam frugem revocat. — 10. Congregationem monachorum instituit. — 11. Summus Pontifex eligitur: — 12. Ab eodem se abdicat: — 13. Sancteque usque ad obitum vivit. — 14. Multis claret miraculis. — 15. Caecae mulieri restitutus visus. — 16. Amens sanatus. — 17. Puellae fistulam, — 18. Ethicam, — 19. Homini cuidam strophulam, — 20. Croceam et inflatam mulierem, — 21. Aliam contractam, —

22. Pene caecum sanat. — 23. In eius obitu Crux apparet. — 24. Paralyticus, — 25. Viribus destitutus sanati. — 26. Gaudiis spiritualibus exultandum. — 27. Sanctorum fastis adscribitur. — 28. Festus eius dies celebrandus.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis (1), ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, aliisque Ecclesiarum praelatis, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero Dei filius, increata Sapientia, Verbum Patris: qui olim a principio una cum Patre et Sancto Spiritu se ex nihilo mundum efficiens dispositione suavi convertit, produxit omnia secundum gradus suis naturis congruos, coelum replevit angelis, hominem ad imaginem suam factum perfundendo gratia, sydereis mansionibus dignum fecit.

B. Petri merita et virtutes.

§ 1. Novissime diebus istis, antiqua innovando signa, immutando mirabilia, stupendum, mirandumque opus ipse fecit Altissimus, gloriam maiestatis divinae clamans altisone, perfundens sponsam suam Ecclesiam novo genere gaudiorum. Ecce namque novi confessoris insignia mundo prodeunt: praeclara merita mundi defluentis viatoribus patefiunt, sanctitatis eius magnitudinem grandia miracula proloquuntur, quae ipsum probant indubie in deliciis paradisi iuxta secreta Dei cubicula plenam habere requiem post laborem. Et recte quidem. Nam qui in terris non cessavit magnifice de virtute progredi in virtutem, dignum esse cognoscitur, qui in coelis terras (2) rerum spirituum agmina exultant in gaudio: dum vir sanctus solari fulgore coruscus ipsis inseritur et de ipso portante gloriam, sacratus horum numerus, quem cadentium ruina minuerat, integratur. Applaudunt et coeli, cum ei gradienti in virtute sursum patulum praebent iter, ipsi regnanti Deus in ipsis aethereum sedem parat. Plaudat ergo et iubilet canora voce sponsa Christi mater Ecclesia, dum quem genuit unda Baptismatis et aluit ubere piae matris, quem et patrem in mundo habuit et pastorem, laetabunda gloriosum mittit ad superos, cum de se horto irrigato divinitus, ipsum ut lilium candoris nivei, vernantem rosam odoris eximii, festive divinis conspectibus repraesentat.

Eiusdem patria et parentes.

§ 2. O quam foelix es provincia Terrae Laboris, quae probaris talem et tantum produxisse palmitem, inhaerentem firmissimae Christi viti, cuius propagines odore mirae sanctitatis diffuso, extenduntur usque ad fines orbis, eiusque ex uvis expressus vini liquor devotorum corda laetificans, ad amorem Dei mundanorum mentes allicit et inflammat. Sane B. Petrus, de praedicta provincia Terrae Laboris traxisse fertur originem, ex honestis parentibus, catholicis et devotis.

Vita aspera in eremo.

§ 3. Hic edoctus cum Tobia Deum timere ab infantia, et abstinere a vitiis, illecebras mundi considerans, quae plerumque humanas mentes dum leniunt, vulnerant, vinciunt et captivant, positus in aetate adhuc tenera, sed sub corpore fragili viri animum secum habens, antequam saeculare quicquam eius illaberetur animo, fugam prudenter attendens, cum Baptista Ioanne, eremi secreta petiit, ubi remotus a noxiis, solus posset suo vivere Creatori. Quanta autem inibi in locis solitariis, horridis et aridis et fere hominibus inaccessis, vestium asperitas, quanta victus parsimonia, quantisque vigiliis et orationibus, quotve aliis afflictionibus maceraverit carnem suam, ne delicate nutrita proterviens saeviret in spiritum, non posset lingua faciliter seu breviter explicare. Hoc vir sanctus idcirco consulte et provide faciebat, quod excussa et attrita palea suae carnis, eius spiritus innocens, ut purgatum et mundum triticum, reponi dignus esset in horreo coelesti.

Cilicium, aliaeque carnis macerationes.

§ 4. Ut autem ad aedificationem Christi fidelium saltem pauca exprimantur de multis, quae sint velut informativa quae-

(1) Addendum forsan *episcopis*. (2) Deest aliquid.

dam exemplaria vitae nostrae; ipse, sicut pluribus et fide dignis testimoniis est probatum, vestium splendorem ac levitatem despiciens, in quibus amatores huius saeculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis, reticulatis pariter et nodosis, vestibus quoque aliis vilibus multum et asperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem catenam ferream et circulum quandoque ferreum deferebat. Lecti etiam mollitiem declinans (ne caro petulanter lasciviens noxie moliretur in spiritum) in terra aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis, vestitus cilicio et pannis solitis, praecinctus lumbos catena ferrea aut circulo. Pro pulvinari vero, ligno aut lapide, seu dura re alia utebatur, et (quod importabile est) sanus vel infirmus lectis aliis non est usus.

Carnibus nunquam usus.

§ 5. Studens etiam pro viribus domesticum domare hostem, ne praevalere posset spiritui, nec sanus nec infirmus carnibus vescebatur. Vinum vero non bibebat nisi rarissime, sic tamen dilutum, ut videretur vini speciem non habere.

Eius ieiunia.

§ 6. Semper quoque, nisi diebus dominicis, ieiunabat. Sex nihilominus quadragenas singulis annis faciens, mentem, non ventrem reficere cupiendo, affligebat in ipsis solito durius carnem suam. O stupenda et aliis insueta rerum materies, cernere hominem in carne degentem mortali et fragili, sub tam austerae et longae macerationis pondere non cadentem! In tribus namque quadragenis in pane et aqua ieiunabat continue et quandoque cum solis foliis caulium absque pane. Interdum autem solis pomis vel castaneis seu granis fabarum mollificatis in aqua, aut crudis rapis tantummodo vescebatur. In caeteris vero quadragenis, uno tantum ferculo utebatur insipido tamen et in modica quantitate. In harum vero quadragenarum aliquibus (quod naturae humani corporis est horror) usus est pro veste solo cilicio. In quibusdam vero cilicio et super ipsum lorica cuius pondere caro eius per subintrantes nodos cilicii, ut testantur eius socii, aliquotiens disrumpebatur. Et revera haec in homine isto sancto supra hominem gerebantur. Ad haec enim ferenda tam gravia virtus humana non videtur posse sufficere, sed divina potius in ipso habitans hoc gerebat.

Et austeritates in quadragenis.

Continuae preces ad Deum.

§ 7. Hic beatus vir iam mortificatis spiritu carnis desideriis et repressis, summe devotus Deo, orando assidue animum ad Deum tenuit firmiter elevatum. Ipse etenim ad matutinas laudes media nocte surgebat, ipsisque dictis, legebat psalterium cum litania et collectis quam pluribus, ac crebris genuflexionibus et disciplinis duris carnem suam cum vitiis concupiscentiae crucifigens: in aurora vero, missa per ipsum celebrata, iterum devote incipiens ibi psalterium, ubi dimiserat, orare usque ad horam tertiam non cessabat.

Labori manuum vacat.

§ 8. Ne autem ipsum reperire posset diabolus otiosum, laborabat propriis manibus, scribendo vel suendo cilicia, seu faciendo aliud opus honestum et utile ab hora tertia usque ad nonam. Post cibum denique sumptum usque ad noctem profundam perseverabat cum Deo, ab oratione fervente spiritum non relaxans.

Suo exemplo alios ad bonam frugem revocat.

§ 9. Morum etiam honestate venustus, odore suae sanctitatis vitae communiter iam disperso, ad suum multos attraxit aspectum, et quamplures aberrantes per vitiorum abrupta reduxit ad Deum suis sanctis exhortationibus et exemplis. Nec mirum, nam ipsum reddebat cunctis communem caritas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus coafflictum, decorum puritas, parsimonia mirabilem, honestatis maturitas reverendum, benignitas hilarem, constans quoque virtus animi in adversis et prosperis uniformem.

Congregationem monachorum instituit.

§ 10. Denique vir sanctus cupiens divinum ampliare cultum, congregationem monasticam sub B. Benedicti regula, superadditis ei statutis arctissimis, ordinavit, ubi fratrum suorum Deo famulantium

adaucta multitudine numerosa, fundatisque locis non paucis, in quibus Christus Iesus ab ipsis iugiter laudaretur, vixit cum eis cunctis florens virtutibus, ac eximiae sanctitatis operibus informans et reformans universos.

Summus Pontifex eligitur:

§ 11. Verum quia non erat expediens, quod tantae sanctitatis odor in solo uno mundi angulo sentiretur, sed potius quod ad aedificationem cunctorum fidelium, circumquaque per mundum promptius spargeretur, dispensatione provida, ad summum pontificatus apicem est provectus. In quo totum idem ipse manens qui fuerat, sub praecelsae dignitatis habitu, nec vitam eremiticam, quantum fas servare fuit, nec animum derelinquens, novit inter epulas esse sibi summe austerus et abstinens, inter amplas divitias summe pauper.

Ab eodem se abdicat:

§ 12. At vero hic vir habens simplicitatis mirae et in spectantibus ad regimen universalis Ecclesiae inexpertus, utpote qui a teneris annis usque ad senium elongatus a mundo, cor suum mundanis rebus non accommodaverat, sed divinis, reflectens prudenter suae considerationis intimae oculum ad seipsum, honori papatus cessit et oneri libere et ex toto, ne ob praedicta posset ex suo regimine quodcumque periculum universali Ecclesiae provenire, et ut turbativa Marthae solicitudine declinata, vacare posset secus pedes Iesu contemplationis ocio cum Maria.

Sancteque usque ad obitum vivit.

§ 13. Post haec itaque divinae vacans contemplationi, assidue usque ad eius obitum, quo beata illa anima carnis evasit ergastulum, coelos petens, sanctissimam vitam duxit.

Multis claret miraculis

§ 14. Et quia multum conveniens erat, quod ille, quem Deus in mente perfunderat tot et tantis carismatibus gratiarum, clarus mundo, colendusque divinae virtutis testimoniis appareret, non defuere divina miracula in quolibet statu suo, ante papatum videlicet, in papatu, ac etiam post papatum, in eius vita pariter et post mortem, voce clamosa proloquentia ipsius imitandam cunctis eximiam sanctitatem. Ut autem hoc Iesu Christi fidelibus amplius notum fiat, aliquot miracula ipsius meritis de quampluribus exprimere possumus, quae accidisse veraciter certis testimoniis sunt probata.

Caecae mulieri restitutus visus.

§ 15. Mulier quaedam ex infirmitate gravi sic caeca omnino effecta, ut iuvari non posset per quaecumque adhibita remedia medicinae, portata ad locum eremi ubi frater Petrus tunc temporis morabatur, cum se signasset quadam parva cruce lignea, quam idem frater Petrus per servum suum ei transmiserat et eamdem ad oculos applicasset, perfecte statim visibiliter est curata.

Amens sanatus.

§ 16. Quidam factus ita furiosus et amens, ut, ne seipsum aut alios offenderet, funibus et catenis ferreis ligaretur, adductus ad dicti fratris praesentiam, cum comedisset de pane sibi per ipsum exhibito, sic est curatus perfecte, ut de dicta infirmitate nihil ulterius umquam senserit.

Puellae fistulam,

§ 17. Puella etiam quaedam, quae fistulam tam gravem habebat in pede cum aperturis pluribus, ut de perditione pedis a medicis timeretur, portata ad ipsum, et facto per eum super plagam ter signo sanctae Crucis, statim sanata est, ita ut post dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis praedictae vestigium vel cicatrix.

Ethicam,

§ 18. Quaedam mulier, quae sic vehementer gravabatur infirmitate ethica, ut de eius vita desperaretur a medicis, nec pro necessitate quacumque absque plurium adiutorio de loco posset se movere, cum quievisset per horae spacium sub quodam panno lineo, quem per patrem dictae infirmae miserat frater Petrus, statim sanata surrexit.

Homini cuidam strophulam:

§ 19. Quidam etiam strophulam grossam ad quantitatem ovi gallinae in manu per quinque annos habuerat; benedictione facta per ipsum Sanctum super infirmi-

tatis locum, fuit, post morulam modicam, sanatus totaliter et perfecte.

Croceam et inflatam mulierem:

§ 20. Cum etiam summi pontificatus culmine præemineret, quaedam mulier, quae vi morbi per annos quatuor per totum corpus extiterat crocea et inflata, quae etiam operari quicquam non poterat nec absque gravamine notabili ambulare, delata ad locum, per quem erat frater Petrus, tunc Summus Pontifex, transiturus, et benedicta ab ipso, restituta est illico pristinae sanitati.

Aliam contractam:

§ 21. Alia quaedam mulier sic contracta in omnibus membris suis, ut nec ambulare posset, nec mutari de loco ad locum, nisi ab aliis portaretur, posita secus viam, per quam ipse frater Petrus tunc transitum faciebat, et data super ipsam crucis benedictione, per ipsum fuit perfecte continuo liberata.

Pene caecum sanat.

§ 22. Postquam renunciavit papatui, cuidam, qui ex toto pene visum perdiderat, cum se ipsi fratri Petro praesentasset, superducta quadam parva cruce lignea oculis patientis, restituit integre statim visum.

In eius obitu Crux apparet.

§ 23. Denique ut in eius obitu suae sanctitatis lucidae divinum testimonium non deesset, de ipsa cruce, quam summe dilexit et lumine, fecit Deus signum mirabile apparere. Etenim tempore mortis suae apparuit Crux parva et fulgida in medio hostii camerae in qua erat, quae ad modum vertiginis se volvens, continuo permansit divinitus suspensa in aere, quoadusque corpus eius de ipsa camera est translatum.

Paralyticus,

§ 24. Sed et post obitum viri sancti quidam sic est percussus paralypsi, ut nec ambulare, nec stare, nec loqui posset quoquomodo: ductus ad locum ubi frater Petrus poenitentiam facere consuevit, et catena quadam, quam portasse ad carnem nudam dicebatur dum viveret, apposita patientis collo et capiti et caeteris membris eius, fuit statim penitus liberatus.

Viribus destitutus sanati.

§ 25. Quidam qui vires ambulandi ac standi, usumque manus perdiderat, ductus ad Ecclesiam, ubi dicti Sancti corpus iacet reconditum, et pernoctans cum animi devotione in eadem, sensit se mane totaliter a dicta infirmitate liberatum.

Gaudiis spiritualibus exultandum.

§ 26. His et aliis quam plurimis miraculis gloriosis mirificavit Dominus Sanctum suum et clarum mundo reddidit ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Ecclesia, et suaves depromat melodias. Nam hic Christi confessor, eximia sua proles, inter beatorum agmina stellam possidet matutinam et super Christi mensam cum angelis, ore pleno, melle dulcius abditum manna gustat. Iubilare non quiescat plebs catholica: nam accensus calculus, quem ex eius medio ille intendens seraphyn tulit forcipe de altari in ea, quae sursum est Hierusalem, ignitis lapidibus, in quorum medio rex caelorum ambulat, est coniunctus. Hunc apud Deum advocatum habet, quem fons effluxus perennis iucunde inebriat, abunde faciat lignum vitae. Iucundetur insuper religio per ipsum instituta, et in laudes Altissimi organa vocis laxet. Nam hic eius protector indefessus stola immortalitatis induitur, ac sedens cum principibus, solium gloriae sempiternae semper clarum tenet.

Sanctorum fastis adscribitur.

§ 27. Verum quia dignum est, ut, quem in caelo sursum Deus glorificat, hic inferius ad suum patrocinium mundus colat, nos de sanctitate vitae, ac veritate miraculorum Sancti huius, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis discussione adhibita, plenam et firmam certitudinem obtinentes, requisiti insuper praelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, supplicatione humili et devota, de fratrum nostrorum consilio et assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, et nostra, ipsum sanctorum confessorum cathalogo duximus adscribendum.

Festus eius dies celebrandus.

§ 28. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente per apo-

stolica scripta vobis praecipiendo mandantes, quatenus quartodecimo kal. iunii festum eiusdem confessoris devote ac solemniter celebretis et faciatis a vestris subditis celebrari, ut eius pia intercessione et hic a noxiis protegi et in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis. Amen.

---

# IOANNES XXI dictus XXII

## PAPA CXCVI

*Anno Domini MCCCXVI.*

Iacobus de Ossa, seu de Eusa, patre Arnaldo, Caturcensis, antea episcopus Foroiuliensis in Provincia, mox Avenionensis, postmodum S. R. E. cardinalis Portuensis, electus est Lugduni in Summum Pontificem die 7 aug., anno 1316, et ibidem coronatus est die 5 septembris anni eiusdem et Ioannes XXII appellatus. Sedit in pontificatu annos XVIII, mens. vero IV (1), imperantibus in Oriente duobus Andronicis. Obiit Avenione die 4 septembris 1334, et sepultus est in ecclesia cathedrali B. Mariae de Donis. Vacavit sedes dies XV (2).

Schisma trigesimum secundum.

Die duodecima maii 1328 Ludovicus Bavarus a Ioanne Papa anathematizatus Petro Raynalducii de Vico Corbario, natione Aprutino, ordinis Minorum, romana plebe confusis vocibus approbante, Romae in area Vaticana purpuram propriis manibus iniecit, eum antipapam, indito Nicolai V nomine, eligens contra Ioannem legitimum Pontificem. Ille vero eadem die in basilica S. Petri a Iacobo Castellano episcopo, aliisque schismaticis episcopis consecratus est, seu potius execratus, et a Ludovico coronatus. Postquam, suadente Ludovico, Ioannem condemnarat, depositumque iuxta Ludovici sententiam declaraverat, eiusque imaginem tradiderat flammis, errore cognito, culpam Pisis detestatus, a legatis Ioannis Papae absolvitur die 25 iulii 1330, biennio post occupatam Sedem. Prolixiorem abiurationem Avenione emisit coram Pontifice et cardinalibus, et Ludovicum detestatus est. Tandem, exposita fide sua et petita venia, a Pontifice absolvitur atque honeste habitus, data tamen custodia, ne in errorem relaberetur. Obiit Avenione in palatio, ubi morabatur Ioannes PP., mense septembri anno 1333, et sepultus est in ecclesia fratrum Minorum.

(1) A die coronationis numerandos, a qua die annos suos orsum esse Ioannem, diserte ostendit Pagius in eius vita, § 87. (2) Exclusis extremis.

---

### I.

*Quod, vacante Romano imperio, nullus assumat nomen vicarii eiusdem, cum id tantummodo ad Romanum pertineat Pontificem* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Obeunte Rom. imperatore, imperii regimen ad Sedem Apostolicam devolvitur. — Causae huius faciendae declarationis. — 2. Cuilibet sub excommunicationis sententia interdicitur, ne tempore dictae vacationis vicarii nomen vel officium sibi vindicet. — 3. Cuicumque personae interdicitur hanc dignitatem sibi vindicantibus obtemperare. — 4. Poenae contra inobedientes. — 5. Absolvuntur a sacramento talibus obstricti: — 6. Et rescinduntur pactiones omnes super hoc initae. — 7. Publicatio huiusmodi processus.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Si fratrum et coepiscoporum nostrorum et aliorum quorumlibet iura illibata servari et ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, et ad id libenter nostrae sollicitudinis studium adhibemus; multo fortius equidem pro nostris et Ro-

(1) Ex Regest. Vatic.

manae Ecclesiae, sponsae nostrae, iuribus et honoribus conservandis, ex iniuncto nobis officii debito, apostolicae provisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris usurpationis iniuriam subeant, aut detrimentum cuiusvis derogationis incurrant.

Obeunte Rom. imperatore, imperii regimen ad Sedem Apostolicam devolvitur.

§ 1. Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est, fama divulgante, notitiam, quod licet de iure sit liquidum, et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod, vacante imperio, sicut et nunc per obitum quondam Henrici Romanorum imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad saecularem iudicem nequeat haberi recursus, ad Summum Pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul et caelestis imperii iura Deus ipse commisit, imperii praedicta iurisdictio, regimen et dispositio devolvuntur, et ea, tempore durante ipsius vacationis imperii, per se vel alium seu alios exercuisse noscitur in imperio memorato: nonnulli tamen in

Causae huius faciendae declarationis.

Italiae partibus potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes, in nostrum et Sanctae Romanae matris Ecclesiae, quantum in eis est, praeiudicium evidens, ac diminutionem honoris et iuris, vicariatus seu alterius cuiuscumque nominis officium, quod, ipso imperatore vivente, ex ipsius commissione gerebant in certis terris, territoriis sive locis, post decessum ipsius absque nostra vel Apostolicae Sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi; et nonnulli etiam de novo assumere, quod non gesserant, aut gestum antea, posteaque dimissum, resumere temerariis ausibus praesumpserunt, quo vel quibus adhuc non verentur abuti, ac sub eius vel eorum colore multa facere et fecisse noscuntur, quae in nostram et Ecclesiae praedictae iniuriam aperte redundant; non abhorrentes per id variis involvi criminibus, nec divinae maiestatis formidantes offensam.

Cuilibet sub excommunicationis sententia interdicitur, ne tempore dictae vacationis vicarii nomen vel officium sibi vindicet.

§ 2. Quia igitur error, cui non resistitur, approbari videtur; et latum pandit delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit; nos, volentes nostris et Ecclesiae sponsae nostrae iuribus et honoribus in hac parte prospicere, et malis ac scandalis, quae ex retentione, assumptione seu resumptione huiusmodi orta sunt hactenus, et quae periculose possent in antea suboriri, celeriter obviare; nec non periculis animarum huiusmodi retinentium, assumentium seu resumentium nomina et eis abutentium, ut praefertur, salubriter occurrere cupientes, praesentium auctoritate monemus sub excommunicationis poena omnes et singulos cuiuscumque status, praeminentiae, dignitatis aut conditionis existant, etiamsi patriarchali vel quavis alia superiori aut pontificali vel regia seu alia quacumque praefulgeant dignitate, qui post vacationem imperii absque nostra vel Sedis praedictae licentia huiusmodi vicarii seu cuiusvis alterius officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, assumpserunt seu resumpserunt et retinent; et qui assument vel resument fortassis imposterum, et sub talis denominationis pallio abusi sunt et abutuntur, vel etiam abutentur, potestate vel iurisdictione quacumque, seu eius exercitio publice vel occulte, quatenus de caetero a denominatione huiusmodi, seu nominis assumptione, resumptione ac retentione praedictis, nec non usu, potestate et exercitio supradictis prorsus abstineant et omnino desistant.

Cuicumque personae interdicitur hanc dignitatem sibi vindicantibus obtemperare.

§ 3. Inhibentes insuper sub poena praedicta omnibus et singulis patriarchis et praelatis etiam aliis superioribus et inferioribus, ac regibus, civitatibus, communitatibus, universitatibus, capitaneis, potestatibus, rectoribus, comitibus, vicecomitibus, baronibus et aliis omnibus, cuiuscumque sint dignitatis, conditionis aut status, ne praedictos huiusmodi nomen seu aliud quodlibet in eodem imperio retinentes, ut praefertur, aut assumentes vel resumentes, vel eorum aliquem sub denominatione vel titulo huiusmodi nominum, seu procuratores, commissa-

rios, iudices aut vices eorum gerentes quocumque colore quaesito recipiant vel admittant; nec ut vicariis seu vicario aut officialibus imperii pareant vel intendant, aut pareri vel intendi faciant vel permittant; nec in iis eis, vel ei quomodolibet praestent auxilium, consilium vel favorem.

Poenae contra non parentes

§ 4. Alioquin in omnes et singulos patriarchas, praelatos etiam superiores et inferiores, et caeteros denominatione praedicta, ut praemissum est, retinentes, assumentes seu resumentes, ac illius praetextu exercentes quaecumque officia, potestates seu iurisdictiones, et in recipientes eos ut vicarios vel officiales imperii aut commissarios eorum ut talium, et in parentes seu obedientes eis ut talibus, aut praestantes in hoc sibi auxilium, consilium vel favorem, nisi infra duorum mensium spatium, a die datae praesentium numerandum, penitus resipiverint, vel se licentia Sedis Apostolicae super hoc ostenderint communitos, excommunicationis in singulares personas, et in terras et loca ipsorum et quaslibet communitates, universitates, civitates aut villas interdicti sententias de fratrum nostrorum consilio publice promulgamus; contra eos nihilominus spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout inobedientia eorum exegerit, et qualitas facti suaserit, et viderimus expedire.

Absolvuntur a iuramento talibus obstricti.

§ 5. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes et singulos, qui huiusmodi vicariatus nomen retinentibus, assumentibus seu resumentibus iuramento fidelitatis tenentur astricti, a iuramento huiusmodi, quantum ad hoc, de potestatis plenitudine absolventes, auctoritate apostolica firmiter inhibemus eisdem, ne talibus ut vicariis vel officialibus imperii aliquatenus pareant vel intendant.

Et rescinduntur pactiones omnes super hoc initae

§ 6. Et insuper omnes pactiones, obligationes, confoederationes et colligationes, a quibuscumque super hoc quolibet initas iuramento vel quacumque firmitate vallatas, omnino dissolvimus, iuribus vacuamus, irritamus, et quatenus de facto processerint, revocamus; ac huiusmodi, ac quaelibet alia iuramenta a quibuslibet super iis praestita, per quae posset in praedictis nostris et Ecclesiae praedictae iuribus derogari, praesertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus.

Publicatio huiusmodi processus

§ 7. Caeterum, ut huiusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas seu membranas, processum continentes eumdem, in Ecclesia Avenionensi appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quae processum ipsum suo quasi sonoro praeconio et patulo inditio publicabunt, ita quod omnes et singuli, quos processus ipse contingit et contingere potest, nullam postea possint excusationem praetendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignoraverint eumdem; cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Datum Avenioni in domo episcopali, secundo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 30 martii 1317, pontif. anno I.

---

## II.

*Canonizatio B. Ludovici, Caroli regis Siciliae filii, et episcopi Tolosani, eiusque adscriptio in numerum sanctorum confessorum, cum festivitatis institutione pro die 19 augusti quotannis celebrandae.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Laetitia spirituali exultet Ecclesia militans. — 2. B. Ludovici genus. — 3. Eiusdem primordia, et studia literarum. — 4. Fervens in oratione. — 5. Devotus in sumptione sacramentorum. — 6. Attentus in lectione Ss. Scripturarum. — 7. Studiosus castitatis. — 8. Severus in seipsum. — 9. Ordinem fratrum Minorum

profitetur et Ecclesiae Tolosanae praeficitur. — 10. Regnum recusat. — 11 ad 14. Benignus in pauperes. — 15. Humili veste contentus. — 16. Attentus in episcopatu. — 17. Zelo religionis fervidus. — 18. Pie moritur. — 19 ad 27. Miracula per eum Deus multa misericorditer operatur. — 28. Gaudendum itaque in Ecclesia. — 29. Sanctorum Confessorum catalogo adscribitur: — 30. Eiusque annua festivitas indicitur. — 31. Indulgentia eius sepulcrum visitantibus proposita.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, ac dilectis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis Ecclesiarum rectoribus, per universum orbem constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Sol oriens mundo in altissimis Dei Deus Dei Filius, ex paterno utero ante Luciferum genitus, Deus Verbum, qui rerum in principio fundans terram in sapientia, coelos prudentia stabilivit, adornando coelos syderibus, germinantibus cunctis terram, quique in fine temporum, pro humani generis salute, nostram assumendo naturam, texit nube nostrae carnis fragilis semetipsum; nunc hora stante novissima, illuminando per cuncta respiciens opus produxit mirabile, caritate gloriae suae plenum, bonitatem suam monstrans magnifice, sponsamque suam sanctam matrem Ecclesiam reddens novitate tam clarae sobolis laetabundam. Nam Qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum confessorem eximium, beatum videlicet Ludovicum, puritate candidum, caritate fervida rubicundum, electum ex millibus, produxit noviter ut exemplar praefulgidum cunctis fidelibus imitandum, eius vitae singularis excellentiam signis probans et prodigiis, coruscantibus crebris miraculis manifestans.

Laetitia spirituali exultet Ecclesia.

§ 1. Igitur laetentur coeli et exultet terra, iucundetur pariter totus orbis: nam qui effulsit in templo, dum viveret, in medio nebulae suae carnis, ut matutina stella, ac luna plena, solari lumine, veluti ut sol, refulgens in sua formosus stola, in virtute multa, repentine ad summa graditur, regalibus dignus aspectibus, ut candens lilium, ac odoris suavissimi rosa rubens. Huic coeli praestant hospitium, coeli cives, ut sibi conformem et comparem ad suum hunc consortium admittunt in supernis; Christus hunc reficit idem ipse prandium et conviva.

B. Ludovici genus:

§ 2. Hic foelix Sanctus ex regali prosapia, patre videlicet clarae memoriae Carolo rege Siciliae, matre vero carissima in Christo filia nostra Maria Siciliae regina, ex Hungaria originem suam trahens, altum sui generis recusavit sapere, humilia semper diligens et amplectens. Sciebat namque quod excelsus Dominus, alta de longinquo prospiciens, humilia et vicina contemplatur. Quamquam autem singula praeclara lucidae vitae, verbis paucis enarrari non possent, aliqua tamen de quamplurimis ad utilitatem legentium referemus, ut ex his Deum Patrem glorificent, et in his reperiant vivendi regulam, quam sequantur.

Eiusdem primordia et studia literarum.

§ 3. Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in aetate existens tenera, sub magistri religiosa diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen ibi maturis intendendo moribus, sub tenello pectore gestare se senilem animum ostendebat. Ductus in Cataloniam, cum duobus e suis fratribus datus obses pro liberatione antedicti regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod infra septennium, quo etiam ibi obses fuit, sub instructione fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitivis scientiis et sacra pagina sic profecit, quod vir pollens ingenio, de praedictis scientiis non solum publice ac private subtiliter disputare valeret, sed et solemniter clero et populo proponere verbum Dei; ut putaretur scientia haec infusa sibi magis divinitus, quam humanitus acquisita.

Fervens in oratione.

§ 4. In orationibus sedulus et devotus, mentem ad Deum elevatam tenuit;

profecto sciens, quod oratio humiliantis se, nubes penetrans, pro exauditionis suffragio Deum adit.

Devotus in sumptione sacramentorum.

§ 5. In tempore namque dicto, sacramentali confessione praemissa, missas audiebat devote; in magnis vero festivitatibus cum praeparatione multa, Corpus sumebat Dominicum. Factus autem sacerdos diebus singulis celebrabat: audientiae verbi Dei insistebat attente.

Attentus in lectione Ss. Scripturarum.

§ 6. Pro pastu vero animae, in Scripturis devotus studens, habebat ad hoc pro solatio sanctos libros.

Studiosus castitatis.

§ 7. Castitatis autem amor, a puero affecerat eius mentem adeo quod, ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia fugiebat omnino, in tantum quod nisi forsan cum matre et sororibus, solus cum sola nullo umquam tempore loquebatur. Mulierem namque amariorem noverat esse morte. Verba etiam inhonesta horrebat audire, ac loquentes talia graviter arguebat; attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores. Fratres nihilominus duo et interdum quatuor in sua iacebant camera, in suae testimonio nitidae puritatis.

Severus in seipsum.

§ 8. Cum apostolo Paulo sobrietate cibi et potus corpus suum castigabat assidue, seq. frequenter manu sua, quandoque autem alicuius fratris consocii, cum catenis ferreis disciplinans, vestiendo pro camisia rude stamen et deferendo ad nudum pro cingulo cordam grossam, ipsam carnem in servitutem redigebat. Summo etiam studio terrena cuncta calcare studuit ex desiderio aeternorum.

Ordinem fratrum Minorum profitetur et Ecclesiae Tolosanae praeficitur.

§ 9. Considerans etiam Sanctus iste, quod mundus totus sit positus in maligno, quodque cum concupiscentia sua transit, ipsum fugiendo deseruit totaliter et contempsit. Nam rediens de Catalonia cum rege praedicto, votum quod de intrando ordinem fratrum Minorum in obsidione fecerat, in conventu eorumdem fratrum de Monte Pessulano voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti regis ipsum fratres recipere non audebant, votum ipsum solemniter iteravit. Et quia voventibus praeceptum noverat de reddendo, suadenti foel. rec. Papae Bonifacio praedecessori nostro, quod assensum praeberet provisioni de se factae Ecclesiae Tolosanae, nullatenus consensit, quoadusque votum dictum, quod fecerat, complevisset. Cuius devotioni annuente praedecessore nostro praedicto, habitum ordinis praedicti sucipiens, in praesentia bon. mem. Ioannis episcopi Portuensis, tunc eiusdem ordinis generalis ministri, expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit; sicque provisioni praedictae suum praebendo assensum, mandatis apostolicis obedivit. Et quamquam de iussu praedecessoris eiusdem dictum habitum velatum portaverit usque ad festum B. Agathae tunc vicinum, in dicto tamen festo in praesentia duorum cardinalium recepit publice; ac ex tunc portavit continue, atque ipso die ad S. Petrum patenter detulit praedicando.

Regnum recusat

§ 10. Miranda res et alias insueta, vir namque virtutum positus in sublimi, iuri primogeniturae renunciavit et regno, regalis solii spreta pompa, pro regno corruptibili, aeternum ac plenum deliciis regnum mercans.

Benignus in pauperes.

§ 11. Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas, quam publicas eleemosynas faciebat iam factus episcopus Tolosanus, per unum suum familiarem secretarium mandavit inquiri, de suorum quantitate redituum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis faciendis et rationibus, volens quod totum residuum in substentandis pauperibus poneretur, quamquam praelatus tam magnus esset, et filius tanti regis.

§ 12. Cum autem iret Parisios, pauperem quemdam nudum reperit, cui multum compatiens, abscondite cappam contulit, quam portabat, sibique fecit aliam secrete asportari.

§ 13. In hoc etiam Christi imitatione nihilominus humilitas vera fulsit. Attendit

namque quod Deus, qui moerentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi. Ipse enim vigintiquinque pauperes in domo sua reficiebat quotidie, aquam in manibus fundebat, manuque sua ipsis fercula apponebat, ac panes scindebat eisdem, etiam genu flexo, in ipsis Christo servire, et Ipsum recipere se delectans.

§ 14. Hospitalia pauperum aliquoties visitabat.

Humili veste contentus.

§ 15. Sciens denique, quod qui vestiuntur mollibus, in hoc a Domino non laudantur, post diaconatus sumptum ordinem, semper veste humili usus fuit. Post ingressum vero praedicti ordinis, vili habitu, ac bruno colore in tapetiis, cortinis et lecti coopertoriis utebatur.

Attentus in episcopatu.

§ 16. Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia servus hic Christi fidelis et prudens, missas dicendo assidue, devotissime ordines celebrando: clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de virtutibus et vitiis, et articulis fidei, vita et moribus diligenter.

Zelo religionis fervidus.

§ 17. Iudaeos et gentiles, zelo fervens Dei, inducebat sedulo ad baptismum, ac quosdam eorumdem sacro de fonte levavit.

Pie moritur.

§ 18. Demum gloriosus iste sanctus, cursu vitae consummato foeliciter, ad Deum fontem vivum, quem avide sitierat, migraturus, infirmitate decumbens ultima, devotissime sumpsit Corpus Dominicum quamvis debilis de lecto exiliens in occursum Domini Salvatoris. Cruce autem sibi data per quemdam ex sociis, deosculabatur illam, genuflexus in lecto, ut potuit, ac in oratione devota et silentio postmodum diu mansit. In cruce namque Domini nostri Iesu Christi, et non in alio, didicerat gloriari. Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivus ambulavit in innocentia, in medio domus suae ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie revelata, in sua innocentia est ingressus. Verum, quia decebat multum divinae magnitudinem bonitatis, quod illum, quem in terris ipsum praeclaris adornando virtutibus, sui imagini fecerat tam conformem, secum ostenderet regnare in coelis virtutis suae testimoniis, quaedam per eum miracula operari dignatus est, quae ad Sancti huius declarandam gloriam, praesentibus duximus adnotanda.

Miracula per eum Deus operatur.

§ 19. Quaedam namque duorum annorum puella, quae vi febris quam passa fuit duobus mensibus, expiravit; facto voto per patrem Sancto isti, quod ipsi imaginem de cera offerret, si vitam a Deo filiae suae impetraret, resuscitata, ubera matris suxit.

§ 20. Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuae vita functus, facto voto per patrem, est vitae pristinae restitutus, nec dictae febris in eo apparuit ullum signum.

§ 21. Quaedam puella annorum septem, quae per septimanas tres febrem passa continuam expiravit, facto ad dictum Sanctum voto per suos, spiritum recuperavit et revixit.

§ 22. Quaedam denique mulier, quae duas conceperat filias, una illarum in ventre mortua ex casu dictae matris de asino, et in eius ventre ex mora diutina putrefacta, coepit puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per frustra fuisset extractus, et alia filia mortua iam educta esset ostetricum ministerio violenter et proiecta in stabulo super fimum, emisso ad ipsum Sanctum voto, quod si partus ille resurgeret, unam sibi cerae imaginem praesentaret, puella palpitare coepit, et baptizata septem mensibus supervixit.

§ 23. Quidam etiam puer aetatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis iacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus et frigidus aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit divinitus suscitatus.

§ 24. Mulieri viduae, quae propter vehementem infirmitatem diem extremum

clauserat, emisso per suos ad Sanctum istum voto, eius meritis reddita fuit vitae.

§ 25. Quaedam puella nobilis, quae ex casu ad terram de nutricis brachiis per octo menses passa fuerat surditatem, facto voto ad praedictum Sanctum per patrem, a dicta surditate ad plenum extitit liberata.

§ 26. Quidam cum post febrem continuam perdidisset loquelam et sic mutus per mensem integrum permansisset, adductus ad sepulchrum Sancti huius, fuit ibidem loquelae, finita missa, restitutus.

§ 27. Mulier quaedam, quae subito muta et impotens de uno brachio facta fuit, ac infirmitate sibi per mensem durante, emisso voto per matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta. Quaedam etiam mulier, dum ex partu quodam violento, de puero mortuo et in eius utero transversato, contracta in manibus et pedibus et femoribus, biennio permansisset, facto voto ad Sanctum praefatum, quod si curaretur, scoparet in tota vita ecclesiam in qua iacet, dormire coepit, et expergefacta, a morbo praedicto penitus est curata. Vir quidam passus annis sex guttam in manu et brachio, ventre ac humero, facto voto quod eius limina visitaret, statim fuit sanitatis beneficium consequutus. Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quae ipsum afflixit graviter diebus septem, facto voto ad memoratum Sanctum, diligentius eius tumulum visitando, recepit continuo sanitatem. Quaedam mulier, quae per octo annos morbo epileptico quasi quotidie gravabatur, emisso voto, quod sepulchrum eius, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit, sicque ex tunc de morbo ipso penitus nihil sensit. Monialis quaedam, quae post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurrebat in omnibus membris eius, in tantum quod in duodecim diebus, nisi alieno adiutorio, de lecto non poterat se movere, portato sibi pedali panno, qui quondam Sancti huius dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana et incolumis est effecta. Cum homo quidam, qui miraculis istius Sancti detrahere nitebatur, reversationem faciei et oculorum turpiter incurrisset, sicque manens per dies sex, huic Sancto cum devotione qua poterat, se devovisset, ad sepulchrum eius veniens et offerens caput cereum, antequam exiret Ecclesiam, perfecte reperit se curatum.

*Gaudendum itaque in Ecclesia.*

§ 28. Haec sunt mirabilia opera solius Altissimi, quibus et aliis quampluribus mirificare voluit Sanctum istum, ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noster, cuius dextera huic episcopo confert stelliferum regni diadema. Applaudant et isti pariter coeli cives, quorum coetibus Sanctus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altissime Franciae, Siciliae ac Hungariae regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem uvam, cuius liquor coelos laetificans, abunde funditur in calice Summi Regis. Laetetur insuper civitas Tolosana tanto ditata praesule, quem apud Deum advocatum habet sedulum et patronum. Vere felix es, o tu, Marsilia, facta divinorum aromatum tam sancti corporis apotheca. Sed et fratrum Minorum ordo conspicuus, novae laudis canticum promere non desistat in aula coelesti, tam praeclarum alumnum divinis festive conspectibus repraesentans.

*Sanctorum Confessorum catalogo adscribitur:*

§ 29. Caeterum, quia convenit, ut quem Dominus in coelo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitae ac veritate miraculorum ipsius inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solertem et studiosam examinationem et discussionem solemnem, supplicatione devota et humili praelatorum omnium apud Sedem Apostolicam existentium cum instantia requisiti, de fratrum nostrorum consilio et assensu, de omnipotentis Dei virtute confisi, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, et nostra, ipsum septima die aprilis sancto-

rum confessorum cathalogo duximus adscribendum.

Eiusque annua festivitas indicitur:

§ 30. Ideoque universitatem vestram monemus et exhortamur attente, per apostolica scripta vobis praecipiendo mandantes, quatenus quartodecimo kalendarum septembrium festum eiusdem episcopi et confessoris devote celebretis solemniter, et faciatis a vestris subditis devotione congrua celebrari, ut pia eius intercessione hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Indulgentia eius sepulchrum visitantib. proposita.

§ 31. Et ut ad mirabile eius sepulchrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem confessoris colatur festivitas, omnibus vere poenitentibus et confessis; qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, duos annos et duas quadragenas, accedentibus vero ad praedictum sepulchrum annis singulis infra eiusdem festi octavam, unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Avinione 7 idus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 7 aprilis 1317, pontif. anno I.

---

## III.

*Indictio induciarum inter Angliae et Scotiae reges, sub eadem poena excommunicationis contra violantes* (1).

SUMMARIUM

Mala quae ex huiusmodi dissensione orta sunt, deplorat. — 1. Treugas indicit. — 2. Obstantium derogatio. — 3. Induciarum tempus. — 4. Irritatio iuramentorum, foederum, *etc.*, pro bello factorum.

(1) Ex Regest. Vatic.



**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Mala quae ex huiusmodi dissensione orta sunt, deplorat.

Vocatis nobis, licet insufficientibus meritis, ad apostolatus officium occurrit quasi confestim considerationis nostrae conspectui acerbis infesta molestiis periculosa dissentio, quam inter charissimum in Christo filium nostrum Eduvardum regem Angliae illustrem, et dilectum filium nobilem virum Robertum de Brus, gerentem se pro rege Scotiae, iam dudum incentor malorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstantias, quas frequenter, dum nos minor status haberet', intra pectoris claustra revolvimus, repraesentans. Hinc etenim se offerebant et offerunt nostris obtutibus, impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, et praecipue Terrae Sanctae desertae incolis christifidelibus, ipsorumque destitutae suffragiis, cui, catholicis principibus distractis ad bella civilia, consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis: hinc se ingerebant et ingerunt animarum pericula, christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, et non solum ipsorum dissidentium, suarumque gentium, sed et quamplurium aliorum in ipsorum commotione periculosa turbatio, pariter et damnosa: haec quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrum interpellant officium, ut ad occurrendum per oportuna remedia tanto religionis christianae discrimini ocius exurgamus.

Treugas indicit.

§ 1. Attendentes igitur, quod ad nos, qui, licet immeriti, vices Regis pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatis apostolorum Principi, suisque successoribus ex alto concessae, singulariter pertinet in universali Ecclesia cunctave congregatione fidelium pacem quaerere, ac ipsam facere diligentius observari, inter praefatos regem Angliae, ac gerentem se pro rege Scotiae, auctoritate apostolica treugas, quarum foedus imaginem pacis inducit, indicimus usque ad bien-

nium duraturas; ac in eos et omnes et singulos eorum adiutores, valitores, consiliarios, sequaces, complices et etiam adhaerentes, treugas infringentes easdem, aut quomodolibet non servantes, excommunicationis sententiam promulgamus.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus, si regi et gerenti praedictis, aut ipsis adhaerentibus, seu cuivis eorum a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari non possint, per literas Sedis eiusdem non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus praesentium impediri possit, vel quomodolibet retardari.

Induciarum tempus.

§ 3. Treugas autem et sententiam antedictas a die notificationis seu publicationis ipsarum suum effectum volumus obtinere.

Irritatio iuramentorum, foederum, etc., pro bello factorum.

§ 4. Vassallos insuper et subditos regis et gerentis praedictorum, a iuramento fidelitatis, quo eis vel eorum alteri tenentur astricti, quantum ad huius guerrae seu dissentionis articulum, cum in illicitis eis obedire non debeant, per idem tempus absolvimus, et nihilominus promissiones et obligationes, quae inter regem et gerentem praedictos et quoscumque alios, super belli seu conflictus utrinque committendi processum, necnon confoederationes, colligationes et pactiones, quae inter ipsum et quosvis alios ex una parte, ac praedictum gerentem et alios quoscumque ex altera intervenerint pro ipsa fovenda discordia, utpote contra bonum pacis praesumptas illicite et attentatas in divinae maiestatis offensam; et quascumque poenas adiectas ac iuramenta praestita super iis sub quibuscumque forma, modo vel expressione verborum, praesertim cum iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, ex nunc nulla fore decernimus, et quatenus de facto processerint, irritamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulgationis, absolutionis et irritationis infringere, *etc.*

Datum Avenioni kalendis maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 maii 1317, pontif. anno I.

---

## IV.

*Erectio episcopatus Castren., eiusque disiunctio ab Ecclesia Albien.* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Causae huiusmodi faciendae erectionis. — Divisio Albien. episcopatus. — 2. Erectio episcopatus Castren. — Monasterium S. Benedicti, quod in cathedralem Ecclesiam erigitur, a Massilien. monasterii subiectione eximitur. — 3. Validatio praesentis constitutionis. — 4. Poenae contra eam quomodolibet infringentes.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Salvator noster, cuius nutui cuncta subserviunt, in agro mundi huius messem multam aspiciens et operariorum raritatem attendens, dominum messis rogandum esse, ut in illam operarios mitteret, censuit; et ipse idem exiens mane veluti paterfamilias diligens, horis diei variis operarios in vineam suam misit. Romanus itaque Pontifex, qui sicut, eodem Domino disponente, vicarius eius in terris esse dignoscitur, sic et Ipsius actibus, in quantum sinit humana fragilitas, se conformare tenetur, ubi superexcrescere messem, populi videlicet multitudinem, viderit, operarios debet opportunos adiicere, et iuxta propheticum verbum augere custodiam, levare custodes, ac cultores idoneos in dominicam vineam destinare.

Causae huiusmodi faciendae erectionis.

§ 1. Sane considerantes attentius, et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod tanta multitudine populi, quanta foecundavit Altissimus ci-

(1) Ex Regest. Vatic.

vitatem et dioecesim Albien., quibus certis ex causis est magis exacta et diligens custodia adhibenda, singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere oves (1); nec morbidas, quae gregem inficiunt, a sanis, ut expediebat, separatim discernere, aut alias partes boni pastoris implere: quodque reddituum episcopatus Albien. opulentia copiosa pluribus poterat abunde sufficere; nec non quod episcopus Albien. duas partes denunciationum Ecclesiarum sibi subditarum communiter percipere consuevit, et naturaliter obligantur personae ecclesiasticae, ut altari serviant, quae de altari vivunt; et unicuique altari, de quo vivunt, tanto propensiorem et specialem curam et diligentiam singularem adhibere debeant, quanto amplius de eo suscipiunt et per ipsum abundantius sustentantur; necnon quotidiana sollicitari instantia et diffusius seminare spiritualia iis, a quibus assidue cardinalia metere dignoscuntur; nos cultum augere divinum et spiritualem animarum profectum, quem, si iuxta facultatum exigentiam duorum in eadem utilium praesulum custodia deputetur, indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis, praehabito super hoc diligenti tractatu, ex certa nostra scientia, de fratrum nostrorum concordi consilio et apostolicae plenitudine potestatis, ad laudem Dei, et ad exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem, episcopatum Albien., suamque dioecesim auctoritate apostolica dividimus in duas dioeceses, quas per certos distingui limites faciemus.

Divisio Albien. episcopatus.

§ 2. Volentes ac decernentes auctoritate praedicta, de fratrum ipsorum consilio et praedictae plenitudine potestatis, quod praeter civitatem Albien., quae suam propriam et distinctam habebit dioecesim certis finibus limitandam, villam de Castris dictae olim dioecesis, quam veluti ad hoc convenientem et accommodam eadem auctoritate in civitatem erigimus et civitatis titulo insignimus, separatam dioecesim habeat, certis limitibus a dioecesi remansura Albien. distinguendam: quodque ecclesia monasterii Sancti Benedicti civitatis eiusdem ordinis S. Benedicti sit de caetero et habeatur perpetuo Ecclesia cathedralis ipsius, et civitate praedicta cum suis capitulo, clero et populo ac dioecesi, ab omni iurisdictione, potestate ac superioritate Albien. episcopi et capituli ac eiusdem Albien. Ecclesiae, nec non abbatis, conventus et monasterii Massilien., remanentibus omnino liberis et exemptis. Nos enim licet idem quondam monasterium cum membris suis a praedicto dependere hactenus monasterio nosceretur, ipsumque monasterium vel abbas eiusdem iura quaedam et superioritatem in praedicta beati Benedicti Ecclesia obtineret, de consilio, auctoritate et potestate praedictis Ecclesiam et civitatem easdem ad censum aliquem, ullamve praestationem vel subiectionem quamcumque memoratis abbati, conventui et monasterio volumus et decernimus in anima non teneri; quinimo ipsam ab omnibus praedictis absolvimus et totaliter liberamus; iura omnia, quae in Ecclesia praedicta praefatum monasterium aut abbas illius olim quomodocumque habebat, in dictam Castren. Ecclesiam transferentes, et illa penes eam plene et integraliter volentes perpetuo remanere.

Erectio episcopat. Castren.

Monasterium S. Benedicti, quod in cathedralem Ecclesiam erigitur, a Massilien. monasterii subiectione eximitur

§ 3. Haec igitur, per dictae Sedis prudentiam circumspectam sic facta salubriter et utiliter ordinata, perpetuis esse valitura temporibus et robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate praedicta districtius inhibemus, ne aliquis cuiuscumque praeminentiae, ordinis, conditionis aut status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali seu regia praefulgeat dignitate, huiusmodi ordinationem apostolicam et alia supradicta, quovis quaesito colore vel modo, sive causa vel occasione qualibet adinventis, turbare seu quomodolibet impedire praesumat.

Validatio praesentis constitutionis.

§ 4. Nos enim irritum decernimus et

(1) Forsan *singularum .... ovium.*

Poenae contra eam quomodolibet infringentes

inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari; et nihilominus in eos, qui ex certa scientia contrarium praesumpserint, nisi infra octo dierum spatium post publicationem praesentium resipuerint cum effectu, excommunicationis in personas et interdicti in universitates ac suspensionis sententias in conventus, capitula seu collegia promulgamus, de consilio et auctoritate praedictis, a quibus, nonnisi per Romanum Pontificem, absolutionis beneficium, praeterquam in mortis articulo, valeant obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum divisionis, erectionis, insignitionis, absolutionis, liberationis, translationis, voluntatum, inhibitionis, constitutionis et promulgationis infringere, *etc.*

Datum Avenioni septimo idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 9 iulii 1317, pontif. anno I.

---

## V.

*Erectio Ecclesiae de Sancto Floro cum disiunctione illius ab episcopatu Claromontensi* (1).

### SUMMARIUM

Causae novae faciendae erectionis. — 1. Prioratus de S. Floro in cathedralem erectus ab omni dependentia solvitur. — 2. Redditus novae Ecclesiae assignati.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Causae novae faciendae erectionis.

Salvator noster, *etc.*, *ut in superiori, usque ad verba* quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Claromonten. singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere; quodque durum erat atque difficile in eadem dioecesi, quae lata nimium et diffusa existit, ad unum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi; nos cultum augeri divinum et spiritualem animarum profectum, quem ex subscriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis, cum venerabili fratre nostro Alberto Claromonten. episcopo habito super hoc diligenti tractatu, *etc.*, *usque ad verba* fideliumque salutem, episcopatum Claromonten., *etc.*, *usque ad verba* quod praeter civitatem Claromonten., *etc.*, *usque ad verba* certis finibus limitandam, villam de Sancto Floro dictae olim dioecesis, *etc.*, *usque ad verba* separatam habeat dioecesim a dioecesi remansura Claromonten. civitatis certis limitibus distinguendum; quodque prioratus conventualis quondam Sancti Flori Cluniacen. ordinis civitatis eiusdem, ubi corpus ipsius sancti Flori confessoris dictae Ecclesiae reconditum, sit de caetero et habeatur perpetuo ecclesia cathedralis, ipsa et civitate praedicta cum suis capitulo ac dioecesi ab omni iurisdictione, potestate ac superioritate Claromonten. episcopi et capituli eiusdem ac Claromonten. Ecclesiae, nec non ordinis, abbatis, conventus et monasterii Cluniacen., remanentibus omnino liberis et exemptis.

Prioratus de S. Floro in cathedralem erectus ab omni dependentia solvitur.

§ 1. Nos enim, licet idem quondam prioratus cum membris suis tam in spiritualibus, quam in temporalibus ex praedicto dependere hactenus monasterio nosceretur, ipsumque monasterium vel abbas eiusdem iura quaedam temporalia et superioritatem etiam temporalem, in civitate praedicta et eius incolis obtineret, de consilio, auctoritate et potestate praedictis ecclesiam et civitatem easdem ad censum aliquem, nullamve praestationem aut servitium vel subventionem quamcumque memoratis ordini, abbati, conventui et monasterio communiter vel divisim volumus et decernimus in antea non teneri; quinimo ipsam Ecclesiam et civitatem cum membris suis, iuribus, pertinentiis et districtu ab omnibus praedictis absolvimus et totaliter liberamus, iura omnia superioritatis et alia, quibus in civitate praedicta et incolis, pertinentiis, ac districtu

(1) Ex Archiv. Vatic.

eiusdem, praefatum monasterium, aut abbas illius mediate vel immediate, seu alias quomodocumque habebat, quaecumque et qualiacumque illa sint et quocumque nomine censeantur, in dictam Sancti Flori ecclesiam et eius episcopum, qui erit pro tempore, transferentes, illaque penes eos volentes plene et integraliter perpetuo remanere.

Redditus novae Ecclesiae assignati.

§ 2. Verum, quia eadem Ecclesia facultates non habet correspondentes honori et statui, ad quos noviter est provecta, auctoritate praedicta decernimus, ipsam sic honorandam esse in facultatibus et augendam, quod mensa episcopalis eiusdem quinque millia librarum parvorum Turonen. annui et perpetui redditus habeat, tam de bonis et rebus mensae episcopalis Claromonten., eidem ecclesiae Sancti Flori magis accommodis et propinquis, quam etiam de bonis et rebus eiusdem Sancti Flori Ecclesiae, quae iam dictae episcopali mensae ipsius convenientius remanere poterunt, iuxta communem extimationem bonorum et rerum huiusmodi reddituulium situanda. Haec igitur, *etc.*, *usque ad verba* ordinationem apostolicam seu aliquem vel aliquod de contentis in ea quovis quaesito, *etc.*, *usque ad verba* valeant obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum divisionis, voluntatum, constitutionum, erectionis, insignitionis, absolutionis, liberationis, translationis, inhibitionis et promulgationis infringere, *etc.*

Datum Avenioni septimo idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die annoque eodem.

---

## VI.

*Divisio episcopatus Tholosan. in quatuor alias Ecclesias suffraganeas, scilicet Montisalban., Sancti Papuli, Lumbriacen. et Riven., eiusque erectio in metropolitanam Ecclesiam* (1).

(1) Ex Regest. Vatic.

SUMMARIUM

1. Causae dividendi Tholosanum episcopatum. — 2. Clemens IV hanc divisionem meditabatur. — 3. Divisio (*de qua in rubrica*). — 4. Erectio quatuor episcopatuum. — 5. Tholosanae Ecclesiae in metropolitanam erectio. — 6. Dictae quatuor eidem subiiciuntur. — 7. Unicuique sui assignantur redditus. — 8, 9. Beneficiorum collatio Sedi Apost. certo tempore reservatur.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Salvator noster *etc.*

Causae dividendi Tholosanum episcopatum.

§ 1. Sane considerantes attentius et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Tholosanam, singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere: quodque durum erat atque difficile in tam lata et diffusa dioecesi ad unum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi; attendentes etiam, quod, licet Tholosanus episcopatus divitiis abundaret immensis, vix tamen supererat hucusque memoria, quod ex suorum opulentia copiosa reddituum aliquod in Ecclesia vel dioecesi Tholosana provenisset divini cultus augumentum, immo sic ex adipe prodierit et prodibat iniquitas, ut multo iam tempore luxus, cura carnis in desideriis, evectionum pompa, numerositas clientelae, immoderata distributio in parentes, sumptus enormes, ac usus extraordinarios sibi vindicassent ibidem quasi totum patrimonium Crucifixi; et verendum erat, ne praesul unicus Tholosanus incrassatus et dilatatus ex excessivis huiusmodi opibus et superbis periculose recalcitrans, Deum factorem suum derelinqueret, et a suo salutari recedens, perditionis exempla in subditos derivaret.

Clemens IV hanc divisionem meditabatur.

§ 2. Pensantes quoque, quod sanctae memoriae Clemens Papa quartus praedecessor noster eo etiam tempore quo civitas et dioecesis antefatae longe minus

in populo ac redditibus affluebant, cum ex tunc, benedicente Domino, incredibiliter creverint in utroque, et iugiter crescere dignoscantur, spiritu beatae considerationis inductus, ad divisionem episcopatus eiusdem firmiter, dum viveret, intendebat, licet morte praeventus suum in hac parte nequiverit implere conceptum.

Divisio (de qua in rubrica).

§ 3. Nos pium praedecessoris praedicti propositum in effectum volentes adducere, et non tam dissipare malum, quod praedictorum redditaum copia excessiva produxit, quam etiam cultum augere divinum, et spiritualem animarum profectum, quae, si iuxta facultatum exigentiam ac diffusam latitudinem dictae dioecesis sufficiens numerus in eadem utilium praesulum deputetur, indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes; praemissis, et aliis suadentibus iustis causis, ex certa nostra scientia, de fratrum nostrorum concordi consilio et apostolicae plenitudine potestatis, ad laudem Dei, exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem, episcopatum ipsum, dictamque dioecesim Tholosanam apostolica auctoritate dividimus in quinque dioeceses, quas per certos distingui limites faciemus.

Erectio quatuor episcopatuum.

§ 4. Volentes ac decernentes de fratrum nostrorum consilio et praedictae plenitudine potestatis, quod praeter civitatem Tholosanam, quae suam propriam et distinctam habebit dioecesim certis finibus limitandam, subscriptae quatuor villae, quarum quamlibet eodem consilio et auctoritate in civitatem erigimus, et civitatis vocabulo insignimus, scilicet de Montealbano pridem de Caturcen., cui adiicietur certa pars dictae quondam dioecesis Tholosanae ac Sancti Papuli et Lumberiaci et de Rivis de Bolbestria, de ipsa quondam Tholosana dioecesi existentes, quatuor separatas dioeceses habeant certis limitibus distinguendas; quodque beati Martini de Montealbano, ubi corpus sancti Theodardi confessoris dicitur esse reconditum, praedictae civitatis Montisalbani et beati Papuli dictae civitatis Sancti Papuli, ac beate Mariae de Lumberiaco civitatis praedictae Lumberiaci, nec non beatae Mariae de Rivis Ecclesiae ipsius civitatis Riven., sint de caetero et habeantur perpetuo Ecclesiae cathedrales.

Tholosanae Ecclesiae in metropolitanam erectio.

§ 5. Et quia Ecclesia Tholosana, sicut solemniori statu et conditione potiori praefulget, sic et est grandioris honoris titulis efferenda, ipsam huc usque suffraganeam Ecclesiae Narbonensis ac totam quondam dioecesim Tholosanam, de fratrum ipsorum consilio, et ex certa nostra scientia et apostolicae plenitudine potestatis, ab omni iurisdictione, potestate ac subiectione archiepiscopi, capituli et eiusdem Ecclesiae Narbonen. penitus eximentes, eam ad laudem divini Nominis, et honorem Ecclesiae suae in archiepiscopalem seu metropolitanam erigimus, eamque honoribus et insigniis sedis metropoliticae decoramus, auctoritate apostolica decernendo, ut ex nunc pro metropolitana Ecclesia in perpetuum habeatur.

Dictae quatuor eidem subiiciuntur.

§ 6. Quia etiam dignum est, ut ex quo de filia facta mater metropoliticae dignitatis suscepit insignia, suffraganearum congruum numerum filiarum, ac decentem provinciam habeat, ut ad iudicium archiepiscopi Tholosan., qui pro tempore fuerit, omnes causae suffraganeorum episcoporum et personarum ecclesiasticarum ac civitatum eiusdem provinciae iuxta sacrorum statuta canonum referantur; nos praefatas quatuor civitates et Ecclesias cathedrales cum earum dioecesi, ut praemittitur, distinguendas, nec non civitatem et Ecclesiam Appamiarum cum sua dioecesi ex nunc ipsius Ecclesiae Tholosanae suffraganeas, et de provincia Tholosana in perpetuum fore decernimus, et iure metropolitico subiicimus, et subiectas esse volumus eas illi praenominatas Montis Albani, quae de dioecesi Caturcen. et Bituricen. provincia ac Appamien. civitates et Ecclesias, quae de provincia Narbonen. hactenus fuisse noscuntur, nec non reliquas tres civitates, Ecclesias Sancti Papuli Riven. et Lumbriacen., quae ab olim de

dioecesi Tholosan. fuerunt, cum earum dioecesibus, canonicatibus, collegiis sive capitulis a iurisdictione, potestate ac subiectione quacumque Bituricen. et Narbonen. archiepiscoporum ac Caturcen. et quondam Tholosan. episcoporum, capitulorum etiam, abbatum atque conventuum et ordinariorum quorumlibet et aliarum Ecclesiarum, quibus quomodolibet fuerunt huc usque subiectae, auctoritate praesentium perpetuo eximentes, de praedictorum consilio et plenitudine potestatis.

Unicuique sui assignantur redditus.

§ 7. De bonis autem, redditibus, proventibus et iuribus dicti quondam episcopatus Tholosan. ipsi Tholos. decem millia, et singulis aliis praedictis Ecclesiis, Appamiarum excepta, cui de ipsis bonis, redditibus, proventibus et iuribus ultra illa, quae habere dignoscitur, certam assignabimus portionem nostris aliis litteris distinguendam, singulis quinque millia librarum Turon. annui et perpetui redditus, quae quidem unicuique illarum suisque pontificalibus dignitate ac onere et circumstantiis aliis attente pensatis debere sufficere vidimus, praeter redditus et proventus et iura, quae ad praedictas Ecclesias et conventus earum antea pertinebant, de quibus ad honorem Dei et ipsarum Ecclesiarum commodum intendimus ordinare ex nunc, auctoritate praedicta, et de consilio ac plenitudine memoratis, concedimus, donamus et etiam deputamus percipienda integraliter per ipsarum Ecclesiarum praesules, qui pro tempore fuerint, in rebus et locis cuilibet magis adiacentibus et vicinis iuxta distinctionem et limitationem dioecesium singularum, per alias nostras literas faciendam.

Beneficiorum collatio Sedi Apost. certo tempore reservatur.

§ 8. Interim autem, distinctione seu limitatione praedicta pendente, volumus, quod eorum quilibet summam eum contingentem pro rata percipiat annuatim de bonis redditibus et iuribus antedictis per manus eorum quos ad id providimus deputandos: residuum vero bonorum, redditaum et proventuum et iurium ipsorum, quod facta de illis, ut praemissum est, assignatione supererit, nec non iurisdictionem temporalem et spiritualem, quae ad dictum quondam episcopatum Tholosanum usque ad tempus divisionis huiusmodi pertinebat, et quam, distinctione seu limitatione praetacta pendente, faciemus per idoneas exerceri personas, ac beneficia omnia ecclesiastica, etiamsi dignitates, personatus vel officia existant, (1) iis, ad quae vel quos per electionem assumitur, et in quibus vel ad quae auctoritate litterarum apostolicarum alicui seu aliquibus ius est aliquod acquisitum, quibus per id nullum volumus praeiudicium generari, vacantibus nunc et in antea usque ad distinctionem vel limitationem praedictarum dioecesum, in civitate Tholosan., dictaque quondam dioecesi vacantia, dispositioni nostrae, ac Sedis Apostolicae, de fratrum nostrorum consilio reservamus.

§ 9. Haec igitur, *etc.*

Datum Avenioni quinto idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 11 iulii 1317, pontif. anno I.

---

## VII.

*Divisio episcopatus Pictavien. ac Malleacen. et Linconien. Ecclesiarum ordinis sancti Benedicti in cathedrales Ecclesias erectio* (2).

SUMMARIUM

1. Causae divisionis et erectionis. — Divisio. — 2, 3. Nova erectio. — Reddituum assignatio. — Divisio.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Salvator noster, *etc.*

Causae divisionis et erectionis.

§ 1. Sane considerantes attentius et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Pictaven., singulorum vultus nequibat, ut quondam (3) unicus pa-

(1) Addendum forsan *exceptis*. (2) Ex Regest. Vatic. (3) Alias *ut condecet*.

stor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere, quodque durum erat atque difficile in eadem dioecesi, quae lata et diffusa extitit, ad unum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi; nos cultum augere divinum et spiritualem animarum profectum, quem ex subscriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis, cum fratribus nostris habito super hoc diligenti tractatu, de ipsorum consilio et ex certa scientia et apostolicae plenitudine potestatis ad laudem Dei et exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem episcopatum et dioecesim Pictaven. in tres dioeceses certis portionibus seu limitibus ipsarum cuilibet, ut infra subiungitur, assignatis, apostolica auctoritate dividimus, et Malleacen. ac de Linconio villas pridem de Pictaven. dioecesi existentes veluti loca insignia et ad id convenientia et accommoda, ac rerum ubertate foecunda, de novo in civitates erigimus et civitatis vocabulo decoramus.

Divisio.

§ 1. Volentes ac decernentes auctoritate praedicta, de ipsorum fratrum consilio ac eiusdem plenitudine potestatis, ut Malleacen. et de Linconio dudum monasteriorum Ecclesiae ordinis sancti Benedicti sint de caetero et habeantur perpetuo Ecclesiae cathedrales, et quod tam praelibata civitas Pictaven., quam dictae villae iam per nos, ut praemittitur, civitatis titulis insignitae, ipsarum videlicet singulae suam propriam et distinctam dioecesim habeant a duabus reliquis, prout sequitur, separatam, et ut ipsarum quaelibet habeat dioecesim magis accommodam et decentem de Fontiniaco, de Sancto Laurentio, de Vimbris et de Berterio decanatus, et archidiaconatum de Arduno rurales civitati Malleacen., Maroli vero Thalenuidum Assianen. et Montis Acuti decanatus, et archidiaconatum. Asperien., rurales dudum de praedicta dioecesi Pictaven. existentes ipsi civitati de Linconio, cum ecclesiis, dignitatibus, personatibus, territoriis, iuribus et pertinentiis eorumdem, monasteriis quoque ac prioratibus saecularibus et regularibus ac iurisdictionibus omnibus temporalibus et spiritualibus, prout hactenus fuerant dioecesis Pictaven., et episcopo Pictaven. competebant quomodolibet, in suas dioeceses perpetuo deputamus et etiam assignamus, exceptis homagiis et deveriis (1), si aliquam praedictis vel earum altera dioecesi existerent, ratione quorum dumtaxat quivis tenetur facere homagium episcopo Pictaven., ac ipsum in iucundo adventu suo ex debito ratione praedictorum portare, ab Ecclesia Beatae Maioris Pictaven. usque ad Ecclesiam cathedralem Pictaven., quae erunt et remanebunt episcopo Pictaven., dictasque dioeceses deputatas et taliter assignatas episcopis, qui pro tempore fuerint, et capitulis et Ecclesiis Malleacen. et de Linconio praedictis iuxta divisionem, deputationem et assignationem nostras huiusmodi de dictis dioecesibus factas spiritualiter et temporaliter ordinario episcopali iuri subiicimus, ac ipsos ab omnimoda spirituali et temporali iurisdictione ordinaria ac superioritate episcopi, capituli et Ecclesiae Pictaven. in totum eximimus ac etiam liberamus, volentes, ut quicquid in ipsis Malleacen. et de Linconio dioecesibus per nos totaliter limitatis præeminentiae, maioritatis, superioritatis, iurisdictionis et exercitii, iuris spiritualis et temporalis praelibato episcopo, capitulo et Ecclesiae Pictaven. iure ordinario nunc usque competit de caetero episcopis, qui erunt pro tempore ac capitulis et Ecclesiis Malleacen. et de Linconio praedictis perpetuo iuxta praemissas divisionem, deputationem et assignationem nostras eodem iure competat in eisdem, iura proventus et redditus dignitatum, personatuum et officiorum Ecclesiae Pictaven. in nullo praeter hoc diminuere intendentes, reliqua parte dictae dioecesis Pictaven., praeter eosdem decanatus et archidiaconatus cum suis districtibus et iurisdic-

Nova erectio.

Reddituum assignatio.

Divisio.

(1) Deverium, *debitum, pensitatio*. Ducange.

tionibus superius nominatis quantacumque et in quibuscumque consistant praelibatae civitati Pictaven. in sua dioecesi integraliter remanente.

§ 2. Haec igitur per dictae Sedis, *etc.* Datum Avenioni idibus augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 13 augusti 1317, pontif. anno I.

---

## VIII.

***Dismembratio Ecclesiae Agennen., et erectio villae de Condomio eiusdem dioecesis in episcopatum Condomien.*** (1).

SUMMARIUM

1. Causae novae faciendae erectionis. — Divisio Agennen. dioecesis. — Erectio novi episcopatus Condomien. — 2. Validatio *etc.*

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Salvator noster, *etc.*

Causae novae faciendae erectionis.

§ 1. Sane considerantes attentius et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Agennen., singulorum vultus nequibat, ut condecet, unus pastor inspicere, et alias partes boni pastoris implere: quodque durum erat atque difficile in eadem dioecesi, quae lata et diffusa existit, ad unicum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi: nos cultum augere divinum, et spiritualem animarum profectum, quem ex subscriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis, cum fratribus nostris habito super hoc diligenti tractatu, de ipsorum consilio et ex certa nostra scientia ac apostolicae plenitudine potestatis, ad laudem Dei et exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem, Agennen. dioecesim auctoritate apostolica dividimus in duas dioeceses, quas per certos distingui limites faciemus, volentes ac etiam decernentes auctoritate praedicta de fratrum nostrorum consilio, et eiusdem plenitudine potestatis, quod praeter civitatem Agennen., quae suam propriam et distinctam habebit dioecesim certis finibus limitandam, villa de Condomio dictae olim dioecesis, quam veluti ad hoc convenientem et accommodam eadem auctoritate in civitatem erigimus et civitatis vocabulo insignimus, separatam dioecesim habeat, a dioecesi remansura civitati Agennen. certis limitibus distinguendam, quodque Ecclesia Sancti Petri quondam monasterii Condomien. civitatis eiusdem sit de caetero et habeatur perpetuo Ecclesia cathedralis, ipsa et civitate Condomien., praedicta cum suis capitulo et dioecesi, per nos, ut praemittitur, limitanda, ab omni iurisdictione, potestate ac superioritate Agennen. episcopi et capituli et Ecclesiae Agennen., remanentibus omnino liberis et exemptis, nullo praedictis Agennen. episcopo et capitulo ac Ecclesiae Agennen. superioritatis aut maioritatis titulo civitati Condomien. cum suis capitulo et dioecesi quomodolibet remanente.

Divisio Agennen. dioecesis.

Erectio novi episcopat. Condomien.

§ 2. Haec igitur, *etc.*

Validatio etc.

Datum Avenioni idibus augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die annoque eodem.

(1) Ex Regest. Vatic.

---

## IX.

*Erectio episcopatus Vabrensis* (1).

SUMMARIUM

1. Ruthenen. dioecesis divisio in duas. — Vabrensis episcopatus erectio, qui exemptus omnino a iure monasterii Massiliensis declaratur.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Salvator noster, *etc.*

§ 1. Sane considerantes attentius et intra pectoris claustra meditatione sollicita

(1) Ex Gall. Christian., nov. edit, tom. I, pag. 58.

revolventes, quod in tanta multitudine populi quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Ruthen. singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere: nos cultum augere divinum et spiritualem animarum profectum, quem ex subscriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis, praehabito super hoc diligenti tractatu, ex certa scientia, de fratrum nostrorum concordi consilio et apostolicae plenitudine potestatis, ad laudem Dei et exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem, episcopatum Ruthenensem, suamque dioecesim auctoritate apostolica dividimus in duas dioeceses, quas per certos distingui limites faciemus, volentes ac decernentes auctoritate praedicta, de fratrum ipsorum consilio et praedictae plenitudine potestatis, quod praeter civitatem Ruthenensem, quae suam propriam et distinctam habebit dioecesim, certis finibus limitandam, villa de Vabro dictae quondam dioecesis, quam veluti ad hoc convenientem et commodam, eadem auctoritate et dictorum fratrum consilio, in civitatem erigimus, civitatisque titulo insignimus, separatam dioecesim habeat certis limitibus a dioecesi remansura Ruthenensi ac civitatem dictis limitibus distinguendam: quodque Ecclesia monasterii Sancti Salvatoris civitatis eiusdem ordinis Sancti Benedicti sit de caetero et habeatur perpetuo Ecclesia cathedralis, ipsa et civitate praedicta cum suis capitulo, clero et populo ac dioecesi ab omni iurisdictione et potestate ac superioritate Ruthenensis episcopi et capituli eiusdem Ruthenensis Ecclesiae, necnon abbatis et conventus et monasterii Massiliensis, a quo huiusmodi monasterium Sancti Salvatoris dependebat, remanentibus omnino liberis et exemptis. Nos enim, licet idem quondam monasterium Sancti Salvatoris Vabrensis cum membris suis a praedicto dependere hactenus monasterio Massiliensi nosceretur, ipsumque monasterium Massiliense, vel abbas eiusdem iura quaedam et superioritatem in praedicta ecclesia Sancti Salvatoris hactenus obtineret, de consilio, auctoritate et potestate praedictis, ecclesiam et civitatem easdem ad censum aliquem, ullamve praestationem vel subiectionem quamcumque memoratis abbati, conventui et monasterio Massiliensi volumus et decernimus in antea non teneri, quinimo ipsam ab omnibus praedictis absolvimus et totaliter liberamus. Iura quae in ecclesia praedicta Sancti Salvatoris, civitate, incolis, pertinentiis ac districtibus eiusdem praefatum monasterium Massiliense, aut abbas illius, mediate vel immediate olim quomodocumque habebat, quaecumque et qualitercumque illa sint, et quocumque nomine censeantur, in dictam Ecclesiam Vabrensem transferentes et illa penes eam plene et integraliter volentes perpetuo remanere. Haec igitur, *etc.*

Ruthenen dioecesis divisio in duas

Vabrensis episcopatus erectio, qui exemptus omnino a iure monasterii Massiliensis declaratur.

Datum Avenione idibus augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die annoque eodem.

---

## X.

*Contra haereticos, vel de haeresi suspectos et iudaeos ad fidem catholicam conversos, ab eaque apostatantes, quamvis ad Ecclesiam confugiant, esse procedendum.*

### SUMMARIUM

Ab apostasia redeuntes, *etc.*, ad ecclesias confugiebant, ne caperentur. — 1. Contra eos procedi posse ab inquisitoribus declarat Pontifex. — 2. Episcopis mandat, ne eos impediant.

**Ioannes Papa XXII, inquisitoribus haereticae pravitatis per regnum Franciae constitutis.**

Ex parte vestra fuit nuper propositum coram nobis, quod nonnulli de haeretica pravitate culpabiles vel suspecti aut accusati, seu conversi de iudaica caecitate ad fidem catholicam, postmodum apostatan-

Ab apostasia redeuntes, etc., ad eccles. confugiebant, ne caperentur.

tes ab ipsa, ad ecclesias confugiunt, non ad salutis remedium, sed ut vestras manus effugiant et suorum scelerum vitent iudicium ultionis; super quo Apostolicae Sedis providentiam humiliter implorastis.

Contra eos procedi posse ab inquisitor. declarat Pontifex.

§ 1. Nos igitur ad extirpandos orthodoxae fidei inimicos, et herbam tam noxiam et pestiferam de horto Dominico radicitus evellendam, solicitis studiis intendentes, discretioni vestrae ad instar foel. rec. Martini Papae quarti, praedecessoris nostri, qui per apostolicas literas inquisitoribus haereticae pravitatis per regnum Franciae constitutis idem mandavit; per apostolica scripta mandamus, quatenus contra illos, quos de huiusmodi haeretica pravitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter suspectos esse vobis constiterit, accusatos etiam de labe praedicta, conversos quoque iudaeos, et postmodum, patenter vel verisimilibus indiciis, apostatantes a fide, iuxta qualitatem delicti exequamini libere officii vestri debitum, ac si ad ecclesias et loca praedicta minime confugissent, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Episcopis mandat, ne eos impediant

§ 2. Et ut nullum in hac parte possit obstaculum vobis poni, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis, per has nostras literas iniungimus, ut vos non impediant, quominus huiusmodi mandatum nostrum implere libere valeatis, sed potius ad requisitionem vestram in iis vobis assistant, sicut extiterit opportunum.

Dat. Avenione idibus augusti, anno primo.

Dat. die 13 augusti 1317, pontif. anno I.

---

## XI.

*Dismembratio episcopatus Narbonen., et erectio cathedralis Ecclesiae in villa de Limoso eiusdem dioecesis cum iurisdictione et iuribus ordinariis* (1).

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

SUMMARIUM

1. Causae dismembrationis. — Divisio Narbonen. dioecesis in duas. — Erectio episcopatus Limosini: — Cui providendum de redditibus ex bonis Ecclesiae Narbonen.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Salvator noster, *etc.*

Causae dismembrationis.

§ 1. Sane considerantes attentius et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes quod in tanta multitudine populi quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Narbonen., singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere aut alias partes boni pastoris implere, non sine gravi animarum dispendio et personarum degentium in eisdem, quodque durum erat atque difficile in eadem dioecesi, quae lata et diffusa existit, ad unicum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi; pensantes quoque, quod cathedralis Ecclesia Narbonen. in proventibus et redditibus annuis tam affluenter, tamque magnifice abundare conspicitur, quod de ipsorum multitudine copiosa potest episcopis iuxta sui status decentiam provideri, nos cultum augere divinum, et spiritualem animarum profectum, quem ex subscriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis cum fratribus nostris habito super hoc diligenti tractatu, de ipsorum consilio et ex nostra certa scientia et apostolicae plenitudine potestatis, ad laudem Dei et exaltationem Ecclesiae fideliumque salutem, Narbonen. dioecesim auctoritate apostolica dividimus in duas dioeceses, quas per certos distingui limites faciemus: volentes ac etiam decernentes auctoritate praedicta, de fratrum ipsorum consilio et praedictae plenitudine potestatis, quod praeter civitatem Narbonen., quae suam propriam et distinctam habebit dioecesim certis limitibus limitandam, villam de Limoso dictae olim dioecesis Narbonen., quam

Divisio Narbonen. dioecesis in duas.

velut ad hoc convenientem et accommodam, eadem auctoritate in civitatem erigimus et civitatis vocabulo decoramus, separatam dioecesim habeat a dioecesi remansura Narbonen. civitati certis limitibus distinguendam. Quodque parochialis Ecclesia Sancti Martini eiusdem civitatis de Limoso sit de caetero et habeatur perpetuo cathedralis, ipsa et civitate praedicta de Limoso cum suis capitulo et dioecesi limitanda a iurisdictione, dominio et potestate archiepiscopi, capituli et Ecclesiae Narbonen., quibus subesse antea noscebantur; maioritate tamen seu superioritate in ipsis Ecclesia, civitate, capitulo et dioecesi de Limoso dictae Narbon. Ecclesiae, sicut in aliis suffraganeis suis metropolico sibi iure subiectis habere dignoscitur, reservatis remanentibus, omnino liberis et exceptis. Verum quia dicta Ecclesia de Limoso facultates non habet correspondentes honori et statui, ad quos noviter est provecta, auctoritate praedicta decernimus, ipsam sic honorandam esse in facultatibus et augendam, quod mensa episcopalis eiusdem quinque millia librarum Turonen. parvorum annui et perpetui redditus de bonis et rebus mensae archiepiscopalis Narbon. ipsi Ecclesiae de Limoso accommodis et vicinis iuxta communem extimationem bonorum et rerum huiusmodi reddituali um situanda, quae quidem dictae Ecclesiae de Limoso, suoque pontifici, dignitate ac onere et circumstantiis aliis attente pensatis, debere sufficere vidimus, praeter redditus et proventus ac iura, quae ad praedictam Ecclesiam Sancti Martini antea pertinebant, habeat et percipiat integraliter per ipsius praesulem, qui pro tempore fuerit, in rebus sibi adiacentibus et vicinis, iuxta distinctionem seu limitationem dioecesis per alias nostras literas faciendam. Interim tamen distinctione seu limitatione praedicta pendente volumus, et auctoritate praedicta decernimus, quod idem episcopus de Limoso, qui pro tempore fuerit, summam eamdem de bonis et redditibus dictae mensae Narbonen. recipiat annuatim. Haec igitur, *etc.*

*Erectio episcopatus Limosini:*

*Cui providendum de redditibus ex bonis Ecclesiae Narbonen*

Datum Avenioni tertio decimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 20 augusti 1317, pontif. anno I.

---

## XII.

*Ordinationes et statuta pro bono regimine fratrum ordinis' Grandimonten., eiusque prioratuum aliorumque locorum ad eumdem ordinem pertinen. definitio* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Pro ordine Grandimontense multa a Summis Pontificibus edita statuta. — Monasterium Grandimonten. totius ordinis caput. — Per abbatem, non per priorem gubernandum. — 1. Ordo dividitur in 39 prioratus conventuales. — 2. In monasterio vero Grandimont. 60 fratres praeter conversos sint: — 3. Qui abbatem canonice eligant. — 4. De visitatoribus. — 5. Mensa abbatialis Grandimonten. — 6. Priorum electio in prioratibus ad quos pertineat. — 7. Numerus fratrum in eisdem. — 8. De modo visitationis ab abbate faciendae, dierum, et equitaturarum numero. — 9. Abbas quando voluerit grangias sibi unitas potest visitare. — 10. Translatio conventualium ab una ad aliam domum quibus de causis facienda. — 11. De mittendis ad studia literarum et alimentis eis ministrandis. — 12, 13. De causis et modo amovendi abbatem Grandimont., caeterosque priores. — 14. Contra priorem absentem non licet procedere. — 15. De duratione capituli generalis, eiusque prorogatione. — 16. Diffinitorum facultas complendi ea, quae in eodem capitulo completa non fuerint. — 17. De die capituli cogendi, et diffinitorum numero. — 18. Qui ad illud teneantur accedere. — 19, 20. De numero et forma electionis diffinitorum. — 21. De expensis capituli eiusdem. — 22. De bonis priorum decedentium. — 23. Quandam Clementis V constitutionem confirmat. — 24. Firmitas et observantia huiusce constitutionis. — 25. Enumeratio singulorum prioratuum

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

cum grangiis unitis, et numerus fratrum in quolibet prioratu substentandus. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Exigente debito pastoralis officii ad providam Romani Pontificis, velut universalis pastoris et patris, diligentiam pertinet, statum Ecclesiarum et monasteriorum omnium sic attenta meditatione prospicere, quod, materia qualibet dissentionis et iurgii, quietem et silentium personarum in Ecclesiis et monasteriis ipsis degentium et offerentium Domino per decantationes laudum titulum labiorum impediente, praecisa, pacis fundamenta stabiliat, praeterita corrigat, disponat praesentia, nova plantet, et sic caute provideat de futuris, quod in quantum valet humana provisio superna suffulta gratia, de contingentibus non omittat.

Pro ordine Grandimontense multa a Summis Pontificibus edita statuta.

Ad sopiendum siquidem antiquam iurgiorum materiam, quam in ordine Grandimonten. antiqui hostis seminarat invidia, nonnulli praedecessores nostri Romani Pontifices paterna diligentia vigilantes certas ordinationes et statuta, per quorum editionem perpetuae paci dicti ordinis sperabant consuluisse, salubriter ediderunt: sed licet per ipsos super hoc pie fuisset etiam anxie laboratum; quia tamen huiusmodi iurgia non erant in eodem ordine sic evulsa, quin adhuc et frequenter insurgerent, et quasi gravius solito pullularent; nos eidem ordini, ad quem zelo charitatis et dilectionis afficimur, in huiusmodi suis anxietatibus condolentes, et monasterium Grandimonten., ad Romanam dumtaxat Ecclesiam pertinens, quod ipsius ordinis caput esse dignoscitur, gubernari iamdudum solitum per priorem, paternis affectibus amplectentes, et cupientes ex eodem ordine ad perpetuam personarum in ipso degentium pacem quaslibet dissentiones et lites, Altissimo praestante subsidium, sic radicitus extirpāre, corrigendo praeterita, plantando nova, in melius ordinando praesentia, et salubriter providendo futura, quod personae ipsae perpetuae pacis opulentia gaudeant, et inter ipsas similia iurgia velut eradicata penitus non resurgant: ac propter hoc ad reformationem et statum eiusdem monasterii, suique honoris augumentum nostros primo dirigentes intuitus, ac rem dignam et rationabilem arbitrantes, ut idem monasterium, quod in orbe terrarum constat esse famosum, et cui multa nobiliaque coenobia, tanquam membra capiti sunt subiecta, per Apostolicae Sedis providentiam honoris et nominis titulis efferatur; habito prius cum pluribus ex fratribus dicti ordinis fide dignis in curia nostra praesentibus solemni et diligenti tractatu, ad laudem divini nominis ordinamus, et apostolica auctoritate decernimus, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, quod ex nunc in antea gubernetur dictum monasterium perpetuis futuris temporibus per abbatem, et quod abbas praesit de caetero in eodem.

Monasterium Grandimonten. totius ordinis caput.

Per abbatem, non per priorem gubernandum.

Ordo dividitur in 39 prioratus conventuales.

§ 1. Et insuper absolventes a sua administratione ex certa scientia correctores et curiosos omnium domorum seu cellarum praefati ordinis, per quos nuncusque praefatae domus consueverunt gubernari, ordinamus et statuimus esse deinceps in praefato ordine pro bono pacis et personarum in ipso degentium, et maiorem observantiam regularem in dictis domibus ipsius ordinis ad hoc magis accommodis trigintanovem conventuales prioratus singulariter inferius adnotatos, certis cuilibet ipsorum prioratuum domibus hactenus monasterio praedicto subiectis, incorporatis pariter et unitis cum certo fratrum ipsius ordinis numero singulariter taxato in singulis modo simili descriptis inferius et distinctis.

In monasterio vero Grandimont. 60 fratres praeter conversos sint:

§ 2. Ad haec ordinamus et volumus, ut in eodem monasterio sit de caetero sexaginta fratrum numerus praeter conversos, qui resideant in conventu, et de facultatibus dicti monasterii possint et debeant congrue sustentari.

Qui abbatem canonice eligant.

§ 3. Quotiescumque vero praefatum monasterium abbate vacare quovis modo contigerit, conventuales eiusdem monasterii plenam et liberam eligendi abbatem ibidem canonice habeant potestatem; quod si non elegerint infra mensem ab ipsius abbatis obitu numerandum, eadem electio ea vice ad Sedem Apostolicam devolvatur. Si vero contingeret electionem ipsam in discordia celebrari, causam electionis huiusmodi apud Sedem Apostolicam volumus ventilari: electionem autem huiusmodi, si infra praedictum tempus canonice fuerit celebrata, visitationes spirituales ipsius monasterii vel maiorum pars ipsorum habeant auctoritate apostolica confirmare (1).

De visitatoribus.

§ 4. Officium autem visitatorum ipsorum penes priores earumdem domorum, quarum correctoribus hactenus competebat, iuxta ordinationes piae memoriae Innocentii Papae quarti praedecessoris nostri, volumus remanere, quibus ex certa nostra scientia priorem prioratus de Defenso, qui est et pro tempore fuerit, dicti ordinis, Agennen. dioecesis, ex nunc adiungimus, qui similem cum eis habeat potestatem.

Mensa abbatialis Grandimontensis

§ 5. Mensae quoque ipsius abbatis, ut facilius possit incumbentia sibi onera supportare, certas cellas monasterio praefato propinquas, etiam quasdam alias, prout annotatur inferius, perpetuo applicamus.

Priorum electio in prioratibus ad quos pertineat.

§ 6. Quotiens autem aliquem de prioratibus ipsis quoquo modo vacare contigerit, electio canonica prioris ad conventum prioratus sic vacantis, confirmatio vero dicti prioris pertineat ad abbatem: et si infra unius mensis spatium, a die vacationis huiusmodi computandum, ad electionem ipsam iidem conventus non duxerint procedendum, vel talem scienter elegerint, quod ipsius electio de iure cassetur, providendi ea vice de priore ipsi prioratui ad eumdem abbatem potestas plenaria devolvatur: quibus sic confirmatis illud circa eorum subditos licere, quod aliis praelatis circa eorum subditos canonica iura permittunt.

Numerus fratrum in eisdem.

§ 7. Numerus quoque fratrum statutus singulariter in singulis, ut infra subiungitur, prioratuum praedictorum, nisi forsan dicti monasterii seu prioratus facultates excreverint, nullatenus augumentetur et augumentum ipsum, si fieri debeat, de consensu conventus monasterii in monasterio, aut de consensu conventus dicti prioratus, in quo augumentum huiusmodi debet fieri, fiet in capitulo generali. Si vero aliquem de sic numero statuto recedere vel amoveri seu abesse perpetuo de monasterio vel prioratu ipso contigerit, loco illius abbas vel prior dicti prioratus, de consensu sui conventus vel maioris partis ipsius, alium subroget, qui professionem faciat et perpetuo in dicto conventu persistat.

De modo visitationis ab abbate faciendae, dierum et equitaturarum numero.

§ 8. Verum licet super visitationis officio dudum per priorem ipsius monasterii exercendo idem praedecessor Innocentius Papa quartus per sua privilegia inter ordinationes alias, quas pro reformatione status ordinis eiusdem edidit, prudenter attendens, quod quantumvis dicto quondam priori Grandimonten. exeundi claustrum nisi necessitate coacto capitulum regulae interdicat; quia tamen visitatio et necessitatem et utilitatem importat, cum in visitationis officio lucrifaciat visitans animas subditorum, auctoritate apostolica statuisset, ut prior, qui esset pro tempore, tempus anni taliter partiretur, quod per dimidium dicti anni in Grandimonten. monasterio resideret, et per anni reliquum visitationi aliarum domorum intenderet, et tunc ultra septem equitaturas non duceret, nec ultra tres noctes, nisi urgens necessitas, vel id exposceret utilitas evidens, in eadem domo iaceret, nulla prorsus munera cum dictae visitationi insisteret recepturus; et insuper quamquam felicis recordationis Clemens Papa quintus, praede-

(1) Legendum forsan: *visitatores spirituales.... vel maior pars ipsorum valeant....* confirmare.

cessor noster, credens eiusdem ordinis utilitati prospicere, eadem auctoritate statuerit, ut dictus quondam prior eiusdem monasterii fratres dicti ordinis in cellis suis posset anno quolibet per sex menses continuos, vel diversis temporibus visitare, et per sex menses reliquos deberet in eodem monasterio personaliter residere, ac de ipso a monasterio seu eius claustro nunquam exire, nisi pro visitatione dicti ordinis facienda; ita videlicet, quod de illis sex mensibus, quibus, ut praemittitur, deberet personaliter residere, quatuor ad minus continui menses essent, et cum officio visitationis insisteret, semper duas personas idoneas eiusdem ordinis, in quarum praesentia dictae visitationis exequeretur officium, secum haberet, nec non et quos, in dictis sex mensibus visitare non posset, faceret per alium vel alios visitari: itaque anno quolibet omnis domus fratres visitarentur ordinis memorati, et quod postquam unam domum visitasset, ad aliam sic visitatam quousque omnes domos et fratres, quos idem prior visitare posset impedimento cessante legitimo visitasset, nisi ex causa legitima non rediret; nos etsi, praedictorum praedecessorum nostrorum inhaerere vestigiis, in quantum temporum qualitas et negotiorum suadet utilitas, intendentes, velimus modum et formam visitationis huiusmodi, quoad dictos prioratus et priores, et ad conventus ipsorum prioratuum dumtaxat per abbatem dicti monasterii, qui pro tempore fuerit, in perpetuum observari; attendentes tamen monasterium ipsum tunc maiori quam hactenus dignitate ac nomine insignitum, quodque maior honor abbati congruit, quam priori, ordinamus atque statuimus, ut idem abbas, dum officio dictae visitationis instituit (1), ultra septem equitaturas dicto quondam priori, ut praemittitur, visitanti concessas, duas alias equitaturas pro aliis duabus personis idoneis eum associantibus habeat: ita quod in universo novem equitaturas secum ducere poterit huiusmodi visitationis officium exequendo: licet enim mora contrahenda per dictum quondam priorem in domo qualibet dicti ordinis eodem durante visitationis officio fuerit per eumdem Innocentium praedecessorem nostrum, ut praemittitur, limitata; nos tamen limitationem huiusmodi esse volumus paululum latiorem: videlicet quod nox illius diei, in quo ad aliquem de prioratibus ipsis pervenerit visitans dioecesim abbas sub limitatione illa de tribus, ut praemittitur, noctibus nullatenus includatur.

(1) Forsan *insistit*.

Abbas quando voluerit grangias sibi unitas potest visitare.

§ 9. Per hoc autem non intendimus abbati inhibere praedicto, quin liceat sibi cellas seu grangias vel domos sibi unitas visitare seu videre, quoties sibi videbitur expedire.

Translatio conventualium ab una ad aliam domum quibus de causis facienda.

§ 10. Praecipimus insuper quod fratres dicti ordinis in conventibus, in quibus recepti fuerint et professionem fecerint, perpetuo immorentur, nec de suis conventibus immutentur, aut ad alios prioratus moraturi quomodolibet transferantur nisi propter delicta vel excessus ipsorum: quo casu dictorum delinquentium vel excedentium mutatio, sive translatio fiat per priorem ipsius loci ad alium conventualem locum dicti ordinis de consensu sui conventus vel maioris partis ipsius ad dignam peragendam poenitentiam de commissis per tempus arbitrio prioris, de cuius conventu delinquens fuerit, de ipsius conventus vel maioris partis assensu, iuxta delictorum exigentiam, moderandum. Prior autem loci, ad quem delinquentem fratrem mitti contigerit seu transferri, expensas per tempus statutum ad agendum, ut praemittitur, poenitentiam, ministrabit: qua peracta, idem delinquens emendatus et correctus ad conventualem suum locum, a quo amotus fuerat, reducatur. In aliis vero casibus mutationem seu translationem de conventu ad conventum fieri districtius inhibemus, nisi personarum

seu prioratuum utilitas id exposcat: et tunc abbas Grandimonten. cum consilio diffinitorum capituli generalis in capitulo, vel de consilio et consensu duorum priorum viciniorum ipsi prioratui, de quo mutatio huiusmodi est fienda extra capitulum translationem ipsam faciat, ubi utilitas evidens fuerit personarum vel prioratuum praedictorum.

De mittendis ad studia literarum et alimentis eis ministrandis.

§ 11. Porro considerantes attente fructus felices et uberes, quos tanquam dona coelestia producunt studia literarum, et quanta bona ex doctrina fidelium scientiarum foecunditate pollentium publica pervenerint et privata, districte praecipimus, quod abbas et diffinitores praedicti duodecim fratres eiusdem ordinis professos, quos dociles noverint, teneantur et debeant ad studia mittere literarum, et eis huiusmodi studiis insistentibus etiam alimentis et aliis necessariis de bonis dicti ordinis providere. Quod si propter ea, vel per substentationem conventus fratrum dicti monasterii Grandimonten., aut ex alia evidenti necessitate, vel pro communi utilitate dicti ordinis, praeter provisiones seu pensiones solitas dictarum domorum, quas per priores eosdem pro singulis domibus sibi subiectis exhiberi volumus abbati praedicto, sicut exhibebantur nunc usque priori praefato, prout in privilegio praefati Clementis praedecessoris nostri continetur: ad quas solvendas liceat dicto abbati solum per censuram ecclesiasticam compellere priores eosdem: sic interdum ab eisdem prioratibus subsidium expetendum idem abbas et diffinitores capituli dicti ordinis, vel saltem dictus abbas cum duabus partibus diffinitorum ipsorum circa huiusmodi necessitatis vel utilitatis exposita in capitulo generali, si eam necessariam et iustam esse prospexerit, huiusmodi subsidium per dictum ordinem exigendum moderate tamen indicant.

De causis et modo amovendi abbatem Grandimont., caeterosque priores.

§ 12. Super amotione vero abbatis Grandimonten., et priorum prioratuum conventualium praedictorum volumus infrascriptum modum inviolabiliter observari; videlicet quod iidem abbas et priores ex quacumque causa per diffinitores ipsos deponi seu amoveri non possint: sed si abbas talia fecerit aut commiserit, propter quae videtur debere deponi, seu de iure a sua administratione repelli, in capitulo generali diffinitores ipsius capituli solerter inquirant, et inquisitione peracta, infra mensem a die peractae inquisitionis huiusmodi per se vel procuratores idoneos numerandum iter arripiant, et continuatis dietis, ad Apostolicam Sedem accedant, Romano Pontifici et Apostolicae Sedi ea, quae per inquisitionem ipsam invenerint, relaturi. Verumtamen priusquam de loco ipso Grandimonten. recedant, insinuent abbati capitula, super quibus contra eum per ipsos fuerit inquisitum, et de quibus intendunt eisdem Romano Pontifici et Apostolicae Sedi referre, adhibitis in insinuatione huiusmodi aliquibus probis viris, in quorum praesentia fiat insinuatio supradicta, ut abbas ipse sibi provideat et provide caveat, an oporteat eum personaliter ad Curiam Romanam accedere, vel idoneum pro se mittere responsalem.

§ 13. Quod si aliqua immineant, propter quae priores dictorum prioratuum conventualium eiusdem ordinis deponi debeant, vel de iure a suis administrationibus amoveri, abbas Grandimonten., una cum diffinitoribus dicti capituli, vel maiori parte ipsorum, diligenti inquisitione praehabita, si de eorum culpis et demeritis per inquisitionem liquebit eandem, possit eos deponere et a suis administrationibus perpetuo removere: quibus sic amotis, si in hac parte contra eos visum fuerit iniuste processum, liceat iuxta sanctiones canonicas ad Sedem Apostolicam appellare et prosequi causam suam.

Contra priorem absentem non licet procedere.

§ 14. Sed ne dolus vel fraus, aut malitia interveniat, ubi iustitiae zelus et charitatis fervor cum omni debent integritate vigere; non liceat contra priorem

absentem, nisi prout iura permittunt, procedere quomodolibet ad praedicta.

De duratione capituli generalis, eiusque prorogatione.

§ 15. Generale vero capitulum dicti ordinis duret et continuetur ordinarie per sex dies, et si necessaria causa, vel utilis abbati et diffinitoribus videatur, propter quam idem capitulum debeat prorogari, iidem abbas et diffinitores vel maior pars eorum possint dictum capitulum usque ad alios sex dies, praedictos sex primos immediate sequentes, ulterius prorogare, ut ea, quae non potuerunt infra praelibatos sex dies forsitan expediri, in prorogatione ipsa effectum expeditionis debitae sortiantur. Quo quidem durante generali capitulo claves portarum et fortalitiorum ac dominium dicti monasterii Grandimonten. penes abbatem remaneant, prout consueverant penes priorem hactenus remanere.

Diffinitorum facultas complendi ea, quae in eodem capitulo completa non fuerint.

§ 16. Quod si aliqua iam exposita in praesentia dicti capituli vel maioris partis ipsius per memoratos diffinitores restant agenda, finito dicto capitulo. memorati diffinitores vel ipsorum pars maior, aliis tamen cum diffinitoribus, ut cum ipsis super illis procedant primitus requisitis in monasterio Grandimonten., procedere, illaque complere, diffinire, punire et corrigere valeant, ac de ipsis cognoscere et etiam iudicare.

De die capituli cogendi, et diffinitorum numero.

§ 17. Et quia ubi multitudo, ibi confusio esse solet, volumus, quod in quolibet generali capitulo Grandimonten. octo diffinitores tantummodo eligantur, qui computato abbate, qui una cum eis in capitulo eodem intererit, novem dumtaxat numero et non plures existant. Quandoquidem generale capitulum anno quolibet in Grandimonten. monasterio praecipimus celebrari: illudque die lunae ante Ascensionem Domini nostri Iesu Christi incipiat, et continue, sine interpolatione, duret per sex vel duodecim dies, ut est superius ordinatum.

Qui ad illud teneantur accedere.

§ 18. Ad huiusmodi autem generale capitulum venire teneantur, et debeant omnes et singuli priores conventuales dicti ordinis, quilibet videlicet cum uno tantum socio sui conventus clerico et professo. Si vero venire nequiverint canonico impedimento detenti, excusationem suam, per unum fratrem sui conventus clericum et professum, sub instrumento publico vel sigillo authentico mittere teneantur. qui coram notario, qui excusationis huiusmodi conficiet instrumentum, vel authentica persona, cui fides debeat adhiberi, excusationem ipsam esse iustam, veram et legitimam asseverent proprio iuramento.

De numero et forma electionis diffinitorum.

§ 19. Ut autem in eodem capitulo sincere, quiete et salubriter procedatur, et materia dissentionis cuiuslibet amputetur, statuimus, quod abbas et prior claustralis, qui locum subprioris tenebit, de caetero cantor et procurator dicti monasterii dumtaxat, et quilibet prior conventualis, eiusque socius, qui cum eo, ut praemissum est, ad capitulum venerit supradictum, videlicet quilibet ipsorum octo fratres clericos ipsius ordinis professos, qui per sex annos ad minus in eodem ordine professi fuerunt in dicto monasterio, tunc praesentes in capitulo ipso pro diffinitoribus in scrutinio, electis ad hoc tribus scrutatoribus, nominabunt, qui mox post scrutinium publicabunt eosdem: illi octo, quos plures voces numero habuisse constiterit, diffinitores existant omnium negociorum praedictum ordinem contingentium, quae agenda fuerint illo anno; sed huiusmodi eorum diffinitionis officium ad sequentem annum nullatenus extendatur, nec in anno proximo sequenti possint iidem in diffinitores etiam ex electione assumi. Quod si forte iidem nominati, vel ipsorum aliqui in vocibus sint aequales, antiquiores in huiusmodi nominatis ad eiusdem diffinitionis officium assumantur. Abbas vero cum duobus antiquioribus diffinitoribus ipsorum in quolibet capitulo generali tres nominet scrutatores pro recipiendo scrutinio capituli subsequentis: districtius inhibentes, ne super iis colligationes,

coniurationes aut conspirationes fiant, aut interveniant quoquomodo: et contrarium facientes eo ipso poenam contra conspiratores in ordine ipso statutam incurrant.

§ 20. Exhortamur itaque omnes ipsos et singulos per misericordiam Dei, eis in virtute sanctae obedientiae iniungentes, quod prece, pretio, affectione qualibet, promissionibus et pactionibus quibuscumque penitus et omnino submotis, sinceris, sanctis et puris mentibus, et sine aliqua pravitate solum Deum habendo præ oculis ad electionem diffinitorum huiusmodi procedatur.

De expensis capituli eiusdem.

§ 21. Expensas autem trium primorum dierum eiusdem capituli generalis priores et ipsorum socii sic persolvant, prout idem Clemens praedecessor noster in suis literis super ipsius ordinis reformatione confectis statuit persolvendas. Pro expensis vero festivitatis Ascensionis Domini dicti priores penitus nihil solvant, sed si ultra tres dies praedictos remanere contigerit, nisi retenti fuerint specialiter voluntarie per abbatem, nihilominus eis ministrabitur de bonis monasterii memorati.

De bonis priorum decedentium.

§ 22. Caeterum quia idem Clemens praedecessor noster statuit, ut cedente vel decedente, seu amoto quolibet correctore dictarum domorum, quibus gubernabantur nunc usque, omnia bona mobilia, quae idem corrector tunc habebat in pecunia numerata, auro vel argento, in massa, vel vasis, aut in lapidibus, seu aliis rebus pretiosis, aut libris, qui non fuissent proprii illius cellae vel domus, penes quoscumque reperta fuissent, nec non et meliorem equum, seu equitaturam, quem idem corrector tunc haberet, liceret dicto quondam priori Grandimonten. in utilitatem suam et ipsius monasterii convertere sine contradictione cuiuscumque, quacumque constitutione in contrarium edita non obstante; nos attendentes, quod idem statutum in depauperatione ipsarum domorum et praeiudicium non modicum redundabat, praesentium auctoritate statuimus, quod cedente vel decedente, aut amoto aliquo de prioribus antedictis, abbas Grandimonten., qui est et pro tempore fuerit, de bonis prioris cedentis vel decedentis aut amoti praefati nonnisi unum equum seu equitaturam, unum breviarium et unum de melioribus vasis argenteis vel aureis, et iocalibus (1) ac lapidibus pretiosis, ac de quolibet iocali unum melius dumtaxat, et non ultra petere debeat vel habere; sed totum aliud ipsi prioratui convertendum in utilitatem ipsius volumus remanere.

Quandam Clementis V constitutionem confirmat.

§ 23. Quia vero ex praecepto regulae dicti ordinis habetur, quod fratres dicti ordinis nonnisi bini et bini propter honestatem incedant, et quod nullus ex dictis fratribus carnes comedat, nisi sit debilis et infirmus, diebus duobus in septimana dumtaxat exceptis: volumus et mandamus ordinationem dicti Clementis in suis super hoc confectis literis adnotatam, sine moderatione alia, inviolabiliter observari.

Firmitas et observantia huiusce constitutionis.

§ 24. Demum tamen ad fundandam Deo auctore perpetuam pacem in ordine praelibato curiosam nostrae sollicitudinis operam duximus apponendam, et speramus in Domino, quaelibet ex ipso dissentiones et scandala radicitus esse submota; decernimus et apostolica auctoritate statuimus huiusmodi nostram ordinationem seu editionem praesentibus adnotatam iubemus et volumus perpetuo inviolabiliter observari: non obstante si dictorum praedecessorum nostrorum praecepta, statuta, ordinationes, seu editiones, vel ipsorum aliqua contenta in suis super hoc confectis privilegiis ab huiusmodi nostrae ordinationis et reformationis ordine, ac etiam ipsa regula in punctis aliquibus devient, quae quantum ad deviationem ipsam et in quantum huic ordinationi nostrae possent esse contraria iuribus vacuamus omnino et nullius esse volumus firmitatis: in aliis autem, quae ab huiusmodi nostra ordinatione non deviant, eis-

(1) *Iocalia*, monilia, gemmae, annuli, aliaque id genus pretiosa. Gallice *joyaux* (Ducange).

dem privilegiis et regula in suo robore duraturis.

Enumeratio singulorum prioratuum cum grangiis unitis, et numerus fratrum in quolibet prioratu substentandus.

§ 25. Denominationem vero dictorum prioratuum conventualium et domorum seu cellarum dicti ordinis cum numero certo dictorum fratrum tam ipsi monasterio, quam singulis ipsorum prioratuum, ut praemittitur. unitarum, statuto praesentibus fecimus adnotari, quae talis est: prioratui de Expeyssa Cabilonen. dioecesis domos de Faetha Bisuntin., et de Brolio Eduen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Fagia Nivernen. dioecesis domos Columna eiusdem Nivernen., de Fontaneto Antisiodoren., de Fonte Gadonis Bituricen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Sancto Mamico Senonen. domos de Chaunos Bituricen. et de Carboneriis Eduen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Durione Senonen. domos de Trahnis eiusdem Senonen., et de Liviaco Lingonen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Castronovo Bituricen. domos de Castaneriis, de Podio Cilheso et de Fonte Albo eiusdem Bituricen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Vileriis Turonen. domos de Sanzeya, ac de Molins Bituricen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres: prioratui de Bostoraherii Turonen. dioecesis domos de Montemissano, ac de Clarofolio eiusdem Turonen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Pomerio acri Turonen. dioecesis domos de Fontemoro et de Boscheto Pictaven. dioecesis, in quo sint quindecim fratres; prioratui Naya Andegaven. dioecesis domum de Crodone eiusdem Andegaven. dioecesis, in quo sint quindecim fratres; prioratui de Monteguidonis Cenomanen. domum de Primonderia Andegaven. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Mones Andegaven. dioecesis domum de Brohoberlais eiusdem Andegaven. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Bursey Cenomanen. dioecesis domum de Hubauderia eiusdem Cenomanen. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Quercngalonis Sagien. dioecesis domos de Bellafago, ac de Alcone Carnoten. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Bellomonte Ebroicen. dioecesis domum de Berberia Sagien. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Rothomago Lexovien. dioecesis domum de Albania Ebroicen. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Boloma Carnoten. dioecesis domos de Clariaco ac de Masibiaco Aurelianen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Lobeya Carnoten. dioecesis domos de Bosco Sancti Martini, ac de Mollinellis eiusdem Carnoten., et de Caudra Aurelian. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Meanello Parisien. dioecesis domos de Belvaco Belvacen. dioecesis, ac de Fontana Rothomagen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Vicenis Parisien. dioecesis domos de Bonadomo Suessionen., ac de Alveto Senonen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres: prioratui de Rorayo Melden. dioecesis domos de Ruyssino et de Savinhiaco Suessionen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres: prioratui de Machareto Trecen. dioecesis domos de Arvico eiusdem Trecen., de Mastone Cathalamnien., ac de Castrovillani Lingonen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Podiocaprarii Pictaven. dioecesis domos de Entretis, ac de Espandio eiusdem Pictaven., et de Altis Ripis Turonen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Valholia Pictaven. dioecesis domos de Trossoya, ac de Bosco Pulverelli eiusdem Pictaven. et de Lobertio Lemovicen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Quarta Pictaven. dioecesis domos de Fontecrozo, de Eriterva, ac de Fonte Ade eiusdem Pictaven. dioecesis, in quo sint decem et septem fratres; prioratui de Bosco Alene Pictaven. dioecesis domos de Chassayo, ac de Bona Radice Malleacen. dioecesis,

in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Bandolia Malleacen. dioecesis dómos de Orbisterio et de Rupe Terveria, ac de Dina Lexovien. et Pictaven. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Sarmasia Xanctonen. dioecesis domos de Lanea eiusdem Xanctonen., ac de Barbatorta Lexovien. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Jartiaco Xanctonen. dioecesis domos de Brolio, ac de Urcia praedictae Xanctonen. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Ravello Eugolisinen. dioecesis domos de Ranseco, ac de Bellosaltu Petragoricen., de Gandalriaco Xanctonen., de Bosco Jenino Lemovicen. dioecesis, in quo sint viginti fratres; prioratui de Fagia Jumiliaci Petragoricen. dioecesis domos de Roysseto, ac de Bellasilva Lemovicen. dioecesis, de Planha, de Charribaco, ac de Podio Guberti Lemovicen. dioecesis, in quo sint viginti et duo fratres; prioratui de Frantorio Caturcen. dioecesis domos de Caturco, de Deganhares, ac de Bosco Minori eiusdem Caturcen. et de Vaysseriis Sarlaten. dioecesis, in quo sint viginti duo fratres; prioratui de Defenso Agennen. dioecesis domos de Ribairolia eiusdem Agennen. ac de Sancta Rosa Lectoren. dioecesis, in quo sint sexdecim fratres; prioratui de Guarugia Agennen. dioecesis domos de Moyrinhaco eiusdem Agennen., de Luco, de Bathuou et de Lauda Burdegalen., ac de Breda Petragoricen. dioecesis, in quo sint viginti et duo fratres; prioratui de Pinello Tholosan. dioecesis domum de Loco Dei Montisalban. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Monteherbedonis Magalonen. dioecesis domos de Salvatico Ruthenen., de Petroso Caturcen., ac de Montibus Euncis Aiumon. dioecesis, in quo sint decem et septem fratres; prioratui de Vinaya Anicien. dioecesis domos de Belloioco Lugdun., de Gurcia, ac de Blandona Eduen., et de Prunbols Claromont. dioec., in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Chavano Claromonten. dioecesis domos de Faheto eiusdem Claromonten., de Grossobosco Bituricen. et de Iayaco Lemovicen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; prioratui de Sancto Michaele Lodoven. dioecesis domum de Combaromal Ruthenen. dioecesis, in quo sint quatuordecim fratres; prioratui de Castaneto Lemovicen. dioecesis domos de Porteriis, de Chauselis, de Maiorigortia et de Salmurio eiusdem Lemovicen. dioecesis, in quo sint decem et octo fratres; monasterio quoque Grandimonten. domos de Serra, de Ispania, de Esclusa, de Mureto, de Trezauf, de Rosseto, de Stricto Cornu, de Brundellis, de Bosco Viridi, de Foresta, de Monteusto Lemovicen. et de Guarda Xanctonen. dioecesis: in regnis quoque Navarrae et Angliae domos Sancti Martialis de Tutela Tirasonen., et Albisburis Ereforden., de Eshada Eboracen. et de Cressoalle et Xnenen. dioecesis unimus et incorporamus et adnectimus, et huiusmodi unionem, incorporationem, annexionem perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari praecipimus auctoritate apostolica, de dictorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum ordinationum, constitutionum, absolutionis, statutorum, voluntatum, adiunctionis, applicationis, praeceptorum, inhibitionum, exhortationis, iniunctionis, mandati, iussionis, vacuationis, unionis, incorporationis et annexionis infringere, *etc.*

Clausulae.

Datum Avenioni, quinto decimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 17 novembris 1317, pont. anno II.

## XIII.

*Damnatio sectae Bizochorum, Beguinorum, Fraticellorum, Pseudofratrum S. Francisci de Assisio.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Elogium ordinis Franciscanorum. — 2. Eius decorem perditi quidam homines obnubilare satagunt; — 3. Se dumtaxat S. Francisci regulam observare dictitantes: — 4. Eos reprimere curavit Clemens IV: — 5. At coram Clemente V novas querelas proposuere: — 6. His vero de Pontificis mandato examinatis, illos suis superioribus voluit obedire, finemque querelis fecit: — 7. Nonnullosque delegavit, qui eos ad obediendum superioribus compellerent. — 8. In contumaces quosdam prolata excommunicatio. — 9. Hi vero in Siciliam secedentes novum ordinem instituere moliti sunt, cui apostatam quemdam praefecere. — 10. Provinciales, caeterosque elegerunt ministros, novosque construxere conventus. — 11. Habitum mutarunt. — 12, 13. In multos inde errores lapsi sunt. — 14. Duas fingunt Ecclesias. — 15. Huiusmodi error reprobatur. — 16, 17. Sacerdotes, praeter ipsos, carere facultate administrandi sacramenta propugnant: qui error refellitur. — 18, 19. Tertius error: iuramentum a peccato non esse seiunctum, quod impugnatur. — 20, 21. Quartus error: sacerdotes in peccato constitutos non posse conficere vel conferre sacramenta. — 22, 23. Quintus error: Evangelium in se solos esse completum. — 24. Multos alios sectantur errores et praedicant. — 25. Hortatum se Pontifex ait fuisse Siciliae regem, illos ut reprimeret, eorumque superioribus traderet corrigendos: — 26. Quod ab ipso rege completum. — 27. Illi vero in diversa loca aufugerunt: — 28. Eos itaque ubique capi praecipitur, suisque tradi superioribus puniendos: — 29. Ab iisque facta omnia et patrata cassantur. — 30. De fide etiam examinari eos, et culpabiles puniri mandatur. — 31. Iudicibus contra eos procedendi attributa facultas. — 32. Obstantium derogatio.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, quam Christus dilexit, pro qua semetipsum tradidit, ut ipsam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, David propheta cunctis praelatam gentibus, spiritu revelante cognovit, et splendorem tantae dignitatis admirans, illam sub similitudine regalis fastigii demonstravit dicens: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, nimirum ipsa Christi sponsa virgo Mater Ecclesia, quia inclyto capiti suo Domino Iesu Christo inviolabilis fidei glutino copulatur, et eius imperio prona obeditione substernitur, cum Illo unum effecta tam incomparabilis unionis, merito rebus omnibus more regio principatur. Quae dum pia ac devota religione terrena despicit, caelestia appetit, omne sinistrum premens, a dextris sponsi gloriosa consistit: et quia geminae caritatis splendore omni ex parte rutilat, in vestitu aureo etiam angelicis spiritibus admiranda coruscat. Cuius inaestimabilis decor, quia vario vivendi genere, in una tamen caritate perficitur quasi de vestis pulcherrimae varietate laetatur.

Elogium ordinis Franciscanorum.

§ 1. In hoc igitur vestimento tam mirabili varietate distincto, Minorum fratrum sacer ordo, ab ipso suae fundationis exordio, almi confessoris B. Francisci regulari traditione et Apostolicae Sedis auctoritate atque confirmatione indissolubili quadam textura connexus, fide clarus, spe validus, caritate profusus, humilitate placidus, obeditione devotus, velut singulare iubar sanctitatis, exemplo ac doctrinae verbo per universum orbem claruit, et ecclesiastico decori multum utilitatis et plurimum inclytae alacritatis invexit.

§ 2. Verum quia humani generis inimicus, ubi virtutum segetes uberius videt

Eius decorem perditi quidam homines obnubilare satagunt;

exurgere, ibi scandalorum vepres et dissidiorum zizania satagit cumulatius seminare, nonnulli huius sacrae religionis solo nomine professores, dum altiora se petunt, dum praeposteris et perturbatis gradibus, citius ruituri, in magnis et mirabilibus supra se ambulare conantur, illius delusi fallaciis, qui se, ut alios decipiat, in lucis angelum transfigurat, sibimetipsis ruinam, infirmioribus scandalum, solidioribus vero probationem et meritum pepererunt, pro viribus satagentes tam praeclari ordinis unitatem scindere, obnubilare famam, perturbare quietem.

Se dumtaxat S. Francisci regulam observare dictitantes:

§ 3. Dudum siquidem huiusmodi superstitiosi et discoli homines, in provincia Provinciae adversus communitatem praefati ordinis insurgentes, et se solos, suosque complices de observantia regulae B. Francisci mira vanitate iactanctes, reliquam ordinis multitudinem, de transgressione regulae, perperam iudicando, notabant. Nonnullos profanae multitudinis, verbis mendacibus et mentitae sanctitatis obtentu, in sui erroris devium adducentes.

Eos reprimere curavit Clemens IV.

§ 4. Quorum vipereos partus in ipso sui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa quartus, praedecessor noster, ne in multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram elidere cupiens, generali ministro, qui tunc temporis memorato ordini praesidebat, districte praecipiendo mandavit, ut huiusmodi praesumptores disciplina debita coerceret, prout in literis ipsius praedecessoris nostri plenius continetur.

At coram Clemente V novas querelas proposuere:

§ 5. Sed horum pestilentissimas novitates, hoc remedio compressas fuisse potius quam extinctas • redivivus error enunciat, et tristis experientia manifestat. Nuper enim nonnulli factionis superstites memoratae, adiunctis sibi quampluribus de dicta provincia Provinciae, et provincia Thusciae et aliis diversarum fratribus nationum, coram piae memoriae Clem. Papa V, praedecessore nostro, diversas regulae quaestiones, diversasque contra universitatem dicti ordinis proposuere querelas, et quasi ipsi soli, ipsorumque complices, B. Francisci regulam et perspicacius intelligerent et efficacius adimplerent, notam actionis contrariae in universitatem praefati ordinis impie detorquebant.

His vero de Pontificis mandato examinatis, illos suis superioribus voluit obedire, finemque querelis fecit:

§ 6. Qui Clemens praedecessor huiusmodi homines benignitate magis, quam severitate satagens emendare, illorum pestiferos conatus patientiae virtute tolerans, praedictas quaestiones atque querelas pluribus archiepiscopis, episcopis et sacrae theologiae professoribus, et aliis iuris scientia praeditis, discretione dotatis, examinandas commisit, et ad suam audientiam perferendas. Quibus diligenter et cum multa maturitate peractis, saepe nominatus Clem. praedecessor de veritate certior factus, praefatam religionem sanctam, et (ut eius utamur sermonibus) muris observantiae regularis firmiter undique asseruit circumclusam, et quaedam, quae circa regulam dubium sensum afferre poterant, declaravit: districte praecipiendo mandans, ut dicti fratres, qui contra praefatam communitatem ordinis huiusmodi quaestiones moverant et querelas, ad conventus, unde discesserant, reverterentur, et suis superioribus obedirent humiliter et devote, harum quaestionum et querelarum praetextu ad romanam curiam de caetero minime reversuri.

Nonnullosque delegavit, qui eos ad obediendum superioribus compellerent.

§ 7. Et ut ipsius salubris ordinatio ad optatum duceretur effectum, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Ianuensi et Lucensi ac Bononien. episcopis per suas literas demandavit, ut ipsi, vel alter eorum per sese, seu alium, vel alios, fratres illos de provincia Thusciae, qui occasione praefatae dissentionis et adhaerentiae, ad illicita laxatis habenis, quaedam loca dicti ordinis in provincia Thusciae constituta occupaverant, et occupata temeritate damnabili detinebant, suis alias obedire superioribus aspernantes, compellerent, ut eisdem locis, per eos occupatis, omnino dimissis, ad suorum superiorum

obedientiam, qualibet exceptione et occasione postpositis reverterentur, moraturi ubicumque et sicut iidem superiores ducerent disponendum.

In contumaces quosdam prolata excommunicatio.

§ 8. Quarum literarum auctoritate dilectus filius Bernardus, prior ecclesiae Sancti Fidelis iuxta Senas, cui praefatus Bononiensis episcopus super hoc commiserat vices suas, in ipsos fratres dicti mandati contemptores, eorum exigente contumacia, excommunicationis sententiam promulgavit et eos fecit excommunicatos publice nunciari.

Hi vero in Siciliam secedentes novum ordinem instituere moliti sunt, cui apostatam quemdam praefecere.

§ 9. Qui ecclesiastica vincula non verentes, non absque temeritatis audacia, apostasiae nota, mentisque vesania, contra apostolica mandata et dicti ordinis instituta, se ad partes insulae Siciliae transtulerunt, et inibi ab obedientia et unitate dicti ordinis et praelatorum eius se totaliter separantes, quasi memorati ordinis B. Francisci stabilem, firmamque compaginem rescindere stolida praesumptione valerent, novi ordinis, immo abhominabilis horroris cassis conatibus, moliti sunt ponere fundamenta, tam detestabili turbae praeficientes magis idolum, quam praelatum, Henricum de Cena dicti ordinis refugam et apostatam fugitivum.

Provinciales, caeterosque elegerunt ministros, novosque conventus construxere.

§ 10. Et ut tam foedo capiti membra caetera responderent, provinciales ministros, custodes praeterea et guardianos eligere temeritate simili praesumpserunt, plurimos ad ipsorum sectam recipere, praedicatores et confessores assumere, eosdemque ad huiusmodi confessionis et praedicationis officium transmittere, loca etiam a locis fratrum ipsius ordinis semota, ad habitandum de novo construere seu constructa recipere, contra Roman. instituta Pontif. in animarum suarum periculum, aliorumque perniciem attentantes.

Habitum mutarunt.

§ 11. Et ut ipsorum error veritas, et impietas religio putaretur, temeritate propria quosdam habitus cum parvis caputiis, curtos, strictos, inusitatos et squallidos, simulationis conscios, irrisionis amicos, ac dissidii non ignaros, discrepantes a communitate ordinis supradicti, assumere; et in simplicium cordibus, ut eosdem secum in devium erroris adducerent, seminare, dictos habitus fore secundum regulam B. Francisci, et in ipsis solum pseudofratribus ordinem consistere, famamque aliorum fratrum praefatae communitatis diversis conviciis lacerare procaci impudentique versutia praesumpserunt.

In multos inde errores lapsi sunt.

§ 12. Verum quia sic sunt casus mentis, ut primo quidem infelix animus per superbiam intumescat et exinde contentionem, de contentione in schisma, de schismate in haeresim et de haeresi in blasphemias infelici gradatione, immo praecipiti ruina descendat, praedicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus praeclarissimam et saluberrimam christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta Ecclesiae veneranda contemnunt, et in gloriosum Ecclesiae Romanae primatum, cunctis nationibus percellendum ab ipso conterendi citius impeti, caeci furoris impingunt.

§ 13. Et ne aliquid praedictarum blasphemiarum tolerabile videatur, aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos ne latere, et perinde nocere valeant, praesentibus duximus annotandos.

Duas fingunt Ecclesias.

§ 14. Primus itaque error, qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit Ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam, effluentem divitiis, sceleribus maculatam, cui Romanum Praesulem, aliosque inferiores praelatos dominari asserunt. Aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam: in qua ipsi soli, eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito, si qua fides est adhibenda mendaciis, principantur.

Huiusmodi error reprobatur.

§ 15. Quae impietas sic istis sceleratis est propria, ut a nulla haeresi possit esse seiuncta. Quippe omnes impii, dum prave in fide sentiunt, dum ab unitate Ecclesiae

atque obedientiae per contumaciam separantur, universitatem fidelium carni, se ipsos vero spiritui servire frivolis assertionibus mentiuntur: quorum dementiae nihil adiici posse, illi manifeste cognoscunt, qui sicut unicum Christum praedicant, sic unam Ecclesiam profitentur, Doctore gentium attestante, qui ait: Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quae est corpus eius. Una est igitur sancta, universalis, apostolica atque Romana Ecclesia quae non humana praesumptione, sub potestate nititur, sed divina et prorsus incommutabili auctoritate fundatur, cuius egregium primatum si quis impie docendo negat, non solum criminosus aut schismaticus esse convincitur, sed haereticus impietatis suae merito, divina etiam atque humana ratione et auctoritate censetur. Quia peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum se christianum asserit, Sedi Apostolicae obedire contemnit, cui inter caetera dona hoc privata largitione concessum est, ut saluberrima fides, quam B. Petrus coelesti Patre revelante cognovit, et immensa potestas, quam ei in eodem Apostolorum Principe Christus indulsit, sic per legitimam romanam pontificalem successionem illibata decurrat, ut illam usque ad finem saeculi, nec perfidia maculet, nec adulterini pastoris pontificium interrumpat. Quam velut validissimam navem divinae gubernationis praesidio communitam, nec variarum opinionum atque haeresum turbines, a suae unitatis compage divellunt, nec tyrannicae potestatis incursus ad ima deprimit, quin potius et illos auctoritate atque veritate superans, et istos patientiae virtute supplantans, inter blanditias terrenae felicitatis et asperitates saeculi felici navigatione media graditur, donec ad portum futurae beatitudinis duce Domino veniatur. In qua, velut in Arca, animalia munda atque immunda servantur: sicut in area frumenta paleis permiscentur: quemadmodum in sagena boni pisces et mali coeunt, in agro zizania et triticum simili generatione succrescunt, nec tamen ipsam membrorum infirmantium immunditia polluit, extollit levitas, corrumpit nequitia, insolentia scindit, sed manens integra atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, poenitentia purgat, patientiae virtute supportat, nec illam divitiarum cumulus suffocat, quia illis, tamquam creatura Dei bona, cum gratiarum actione bene utitur. et aurum habet, non ut in illo finem constituat, sed ut necessitatem patientibus misericorditer largiendo succurrat. Extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non sinit, et divina providentia non permittit, ut membrum, quod a totius corporis unitate sciungitur, virtute, quae a vertice in corpus influit, aliqualiter vegetetur. Quo fit, ut apud istos vaniloquos, nec sancta paupertas, nec castitas munda, nec virtus possit esse perfecta, quia consequens est, ut omni virtute, omni bonitate priventur, qui Deum virtutum, cuius est totum quod est optimum, per inobedientiam derelinquunt.

*Sacerdotes, praeter ipsos, carere facultate administrandi sacramenta propugnant: qui error refellitur.*

§ 16. Secundus error, quo praedictorum insolentium conscientia maculatur; venerabiles Ecclesiae sacerdotes, aliosque ministros, sic iurisdictionis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre, nec sacramenta conficere, nec subiectum populum instruere valeant vel docere; illos fingentes omni ecclesiastica potestate privatos, quos a sua perfidia viderint alienos, quia (1) ipsos solos (ut ipsi somniant) sicut spiritualis vitae sanctitas, sic auctoritas perseverat. In qua re Donatistarum sequuntur errorem, qui olim, facto schismate, ab unitate Ecclesiae recedentes, ita in sua secta Dei gratiam dixerunt esse coactam, ut nullus eam recipere esset idoneus, qui non foret ipsorum scelere maculatus.

§ 17. Quorum impietatem zelus fidelium illo in tempore sic exhorruit, sic pia persecutione compressit, ut homines tam pestilenti contagione respersos et censura ecclesiastica anathematis mucrone

(1) Addendum forsan *apud*.

feriret et legum publicarum sanctio extremo iudicio praedamnaret. Quia dignum erat et equum, ut contra illos utriusque gladii potestas exsurgeret, qui auctoritatem ecclesiasticam a solo Deo traditam et in perpetuum duraturam profanis assertionibus abnegarent. Manet igitur etiam, istis reclamantibus, et usque ad finem saeculi permanebit apud Romanum Praesulem, sicut summa auctoritas, sic immensa potestas, quam sicut gratis accepit, sic in eos, quos in partem solicitudinis evocat, in unitate fidei et Romanae Sedis obedientia permanentes, benigne refundit, tam fortiter atque suaviter moderamina indultae potestatis exercens, ut in corpore Christi, quod est Ecclesia, a summo vertice usque ad extrema vestigia, nihil per inobedientiam dissolutum, nihil relinquat ordinis confusione turbatum. Cuius suavissimum sed validissimum iugum impii, quia humiliter gestare refugiunt, quod rebus non possunt, lacessere maledictis atque convitiis non desistunt.

Tertius error: iuramentum a peccato non esse seiunctum, quod impugnatur.

§ 18. Tertius istorum error in Valdensium errore coniurat, quoniam et hi et illi in nullum eventum asserunt fore iurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui et poena teneri, quos contigerit iuramenti religione constringi.

§ 19. Quorum blasphemias pietas christiana condemnans non levitate mota, sed utilitate aut necessitate coacta, veritatem praeteritorum atque praesentium, et certitudinem futurorum, iurisiurandi religione confirmat, certissime tenens, quia nullatenus de suo genere posset esse peccatum quod Christus exercuit, qui peccatum non fecit, sed peccatum omne sua passione damnavit; iuravit etenim Dominus, iuravit et apostolus Paulus, suae operationis exemplo monstrantes ad hoc tantum iuramentum esse prohibitum, ne iurandi facultas frequentiam, frequentia consuetudinem, consuetudo periurium introducat. Bonum est ergo iuramentum, per quod veritas rerum divino testimonio confirmatur, sed malum est illi, qui eo male utitur, et a malo infirmitatis humanae est, ut aliquis verum proferens iurare cogatur.

Quartus error: sacerdotes in peccato constitutos non posse conficere vel conferre sacramenta.

§ 20. Quarta huiusmodi impiorum blasphemia de praedictorum Valdensium venenato fonte prorumpens, sacerdotes rite etiam et legitime secundum formam Ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit.

§ 21. Quorum utrorumque dementiam ecclesiasticae veritatis doctrina redarguit et censura percellit; quoniam nil a bono maius, nil a malo minus perficitur sacerdote, quia sacramentorum virtus non in merito consecrantis, sed in virtute Sancti Spiritus et verbo proficitur Creatoris.

Quintus error: Evangelium in se solos esse completum.

§ 22. Quintus error sic istorum hominum mentes obcaecat, ut Evangelium Christi in se solos, hoc in tempore, asserant esse completum, quod hactenus, ut ipsi somniant, obtectum fuerat, immo prorsus extinctum.

§ 23. Quae impietas sic (1) tenebrosos Manichaeorum calles oberrat, ut tamen Montani atque Priscillae foeda vestigia non relinquat: illi enim promissionem Domini de Spiritu Sancto, non in apostolis, sed in se ipsis completam esse asserunt: isti Evangelium Christi, cuius virtus in Sancti Spiritus perceptione consistit, ita in se completum autumant, ut ab illius claro intellectu et vera observatione universitatem fidelium mentiendo secludant. Sancta vero ac universalis Ecclesia talium hominum figmenta deridens firmissime tenet et nullatenus dubitat, Spiritum Sanctum iuxta fidele Salvatoris promissum in B. Apostolos die Pentecostes sic plenissime fuisse refusum, ut illos omnem veritatem, quae ad salutem pertinet, perfecte doceret, ut ipsos ad amorem Dei mirabiliter inflammaret, ut eosdem contra omnem tentationem munere virtutis firmitate muniret. Cuius Spiritus virtus illa sanctam Ecclesiam usque ad finem saeculi, nova semper prole foecundat, ut renatis fonte

(1) Addendum forsan *per*.

Baptismatis una sit fides mentium et pietas actionum; quod profecto non esset, si sanctum Evangelium, in quo christianae fidei regula continetur, omnibus esset clausum, et istis solummodo (quod cogitare impiissimum est) esset apertum.

Multos alios sectantur errores et praedicant

§ 24. Multa sunt alia, quae isti praesumptuosi homines contra coniugii venerabile sacramentum garrire dicuntur; multaque de cursu temporum et fine saeculi somniant; multaque de Antichristi adventu, quem iamiam instare asserunt, flebili vanitate divulgant. Quae omnia, quia partim haeretica, partim insana, partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis auctoribus, quam stilo prosequenda aut refellenda censemus. Ipsa enim mendosa commenta seipsa destruunt, quia nec ratione vigent, nec auctoritate constant, nec aliqua verisimilitudine fulciuntur. In huiusmodi doctrinis variis et peregrinis saepe nominati homines studia sua conterunt. Ad haec simplicium corda blandis fictisque sermonibus et simulatae humilitatis praetextu attrahere moliuntur.

Hortatum se Pontifex ait fuisse Siciliae regem, illos ut reprimeret, eorumque superioribus traderet corrigendos

§ 25. Cupientes igitur, quo dicti pestiferi homines, aut in melius commutato consilio a suis perversitatibus resilirent, aut saltem alios perniciosis sermonibus et suae pravitatis exemplo contaminare non possent, carissimum in Christo filium nostrum Fredericum regem Trinacriae illustrem hactenus rogavimus et monuimus per apostolica scripta mandantes ut huiusmodi viros pestiferos et seminatores errorum, de praedicta insula expelleret et penitus extirparet, et ministris, custodibus seu guardianis dicti ordinis minorum, cum ab eis super hoc requireretur, faciendo etiam, si expediret, saepedictos pseudofratres capi, et eorum superioribus tradi captivos, iuxta disciplinam ordinis corrigendos, studeret impendere favorem, consilium et auxilium opportunum.

Quod ab ipso rege completum

§ 26. Ipse vero, tanquam obedientiae filius, per suas patentes literas nostrarum literarum seriem continentes, singulis officialibus suis per dictam insulam constitutis praecipiendo mandavit, ut ad capiendos huiusmodi falsos fratres rectoribus dicti ordinis, ut praedictae nostrae literae continebant, darent consilium, auxilium et favorem, quodque ipsa mandata in nostris contenta literis, studerent executioni in omnibus demandare.

Illi vero in diversa loca aufugerunt:

§ 27. Quae praesentientes pestiferi memorati, cum ad sinum piae matris redire, saltem ecclesiastica disciplina coacti, humiliter debuissent, salubrem coercitionem et felicem necessitatem, quae ad meliora compellit, fugae praesidio declinarunt: nonnullis eorum in locis abditis et latebrosis dictae insulae derelictis, qui suis fautoribus sub quorum defensione consistunt, pro mercede iniqui favoris, perversi dogmatis venena rependunt. Alii vero per loca infidelium discurrentes, mare et aridam circuire feruntur, ut unum saltem faciant proselitum simul cum illis gehennae ignibus applicandum: ii sunt quos Doctor gentium caute vitandos admonuit, dicens: Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae: et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augumentum Dei. Ii sunt diffidentiae filii, nubes sine aqua, quae ventis circumferuntur, sidera errantia, quibus procella tenebrarum reservata est, qui iuxta Psalmistae vaticinium: Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, erraverunt ab utero; a veritate scilicet Sanctae Matris Ecclesiae recedendo, locuti sunt falsa, vanos et varios errorum tribulos per diversas regiones praesumptione damnabili seminando.

Eos itaque ubique capi praecipitur, suisque tradi superioribus puniendos.

§ 28. Quamobrem zelus fidei, fervor compassionis animarum exercitare debet corda omnium qui Christi nomine gloriantur, et ipsius Sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae finibus continentur, ut contra istorum insaniam quasi contra publicam pestem valenter exurgant, nec eos in locis, ubi christianae religionis vi-

get auctoritas, patiantur pacifice vivere, quos adversus matrem et dominam suam, sanctam scilicet Romanam Ecclesiam, rebellionis suae calcibus et horrorum blasphemiis conspiciunt insanire. Frustra enim utuntur nomine christiano, qui talibus impietatibus non resistunt, et consequens est, ut possint haec credere qui possunt talia patienter audire. Tantas igitur et tam graves insolentias, errores pestiferos, detestabiles blasphemias in Creatoris iniuriam, populi christiani perniciem et nefariae operationis exemplum per patientiam immo vecordiam tolerare nolentes, universitatem vestram monemus sedule, hortamur attente per apostolica vobis scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus praefato Henrico de Ceva, aliisque pseudofratribus, qui ad memoratam Siciliae insulam hactenus confugerunt, nullum detis, vel dare, quantum in vobis est, permittatis in praemissis consilium, auxilium vel favorem, quin potius ipsos velut apostatas excommunicatos, ipsius Ecclesiae Romanae rebelles, schismaticos, et perversi dogmatis assertores, lupos graves gregi Dominico non parcentes, a vestris finibus arceatis, capientes ipsos, vel capi facientes, et captos tradentes rectoribus saepe nominati ordinis fratrum Minorum, cum ab ipsis vel eorum vicariis, procuratoribus seu nunciis fueritis requisiti, per eos iuxta ipsorum demerita castigatione debita puniendos: dignum est enim ut apud illos patratorum scelerum poenas solvant, qui ipsorum lubricos calles et tortuosas semitas per patientiam longi temporis exploratius cognoverunt, a quorum sacro consortio per apostasiae vitium recedentes, omni pudore calcato, non sunt confusi sanctam religionem, quae ipsos in sinu suo foverat pietate materna, damnis afficere, maledictis pungere, convitiis lacerare.

§ 29. Proinde, quia ea, quae contra ius et fas atque ordinariam potestatem temeritas humana praesumit, in poenam perturbati ordinis quanto citius debent iuris auctoritate et apostolica potestate convelli: nos quicquid in memoratis provincia Thusciae, insula Siciliae, et ubicumque locorum per saepedictos fratres, in personarum ad dictam sectam receptione in generalis ministri et provincialium, ministrorum, custodum, guardianorum electione (si tamen electio dici possit) et in quibuslibet aliis communiter vel divisim, sub religionis, conventus, congregationis nomine vel colore, attentatum extitit vel existit, nullius fuisse vel esse roboris, nullius extitisse vel existere decernimus firmitatis, unde ipsa cassa, irrita et nulla censemus, et nihilominus, quatenus de facto processerant, auctoritate apostolica revocamus.

*Ab iisque facta omnia, et patrata cassantur.*

§ 30. Caeterum, quia verendum est, ne ii praesertim, qui per professionem, licet fantasticam, ad praedictorum infame consortium transierunt, errores sapiant, et alios pestifera contagione corrumpant, omnes et singulos per eos ad suam sectam receptos, maximeque professores, ad vestram praesentiam per censuram ecclesiasticam evocate, examinare de fide, de praedictorum erroribus, per vos vel alium seu alios caute, diligenterque perquirere sine strepitu et figura iudicii, et ipsorum complicibus atque fautoribus indagate, et si opus fuerit, ipsos capi et detineri curate; et si quos inveneritis culpabiles, secundum canonicas sanctiones poena debita punire curate: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis: contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compescentes. Testes autem quos ad praemissa videritis evocandos, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritatis testimonium perhibere.

*De fide etiam examinari eos, et culpabiles puniri mandatur*

§ 31. Volumus insuper et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat negotium, seu articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique

*Iudicibus contra eos procedendi attributa facultas.*

vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis, etiam non caeptis praesentibus et futuris, perpetua potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in praemissis, etiam non caeptis praesentibus et futuris, contra praedictos procedere, ac si iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset.

Obstantium derogatio.

§ 32. Non obstantibus (1) de duabus dietis, edita in concilio generali, et fel. rec. Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, per quas tam iudices, quam conservatores a Sede deputati praedicta, extra civitates et dioec. in quibus deputati fuerint, procedere et vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a finibus suae dioec. trahere prohibentur, et aliis contrariis constitutionibus quibuscumque, seu si aliquibus sit indultum a Sede praedicta, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, aut extra certa loca trahi, vel ad iudicium evocari non possint per literas apostolicas non facientes expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis et locis, nominibus propriis vel ordinibus mentionem, sive alia indulgentia dictae Sedis generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam vestrae iurisdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, et de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Dat. Avinione x kalen. februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 ianuarii 1318, pont. anno II.

## XIV.

*Erectio Ecclesiarum Electen., et Sancti Pontii Thermolarum ac suppressio episcopatus Limosen.* (2).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Ecclesia Limosina nuper ab hoc Pontifice in episcopatum erecta. — 2. Quibus de causis ab eodem supprimatur: — Ac novae erigantur Ecclesiae. — 3. Obstantium derogatio. — Redditus utrique Ecclesiae assignati.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Alma mater Ecclesia, quae super omnes alias plenum dominium habere dignoscitur, nonnulla plerumque rationabiliter ordinat, quae postmodum clarius inspecta veritate ipsorum, prout considerata maior suadet utilitas, minorque laesio provenit, in melius consulta deliberatione commutat.

Ecclesia Limosina nuper ab hoc Pontifice in episcopatum erecta.

§ 1. Sane dudum ad divini cultus augumentum et ad salutem populi, quem in civitate et dioecesi Narbonen., sic multiplicarat Altissimus, quod ipsorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere, non sine animarum dispendio personarum degentium in eisdem, paternis studiis intendentes; pensantes etiam, quod Ecclesia Narbonen. sic in proventibus et redditibus affluenter abundare noscebatur et noscitur, quod de ipsorum multitudine copiosa reddituum nedum uni sed pluribus praelatis, iuxta cuiuscumque status decentiam, sufficienter poterat provideri; nos ad ipsius divini cultus augumentum et spiritualem animarum profectum anhelantes ex animo, praemissis et aliis suadentibus iustis causis attente pensatis, villam de Limoso, infra dictam Narbonen. dioecesim constitutam, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, in civitatem ereximus, et ipsam voluimus civitatis vocabulo insignire: decernentes quod parochialis ecclesia Sancti Martini dictae villae de Limoso esset et haberetur ex tunc Ecclesia cathedralis, ac ipsam cum praedicta villa, capitulo et dioecesi limitandam ab omni iurisdictione, dominio et potestate archiepiscopi, capituli et Ecclesiae Narbonen., quibus subesse antea noscebatur; maioritate tantum seu supe-

(1) Deest forsan *constitutionibus*. (2) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

rioritate in ipsis dictae Narbonen. Ecclesiae, sicut in aliis suffraganeis suis habere dignoscitur reservatis, duximus eximendam; et quia praefata Ecclesia de Limoso facultates non habebat ad episcopalem sufficientes honorem, decrevimus episcopo Limosen., qui esset pro tempore, de situatis redditibus eiusdem Ecclesiae Narbonen. quinque millia librarum Turonen. parvorum debere summam annuam assignari, prout haec in nostris super hoc confectis literis seriosius narrabantur.

Quibus de causis ab eodem supprimatur:

§ 2. Cumque postmodum ad partes illas ad inquirendum, in quibus locis limitatio dioecesis et assignatio reddituum praedictorum eidem Ecclesiae de Limoso magis accommode et cum minori deformatione et laesione praedictae Ecclesiae Narbonen. fieri deberet et posset, certas et sufficientes personas duximus destinandas: quare tam ex relatione fide digna ipsorum, quam etiam plurium canonicorum ipsius Ecclesiae Narbonen. et procuratorum etiam archiepiscopi memorati, qui conditionem et statum Ecclesiae Narbonen. praedictae et singularium locorum dictae dioecesis plene noverunt, compertum est, quod si in dicto loco de Limoso huiusmodi cathedralis Ecclesia remaneret, in assignatione dioecesis et reddituum praedictorum praefata Ecclesia Narbonen. tam in redditibus et locis sibi magis accommodis et vicinis, quam etiam in assignatione dioecesis deformaretur plurimum, et non modicum cederetur (1); et quod monasterium sororum de Pruliano secundum instituta fratrum Praedicatorum inventum olim dioecesis Tholosan., cui praedicta parochialis Ecclesia de Limoso sic in cathedralem erecta subiecta fuerat, et in qua multos redditus et proventus percipit annuatim, enormiter laedebatur, nec sibi poterat, loci commoditate pensata, recompensatio competens exhiberi: quodque ad amplioris ipsius divini cultus augmentum in locis infrascriptis duae poterant erigi Ecclesiae cathedrales cum maiori animarum profectu, et longe minori laesione ipsius Ecclesiae Narbonen., tum quia monasteria praedictorum locorum in redditibus sic affluenter abundant, quod ipsis ambabus Ecclesiis redditus, qui ipsi Ecclesiae de Limoso fuerant conferendi, sufficere poterunt aequa distributione collati, tum etiam propter ipsorum locorum distantiam ab Ecclesia Narbonen., propter quam in assignatione dioecesis et reddituum facienda eisdem Ecclesiis erigendis non tantum deformationem seu damnum eadem Narbonen. Ecclesia recipere poterit, sicut in erectione solum Ecclesiae de Limoso praefatae; praemissis et aliis suadentibus iustis causis cum fratribus nostris plene discussis, quod super erectione civitatis et Ecclesiae praedictarum per nos factum erat, revocantes et cassantes expresse, de consilio et auctoritate praedictis, ac ex certa nostra scientia, ad laudem Dei et exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem, eandem Narbonen. dioecesim in tres dioeceses auctoritate apostolica dividentes, quas per certos distingui limites faciemus, volumus et decernimus auctoritate praedicta et eiusdem plenitudine potestatis, ut praeter civitatem Narbonen., quam suam propriam et distinctam habebit dioecesim, certis de novo finibus limitandam, Electi et Sancti Poncii Thomeriarum villae olim dictae dioecesis Narbonen., quas veluti ad hoc, ut praedicitur, magis ex causis praedictis accommodas reputamus, in civitates erigimus et civitatis vocabulo decoramus, separatas dioeceses habeant certis limitibus distinguendas: quodque de Beatae Mariae Electen., et Sancti Pontii Thomeriarum monasteriorum Ecclesiae sint ex nunc et habeantur de caetero Ecclesiae cathedrales: ita quod ipsae cum earum capitulis sive conventibus ac civitatibus et dioecesibus limitandis archiepiscopo et Ecclesiae Narbonen., utpote metropolitanae eorum, tanquam suffraganeæ sint subiectae.

Ac novae erigantur Ecclesiae.

(1) Forsan *laederetur*.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque exemptionum privilegiis, quae de caetero eis in hac parte nolumus suffragari, ac in augumentum aliorum reddituum, quibus, ut praemissum est, abundare noscuntur, ut earum praesules, qui pro tempore fuerint, servare valeant episcopalis dignitatis honorem, praesentium auctoritate decernimus, ut ipsarum praesules, qui pro tempore fuerint, videlicet Electen. duorum millium librarum Turonen. parvorum, Sancti Pontii Thomeriarum vero, cuius Ecclesia magis in redditibus abundare dignoscitur, quam Ecclesia Electen., mille sexcentarum et triginta quinque librarum dictae monetae summam annui et perpetui redditus de bonis et rebus mensae archiepiscopalis Narbonen., ipsis Ecclesiis magis accommodis et vicinis iuxta communem extimationem bonorum et rerum huiusmodi redditualium faciendam; quam quidem eisdem Ecclesiis ac ipsarum episcopis una cum aliis bonis, quae antea, ut praedicitur, obtinebant et obtinent in rebus unicuique ipsarum magis adiacentibus et vicinis iuxta distinctionem seu limitationem dioecesum praedictarum per alias nostras literas faciendam percipere debeant et habere. Haec igitur *etc.*

Redditus utrique Ecclesiae assignati.

Datum Avenioni secundo kal. martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 februarii 1318, pontif. anno II.

## XV.

*Quod hospitali et religioni militum S. Ioannis Hierosolymitani, habenti annalia beneficiorum vacantium accrescant fructus, quos illa obtinentes et non residentes percipere possent.*

SUMMARIUM

1 ad 4. Causae edendae constitutionis. — 5. Sanctio (*de qua in rubrica*).

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, magistro et fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani.**

Causae edendae constitutionis.

§ 1. Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod dudum post constitutionem per nos editam, qua specialiter et expresse cavetur, quod habentes annalia in Ecclesiis, de consuetudine, privilegio vel statuto, qui ratione dictorum annalium fructus primi vel secundi vel alterius cuiuscumque sequentis anni beneficium (1) vacantium ubi hactenus in totum vendicaverant, nihil exinde ultra summam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum consuevit in decimae solutione taxari, praetextu cuiusvis privilegii, consuetudinis vel statuti, quovis modo perciperent, sed ipsius summae perceptione dumtaxat deberent esse contenti, totali residuo praedicta obtinentibus beneficia remansuro, nisi forsan illi, qui fructus illos soliti essent cum integritate percipere, mallent ipsum habere residuum, et obtinentibus beneficia dimittere summam memoratam, quo casu percipiendi, quod mallent, erat eis optio derelicta.

§ 2. Quandam aliam declaratoriam constitutionem fecimus, in qua specialiter cavebatur, quod si huiusmodi beneficium obtinentes, in Ecclesia in qua specialiter illud beneficium existeret, minime residerent, ad debitum servitium impendendum, capitulo eiusdem Ecclesiae deberet accrescere, cum cessante causa cessare debeat pariter, quod vigebat.

§ 3. Quodque ex verbis declarationis huius satis innui videbatis, quod fructus beneficiorum non residentium accrescere debeant habentibus annalia memorata.

§ 4. Verum ex eo quod in declaratione dicta non continetur expresse de perceptione annalium beneficiorum vacantium vobis debitorum, de praedictis consuetudine, privilegio vel statuto, quoad fructus non residentium in eisdem, qui vobis accrescere debent, nullum ad-

(1) Forsan *beneficiorum*.

huc commodum assequi potueritis, licet, ut praemittitur, dicti fructus capitulo non accrescant. Quare nobis humiliter supplicastis, ut quod in huiusmodi declaratione nostra tacite innuitur, declarare expressius dignaremur.

Sanctio (de qua in rubrica).

§ 5. Nos itaque petitionem vestram iuri consonam aestimantes, ac propterea in hac parte quieti et indemnitati vestrae providere volentes, praesenti oraculo declaramus, quod fructus praedictae Ecclesiae vel beneficii vacantis, cuius annalia, in quibus consistunt, debentur vobis ex privilegio, consuetudine vel statuto, etiam pro ea parte, quae obtinentibus praebendam vel beneficium huiusmodi (si in Ecclesia, ubi illa consistunt, personalem residentiam facerent) deberetur, si non resideant ibidem vere, vel interpretative, utpote per speciale privilegium apostolicum, vel alias ex causa rationabili ab huiusmodi residentia legitime excusentur, cum dicta pars (ut praemittitur) capitulo non accrescat, vobis accrescere debet secundum intentionem et mentem declaratoriae memoratae. Nulli ergo *etc.*

Datum Avinione, kal. martii, pontif. nostri anno II.

Dat. die 1 martii 1318, pontif. anno II.

---

## XVI.

*Divisio provinciae Tarraconen. in duas, et erectio Ecclesiae Caesaraugustan. in metropolitanam* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Quibus de causis dividenda sit Tarraconen. provincia. — Erectio metropolitanae Caesaraugustan. — Ecclesiae suffraganeæ metropolis Tarraconen. — 2. Aliaeque Caesaraugustan. — 3. Cui subiicitur quoque ecclesia S. Mariae Albarresin.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Romanus Pontifex, cui super omnes orbis Ecclesias et praelatos earum est a Domino collata potestas, provida deliberatione meliora prospiciens, et saluti animarum intendens, interdum dignitates ecclesiasticas de novo statuit, honores ascribit, nonnunquam efficit unam ex pluribus, et quandoque in plures unam rationabili consideratione distinguit, ut nec excellentiam dignitatum obnubilet multitudo superflua praesulum, nec raritas diminuta discrimen pariat animarum.

Quibus de causis dividenda sit Tarracon. provincia:

§ 1. Sane considerantes attentius, quod dum suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat, impar quisque invenitur ad singula, quando confusa mente occupatur ad multa; unde ne in multis sint actus alicuius, sapiens provide prohibet, ne forsan neutrum bene peragat, si ad utrumque festinet: et proinde sedula meditatione pensantes, quod unus metropolitan. in Tarraconen. provincia lata et diffusa quamplurimum sui debitum nequit implere officii; quodque nimis durum est atque difficile in diffusa latitudine tantae provinciae ad metropolitanum unicum a tot suffraganeis, praesertim spatio magno distantibus, et a tot personis aliis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi; sacrorum insuper sancita canonum ad memoriam revocantes, qui episcopales sédes ita praecipiunt ordinari, ut sibi ipsis longo intervallo minime disiungantur episcopi, quatenus ad consecrationem sui comprovincialis sine difficultate possint occurrere, et pro aliis, quae in Ecclesiarum commodum tractanda fuerint, facile convenire; praemissis aliis suadentibus iustis causis, ex certa nostra scientia, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, ac de venerabilis fratris nostri Eximini archiepiscopi Tarraconen. assensu ad laudem Dei, exaltationem et decorem Ecclesiae, fideliumque salutem

praedictam Tarraconen. provinciam in duas provincias apostolica auctoritate dividimus, ut tantum onus partitum in duos, quod per unum procul dubio commode portari non posset, levius feratur ab illis: ita videlicet, quod praeter Tarraconen. Ecclesiam, quae metropolis remanebit, suam distinctam provinciam, ut sequitur, habitura Caesaraugustan. Ecclesia ipsius Tarraconen. huc usque suffraganea, quam et totam eius dioecesim ab omni iurisdictione, potestate et subiectione archiepiscopi, capituli et eiusdem Ecclesiae Tarraconen. prorsus eximimus, ac honoribus et insigniis sedis metropoliticae decoramus, ex nunc in perpetuum habeatur pro metropolitana Ecclesia, certam habitura provinciam, ut infra describitur, ipsiusque praesul archiepiscopus censeatur: volentes ac decernentes de fratrum ipsorum consilio et praedictae plenitudine potestatis, quod Tarraconen. metropolis, quae solemniori statu et conditione potiori praefulget, et propter antiquam nobilitatem ipsius est honorabilius et favorabilius prosequenda, Barchinonen., Illerden., Gerunden., Dertusen., Vicen., Urgellen., et Valentin. Ecclesiae, tanquam sibi adiacentes, habilius pro suffraganeis et de sua provincia iuxta solitum debeant remanere.

*Erectio metropolitanae Caesaraugustan.*

*Ecclesiae suffraganeae metropolis Tarracon.*

§ 2. Et quia dignum est, ut Caesaraugustan. metropolis, ex quo de filia facta mater metropoliticae dignitatis suscepit insignia, suffraganearum congruum numerum filiarum ac decentem provinciam habeat, ut ad archiepiscopi Caesaraugustan. iudicium omnes causae suffraganeorum episcoporum et personarum ecclesiasticarum ac civitatum eiusdem provinciae iuxta sacrorum statuta canonum referantur, nos Oscen., Tirasonen., Pampilonen. et Calaguritan. Ecclesias suffraganeas quondam praedictae Tarraconen. Ecclesiae, quas cum earum dioecesibus, collegiis seu capitulis a iurisdictione, potestate et subiectione quacumque archiepiscopi, capituli et Ecclesiae Tarraconen. et ordinariorum aliorum quorumlibet, quibus subiectae fuerant hactenus, eximimus penitus auctoritate praesentium, ipsius Ecclesiae Caesaraugustanae suffraganeas, ac de provincia Caesaraugustan. in perpetuum fore decernimus, et cum suis dioecesibus metropolitico iure subiicimus et subiectas esse volumus eas illi de praedictorum consilio et plenitudine potestatis.

*Aliaeque Caesaraugustan.*

§ 3. Porro cathedralem ecclesiam S. Mariae Albarresin. sitam in finibus regni Aragoniae, de cuius subiectione praedictus Tarraconen. et venerabilis frater noster Toletan. archiepiscopi diutius contendisse feruntur, cum sit eidem Caesaraugustan. metropoli plurimum adiacens, ex nunc ab ipsorum archiepiscoporum, necnon capitulorum et Ecclesiarum Toletan. et Tarraconen. iurisdictione, subiectione ac potestate qualibet, de praedictorum consilio et plenitudine potestatis eximimus, eamque similiter suffraganeam Caesaraugustan. Ecclesiae, ac de Caesaraugustan. provincia esse decernimus ac subiicimus metropolitico iure: sibi praedicta contentione seu litigio nequaquam obstante.

*Cui subiicitur quoque Ecclesia S. Mariae Albarresin.*

§ 4. Haec igitur *etc.*

Datum Avenioni, quinto decimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 iulii 1318, pontif. anno II.

---

## XVII.

*De lectorum ad Studium Perusinum admissione et scholarium promotione ad doctoratum* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1, 2. Haec Academia a Clemente V erecta. — 3. Perusino episcopo data facultas lectores admittendi: — 4. Et promovendos examinandi: — 5. Ac lauream sub certis legibus concedendi. —

(1) Hoc Studium erexit Clemens V, ut sup., in eius Const. VI, fol. 192.

6. Laureatorum privilegia. — 7. Modus sacramenti ab eodem episcopo praestandi. — 8. Iuramentum simile emittendum a magistris. — 9. Puncta examinandis danda.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Inter caeteras curas, quas nobis ex iniuncto divinitus apostolatus officio imminere conspicimus, et desideria cuncta, in quibus iugi meditatione versamur, ad illa praecipue affectus noster dirigitur, nostraeque mentis intentio ardentius incitatur, ut catholicae fidei professores, quos verae fidei verum lumen illuminat, gloriosa literarum scientia imbuantur, et efficiantur laudabilis sapientiae studiis eruditi. Huiusmodi enim donum impretiabile pretio nullo conceditur, sed divinitus animabus benevolis indulgetur. Huiusmodi desiderabilis est et gloriosa possessio, per quam pelluntur ignorantiae tenebrae, ac erroris funditus eliminata caligine, studentium commendanda solertia, suos actus et opera disponit et ordinat in lumine veritatis. Ob hoc igitur magno (nec mirum) desiderio ducimur, ut literarum studia, in quibus margarita scientiae reperitur, laudanda ubilibet incrementa suscipiant et propensius invalescant, in illis praesertim locis, quae ad multiplicanda doctrinae semina et germina salutaria producenda, idonea et commoda dignoscantur.

Haec Academia a Clemente V erecta.

§ 1. Cum igitur fel. rec. Clemens Papa V, praedecessor noster, attendens fidei puritatem et devotionem eximiam, quam civitas Perusina Ecclesiae Romanae immediate subiecta, ab olim ad ipsam Ecclesiam successione temporum de bono in melius studuerat augmentare, dignum duxit et aequitati consonum extimavit, ut civitatem eamdem, quam divina gratia, multarum praerogativa bonitatum et foecunditate virtutum gratiose dotavit, scientiarum etiam muneribus ampliaret, et ut favente Deo ex civitate producerentur viri scientia pollentes, auctoritate apostolica statuit, ut in civitate praedicta esset Studium generale, illudque vigeret ibidem perpetuis futuris temporibus in qualibet facultate, prout in apost. literis praedecessoris eiusdem exinde confectis plenius dicitur contineri.

§ 2. Nos igitur civitatem eamdem propter suae devotionis insignia, quibus se Apostolicae Sedis gratia dignam reddit, uberioris dono gratiae prosequi cupientes, eorum supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio:

Perusino episcopo data facultas lectores admittendi:

§ 3. Venerabili fratri nostro episcopo Perusino et successoribus eius episcopis Perusinis, qui erunt pro tempore, impertiendi personis ad hoc idoneis docendi licentiam iuxta infrascriptum modum liberam concedimus facultatem; auctoritate praedicta tenore praesentium statuentes, ut si qui processu temporis fuerint, qui sibi in eodem Studio docendi licentiam, ut alios erudire valeant petierint impertiri, in iure canonico et civili examinari possint ibidem et in eisdem facultatibus dumtaxat titulo magisterii decorari.

Et promovendos examinandi:

§ 4. Et ut quotiens aliqui fuerint promovendi, praesententur eidem episcopo qui pro tempore fuerit, vel ei quem ad hoc dictus episcopus duxerit deputandum, qui magistris facultatis illius, in qua examinatio fuerit facienda, tam regentibus quam non regentibus quinque vel quatuor ad minus in eodem Studio praesentibus convocatis, eos gratis et difficultate quacumque sublata, in dictorum magistrorum praesentia, de scientia, facundia, modo legendi, et aliis, quae in promovendis ad doctoratus sui magistratus officium requiruntur, examinare studeant diligentius.

Ac lauream sub certis legibus concedendi.

§ 5. Nullum tamen qui doctorari petierit in iure civili ad huiusmodi examinationem admittat, nisi qui ad minus sex annis civilia iura audiverit, et duobus saltem ex eis illa in aliquo Studio generali, ac Institutionum, vel duos Digestorum vel Codicis libros publice legerit

in eodem, uno eorum saltem perlecto in Perusino Studio, in quo fuerit doctorandus. Nullum etiam, qui doctorari petierit in iure canonico, ad huiusmodi examinationem recipiant, nisi quinque annis canonica iura audierit, ex quibus saltem duos illa similiter in eodem Studio generali, ac duos vel unum Decretalium librum publice legerint in Perusino, in quo fuerit magistrandus. In praedictorum vero duorum annorum numero, tam in iure canonico, quam in civili illud tempus, quod huiusmodi doctorandi extraordinarie publice aliis legendo, illosque docendo, publice etiam non audiendo expenderint in aliquo Studio generali, volumus computari et proinde haberi, ac si per illud audiendo dictorum iurium generali Studio institissent, et illos quos idoneos reperient, petito secrete magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium fideliter teneantur impendere, quod etiam in ipsorum consulentium dispendium vel iacturam revelari quomodolibet districtius prohibemus, approbet et admittat, eisque petitam licentiam largiatur. Alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio vel favore.

Laureatorum privilegia.

§ 6. Illi autem qui in civitate praefata examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia, legendi et docendi ubique plenam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Modus sacramenti ab eodem episcopo praestandi.

§ 7. Verum ut rite in praefatis examinationibus procedatur, praecipimus, ut dictus episcopus, praepositis tantum, sed non tactis Evangeliis, iuret fideliter se personis, quae per examinationem huiusmodi repertae fuerint idoneæ, huiusmodi licentiam impertiri, et quod personaliter non per vicarium vel substitutum examinationi huiusmodi debeat interesse, nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo impeditus, quod suam non posset examinationi praedictae personalem praesentiam exhibere, in quo casu eidem episcopo interessendi examinationi huiusmodi per vicarium vel alium ad hoc idoneum substitutum, tenore praesentium indulgemus. Et quod nemini huiusmodi impertietur licentiam, nisi ei quem omnis vel maior pars doctorum, qui huiusmodi examinationi intererint, approbabunt.

Iuramentum simile emittendum a magistris.

§ 8. Magistri quoque in dicta civitate praesentes, sive actu legant sive non, qui ad examinationem huiusmodi fuerint convocandi, semel praestent publice iuramentum, quod isti vocati ad easdem examinationes venient, nisi fuerint legitime impediti, et gratis dabunt examinationis fidele consilium, qui de huiusmodi examinatis, vel ut digni approbari debeant, aut minus digni merito reprobari. Qui vero iuramentum huiusmodi praestare noluerit, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem ullatenus admittatur.

Puncta examinandis danda.

§ 9. Modus autem suprascriptus in huiusmodi examinatione servetur, nam licentiando in iure canonico assignentur puncta de mane, videlicet unum decretum et unica decretalis; licentiando etiam in iure civili, puncta hora praedicta similiter assignentur; videlicet una lex in Digesto veteri et altera in Codice per doctores, super quibus dicti licentiandi examen fuerint subituri. Iidem vero doctores ad mandatum eiusdem episcopi, circa vesperas hora debita, super praedictis punctis subiicient licentiandum examini; et tam circa examen huiusmodi, quod fiet in secreto, quam circa examinationem publicam, caetera observent quae in similib. consuevere in Bononiensi Studio observari. Nulli ergo, *etc.*

Dat. Avenione, kal. augusti, pont. nostri anno II.

Dat. die 1 augusti 1318, pontif. anno II.

## XVIII.

*Ordinatio Studii in Urbe, eiusque privilegiorum confirmatio (1).*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Studium in Urbe institutum a Bonifacio VIII. — De magisterii titulo et laurea decorandis. — Laureandorum leges. — 2, 3. Aliae. — 4. Licentiatorum, laureatorumque privilegia. — 5, 6. Conditiones ac circumstantiae examinis. — 7. Puncta pro licentiandis.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Dignum duximus et debitum quodammodo arbitramur, ut Urbem urbium peculiarem Romanae Ecclesiae filiam prae cunctis orbis urbibus dignitatis titulis praefulgentem in iis praecipue congruis prosequamur favoribus et praecipuis gratiis attollamus, quae non solum eius incolis super caeteris studiorum causa confluentibus ad eandem praebeant proficiendi desiderium et querendae sapientiae inductivum: huiusmodi enim donum impretiabile pretio nullo conceditur, sed divinitus animabus benevolis indulgetur; huiusmodi desiderabilis est gloriosa possessio, per quam pelluntur ignorantiae tenebrae, ac erroris funditus eliminata caligine, studentium commendanda solertia suos actus disponit et ordinat in lumine veritatis. Ob hoc igitur magno, nec mirum, desiderio ducimur, ut literarum studia, in quibus margarita scientiae reperitur, laudanda ubilibet incrementa suscipiant, et propensius invalescant; sed in Urbe praecipue, quae ad multiplicanda doctrinae semina, et germina salutaria producenda multifarie idonea et accommoda reperitur.

§ 1. Cum igitur felicis recordationis Bonifacius Papa octavus praedecessor noster attendens fidei puritatem et devotionem eximiam, quibus praedicta Urbs erga Romanam Ecclesiam ab olim claruisse dignoscitur, et quod illas ad dictam Ecclesiam tanquam eius praedilecta et inclyta filia successione temporum de bono in melius studuerat augmentare, ut ex civitate ipsa favente Deo producerentur viri scientia praepollentes, auctoritate apostolica statuerit, ut ibidem esset Studium generale, idque vigeret ibidem perpetuis futuris temporibus, praesertim in facultatibus iuris canonici et civilis, prout in apostolicis literis praedecessoris eiusdem plenius continetur; nos Urbem eandem propter praemissae suae devotionis insignia uberioris dono gratiae prosequi cupientes, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio vicario nostro in dicta Urbe in spiritualibus, qui nunc est, et pro tempore erit, impertiendi personis ad hoc idoneis docendi licentiam, iuxta infrascriptum modum, liberam concedimus facultatem, auctoritate praedicta, tenore praesentium statuentes, ut si qui processu temporis fuerint, qui sibi in eodem Studio docendi licentiam, ut alios luculentius erudire valeant, petierint impertiri, in iure canonico et civili examinari possint ibidem, et in eisdem facultatibus dumtaxat titulo magisterii decorari: et ut quotiens aliqui fuerint promovendi, praesententur eidem vicario, qui pro tempore fuerit, vel ei, quem ad hoc vicarius duxerit deputandum: qui magistris facultatis illius in qua examinatio fuerit facienda, tam regentibus, quam non regentibus quinque vel quatuor ad minus in eodem Studio praesentibus convocatis, eos gratis et difficultate quacumque sublata, in dictorum magistrorum praesentiam de scientia, facundia, modo legendi et aliis, quae in promovendis ad doctoratus seu magistratus officium requiruntur, examinare studeant diligenter: nullum tamen, qui doctorari petierit in iure civili, ad huiusmodi examinationem admittat, nisi qui ad minus sex annis civilia iura audierit, et duobus saltem ex eis illa in aliquo Studio ge-

Studium in Urbe institutum a Bonifacio VIII.

De magisterii titulo et laurea decorandis.

Laureandorum leges.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Huiusmodi Academiam instituit Bonifacius VIII, Const. xx, superius pag. 166.

nerali ac Institutionum vel duos Digestorum vel Codicis libros publice legerit in eodem: uno eorum saltem perlecto in Romano Studio, quo fuerit doctorandus.

Aliae.

§ 2. Nullum etiam qui doctorari petierit in iure canonico huiusmodi examinationem recipiat, nisi quinque annis canonica iura audierit, ex quibus saltem duobus illa similiter in aliquo Studio generali, ac duos vel unum Decretalium librorum publice legerit in romano, in quo fuerit magistrandus.

§ 3. In praedictorum vero duorum annorum numero tam in iure canonico, quam in civili id temporis, quod huiusmodi doctorandi extraordinarie, publice aliis legendo, illosque docendo publice etiam non audiendo expenderint in aliquo Studio generali volumus computari et perinde haberi, ac si per illud audiendo dictorum iurium generali Studio institisset, et illos, quos idoneos repererit, petito secrete magistrorum eorumdem consilio; quod utique consilium fideliter teneantur impendere, quod etiam in ipsorum consulentium dispendium vel iacturam revelari a quolibet districtius prohibemus, approbet et admittat: eisque petitam licentiam largiatur: alios minus idoneos nullatenus admittendo: postpositis omnino gratia, odio vel timore, favore.

Licentiatorum laureatorumque privilegia.

§ 4. Illi autem qui in civitate praefata examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione vel approbatione alia regendi et docendi ubique plenam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Conditiones ac circumstantiae examinis

§ 5. Sane ut rite in praefatis examinationibus procedatur, praecipimus, ut dictus vicarius propositis tantum, sed non tactis Evangeliis, iuret, fideliter se personis, quae per examinationem huiusmodi repertae fuerint idoneæ, huiusmodi licentiam impartiri, et quod personaliter, non per vicarium vel substitutum examinationi huiusmodi debeat interesse, nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo impeditus (super quo eius conscientiam oneramus), quod suam non posset examinationi praedictae personalem praesentiam exhibere: in quo casu eidem vicario interessendi examinationi huiusmodi per alium ad hoc idoneum substitutum, quod tactis sacrosanctis Evangeliis praestare iuramentum simile teneatur, tenore praesentium indulgemus: et quod nemini huiusmodi impertietur licentiam, nisi ei, quem omnes vel maior pars doctorum, qui huiusmodi examinationi intererunt, approbabunt.

§ 6. Magistri quoque in dicta Urbe praesentes, sive actu legant, sive non, qui ad examinationem huiusmodi fuerint convocandi, semel praestent publice iuramentum, quod ipsi vocati ad easdem examinationes venient, nisi fuerint legitime impediti, et gratis dabunt examinatorum fidele consilium, qui de huiusmodi examinatis velut digni approbari debeant aut minus digni merito non admitti. Qui vero huiusmodi iuramentum praestare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem ullatenus admittantur.

Puncta pro licentiandis.

§ 7. Modus autem subscriptus in huiusmodi examinatione servetur quoque in licentiandis. Nam licentiando in iure canonico assignentur puncta de mane, videlicet unum decretum et unica decretalis; licentiando etiam in iure civili puncta hora praedicta similiter assignentur, una lex videlicet in Digesto veteri et altera in Codice per doctores, super quibus dicti licentiandi examen fuerint subituri: iidem vero doctores ad mandatum eiusdem vicarii hora competenti post nonam eiusdem diei super praedictis punctis subiicient licentiandum examini, et tam circa examen huiusmodi, quod fit in secreto, quam circa examinationem publicam caetera observent, quae in similibus consueverint in Bononien. Studio observari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, statuti, voluntatis, prohibitionis et praecepti infringere, *etc.*

Datum Avenioni kalendis augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die, annoque eodem.

---

## XIX.

*Tutellensis Ecclesiae divisio a Lemovicensi, et novi episcopatus erectio, cum dioecesis, capituli et mensae assignatione* (1).

SUMMARIUM

1. Divisionis, novaeque erectionis causae. — 2. Divisio ac erectio (*de quibus in rubrica*).

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Salvator noster, *etc.*

Divisionis, novaeque erectionis causae.

§ 1. Sane considerantes attentius et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta foecundavit Altissimus civitatem et dioecesim Lemovicensem singulorum vultus nequibat, ut condecet, unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere, quodque durum erat atque difficile in eadem dioecesi, quae lata et diffusa existit, ad unicum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi.

Divisio ac erectio (de quibus in rubrica).

§ 2. Nos cultum augere divinum et spiritualem animarum profectum, quem ex subscriptis indubie provenire speramus, promovere salubriter intendentes, praemissis et aliis suadentibus iustis causis, cum fratribus nostris habito super hoc diligenti tractatu, de ipsorum consilio ex certa nostra scientia ac apostolicae plenitudine potestatis, ad laudem Dei et exaltationem Ecclesiae, fideliumque salutem Lemovicensem dioecesim auctoritate apostolica dividimus in duas dioeceses, quas pro certo distingui limite faciemus, volentes ac etiam decernentes auctoritate praedicta de fratrum eorumdem consilio et praedictae plenitudine potestatis, quod praeter civitatem Lemovicensem, quae suam propriam et distinctam habebit dioecesim certis finibus limitandam, villa Tutellensis dictae olim dioecesis, quam veluti ad hoc convenientem et accommodam eadem auctoritate in civitatem erigimus et civitatis vocabulo insignimus, separatam dioecesim habeat a dioecesi remansura civitati Lemovicensi certis limitibus distinguendam: quodque Ecclesia quondam monasterii Tutellensis ordinis sancti Benedicti civitatis eiusdem sit de caetero et habeatur perpetuo Ecclesia cathedralis, ipsa et civitate praedicta Tutellensi cum suis capitulo ac dioecesi per nos, ut praemittitur, limitanda ab omni iurisdictione, dominio et potestate ac superioritate episcopi, capituli et Lemovicensis Ecclesiae remanentibus omnino liberis et exemptis, nullo praedictis Lemovicensi, superioritatis aut maioritatis titulo in Ecclesia, civitate Tutellensi cum suis capitulo et dioecesi quomodolibet remanente.

Datum Avinioni idibus augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 augusti 1318, pontif. anno II.

(1) Ex Gall. Christ. n. e., tom. II.

---

## XX.

*Institutio Militiae Iesu Christi in regnis Portugalliae et Algarbiorum sub regulari observantia ordinis Militiae de Calatrava, eiusdemque ordinis assignatio primae domus facta per regem in Castro de Marino Silven. dioecesis* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Templariorum suppresso ordine; — Eiusque bonis ordini S. Ioannis Hierosolym. donatis, exceptis iis quae in regnis Castellae, Aragonum, Portugalliae, Maioricarum et Franciae existebant: — Indicta tamen regibus die ad proferendum rationes, si quas super iis haberent. — 2. Rationes a nuntiis Portugalliae regis adductae: — Supplicatumque Papae, ut novam militiam in Castro Marino contra Sa-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

racenos institueret: — 3. Quam ordinat Ioannes: — 4. Eique domum, regulas et magistrum dat. — 5. Eidem privilegia militiae de Calatrava communicat. — 6. Dat nonnulla bona, praeter bona Templariorum — 7. Donata novo ordini a Dionysio rege Portugalliae. — 8. Abbas monasterii de Alcobatia perpetuus ordinis huius visitator. — 9. Iuramentum a magistro novi ordinis S. A. praestandum. — Forma iuramenti ab eodem praestandi regi Portugalliae tempore belli. — 10. Terminus ad huiusmodi iuramentum praestandum. — 11. Absente rege, praestandum locumtenenti eiusdem. — 12. Absente vero magistro, iuramentum praestet eius locumtenens. — 13. Simile iuramentum ab inferioribus præceptoribus emittendum. — 14. Magister ac praeceptores et regi teneantur praestare, quae eidem ab ordine Hospital. exhibebantur. — 15. De magistri electione. — Haec omnia rata habita a nuntiis regis. — 16, 17. Tenor mandati regii. — 18, 19. Forma iuramenti a magistro praestandi Romano Pontifici. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad ea, ex quibus cultus augeatur divinus, fidelium quies in quiete proficiat, et defensionis munus et vallum fidei inexterminabile adversus incursus infidelium hostium opponantur, adhibemus plenis affectibus sollicitudinis nostrae curas.

Templariorum suppresso ordine;

§ 1. Sane dudum felicis recordationis Clemens Papa quintus praedecessor noster quondam ordinem Militiae Templi Hierosolymitani ex certis rationabilibus causis, eiusque statum, habitum ac nomen in concilio Viennensi eodem approbante concilio irrefragabili et perpetuo valitura sustulit sanctione, illum perpetuae prohibitioni supponens ac districtius inhibens, ne quis dictum ordinem vel habitum eius suscipere seu deferre, vel pro Templario se gerere quomodolibet attentaret, bonis omnibus dicti ordinis Apostolicae Sedis ordinationi specialiter reservatis: dictusque praedecessor attendens, quod dilecti filii magister et fratres hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, fidei orthodoxae cultores industrii et christianae religionis in transmarinis praecipue partibus strenui defensores pro defensione illarum partium et recuperatione Terrae Sanctae ducebant, sicut et ducunt pericula quaelibet in contemptum; post deliberationem super hoc cum fratribus suis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis, episcopis et praelatis aliis et nonnullis principibus et illustribus viris, nec non praelatorum absentium, capitulorumque, atque conventuum, ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus tunc in dicto concilio constitutis praehabitam diligentem, omnia bona dicti quondam ordinis Templi, quae idem ordo tempore, quo magister et nonnulli exfratres dicti quondam ordinis in regno Franciae communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo mense octobris, per se vel quoscumque alios habebat, tenebat et possidebat ubilibet vel ad dictum ordinem, ipsosque magistrum et fratres ipsius pertinebant, seu pertinere poterant et debebant, ordini dicti hospitalis, ipsique hospitali donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit et annexit in perpetuo, de apostolicae plenitudine potestatis, bonis illis, quae idem ordo Templariorum in regnis et terris charissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellae, Aragonum, Portugalliae et Maioricarum regum Franciae habebat seu possidebat, et ad eum poterant debite quomodolibet pertinere, dumtaxat exceptis, quae dictus praedecessor certis ex causis pro parte regum ipsorum praetensis a donatione, concessione, unione, incorporatione et annexione praedicti excepit specialiter et exclusit; ea nihilominus dispositioni et ordinationi apostolicae reservando: sed ne propter praetensionem causarum huiusmodi dictorum bonorum in dictis regnis et terris consistentium ordinatio diutius differretur, idem praedecessor certum terminum dictis regibus per suas literas perempto-

Eiusque bonis ordini S. Ioannis Hierosolym donatis, exceptis iis quae in regnis Castellae, Aragonum, Portugalliae, Maioricarum et Franciae existebant.

Indicta tamen regibus die ad proferendum rationes, si quas super iis haberent.

rium assignavit, in quo per procuratores seu nuntios idoneos plenum ad hoc et speciale mandatum habentes, cum omnibus rationibus et munimentis ad causas pertinentibus memoratas apostolico se conspectui praesentarent, informaturi eum de veritate causarum et essentia praedictarum, eiusque super illis ordinationis beneplacitum audituri.

Rationes a nuntiis Portugalliae regis adductae:

§ 2. Post haec autem charissimus in Christo filius noster Dionysius Portugalliae et Algarbiorum rex illustris propter hoc ad praedecessoris eiusdem et subsequenter ad nostram, postquam fuimus, Domino permittente, ad apicem apostolicae dignitatis assumpti, praesentiam nuntios suos diversis vicibus destinavit, proponi faciens diversas rationes et causas, propter quas bona ipsa in regnis suis consistentia uniri et incorporari non posse memorato ordini hospitalis absque suo et regnorum suorum evidenti praeiudicio et dispendioso periculo asserebat; cuius in hac parte causis et rationibus coram nobis et fratribus nostris expositis diligenter auditis, post longam tamen et diutinam examinationem, quam cum dilectis filiis Petro Petri canonico Columbrien. et nobili viro Ioanne Laurentii de Montesaratio milite, nuntiis et procuratoribus dicti regis, ad hoc legitimum mandatum habentibus et etiam speciale, cuius mandati copiam praesentibus inseri iussimus ad cautelam, habuimus diligentem: inter alia per procuratores eosdem expositae nobis fuerunt graves iniuriae et innumera damna et alia multiplicia et enormia mala non facile commemoranda praesentibns, quae hostes fidei perfidi Saraceni iam retroantiquis et continuatis successive temporibus partibus illis, quas fideles inhabitant, hostibus eisdem contiguis intulerunt et inferre non cessant, qui inter caetera adhibenda remedia ad eorumdem hostium molimina refraenanda, utpote de conditionibus illarum partium plenam notitiam obtinentes ac de ipsius regis conscientia ad plenum instructi aperuerunt nobis plures causas necessarias ac evidentes et probabiles rationes, quod in Castro Marino Silven. dioecesis in dicto regno Algarbii constituto, castro utpote valido, quod inespugnabile quodam modo reddit loci dispositio naturalis, in fronteria dictorum hostium fidei consistente, eisque contiguo nova militia pugilum Christi, qui dimissis vanitatibus saeculi, sanctae religionis spontanei professores circa zelum verae fidei sint accensi, poterat collocari: quorum ope et prompto praesidio praedictis iniuriis, damnis et malis, quorum illationi fera manus hostilis iamdudum vacavit, liberius obviari salubriter poterit in futurum et via praestari facilior non solum ad resistendum hostium praedictorum congressibus, sed etiam ad impetus et conatus conterendos ipsorum et propulsandum eosdem et recuperandum partes alias intermedias per ipsorum hostium iam olim fraudolentas insidias occupatas: exposuerunt quoque nobis procuratores praedicti quod occurrit acceptius votis vestris, quod idem rex praemissa commoda fidei in examen attentae considerationis inducens, tanquam princeps christianissimus Deo devotus dictum castrum, ex quo sibi non parva proveniebat utilitas temporalis, ob tantum bonum eidem fidei proventurum cum mero et mixto imperio, omnibusque iuribus et iurisdictionibus paratus erat praedictae novae militiae novi ordinis inibi ordinandae ex sua propria munificentia donatione perpetua elargiri: propter quod procuratores praedicti nobis ex parte ipsius regis humiliter supplicarunt, ut eius in hac parte pio desiderio annuentes, novam militiam pugilum Christi religiose viventium in dicto castro constituere dignaremur.

Supplicatumque Papae, ut novam militiam in Castro Marino contra Saracenos institueret:

Quam ordinat Ioannes:

§ 3. Nos itaque praedictis causis et rationibus diligentius intellectis, easque in attentae meditationis indaginem deducentes propter securitatem fidelium et tutelam, plurimaque bona exinde, annuente Domino, proventura, cum fratribus nostris super iis diligenti deliberatione praehabita, eiusdem regis laudabile in hac parte

propositum disposuimus favorabiliter prosequendum. Propter quod de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis ad infrascriptam ordinationem divinum super hoc invocantes auxilium duximus procedendum. Cum enim illa foeda dictorum Saracenorum natio et impia christiani nominis inimica in fronteria dicti regni Algarbii contiguis terminis, ut praetangitur, constituta, regnum ipsum, eiusque fideles in summi regis offensam per successus proh dolor! retro temporum diversorum tribulationibus multis afflixerit, periculis subiecerit variis et feritatem frequenter armaverit, sicut et armare conatur in exterminium eorumdem; nos eisdem regi et regno atque fidelibus adversus eorumdem hostium conatus nefarios deprimendos, assistente nobis divino praesidio, prospicere cupientes, in praedicto Castro Marino domum novi ordinis pugilum Christi providimus ordinandam.

Eique domum, regulas et magistrum dat:

§ 4. Quam quidem domum ipsius ordinis caput esse decernimus et ei parochialem Ecclesiam Sanctae Mariae eiusdem Castri dictae Silven. dioecesis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donamus, concedimus, annectimus et unimus, ac ad honorem Dei et exaltationem catholicae fidei, tutelam fidelium et depressionem infidelium praedictorum in dicta domo praedictum ordinem instituimus auctoritate apostolica et etiam ordinamus; in quo praefata militia fidei athletarum, qui ordinem proprium profiteantur sub observatione regulae de Calatrava, eiusdem regulatores observantias servaturi idonei et in fidei soliditate praestantes debeant collocari, ut sic idem regnum et fideles eo ferventius dictis hostibus resistere valeant, quo plurium viribus conflatis in unum maiori potentia fulciantur, auctoritate apostolica de ipsorum fratrum consilio statuentes, quod ordo praedictorum militum eiusdem novae militiae Ordo Militia Iesu Christi perpetuis futuris temporibus nuncupetur, ac dilectum filium Egidium Martini olim magistrum domus ordinis militiae Calatraven. de Avisio Elboren. dioecesis Calatraven. ordinis professorem, de cuius vitae munditia, religionis zelo, maturitate morum, strenuitate personae, integritate fidei et aliis innatae sibi probitatis meritis laudabilia nobis testimonia sunt relata, eidem ordini Militiae Iesu Christi de ipsorum fratrum consilio auctoritate praedicta praeficimus in magistrum ipsum a magistro praefati ordinis militiae Calatraven. de Avisio auctoritate praesentium absolventes, sibique curam, gubernationem et administrationem dicti ordinis Militiae Iesu Christi plenarie committentes, alienatione bonorum immobilium dicti novi ordinis sibi et suis successoribus et membris eius omnibus penitus interdicta, nisi in casibus a iure permissis et forma iuris debita observata, dilectis filiis fratribus dictae domus de Avisio vel iis vel ei, ad quos vel quem magistri praefatae domus electio vel provisio pertinet, eligendi sibi personam idoneam, vel providendi de persona idonea in magistrum, dantes tenore praesentium liberam facultatem.

Eidem privilegia Militiae de Calatrava communicat.

§ 5. Dictumque ordinis magistrum, qui nunc, et qui pro tempore fuerit, ac fratres eiusdem ordinis eisdem privilegiis, libertatibus et indulgentiis gaudere volumus, quibus magister et fratres Calatraven. gaudent.

Dat nonnulla bona, praeter bona Templariorum

§ 6. Cui quidem ordini, plena super hoc cum eisdem fratribus deliberatione praehabita, et de ipsorum consilio ex causa praemissa, Castrum Album, Langroviam, Thomerium et Almoyrol, nec non omnia alia castra, fortalitia et bona mobilia et immobilia universa et singula, quaecumque et in quibuscumque consistentia, tam ecclesiastica quam mundana, nec non nomina, actiones, iura, iurisdictiones, imperium merum et mixtum; honores, homines et vassallos quoslibet, cum ecclesiis, capellis et oratoriis quibuscumque ac suis iuribus, terminis et pertinentiis universis, quaecumque ordo

quondam Templi in praefatis Portugalliae et Algarbii regnis tenebat, habebat, habere debebat: quaecumque sint et in quibuscumque consistant et quocumque nomine censeantur, et ad eum quacumque ratione vel causa debebant vel poterant pertinere, auctoritate praedicta concedimus, donamus, unimus, incorporamus, annectimus, et in perpetuum applicamus.

Donata novo ordini a Dionysio rege Portugalliae.

§ 7. Decernentes irritum et inane, si secus super praedictis castris, bonis, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attentari: dictique procuratores procuratorio nomine dicti regis, prout et de speciali mandato eis super hoc facto a rege praedicto poterant, donaverunt dictum Castrum Marini pura et irrevocabili donatione Deo et dicto ordini, ac nobis recipientibus pro ordine novae Militiae Iesu Christi et magistro praedictis cum omni iurisdictione, mero et mixto imperio, omnibus vassallis, homagiis fidelitatis, seu alterius iuramenti praestationibus, iuribus et pertinentiis universis, quaecumque sint et in quibuscumque consistant et quocumque nomine censeantur: et cum pleno ac libero et integro exercitio eorumdem, et quidquid iuris in proprietate, dominio, seu possessione vel quasi iurepatronatus, iurisdictione, mero et mixto imperio, hominibus, vassallis, homagiis fidelitatis seu alterius iuramenti praestationibus, honoribus, hominibus, actionibus, seu alias quovis modo eidem regi in praedictis castris nominatis, et aliis castris, terris et locis non expressis, fortalitiis et bonis cum terminis et pertinentiis suis: quae praedictus ordo quondam Templi tempore dictae captionis magistri et fratrum praedictorum tenebat, habebat vel habere debebat, quaecumque sint, et in quibuscumque consistant, et quocumque nomine censeantur; et ad eum quacumque ratione vel causa debebant seu poterant pertinere in regnis et terris regis eiusdem, dictus rex habebat vel ad eum in eisdem possit quomodolibet pertinere, eidem novo ordini Militiae Iesu Christi in nostra et dictorum fratrum praesentia concesserunt, dederunt et donaverunt libere, munifice, pure, simpliciter et irrevocabiliter inter vivos, promittentes procuratorio nomine dicti regis, prout similiter in mandatis habebant, quod idem rex, postquam ad eum praemissa pervenerint, quamprimum commode poterit, dictum Castrum Marinum, nec non universa castra, fortalitia, terras, loca, bona et iura praedicta praefatis magistro et fratribus eiusdem novi ordinis faciet tradi et assignare integraliter cum effectu, ipsosque dictorum castrorum, terrarum, locorum, bonorum, iurisdictionis, meri et mixti imperii et aliorum iurium praedictorum plena et pacifica possessione et quasi gaudere, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, eisque de ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus et aliis universis integre responderi.

Abbas monasterii de Alcobatia perpetuus ordinis huius visitator.

§ 8. In praedicto autem ordine per nos, ut praemittitur, noviter instituto dilectus filius abbas monasterii de Alcobatia Cistercien. ordinis Ulixbonen. dioecesis, qui est et erit pro tempore, visitationis et correctionis officium tam in capite, quam in membris, quotiens expedierit, debebit exhibere, corrigens et reformans in eo futuris temporibus, quae correctionis et reformationis auxilio indigere prospexerit: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Iuramentum a magistro novi ordinis S. A. praestandum.

§ 9. Volumus insuper quod praefatus abbas, qui est et pro tempore fuerit, vel eius locumtenens, vel loco vacante administrator monasterii, a dicto magistro novi ordinis Militiae Iesu Christi, qui est, et successoribus eius, qui pro tempore fuerint, iuramentum fidelitatis nomine nostro et Romanae Ecclesiae recipere debeat sub forma infrascripta, quotiens in eodem novo ordine magister aliquis assumetur: dictusque abbas for-

mam iuramenti praedicti, quod dictus magister praestabit, quamcitius commode poterit, Sedi Apostolicae destinare procuret: dictoque iuramento praestito, ac nihilominus postea pro plena securitate ipsorum regis et regnorum Portugalliae et Algarbii, et ad propellenda imminentia sibi quoque pericula, quod praefatus magister dicti ordinis Militiae Iesu Christi et successores sui magistri novi ordinis memorati, qui erunt pro tempore, vel dictis magistris absentibus eorum loca tenentes, antequam administrationi huiusmodi bonorum se ingerant, coram dicto rege, qui nunc est vel pro tempore fuerit, si regem ipsum tunc in aliquo dictorum regnorum Portugalliae seu Algarbii fore contigerit, personaliter se praesentent, eique praestent iuramentum personale, et homagium faciant sub hac forma, videlicet: quod ipse magister fidelis erit dicto regi, et per se vel alium nunquam aliquid faciet vel procurabit vel fieri seu procurari consentiet publice vel occulte, propter quod eidem regi et suis, vel regnis aut terris eius aliquod damnum valeat evenire: quod si forte sciret aliquid procurari vel fieri quod in damnum dicti regis aut regnorum et terrarum ipsius esset vel cedere posset, id eidem regi, quam cito poterit, intimabit, vel faciet intimari: et nihilominus impediet iuxta posse: quodque de castris, villis, locis et bonis et iuribus ac hominibus, quae dictus novus ordo Militiae Iesu Christi habet ad praesens, vel habebit imposterum in regnis et terris praedictis, nunquam dicto regi vel regnis ac terris vel subditis suis, eodem magistro sciente, volente, mandante, aut ratum habente, aliquod damnum eveniet in futurum: quod si forte sciverit vel senserit, totis impediet viribus, et quantum in eo fuerit, amovebit: iuramentum vero et homagium supradicta per dictum magistrum, non ratione dictorum bonorum, sed ratione personae praestantis, regi praestari et fieri volumus supradicto: nullumque ipsi regi ex iuramento vel homagio saepedictis in bonis eisdem quodlibet ius acquiri.

Forma iuramenti ab eodem praestandi regi Portugal. tempore belli.

§ 10. Quae quidem iuramentum et homagium idem rex infra decem dierum spatium, postquam a magistro, qui est et erit pro tempore, fuerit requisitus, ab eodem magistro offerente recipere teneatur. Quod si rex ipse iuramentum et homagium huiusmodi infra terminum ipsum forte recipere non curaret, liceat dicto magistro, qui est et erit pro tempore, absque praedictorum praestatione et regis ipsius licentia, recedere et officium magisterii bonorum huiusmodi exercere libere: et si pro utilitate dicti novi ordinis sibi videbitur expedire, administrare plenarie in eisdem.

Terminus ad huiusmodi iuramentum praestandum.

§ 11. Si vero in primo eiusdem magistri dicti novi ordinis Militiae Iesu Christi adventu, quem nunc praeficimus, et qui praeficietur pro tempore, ad regna praedicta, dictum regem, qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, ab ipsis regnis abesse forte contigerit, idem magister locumtenenti dicti regis teneatur iuramentum praestare et homagium facere supradicta.

Absente rege, praestandum locumtenenti eiusdem.

§ 12. Eodem vero magistro absente, locumtenens ipsius teneatur dicto regi, si in aliquo dictorum regnorum extiterit; alioquin eiusdem regis locumtenenti iuramentum praestare et homagium facere, sicut superius est expressum. Et si contingeret fortassis interdum, quod ordini et bonis praedictis magister aliquis non præesset, locumtenens ipsius, aut ille, qui bonorum ipsorum administrationem habuerit, praefato regi vel ipsius locumtenenti, ipso rege a regnis praedictis absente, iuramentum praestet, et homagium faciat supradicta.

Absente vero magistro, iuramentum praestet eius locumtenens.

§ 13. Inferiores quoque praeceptores dicti ordinis Militiae Iesu Christi, eorumque locumtenentes, cum praeceptores ipsos a dictis regnis eiusdem regis abesse contigerit, antequam incipiant in bonis administrare praedictis, offerre iuramen-

Simile iuramentum ab inferioribus praeceptoribus emittendum.

tum et homagium huiusmodi dicto regi, si ipse in aliquo loco dictorum regnorum, in quo praeceptoria huiusmodi fuerit, praesens extiterit, alioquin locumtenenti eius, infra praedictum tempus, huiusmodi iuramentum praestare et homagium facere teneantur: quo elapso, sive praedicta iuramentum et homagium sint recepta vel etiam non recepta; liceat praedictis inferioribus praeceptoribus, vel ipsorum locatenentibus ad eorum loca redire, et absque praedictorum praestatione, regis eiusdem seu locumtenentis ipsius licentia, in bonis administrare libere supradictis.

Magister ac praeceptores et regi teneantur praestare, quae eidem ab ordine Hospitalar. exhibebantur

§ 14. Volumus tamen, quod magister ipse aut praeceptor maior praedicti ordinis Militiae Iesu Christi, seu locumtenens ipsius eo absente, et praeceptores alii, seu eorum locatenentes, qui fuerint sub eodem in regnis et terris eiusdem regis, ad curias ipsius regis accedant, et ei et suis haeredibus ac successoribus omnia faciant, quae ordo hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani in regnis praedictis consistens sibi ac praedecessoribus suis facere consuevit: reservatis etiam omnibus iuribus et servitiis praefato regi et successoribus suis a praefato ordine Militiae Iesu Christi praestandis, quae dictus rex et praedecessores sui a dicto ordine Hospitalis in regnis praefatis existente retroactis temporibus habere consueverint, et adhuc habere noscuntur.

De magistri electione.

§ 15. Statuimus praeterea et etiam ordinamus, quod quotiens per cessionem vel decessum ipsius magistri dicti novi ordinis vel quocumque alio modo eumdem proprio carere magistro contigerit, aliqua militaris et religiosa persona eumdem novum ordinem expresse professa, a fratribus eiusdem novi ordinis iuxta morem hactenus in Calatraven. ordine observatum, eligi debeat in magistrum: qui absque alia confirmatione pro confirmato, auctoritate apostolica, habeatur: quodque a tempore vacationis per eiusdem magistri obitum, vel alio quocumque modo, novi ordinis memorati, illi milites et fratres eiusdem novi ordinis bona ipsius in eodem novo ordine libere administrent, quousque eidem novo ordini fuerit, ut praemittitur, de magistro provisum, qui iuxta observantias dicti Calatraven. ordinis, quas circa hoc in praedicto novo ordine volumus observari, ad administrationem huiusmodi fuerint deputati: et nihilominus dicti procuratores promiserunt, se bona fide facturos et curaturos, quod praedictus rex ea omnia et singula, prout ad eum pertinebit, pertinere poterit et debebit, approbabit, rata habebit et grata, eaque servare et adimplere curabit, ullo unquam tempore in contrarium non venturus.

Haec omnia rata habita a nuntiis regis.

Tenor mandati regii.

§ 16. Tenor autem procuratorii seu mandati dictorum Petri et Ioannis per omnia talis est:

§ 17. Noverint universi praesentis procurationis literas inspecturi, quod nos Dionysius Dei gratia rex Portugalliae et Algarbii constituimus, facimus ac etiam ordinamus procuratores nostros veros et legitimos et sufficientes ac nuntios speciales nobilem virum Ioannem Laurentii militem, et discretum virum Petrum Petri Columbrien. canonicum, familiares nostros, latorem seu latores praesentium utrumque ipsorum in solidum ita, quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus incoeperit, alter mediare valeat et finire super quibuscumque gratiis pro nobis et dictis regnis nostris a sanctissimo patre ac domino, domino Ioanne divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifice impetrandis, necnon ad tractandum, ordinandum et compositionem faciendum seu componendum cum dicto domino Summo Pontifice et cum aliis quibuscumque, qui sua crediderint interesse, super omnibus et singulis bonis, quae a fratribus ordinis quondam Templariorum in regnis nostris tenebantur, et super omnibus aliis bonis quae in eisdem regnis nostris a quolibet alio or-

dine militari tenentur seu teneri consueverint, et super ponendis, seu ordinandis magistro seu magistris, in omnibus praefatis bonis, prout dictis procuratoribus nostris et cuilibet eorum videbitur expedire, concedentes sibi et utrique ipsorum plenam, generalem et liberam administrationem super negociis praedictis et quolibet eorumdem et generaliter ad omnia alia et singula faciendum et exercendum, quae circa praemissa seu praemissorum quodlibet fuerint necessaria seu etiam opportuna, et quae nos facere possemus, si personaliter praesentes essemus, etiamsi mandatum exigant speciale: promittentes nos ratum et firmum perpetuo habituros quicquid per dictos procuratores nostros seu per alterum ipsorum actum seu procuratum fuerit in praemissis, et in quolibet praemissorum sub hypotheca et obligatione omnium bonorum nostrorum. In cuius rei testimonium has nostrae procurationis literas sigillo nostro dependenti fecimus communiri.

Datum Ulixbone, XIV die mensis augusti. Rege mandante, Dominicus Ioannis notavit era (1) millesima trecentesima quinquagesima sexta.

Forma iuramenti a magistro praestandi Romano Pontifici

§ 18. Forma vero iuramenti, quod idem Egidius Martini magister dictae domus ordinis Militiae Iesu Christi et quilibet successorum suorum praestabit talis est:

§ 19. Ego... magister domus ordinis Militiae Iesu Christi ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro, Sanctae Apostolicae Ecclesiae Romanae, et domino meo Papae, suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione; consilium vero quod mihi credituri sunt, per se aut per nuntios suos sive per literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem; legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo; vocatus ad synodum veniam, nisi impeditus fuero canonica praepeditione; Apostolorum limina singulis trienniis visitabo, aut per me aut per meum nuntium, nisi apostolica absolvar licentia: possessiones vero ad domum meam et ordinem praedictum spectantes non vendam nec donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionum, donationum, concessionum, annexionum, unionum, institutionis, ordinationum, praefectionis, absolutionis, missionis, dationis, voluntatum, incorporationis, applicationis et statuti infringere, *etc.*

Datum Avenioni secundo idus martii, pontificatus nostro anno III.

Dat. die 14 martii 1319, pontif. anno III.

(1) *Aera*, vel *Era*, annos numerandi ratio, Hispanis ac Lusitanis olim familiaris, quae triginta octo annis excedebat annos Christi (Ducange).

---

## XXI.

*Excommunicatio contra extrahentes et introducentes victualia, merces et alia in ducatu Ferrariae, absque Sedis Apostolicae officialium licentia et signo* (1).

SUMMARIUM

Causae sanciendae legis. — 1. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 2. Poenae contra inobedientes.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Causae sanciendae legis.

Ad nostri apostolatus auditum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli Ferrarien. cives et alii, qui propriis finibus non contenti ad nostra et Ecclesiae Romanae iura aviditatis oculos iniicere non verentur, ad civitatem nostram Ferrarien., suique districtus loca bladum et alia vic-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tualia, diversas mercationes et merces, equos et alia animalia et res diversas sub signo bulletae ipsorum, quod solum ad nos et ipsam Ecclesiam pertinet, per se et alios propria temeritate deferunt, et in eis etiam introducunt et extrahunt exinde, non absque nostro et ipsius Ecclesiae Romanae grandi praeiudicio et contemptu: gabellam vero seu datium ex iis debitam et solitam solvi nobis et eidem Ecclesiae Romanae recipiendo, et etiam auferendo.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 1. Nos igitur cohibere tantae praesumptionis audaciam intendentes, auctoritate apostolica, de fratrum nostrorum consilio, ac in perpetuum valitura constitutione statuimus et prohibemus expresse ne aliquis clericus vel laicus undecumque et cuiuscumque conditionis, status vel dignitatis existat, bladum et quaevis alia victualia, mercationes et merces, equos et quaecumque alia animalia, res et bona in quibuscumque consistant, sub huiusmodi bulletae et quocumque alio signo, praeterquam sub illo, quod ad hoc per officiales nostros civitatis eiusdem deputatum existit, de dictis civitate ac districtu quovis colore quaesito extrahere aut introducere in eosdem, ac huiusmodi signo uti, aut gabellam recipere quoquomodo praesumat.

Poenae contra inobedientes.

§ 2. Nos enim omnes et singulos contrarium attentantes excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, ipsorumque terras et loca interdicto ecclesiastico subiacere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, prohibitionis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Avenioni secundo idus iunii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 iunii 1319, pontif. anno III.

---

## XXII.

*Constitutio poenarum contra offendentes vel aliis quibusvis modis perturbantes rectorem Beneventanum, eiusque officiales et ministros* (1).

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causae legis ferendae. — Poenae (*prout in rubrica*) iis interminatae qui ea patraverint, quae ibidem explicantur.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Quos praedixit Apostolus dies instare novissimos, quibus abundaret malitia, in nonnullis Matris Ecclesiae filiis charitas refrigescit dum, fidelitatis debito violato, se ad infidelitatis ignominiam convertentes, contra eam ausibus detestandis insurgunt, illam crebris lacessunt iniuriis, turbant molestiis, et in suis fidelibus et ministris offendere graviter non verentur. Super iis autem recens instantis iactura temporis praeteritorum nobis memoriam repraesentans nostros exigat cogitatus, remedia nova perquirere, quibus huiusmodi via praecludatur iniuriis, et offensorum temeritas compescatur, cum publicae utilitatis intersit, ut excessus vindicta coerceat, et limes poenae securitas sit offensae.

Causae legis ferendae.

§ 1. Habet siquidem multorum fidelium vulgata relatio, immo longe lateque ipsa iniuriosa transgressus evidentia manifestat, quod ab olim nonnulli Beneventani cives, tamquam infideles ac stolidi, a fidelitate, qua Ecclesiae praedictae tenentur, in devium declinantes erroris, diversis rectoribus, qui eis et civitatis Beneventanae nobis et eidem Ecclesiae Romanae subiectae felicis recordationis Bonifacii, Clementis ac Benedicti et aliorum diversorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ac etiam eiusdem Ecclesiae vacantis temporibus auctoritate apostolica praefuerint, quos revereri et a quorumlibet tueri molestiis tenebantur, damna gravia irrogantes, eos probrosis provocaverunt iniuriis, dispendiosis contumeliis affecerunt, et aliquibus eorum personaliter captivatis, quibusdam vulneratis letaliter, et quampluribus hostiliter ab eodem fugatis regimine, ipsos bonis omnibus

non absque multa ipsius Ecclesiae iniuria et contemptu per violentiam spoliarunt: sed et diebus non longe praeteritis cives ipsi, in sua inveterati malitia, nescientes a tantae temeritatis excessibus, quos iam in usum perversae deduxerunt consuetudinis, abstinere, similia repetere praesumpserunt, continuatione damnabili mala malis adiicere, et peiora coacervare prioribus, ac si foedus cum iniquitate pepigerint, non verentes; nos igitur talium praesumptorum audaciam nolentes dissimulationi relinquere, quin potius, ut homines tam scelesti poenarum saltem impositionibus gravium territi, relabi in consimilis temeritatis invium in antea pertimescant, remediis, quibus possumus, praecavere, ac animarum suarum saluti et dictae civitatis pacifico statui paternis affectibus prospicere cupientes, de fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut quicumque civis Beneventanus aut incola famae suae prodigus, ipsius Ecclesiae reverentia calcata, in hoc sceleris genus irrepserit, quod rectorem qui pro tempore regimini eiusdem civitatis apostolica auctoritate praefuerit, aut vicarium seu locumtenentem aut iudicem eius, quod absit, occiderit, aut ad offendendum illum insecutus extiterit, caeperit, captivaverit, detinuerit, percusserit, aut etiam vulneraverit, vel ad locum, ubi moram traxerit, insultum fecerit, aut illum obsederit seu bonis aliquibus spoliarit, sive de suo regimine vel officio forsan expulerit vel fugarit, seu socius fuerit facientis, vel ad id dederit auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte, cuiuscumque fuerit conditionis, dignitatis vel status, excommunicationis sententiae, universitas vero seu communitas, si deliquerit in praedictis, ac dicta civitas Beneventana, earumque territorium et districtus interdicto ecclesiastico subiaceant ipso facto: a qua quidem excommunicationis sententia nullus, praeterquam a Romano Pontifice, nisi dumtaxat in mortis articulo, valeat absolutionis beneficium obtinere.

Poenae (ut in rubrica) iis interminatae qui ea patraverint, quae ibidem explicantur.

Et quia beneficia propter ingratitudinem revocantur, omnes et singulos excessuum huiusmodi patratores et socios, complices et sequaces ipsorum et alios supradictos, si sententias substinuerint antedictas, omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus realibus et personalibus, eis sub quacumque forma verborum ab Apostolica Sede concessis, nec non dignitatibus et officiis publicis quibuscumque, dictosque clericos omnibus eorum beneficiis ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, etiamsi dignitates, personatus vel officia fuerint, quocumque nomine censeantur, apostolica auctoritate privamus de fratrum consilio praedictorum, et ab eis sententialiter amovemus: et tam eos quam laicos supradictos reddimus inhabiles et indignos (1) ad easdem dignitates vel beneficia ecclesiastica aut officia publica, quomodolibet admittantur. Feuda quoque, iura, honores et officia et alia quaecumque bona immobilia, quae in civitate, territorio et districtu praedictis et alibi ubicumque a praedicta Romana Ecclesia obtinere noscuntur, de praedictorum fratrum consilio confiscamus: aliis vero feudis, iuribus, honoribus, officiis et bonis immobilibus, quae a quibusvis aliis tenent Ecclesiis, sint ipso iure privati, quae sic ad easdem Ecclesias revertantur, quod de illis earum rectores pro sua voluntate disponant. Dignum est enim quod talium patratoribus scelerum reatus suos poenarum acerbitate deflentibus poenales fletus ipsorum cedant posteris ad terrorem, et ad eorum confusionem perpetuam transeant in memoriam futurorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum sanctionis, concessionis et adiectionis infringere, *etc.*

Datum Avenioni, quinto decimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 iulii 1319, pontif. anno III.

(1) Deest forsan *quominus*.

## XXIII.

*Reservatio Ecclesiarum, aliorumque beneficiorum, in dominio Romanae Ecclesiae consistentium, ad quae quis consuevit per electionem assumi* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Decretum (*de quo in rubrica*). — Irritatio contrariorum. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Imminente nobis, licet immeritis, Ecclesiarum et monasteriorum omnium sollicitudine generali circa illa praecipue nos adhibere convenit salutaris et vigilis providentiae studium, quae in terris ad nos et Romanam Ecclesiam spectantibus constituta fore noscuntur.

Decretum (de quo in rubrica).

§ 1. Ad statum itaque pacificum et tranquillum terrarum earundem et partium vicinarum solicitis studiis intendentes, ac cupientes attentius, quod archiepiscopales et episcopales, ac collegiatae Ecclesiae, nec non abbatiae, monasteria, prioratus et alia loca ecclesiastica quaecumque, saecularia et regularia, exempta et non exempta, ad quorum regimina per electionem praelati consueverunt assumi, in eisdem terris consistentia, ubicumque dictae terrae consistant, cum illas vel illa pro tempore per cessum vel decessum, seu alias quomodocumque pastorum vel administratorum regimine carere continget, personis pacem amantibus, nobis et eidem Ecclesiae Romanae fidelibus et alias idoneis, nostrae cooperationis ministerio committantur, provisionem omnium et singularum archiepiscopalium, episcopalium, aliarumque collegiatarum Ecclesiarum, nec non abbatiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet praedictorum, consistentium in terris praedictis, nunc vacantium et vacaturorum imposterum, quoties eas vel ea quocumque modo vacare continget, aut aliquam seu aliquod eorumdem, dispositioni et ordinationi nostrae et Sedis Apostolicae usque ad nostrum et ipsius Sedis beneplacitum, de apostolicae potestatis plenitudine reservamus: auctoritate apostolica universis Ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet praedictorum capitulis, collegiis, conventibus et personis districtius inhibentes, ne in eisdem ad aliquam electionem, nominationem, vel postulationem seu provisionem quamcumque, si vacationis tempus in eis vel aliqua seu aliquo ex eisdem nunc forsan immineat vel imposterum imminebit, quoquomodo procedant;

Irritatio contrariorum.

nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quicquid contra huiusmodi reservationem et inhibitionem nostras a praedictis capitulis et conventibus, ac aliis quibuscumque personis, quavis auctoritate scienter vel ignoranter extiterit attentatum.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum Avenioni idibus septembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 septembris 1319, pont. anno IV.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

---

## XXIV.

*Mandatum archiepiscopis et episcopis Angliae, ut eos publice denuncient excommunicatos, qui contra Sedis Apostolicae prohibitionem Hiberniam armis impetere, caedibusque et rapinis miscere ausi fuerant* (1).

SUMMARIUM

Suas curas exponit Pontifex pro procuranda regno Angliae pace. — 1. Ad id anathemate defixisse Hiberniam quomodolibet perturbantes: — Et duobus cardinalibus praecepisse, ut huiusmodi sententiam pro-

(1) Ex Collect. Rimer, tomo III, pag. 810.

mulgarent: — 2. Nonnullos vero eo temeritatis devenisse, ut omnia ibidem caedibus, rapinisque miscuerint; — 3. Eos itaque excommunicatos denunciari publice mandat archiepiscopis et episcopis Angliae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Angliae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Suas curas exponit Pontifex pro procuranda regno Angliae pace.

Dudum personam carissimi in Christo filii nostri Eduardi regis Angliae illustris, suique regni statum a guerrarum fluctibus liberos et discriminibus turbationis reddere cupientes immunes, ad procurandum eiusdem regni quietem, tranquillitatem et pacem, ut rex ipse, securitatem sibi ab aemulorum insidiis acquisita, utilitatibus propriis posset vacare commodius, seque ad intendendum circa negotium Terrae Sanctae, nostris praecordiis non mediocriter insidens, ad quod, ut asserit, vehementer anhelabat, idque virilius prosequendum habilius praeparare, opportunum Apostolicae Sedis favorem, quantum cum Deo potuimus, studuimus adhibere.

Ad id anathemate defixisse Hiberniam quomodolibet perturbantes.

§ 1. Propter quod, tunc fide digna relatione percepta, quod nonnulli nobiles et magnates regem ipsum et regnum ac terram suam Hiberniae invadere ausu temerario et illicito nitebantur: nos eorumdem invasorum in hac parte conatibus opportunis obviare remediis intendentes, et ad id expedire noscentes gladium exeri spiritualem, in omnes et singulos cuiuscumque forent præeminentiae, dignitatis aut status, qui regem ipsum, regnum et terram praedictam invadere, aut eadem regnum et terram contra regem eumdem cum armis et sine armis intrare praesumerent; vel alias turbarent, aut turbatoribus seu invasoribus in pecunia, equis, armis vel aliis praestarent auxilium vel favorem publicum vel occultum, excommunicationis sententiam duximus promulgandam, a qua eos, sine speciali mandato Sedis Apostolicae, nisi forsan in mortis articulo, prohibuimus absolvi: et si qui absoluti fuissent et ipsos contigisset sanitati restitui, nisi post reparatam sanitatem huiusmodi satisfacerent infra mensem, eadem sententia ligari volumus eo ipso. Dantes dilectis filiis nostris Guacelmo, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero, ac Lucae Sanctae Mariae in Vialata diacono, cardinalibus, nostris litteris in mandatis, ut ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios, huiusmodi excommunicationis sententiam, ubicumque expedire viderent, et praecipue in locis maritimis seu mari vicinis solemniter publicarent; non obstante, si alicui vel aliquibus sub quacumque forma vel conceptione verborum a Sede Apostolica esset indultum, quod excommunicari non possent per litteras Sedis eiusdem non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, prout in litteris nostris inde confectis plenius et seriosius continetur.

Et duobus cardinalibus praecepisse, ut huiusmodi sententiam promulgarent:

Nonnullos vero eo temeritatis devenisse, ut omnia ibidem caedibus, rapinisque miscuerint;

§ 2. Cum autem praedictae litterae in praedictis et aliis locis illarum partium solemniter, sicut ex praedictis Lucae cardinalis relatione percepimus, fuerint publicatae, et demum post publicationem ipsarum, prout fama publica referente multorum fide dignorum relatione percepimus, nonnulli magnates, nobiles regni Scotiae et adhaerentes eisdem, regnum et terram praedicta manu armata ingredientes hostiliter, illa invadere nequiter et illicite perturbare et scelestis actibus laxatis habenis, in multos ipsorum regni et terrae fidelium saevam caedem committere; manibus cruentatis innumera damna per spolia, incendia et rapinas inferre; nonnullos de fidelibus ipsis eorumque animalia et alia bona in praedam abducere; et alia gravia nocumenta eisdem regno ac terrae irrogare temerariis ausibus praesumpserunt: quae, ut asseritur per evidentiam facti, adeo palpabiliter se cunctorum partium illarum oculis ingerunt, quod nulla possunt tergiversatione celari, sed se omnibus exhibent non ignota: sic-

que tam invasores praedictos, quam duces et praeceptores, adiutores, valitores, fautores, adhaerentes et sequaces eorum ac praebentes eisdem, ut praedicitur, auxilium, consilium vel favorem, certum existat praedictam excommunicationis sententiam incurrisse.

Eos itaque excommunicatos denunciari publice mandat archiepiscopis et episcopis Angliae.

§ 3. Fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum per vos vel alium seu alios, magnates et nobiles, duces, praeceptores, adhaerentes, sequaces, valitores et fautores eorum praedictos, quocumque nomine censeantur, cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis existant, qui regnum ipsum hostiliter et terram invadere et intrare illicite, ut praemittitur, praesumpserunt; vel per alios invadi fecerunt, mandaverunt, seu etiam procurarunt, vel alias turbare aut turbantibus seu invadentibus in pecunia, equis et armis, vel alias praestiterint auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum, tamdiu per omnia loca, in quibus expedire videritis, et praesertim in locis maritimis et mari vicinis, et aliis, in quibus ad ipsorum excommunicatorum et ad participantium cum eisdem notitiam id valeat pervenire, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuncietis, et faciatis ab illis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec praefati excommunicati per satisfactionis debitum ad Ecclesiae mandatum redierint et absolutionis beneficium meruerint obtinere.

Datum Avenione sexto kal. ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 27 decembris 1319, pont. anno IV.

## XXV.

***Promulgatio sententiarum contra retinentes et inhabitantes domos et palatia Ecclesiarum, S. R. E. cardinalibus in titulum seu commendam concessarum (1).***

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Haec sub n. XXVI habetur in Mainardi editione, et sequens sub n. XXV; utramque in propria sede ponimus. (E. T.)



SUMMARIUM

Exordium. — 1. Titulares cardinalium domos a laicis, foeminisque occupatas fuisse narrat. — 2. Hoc fieri prohibet: — 3. Contra secus agentes excommunicationem interminat, — 4. Cui dd. domorum detentores subesse declarat, nisi infra certum tempus eas dimiserint. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium et memoriam futurorum.**

Exordium.

Rationis ordo poscebat, ut qui se de generis nobilitate clarificant, morum venustate fulgerent, abstinerent a vetitis, modeste licitis uterentur: sicque parentum suorum imitati vestigia, illorum virtutes excolerent, normam diligenter, actusque pro viribus strenuos sectarentur, quibus Deum factorem suum in omnibus et per omnia diligentes Eius, velut matrem venerarentur Ecclesiam, illiusque praelatos digna ceu patres reverentia honorarent. Nam honor, qui exhibetur ministris, ei cuius ministri sunt, procul dubio exhibetur.

Titulares cardinalium domos a laicis, foeminisque occupatas fuisse narrat.

§ 1. Sed heu nonnulli nobiles cives romani, aliique laici et viduae habitatores Urbis, prout fide dignorum habet assertio, stirpis generositate conspicui (morum utinam indignitate essent vacui, ex innata eis quadam necessitate dissulti, dum a maiorum in iis virtute degenerant suae quodammodo antiquitatis obliti!); habet namque assertio praelibata, quod praefati nobiles et alii laici ac viduae domos et palatia ad fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales Ecclesiarum dictae Urbis intitulatarum vel commendatarum eisdem ratione spectantia, quorum etiam aliqua dictis fratribus sunt alias ab Apostolica Sede concessa, temeritate propria introeunt, occupant et inhabitant iidem nobiles et laici cum uxoribus, et tam ipsi, quam dictae viduae cum utriusque sexus familiis eorumdem, ipsorum cardinalium seu vicariorum vel procuratorum eorumdem in dictis ecclesiis

aut illorum, quibus est ab eis domorum et palatiorum huiusmodi deputata custodia, non petita nedum obtenta licentia, quinimo vicariis, procuratoribus et custodibus huiusmodi renitentibus penitus et invitis, quodque ab eisdem vicariis, procuratoribus et custodibus seu alias pro parte ipsorum cardinalium requisiti, ut domos et palatia huiusmodi vacua derelinquant, more aspidis obturantis ad voces incantantium aures suas, contra voluntatem etiam cardinalium eorumdem in eisdem domibus et palatiis commorantur in non modicam suae praesumptionis audaciam, derogationem ecclesiasticae libertatis, honestatis iniuriam ac eorumdem fratrum nostrorum, quinimmo potius nostram et ipsius Ecclesiae, cum ipsi, qui fore noscuntur capitis nostri membra, columnae sint Ecclesiae Sanctae Dei, inobedientiam et contemptum.

Hoc fieri prohibet:

§ 2. Nolentes igitur, prout nec debemus, tantae praesumptionis audaciam sub dissimulationis pallio praeterire, quinimo intendentes, prout officii nostri debitum exigit, exurgere contra tales, de fratrum praedictorum consilio, auctoritate apostolica edicto perpetuo prohibemus, ut nulli nobilium civium Romanorum, viduarum vel aliorum habitatorum dictae Urbis deinceps liceat ad habitandum introire, occupare et inhabitare domos et palatia supradicta sine praedictorum cardinalium, ad quos spectant, vel vicariorum seu procuratorum ipsorum cardinalium, aut eorum custodum in dictis domibus atque palatiis, expresso consensu sive licentia speciali.

Contra secus agentes excommunicationem interminat,

§ 3. Si quis autem huiusmodi prohibitionis nostrae temerarius contemptor extiterit, nisi domos et palatia praelibata infra triduum dimiserit penitus expedita, ex tunc et quoties in hoc excesserit et non resipuerit infra triduum antedictum, excommunicationis incurrat sententiam eo ipso, a qua non nisi per cardinalem, quem taliter offenderit vel ab eius vicario in spiritualibus in Ecclesia in dicta Urbe intitulata vel commendata cardinali praefato, seu per alium, cui hoc specialiter ipse cardinalis duxerit committendum, possit absolutionis beneficium obtinere. Si vero per bimestris temporis spatium post huiusmodi triduum sententiam ipsam animo substinuerit indurato, ex tunc, nisi ab eodem cardinali dumtaxat, vel a summo poenitentiario nostro et eiusdem Sedis de voluntate ipsius cardinalis absolvi non valeat a sententia memorata.

Cui dd. domorum detentores subesse declarat, nisi infra certum tempus eas dimiserint.

§ 4. Eos vero ex nobilibus, civibus, viduis, et habitatoribus antedictis, qui taliter inhabitare praesumunt domos et palatia supradicta, monemus districtius, iniungentes eisdem, ut infra quindecim dierum spatium postquam huiusmodi noster processus ad notitiam ipsorum pervenerit, domos et palatia ipsa dimittant totaliter expedita: illos autem, qui secus fecerint, similem excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, a qua nisi ab illis cardinalibus, quibus taliter derogarunt vel ab eorum in dictis Ecclesiis eis intitulatis vel commendatis vicariis in spiritualibus, sive ab aliis, quibus id specialiter ipsi commiserint cardinales, huiusmodi absolutionis beneficium infra duos menses, post eosdem quindecim dies, nequeant obtinere: ac decursis eisdem mensibus, nisi a cardinalibus sic offensis tantummodo, vel a summo poenitentiario praefatis de voluntate ipsorum cardinalium absolvi a sententia praedicta non possint, prout de aliis est expressum. Nos enim, si secus super his actum seu attentatum extiterit, ex nunc decernimus irritum et inane.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum prohibitionis, monitionis, voluntatis et constitutionis infringere *etc.*

Datum Avenione, decimo octavo kalendas maii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 aprilis 1320, pontif. anno IV.

## XXVI.

*Canonizatio B. Thomae episcopi Herfordiensis in Anglia, eiusque relatio in numerum Ss. Confessorum, cum festivitatis institutione pro die 2 mensis octobris.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. B. Thomas episcopus Herfordiensis. — 2. De eius sanctimonia laetitia proposita. — 3. Eius virtutum brevis enumeratio. — 4. Genus et primordia. — 5. Abstinentia et castimonia. — 6. Erga pauperes proximumque charitas. — 7. Optimus praesul. — 8. Orationi vacans. — 9. 10. Pastoris partibus optime fungens. — 11. Romae moritur, multisque ubique claret miraculis. — 12, 13, 14. Demersi vitae restituti. — 15, 16. Alii mortui suscitati. — 17. Contracta mulier: — 18. Alia infirma pede: — 19. Alia quasi caeca: — 20. Item puer fere caecus: — 21. Gibbo in collo oneratus, ad eius tumulum sanati. — 22. Mirabilis itaque Deus in hoc Sancto. — 23. Sanctorum canoni adscribitur B. Thomas: — 24. Eius celebranda festivitas. — 25. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus proposita.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Unigenitus Filius, splendor gloriae, ac figura substantiae Patris, qui prolapsi medela hominis, exinaniens semetipsum, factus in utero Virginis Verbum caro, de horto militantis Ecclesiae modo rosas coloris ignei, nunc lilia candoris nivei, nunc violas odoris placidi colligere, suisque offerre aspectibus non desistit, in odiernis temporibus advesperascente die, mundi huius labilis termino propinquante, de radice matris Ecclesiae florem fecit ascendere, ex Iacob nostro oriri iussit stellam splendidam matutinam.

B. Thomas episcopus Erfordiensis.

§ 1. Ecce namque quod, qui sedens in throno omnia facit nova, novi confessoris, beati videlicet Thomae Herfordiensis quondam episcopi, nova magnalia mundo prodit, eius famam effert magnifice, vitam offert imitandam a cunctis, ut regulam fulgidam et exemplar.

De eius sanctimonia laetitia proposita.

§ 2. Laetentur igitur coeli sursum, qui hunc Sanctum gloriosum in se suscipiunt; et exultet terra deorsum, quae superius transmittit praesulem tam mirandum. Plaudant ob hoc coetus angelici et canoro iubilo Deum laudent: huic occurrant coelestes cunei: hunc collaudent festive coeli cives: collaetetur immense Christi sponsa mater Ecclesia tantae prolis claritate foecunda, quae terram deferens et terrena, coelestis imperii admirabilis ipse ineffabili throno gaudet.

Eius virtutum brevis enumeratio.

§ 3. Ut autem lucerna splendidae vitae suae posita super candelabrum domus Dei non lateat, sed pateat cunctis fidelibus; ut coelestis et perpetuae vitae norma, de suis felicibus moribus et actibus, aliqua de multis ad utilitatem audientium referamus. Ipse namque, quem fides firmum, spes erectum, Dei et proximi abundans caritas fecit latum, circumspectum prudentia, temperantia in omnibus ordinatum, innoxium cunctis iustitia, audacem et strenuum fortitudo, virtutum omnium aromatibus redolebat, velut plena divinorum carismatum apotheca.

Genus et primordia.

§ 4. Sane beatus hic Thomas, natione anglicus, angelicus homo, ipse de parentibus nobilibus et catholicis originem suam trahens, ab aetate primaeva morum honestate praeclarus, studiis literarum sic se dedicavit totaliter, sic in ipsis solicite studuit et profecit, quod tam in humanis scientiis, quam etiam in divina honorem magisterii est adeptus; postque doctrinae suae radios longe lateque diffundens, quamplures ad iustitiam erudivit, velut luminare in mundo praefulgidum continens verbum vitae.

Abstinentia et castimonia.

§ 5. Ne autem terrenae carnis inhabitatio deprimeret secum sensum coelestia cogitantem, ipsam, ut serviret spiritui, vigiliis et abstinentiis, necnon pungenti

cilicio, sed et cibi et potus parsimonia continua macerabat, abstinens a vino saepius, sciens, quod in ipso lubricum latet carnis. Sciens etiam, quod Deus se promittit in obiectum et praemium mundis corde, a iuventute sua castitatis pulcritudinem adamavit. Propterea que mulierum consortia, quae praetiosam viri animam rapiunt, ac ipsarum blanda colloquia prudentissime devitabat: noverat namque, quod propter mulieris speciem, a qua factum est peccati initium, multi perierunt.

Erga pauperes, proximumque charitas.

§ 6. Iste Sanctus etiam, ut alter Iob, simplex, rectus ac timens Deum, a Christo didicit esse mansuetus, mitis corde, humilis et benignus; misericordia nihilominus, quae ab infantia secum crevit, erga pauperes et afflictos suae pietatis viscera sic affecit, quod ipse verus pauper spiritu, dives rebus, illos largis sustentabat eleemosynis, istos vero crebris consolationibus refovebat; cum apostolo namque Paulo infirmabatur cum infirmantibus et cum patientibus scandalum urebatur.

Optimus praesul.

§ 7. Hic demum Sanctus de innocente agno factus in Herfordiensi Ecclesia bonus pastor, se ipso in mente maior effectus est, studens semper de virtute progredi in virtutem, quo in tempore in Dei templo, in virtutum culmine positus sic effulsit, quod merito gemma praesulum dici posset.

Orationi vacans.

§ 8. Orationi vero insistebat assidue ac sui fervorem spiritus demonstrabant in orationibus et celebratione missae abundanter ex oculis lacrimae defluentes.

Pastoris partibus optime fungens.

§ 9. Commissas vero sibi oves perducebat ad pascua et a lupis protectas rapacibus, pastasque verbo et exemplo pariter ad Christi caulas sedule reducebat.

§ 10. Iura vero suae Ecclesiae defensabat, indutus iustitia ut lorica: paratus namque pro sibi commisso grege animam ponere, non timuit in hoc principem nec magnatem.

Romae moritur, multisque ubique claret miraculis.

§ 11. Et quia dignum erat, quod huic tam excellenti merito daretur aeterna requies post laborem, cum pro suae causis Ecclesiae ad romanam pervenisset curiam, diem clausit extremum, receptis devote prius Ecclesiae sacramentis. Sicque vir felix iste, ad Deum transmittendo spiritum, de peregrino et advena factus est eximius coeli civis; et quod decebat, multum divinam potentiam maiestatis, ut Sanctum hunc in coelis regnare secum, per signorum evidentiam fidelibus declararet, ipsum coruscare in terris miraculis multis fecit; quorum quaedam fidelibus probata testimoniis, ad Dei laudem et gloriam Sancti huius duximus inserenda.

Demersi vitae restituti.

§ 12. Quaedam namque puella aetatis annorum quinque, quae tempore longo in quodam profundo stagno steterat mortua et submersa, extracta inde frigida tota et rigida, non habens aliquod signum vitae, facto ad Sanctum hunc pro eius resuscitatione voto, vitae fuit pristinae restituta.

§ 13. Infans etiam biennis quidam in aqua quadam submersus et mortuus extractus inde, post factum pro ipso votum miraculose extitit suscitatus.

§ 14. Puer quidam annorum novem, submersus in quodam flumine, postquam extractum de aqua Sancto huic aliquid devoverunt, restitutus est vitae pariter et saluti.

Alii mortui suscitati.

§ 15. Parvulus alter aetatis unius anni cum dimidio, cuius supra caput dormientis in area rota transiverat onusti currus, qui a bobus quatuor trahebatur, mortuus ex hoc, recuperaverit vitam et animam meritis Sancti huius.

§ 16. Infans alius nondum aetatis annorum duorum in fundo cuiusdam fossati, in quem locum de ponte altitudinis magnae de nocte asseritur cecidisse, repertus mortuus, frigidus omnino et rigidus absque aliquo signo vitae, mensuratus ad hunc Sanctum, vitae fuit mirabiliter restitutus.

Contracta mulier:

§ 17. Mulier quaedam, quae septem annis sic contracta fuerat, quod nec stare nec ire poterat per se ipsam, portata ad

tumulum S. Thomae, oratione ibidem facta per ipsam, restituta fuit pristinae libertati sanitatis.

Alia infirma pede:

§ 18. Quaedam insuper puella annorum quinque, quae pedem unum habebat annis pluribus quasi totum ex fistulis putrefactum, ita quod nec stare nec ire poterat, nisi se super femur trahendo per terram, portata ad dicti Sancti tumulum per patrem, fuit ibidem a dicta infirmitate curata.

Alia quasi caeca:

§ 19. Altera mulier, quae per annos plures visu caruerat, nec quoquam ire poterat, nisi ut caeca ab altero duceretur, ducta ad Ecclesiam Herfordiensem, et facta oratione ad tumulum S. Thomae, fuit a caecitate dicta continuo liberata.

Item puer fere caecus:

§ 20. Puer insuper annorum quinque, qui ex infirmitate quadam omnino visum perdiderat, et duobus annis manserat ita caecus, ductus ad huius Sancti tumulum, oratione facta, visum recuperavit perfecte.

Gibbo in collo oneratus, ad eius tumulum sanati.

§ 21. Quidam etiam homo qui gilbum (1) ad quantitatem unius ovi anseris, ortum in collo suo portaverat multis annis, orans ad tumulum huius Sancti et denarium offerens, cum quo in modum crucis tetigerat dictum gilbum, statim curatus omnino fuit, et a dicto gilbo penitus liberatus.

Mirabilis itaque Deus in hoc Sancto.

§ 22. Praedictis et aliis multis miraculis Sanctum suum clarificavit Deus, qui facit mirabilia magna solus. Haec sunt certe miracula opera tua, Deus, qui sic per coelestes spiritus gubernas terrena omnia et disponis, quod ipsorum sacratum numerum, quem cadentium ruina minuit, reparas mirabiliter de terrenis. Hi sunt Sancti tui, omnipotens Deus, qui tuae dono gratiae semper virent, rubent ut rosa, candent sicut lilium, ut mel placent, currunt ut spiritus, flagrant ut balsamum, ut sol fulgent. Sic clemens Deus sanctum suum Thomam glorificans, fidem firmat, nubilosos errores dissipat et confundit, ad superna nostros rapit affectus, amoris flammis succendit frigida corda nostra. In hac igitur laeta die, quam fecit Dominus, qua confessor iste in Dei throno corona gloriae clarus sedet, laudet Deum omnis spiritus, coeli coelorum clamore ineffabili Deo canant, Sanctorum Ecclesia mente ac spiritu in chordis et organo Deo psallat; sed eo magis plaude, Herfordia, quae sui thesaurum corporis contines tam immensum; nam quem in terris habuisti pastorem, nunc obtines in coelis sedulum protectorem.

Sanctorum canoni adscribitur B. Thomas.

§ 23. Verum quia multum convenit, ut quem Deus in coelis glorificat, in terris ad suum fructum et gaudium mundus colat: nos de ipsius vita et miraculis inquiri fecimus diligenter; dehinc super inventis per nos et fratres nostros, attenta examinatione habita et discussione solerti, de ipsius sanctitate vitae ac veritate miraculorum plenarie certi facti, ad requisitionem instantem ac supplicationem humilem et devotam praelatorum multorum apud Sedem Apostolicam existentium, de dictorum fratrum nostrorum consilio et assensu, confisi de omnipotentis Dei misericordia, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius et nostra, in sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum.

Eius celebranda festivitas.

§ 24. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus 6 non. octobris festum confessoris eiusdem devote et solemniter celebretis, ut pia eius intercessione et hic a noxiis protegi et in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Indulgentia eius sepulchrum visitantibus proposita.

§ 25. Ut autem ad venerabile ipsius sepulchrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem confessoris extollatur festivitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, duos annos et duas quadragenas; accedentibus vero an-

(1) Leg. hic et alibi *gibbum*, etc.

nis singulis ad praedictum sepulchrum infra eiusdem festi octavas, centum dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Avinione, 15 kalendas maii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 aprilis 1320, pontif. anno IV.

---

## XXVII.

*Quod iudaei, ad fidem catholicam conversi, iis bonis gaudeant, quae conversionis tempore possidebant* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Constitutionis huius exequutio praesidibus terrarum ad Sedem Apostolicam pertinentium commissa.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Cum sit absurdum, iuri contrarium, et obvium rationi, iudæos, Domino inspirante, ad fidem christianam conversos, propter hoc bonis privare, quae antea possidebant, ipsosque mendicitati exponere, qui existentes in perfidia iudaica abundabant, omnibus officialibus et singulis comitatus Venaisini, qui ad Sedem Apostolicam pleno iure noscitur pertinere, aliorumque comitatuum et terrarum ad eamdem Sedem pertinentium, districte praecipimus et mandamus, quatenus sic conversos et imposterum convertendos in possessionibus et bonis aliis, quocumque nomine censeantur, quae conversionis tempore obtinebant in terris et comitatibus antedictis, occasione praedicta non perturbent vel impediant, nec permittant ab aliis molestari; sed ipsis se favorabiles exhibentes, ipsosque ab iniuriis et violentiis protegant et defendant.

Constitutionis huius exequutio praesidibus terrarum ad Sedem Apostolicam pertinentium commissa.

Datum Avenione, tertio decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 19 iunii 1320, pontif. anno IV.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

## XXVIII.

*Erectio cathedrarum medicinae et artium in Perusino Studio, data insuper facultate episcopo licentiandi et laureandi in utraque facultate idoneos, pro quorum examine nonnullae sanciuntur leges* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Studium Perusii a Clemente V institutum. — 2. Data vero a Ioanne facultas episcopo Perusino studentes licentiandi in utroque iure. — 3. Facultates huiusmodi etiam ad medicinam et artes extendit hac constitutione: — 4. Magistrosque in utraque facultate in hac Academia esse praecipit. — 5. Conditiones in laureandis in medicina requirendae. — 6. Aliae in doctorandis in artibus. — 7. Data eidem episcopo a defectu auditionis nonnullorum librorum dispensandi potestas. — 8. Approbati in hac Academia ubique possunt legere. — 9. Leges in concedenda licentia vel laurea servandae. — 10. Iuramentum a magistris praestandum circa examen laureandorum. — 11. Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Dum solicitae considerationis indagine in mente revolvimus, quam sit donum scientiae pretiosum, quamque illius desiderabilis et gloriosa possessio, per quam profugantur ignorantiae tenebrae, et eliminata funditus erroris caligine, studentium curiosa solertia cursus et actus disponit et ordinat in lumine veritatis; magno nimirum desiderio ducimur, ut literarum studia, in quibus impretiabilis margarita scientiae reperitur, laudanda ubilibet incrementa suscipiant: sed in illis praesertim locis propensius vigeant, quae ad multiplicanda doctrinae semina et germina salutaria producenda fore magis accommoda et idonea dignoscuntur.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa praedecessor noster, attendens fidei puritatem et devotionem

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Studium Perusii a Clemente V institutum (1).

eximiam, quam civitas Perusina, terra peculiaris Romanae Eccesiae, ad ipsam Ecclesiam ab olim habuisse dignoscitur, et quod illas ad eam successibus temporum de bono in melius augumentarat, dignum duxit et aequitati consonum existimavit, ut civitatem eamdem, quam divina gratia multarum praerogativa bonitatum gratiose dotaverat, concessione generalis Studii insigniret: et ut auctore Deo ex civitate ipsa producerentur viri scientia praepollentes, auctoritate apostolica statuit, ut in ea esset Studium generale, illudque vigeret ibidem perpetuis futuris temporibus in qualibet facultate, prout in literis praedecessoris eiusdem inde confectis plenius dicitur contineri.

Data vero a Ioanne facultas episcopo Perusino studentium licentiandi in utroque iure.

§ 2. Ac subsequenter nos, licet immeriti, ad apicem Summi Apostolatus assumpti, civitatem eamdem propter suae devotionis insignia, quibus se dignam Apostolicae Sedis gratia exhibebat, uberiore dono gratiae prosequi cupientes, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio, venerabili fratri nostro episcopo Perusino et successoribus eius episcopis Perusinis, qui essent pro tempore, impertiendi personis ad hoc idoneis docendi licentiam in iure canonico et civili iuxta certum modum in literis nostris expressum, liberam concessimus potestatem, prout in eisdem literis nostris plenius et seriosius continetur.

Facultates huiusmodi etiam ad medicinam et artes extendit hac constitutione:

§ 3. Considerantes igitur, quod eadem civitas propter eius commoditates et conditiones quamplurimas est non modicum apta studentibus, ac propterea concessiones huiusmodi ob profectus publicos, quos exinde provenire speramus, ampliare volentes, apostolica auctoritate statuimus, ut si qui processu temporis in eodem Studio fuerint, qui etiam in medicinali scientia et liberalibus artibus scientiae bravium assecuti, sibi docendi licentiam, ut alios liberius erudire valeant, petierint in perpetuum, in praedictis medicinali scientia et artibus examinari possint ibidem et in eisdem facultatibus titulo magisterii decorari: statuentes, ut quotiens aliqui in praedictis medicina et artibus fuerint doctorandi, praesententur episcopo Perusino, qui pro tempore fuerit, vel ei, quem ad hoc praedictus episcopus duxerit deputandum, qui magistris huiusmodi facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, in studio eodem praesentibus, qui ad minus quatuor numero in examinatione huiusmodi esse debeant, convocatis eos gratis, et difficultate quacumque sublata, de scientia, facundia, modo legendi, et aliis, quae in promovendis ad doctoratus seu magistratus officium requiruntur, examinari studeat diligenter; et illos, quos idoneos repererit, petito secrete magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium vel iacturam revelare quomodolibet districtius prohibemus, approbet et admittat, eisque petitam licentiam largiatur: alios minus idoneos nullatenus admittendo, postpositis gratia, odio vel favore.

Magistrosque in utraque facultate in hac Academia esse praecipit.

§ 4. Ut autem in praedictis medicina et artibus praefatum Studium tanto plenius coalescat, quanto peritiores doctores in huiusmodi suis primitiis ibidem caeperint actu regere et docere, statuimus, quod usque ad triennium vel quatriennium aliqui doctores, duo ad minus, qui in medicinali scientia in Parisien. vel Bononien. aut aliis famosis generalibus Studiis honorem receperint doctoratus, ad docendum et regendum in scientia medicinae et tres vel duo ad minus, qui in artibus in Parisien. Studio apud maiorem Parisien. Ecclesiam docendi licentiam fuerint assecuti, et saltem per annum rexerint, seu docuerint in Parisien. Studio memorato, ad regendum et docendum in dictis artibus in praefato Perusin. Studio assumantur, qui usque ad quatriennium vel quinquennium, donec praefatum Studium in bonis studentibus laudabiliter progressum acceperit, regant et doceant in eodem.

(1) Vide in eodem Clemente.

Conditiones in laureandis in medicina requirendae.

§ 5. Circa doctorandos vero in scientia medicinae hoc praecipue observetur, ut huiusmodi decorandi audiverint omnes libros eiusdem scientiae, qui in Bononien. vel Parisien. Studio a studentibus promovendis consueverunt audiri, per septennium, vel qui in logicalibus aut philosophia alias forent sufficienter instructi, saltem per quinquennium in scientia praedicta studuerint, ita quod saltem tribus annis eiusdem septennii vel quinquennii, ut praedicitur. in medicinali scientia audierint in aliquo Studio generali, et ut moris est, responderint sub doctoribus et extraordinarie legerint libros legi extraordinarie consuetos, servato circa examinationem ipsius in medicinae scientia promovendi more laudabili, qui in talibus erga eos, qui promoventur in Parisien. vel Bononien. Studio observatur.

Aliae in doctorandis in artibus.

§ 6. Circa doctorandos vero in artibus liberalibus etiam observetur, quod studuerint per quatuor vel quinque annos, de quibus saltem duobus annis audierint in aliquo Studio generali: ita videlicet in ut grammatica Priscianum maiorem et minorem, et in dialectica Logicam novam et veterem Aristotelis, ac in philosophia librum de anima, et saltem quatuor libros Ethicorum; et tam in iis, quam in caeteris aliis liberalibus artibus illos alios libros audierint, qui in Parisien. Studio per promovendos in dicta facultate artium consueverint audiri, servato circa examinationem tam in communibus quam in propriis ipsius in artibus promovendi more laudabili, qui in talibus erga eos, qui promoventur, apud praefatam maiorem Ecclesiam Parisien. observatur.

Data eidem episcopo a defectu auditionis nonnullorum librorum dispensandi potestas.

§ 7. Verum quia non passim repe- riuntur in Studiis, qui omnes huiusmodi libros audierint, praefato Perusin. episcopo suisque successoribus Perusin. episcopis, qui pro tempore fuerint, indulgemus, ut in auditione aliorum praefatorum librorum de forma circa licentiandos ipsos in artibus, prout sufficientia eorumdem licentiandorum exegerit et sibi videbitur expedire, auctoritate nostra valeat dispensare.

Approbati in hac Academia ubique possunt legere.

§ 8. Illi autem, qui in dicta civitate Perusin. taliter examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc, absque examinatione vel approbatione alia, regendi et docendi ubique plenam et liberam habeant auctoritate praesentium facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Leges in concedenda licentia vel laurea servandae.

§ 9. Sane ut rite in praefatis examinationibus procedatur, praecipimus, ut tam episcopus Perusin., qui pro tempore fuerit, quam ille, cui praefatus episcopus ex causa rationabili impeditus in hac parte commiserit vices suas, eidem episcopo, propositis tamen, sed non tactis Evangeliis, ab aliis vero corporaliter tactis, iurent, quod in hac parte officium suum fideliter exequentur. Volumus autem quod personis, quae per examinationem huiusmodi repertae fuerint idoneæ, huiusmodi licentia debeatur impertiri, et quod idem episcopus personaliter, non per vicarium vel substitutum examinationi huiusmodi interesse debeat: nisi esset ex aliqua rationabili causa adeo impeditus, quod suam non posset examinationi praedictae personalem praesentiam exhibere: in quo casu eidem episcopo interessendi examinationi huiusmodi per vicarium, vel alium ad hoc idoneum substitutum, tenore praesentium indulgemus: et quod nemini huiusmodi impartietur licentia, nisi ei, quem omnis vel maior pars doctorum, qui huiusmodi examinationi intererint, approbabunt.

Iuramentum a magistris praestandum circa examen laureandorum

§ 10. Magistri quoque, regere in eodem Studio cupientes, vel alias. inibi residentes, antequam incipiant, praestent in manibus dicti episcopi iuramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem, venient, nisi fuerint legitime impediti, et gratis sine difficultate dabunt examinatori fidele consilium, qui de exa-

minatis ut digni approbari debeant, aut indigni merito non admitti. Qui vero iuramentum huiusmodi praestare noluerint, nec ad examinationes eorumdem, nec etiam ad aliqua ipsius Studii commoda vel beneficia ullatenus admittantur.

Clausulae.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, prohibitionis, concessionis, praecepti et voluntatis infringere *etc.*

Datum Avenioni, duodecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 18 februarii 1321, pontif. anno v.

---

## XXIX.

***Revocatio concessionum, donationum, locationum, alienationum, aliorumque omnium per rectores et officiales S. R. E. in patrimonio Beati Petri in Tuscia, comitatu Sabinae et terris Arnulphorum, quibusvis personis factarum*** (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Concessiones, alienationes, *etc.* nonnullas a rectoribus factas ait: — 2. Eas omnes irritat, nullasque fuisse et esse declarat. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Inter caetera, quorum nos cura sollicitat, illa praecipue meditatio mentem nostram occupat, illaque nos sollicitudo fatigat, ut Ecclesiae Romanae iura non pereant; et si qua sint forte deperdita, in statum pristinum restaurentur.

Concessiones, alienationes, etc. nonnullas a rectoribus factas ait:

§ 1. Audivimus siquidem relatione fideli, quod quidam patrimonii Beati Petri in Tuscia, comitatu Sabinae, terrae Arnulphorum et quarumdam aliarum terrarum, ad nos et Ecclesiam Romanam spectantium, rectores et officiales, qui fuerunt temporibus retroactis, diversas locationes, alienationes, donationes et concessiones de terris, castris, bonis et iuribus eiusdem Ecclesiae sub variis formis, modis et tenoribus fecisse noscuntur: et quasdam minores terras, civitates, castra et loca infra patrimonium, comitatum et terram Arnulphorum praedicta, et alia infra iurisdictionem ipsius Ecclesiae Romanae consistentia, maioribus civitatibus et communitatibus, comitibus, baronibus et nobilibus, quamvis nullam super hoc potestatem habuerint, de facto in ipsius Ecclesiae grave praeiudicium subiecerunt et etiam submiserunt; ac se subiicientibus et submittentibus, auxilium praestando, concesserunt pro eorum libito voluntatis, et aliqua minora terrae, civitates et castra dictis maioribus civitatibus et communitatibus, comitibus, baronibus et nobilibus tam de dictis terris, quam etiam aliunde, voluntarie, et quaedam ab ipsis maioribus coacta se per violentiam submiserunt.

Eas omnes irritat, nullasque fuisse et esse declarat.

§ 2. Nos igitur super iis volentes eiusdem Ecclesiae honori et indemnitatibus providere, locationes, alienationes, donationes, concessiones, subiectiones et submissiones praedictas, et alias quascumque de bonis et iuribus praedictae Romanae Ecclesiae, ac civitatum, terrarum, castrorum et locorum praedictorum, ac universitatum earumdem, sub quibusvis modis, formis, tenoribus aut expressionibus verborum factas, non obstantibus Apostolicae Sedis, non ex certa scientia factis, et quorumvis aliorum confirmationibus seu ratificationibus super iis, sub quacumque forma verborum obtentis, nec non promissionibus, obligationibus, poenarum adiectionibus, stipulationibus et renunciationibus quibuscumque ac iuramentis super iis praestitis ab eisdem, ex nunc auctoritate apostolica revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, vacuamus, et nullam habere decernimus roboris firmitatem: et eadem terras, civitates et castra, bona et iura, ad ius et proprietatem et dominium eiusdem Ecclesiae revocamus: eadem minores terras, civitates, castra et loca in eo statu, in

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

quo erant ante tempus subiectionis et submissionis huiusmodi, reducendo: decernentes illa praedictis maioribus civitatibus et communitatibus, baronibus et nobilibus ad servandum submissionem et subiectionem huiusmodi, vel ad obediendum seu parendum eis in aliquo praetextu submissionis et subiectionis eorumdem, aliquatenus non teneri.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum revocationis, cassationis, annullationis, irritationis, vacuationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenioni kalendis aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 1 aprilis 1321, pontif. anno v.

---

### XXX.

*Sequitur episcopo Urbevetano ut de his inquirat, terras huiusmodi recuperet, detentores censuris compescendo.*

SUMMARIUM

1. De huiusmodi alienationibus inquirat: — 2. Contumaces compellat censuris. — 3. Obstantium derogatio.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guittoni episcopo Urbevetano, patrimonii B. Petri in Thuscia rectori, salutem et apostolicam benedictionem.**

Inter caetera *etc., prout in superiori.*

De huiusmodi alienationibus inquirat:

§ 1. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium, seu alios, super praemissis de plano, summarie, sine strepitu et figura iudicii te informans, praedictas terras, castra, bona et iura taliter locata, alienata, donata et concessa, ad manus tuas recipere studeas et diligenter conservari procures: non permittens terras, civitates, castra et loca minora praefata, praetextu submissionis et subiectionis huiusmodi ab aliquibus indebite molestari.

Contumaces compellat censuris.

§ 2. Detentores terrarum, castrorum, bonorum et iurium praedictorum et contradictores ac rebelles et impedientes, si qui fuerint, necnon et molestatores dictarum minorum terrarum, civitatum et castrorum ac universitatum per spirituales et temporales poenas, appellatione postposita, compescendo.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstante, si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut quibusvis poenis affici non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Avenione, kal. aprilis, pont. nostri anno v.

Dat. die, annoque eodem.

---

### XXXI.

*Inquisitoribus haereticae pravitatis prohibetur, quominus Bononiae arma deferendi ulli licentiam tribuant, eamque aliis in locis solis dent familiaribus.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae constitutionis. — 2. Constitutio (*de qua in rubrica*).

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis inquisitoribus haereticae pravitatis in provincia Lombardiae, apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Exigit ordinis vestri religio, et commissi nobis officii mansuetudo requirit, ut sic actus vestros virtute modestiae componatis, quod nemini esse possint ad scandalum vel aliquod nocumentum:

Causae constitutionis.

§ 1. Accepimus siquidem assertione fideli, quod vos nonnullis pravis et perversis hominibus, qui frequenter ad cae-

des et alia nefanda facinora laxant nequiter manus suas; arma per civitatem et districtum Bononiensem portandi, non sine multorum scandalo, licentiam concessistis.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 2. Quare volumus et discretioni vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus neminem familiarem, nisi eiusdem Ecclesiae fidelem ac devotum, et laudabilis conversationis et vitae, habere quomodolibet praesumatis; nec aliquibus de cetero, extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continue (nisi forsan illis, qui eundo de terra ad terram, vel etiam redeundo vobiscum; et in casibus aliis, in quibus vobis pro securitate vestra forsitan expediret) alicui deferendi arma per dictas civitatem et districtum licentiam concedatis; et nihilominus licentiam, quam olim super hoc aliis concessistis, studeatis, remotis occasione et citatione quibuslibet, revocare. Ut per hoc nulla possit oriri in eisdem civitate vel districtu materia scandalum paritura, nec ad nos de caetero super hoc querelae materia deferatur.

Dat. Avenione 6 non. maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 2 maii 1321, pontif. anno v.

---

## XXXII.

*Contra facientes cavalcatas et incursiones in provincia Marchiae Status Ecclesiastici.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Varias fieri incursiones in provincia Marchiae asserit. — 2. Eas itaque fieri vetat. — 3. Poenae contra inobedientes.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum.**

Exordium.

Ad hoc dignoscitur media inter discordes iustitia constituta, ut nemo dicere sibi ius audeat, nemo ipsius iustitiae transgredi limites inordinate praesumat: sed quod sibi credit alter adversus alterum forte competere, coram iudice, iustitia mediante, prosequatur.

Varias fieri incursiones in provincia Marchiae asserit.

§ 1. Novimus enim, quod dierum crescente malitia, sit assueta nequitia malorum mentes hominum depravare: quod in apertam prosilire violentiam non timentes, saepius alter insurgit in alterum: et alius, quod adversus alium existimat se fortassis habere, viis pacificis et iuris ordine praetermissis, violentis conatibus obtinere praesumit. Inter alios vero, qui ad hoc ferventer inducuntur indomita voluntate, nonnulli de nostra Marchiae Anconae provincia ad huiusmodi prosilire conatus per motus effraenes et agiles non verentes, ipsius provinciae statum saepe turbant pacificum, periculis in ea, non absque dispendiis animarum, fidelium stragibus et bonorum detrimentis, iniuriis et scandalis suscitatis.

Eas itaque fieri vetat.

§ 2. Nos igitur, qui provinciam ipsam quadam singulari affectione diligimus, et tamquam recreationis nostrae pomoerium, paternae benignitatis oculis intuemur, cupientes in illa (turbationibus et scandalis quibuscumque, remedii nostri appositione, subductis) bonum pacis et concordiae non laedatur: ac debitum et congruum reputantes, ut talium sic compescatur audacia, quod a violentiis retrahantur: universis et singulis tam laicis, quam clericis, cuiuscumque status, ordinis vel dignitatis existant; comitibus quoque, baronibus, potestatibus, capitaneis et aliis quibuscumque officialibus et in inferioribus gradibus positis: necnon communitatibus ac universitatibus civitatum, terrarum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum in praedicta provincia consistentium, auctoritate praesentium districtius inhibemus, et mandamus expresse, ne ipsorum aliquis contra alium sibi ius dicere, aut guerram vel exercitum, seu cavalcatam (nisi de licentia rectoris provinciae supradictae) per se,

vel alios facere vel movere per hostiles incursus seu violentias occupare, invadere, seu aliquem de domo propria, seu civitate, castro vel loco expellere, capere, seu tenere, sive ad vindictam vel ultionem aliquam prosilire quavis causa vel occasione praesumat; sed quilibet ius suum per viam iustitiae coram competenti iudice prosequatur.

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Nos enim omnes et singulos tam clericos quam laicos contra inhibitionem et mandatum huiusmodi (postquam illa ad notitiam pervenerint eorumdem, vel per eos steterit, quominus potuerit pervenire) facientes (nisi in casibus a iure permissis), sententiam excommunicationis, et insuper eosdem clericos suspensionis poenam incurrere; ac praedictorum castra, terras, loca et communitates et universitates, si contra huiusmodi inhibitionem et mandatum nostrum venire praesumpserint, ac dictorum clericorum Ecclesias (qui facere contra praedicta forsitan attentabunt) interdicto ecclesiastico subiacere volumus ipso facto: omnesque praedictos et singulos omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, libertatibus et immunitatibus realibus et personalibus, feudis, locationibus, bonis, iuribus et honoribus, officiis et quibuscumque concessionibus, quae a Romana Ecclesia et a quibuscumque aliis ecclesiasticis obtinere noscuntur, eo ipso fore privatos: et nihilominus omnes et singulos comites, barones, nobiles, potestates, capitaneos, officiales ac communitates praedictas mille marcarum argenti; et unamquamque personarum ipsarum, quae contra inhibitionem et mandatum ipsorum facere vel venire praesumant, ducentorum florenorum auri, quam eo ipso incurrant, poena mulctamus. Contra clericos praedictos ad privationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum, dignitatum, personatuum et officiorum cum cura vel sine cura, quae forsitan obtinerent; ac reddimus eos inhabiles et indignos ad ea et quaelibet alia in posterum obtinenda.

Nulli ergo omnino, *etc.*

Datum Avenione, 10 kalendas ianuarii, pont. nostri anno VI.

Dat. die 23 decembris 1321, pont. anno VI.

---

## XXXIII.

*Ecclesia monasterii Cassinen. erigitur in cathedralem, monasteriumque in episcopatum cum omnimoda iurisdictione, privilegiis et iuribus pro novo episcopo et capitulo, quibus antea abbas et monaci fruebantur (1).*

### SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causae erigendi episcopatus in monasterio Montis Cassini. — 2. Erectio (*de qua in rubrica*). — Episcopus a capitulo eligendus. — 3. Novo episcopatui privilegia omnia communicantur, quibus monasterium ipsum fruebatur: — 4. Eaque conceditur episcopo in terris monasterio subiectis auctoritas: — 5. Illaque attribuuntur iura, quae abbati competebant. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Supernus Opifex, sator coelorum et universae conditor creaturae, coelestia et terrestria ineffabilis providentiae ordinatione disponens, ad instar supernorum ordinum triumphantis Ecclesiae, inferiorem militantis disposuit ierarchiam, distinguens varietate mirabili dignitates secundum sublimiores et inferiores gradus et ordines in eadem; cuius dispositione mirifica ab exordio surgentis Ecclesiae episcopalia gubernacula, utpote in eadem Ecclesia obtinentia sublimitatem gradus ordinis, sunt in locis dignioribus et frequentioribus populis collocata, ut multae messi fidelium superintendens diligens cura pontificis, ipsam verbo dirigat et exemplo ac dignitati loci et populi dignitas respondeat praesidentis.

(1) Ex Regest. Archiv. Vatic. Consule Gattulam, Hist. Cassin, saec. IX, § V.

Causae erigendi episcopatus in monasterio Montis Cassini.

§ 1. Sane considerantes attentius, et intra pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod tam dominicus populus, quem foecundavit Altissimus in terra monasterii Casinen., quam fideles alii in certis locis aliis dictae terrae contiguis et vicinis eidem monasterio spirituali iurisdictione subiecti, qui alterius dioecesis non existunt, nec retroactis temporibus extiterunt, episcopalis solicitudinis curam et diligentiam exigebant: cum periculum esset tanto gregi fidelium in singulis casibus, qui sunt pontificalis ordinis et officii, ad alienos episcopos et interdum remotos, non absque multarum animarum periculo habere recursum, ad ipsum quoque monasterium, quod confessor almus gratia Benedictus et nomine multipliciter illustravit, quod etiam confessoris eiusdem venerando vocabulo insignitur, cuiusque sanctissimi corporis sacrae reliquiae inibi venerabiliter requiescunt, specialiter gerentes devotionis affectum; decens, quinimo necessarium fore censemus, ut dictum monasterium, ubi confessor praefatus claruit virtutibus, et miraculis coruscavit, ac normam sanctae monasticae religionis instituit, quae propagata per orbem, innumeros quasi a mari usque ad mare iam protensos produxit palmites, et per incrementa temporum dilatavit, praerogativa sublimetur honoris, et potioris dignitatis eminentia sub episcopalis appellatione nominis decoretur.

Erectio (de qua in rubrica).

§ 2. Ex praemissis igitur et aliis suadentibus causis, quae ad id nostrum animum induxerunt, ex certa scientia ac de fratrum nostrorum consilio et assensu, ac apostolicae plenitudine potestatis, ad divini nominis laudem, gloriam et honorem, ad exaltationem Ecclesiae militantis, dictum monasterium in ecclesiam cathedralem erigimus et episcopalis dignitatis titulo insignimus: decernentes, ut Ecclesia ipsius monasterii sit perpetuis futuris temporibus cathedralis; et episcopus canonice assumendus pro tempore praesit illic, qui, quoties imposterum dictam Ecclesiam in cathedralem electam vacare contigerit, per electionem vel postulationem canonicam celebrandam per quondam conventum dictorum monasterii et ordinis, quem ex nunc capitulum eiusdem Ecclesiae perpetuis temporibus futuris fore decernimus, assumatur.

Episcopus a capitulo eligendus.

Novo episcopatui privilegia omnia communicantur, quibus monasterium ipsum fruebatur:

§ 3. Eadem quoque auctoritate statuimus, ut cum idem quondam monasterium tam in capite, quam in membris, per specialia Sedis Apostolicae privilegia sit exemptum, et Ecclesiae Romanae immediate subiectum, diversisque aliis privilegiis, indulgentiis apostolicis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus communitum, dicta Ecclesia cathedralis, episcopus, capitulum et personae ibidem degentes ac omnia membra, officia, ecclesiae, castra et bona ipsius, ubicumque consistentia, utantur et gaudeant privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus huiusmodi, sicut prius.

Eaque conceditur episcopo in terris monasterio subiectis auctoritas.

§ 4. Decernimus insuper, ut in locis singulis, insignibus et non insignibus, tam sitis in terra quae abbatia Cassinen. hactenus vulgariter nominabatur, quae in spiritualibus et temporalibus, quam etiam in locis vicinis terrae praedictae, quae in spiritualibus tantum monasterio suberant memorato, quaeque alterius dioecesis hactenus non fuerunt, et personis eorum, praefatus episcopus tanquam quivis alius praesul in propria dioecesi et in quibuscumque locis et personis ubicumque consistentibus, sive spiritualiter et temporaliter, sive spirituali dumtaxat iurisdictione, abbati, qui pro tempore praefuit regimini seu conventui, vel officialibus quondam monasterii memorati vel administrationem habentibus in eodem subiectis, idem episcopus, sicut quondam abbas, et capitulum et officiales praedicti, sicut praedecessores eorum, similem omnino iurisdictionem habeant et exercere valeant in eisdem: et eo plus praefato episcopo in eisdem locis spiritualiter et temporaliter, vel spiritualiter dumtaxat, ut

praemittitur, ei subiectis vicinis monasterio memorato, quae hactenus alicui alteri episcopo spiritualiter minime subiacebat, competere debeat, quo in iis, quae sunt ordinis pontificalis, et ministerium consecrationis desiderant, largiorem pontificibus, quam inferioris gradus praelatis potestatem sacri canones concesserunt.

Illaque attribuuntur iura, quae abb. competebant.

§ 5. Caeterum auctoritate praedicta decernimus, quod institutio et destitutio, visitatio, reformatio et correctio tam in ecclesia cathedrali, quam in membris eisdem, ubicumque consistentibus, ac bona ipsius quondam monasterii, quae ad abbatem, conventum et officiales spectabant eosdem communiter vel divisim, simili modo spectent ad episcopum, capitulum et officiales praedictos: ac de illis dicti episcopus, capitulum et officiales libere disponere valeant simul vel separatim, prout eorum dispositio ad eosdem abbatem, conventum et officiales communiter vel divisim antea pertinebat: iuribus et consuetudinibus, si qua hactenus praefatis abbati vel officialibus seu administrationem habentibus, in installationibus, praesentationibus vel investituris archipresbyterorum vel rectorum aut aliarum personarum ecclesiasticarum in Ecclesiis castrorum, villarum seu locorum etiam aliarum dioecesum competebant; necnon honoribus, qui eidem abbati hactenus, cum ad eadem castra, villas seu loca noviter accedebant, per clerum et populum processionaliter ei obviam occurrentes, in huiusmodi processionibus et quibuscumque aliis consueverant exhiberi; episcopus Casinen., qui erit pro tempore, sicut abbati et officialibus seu administrationem habentibus memoratis, sicut praedecessoribus eorum, perpetuis futuris temporibus reservatis, et integraliter exhibendis.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, constitutionis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Avenione, sexto nonas maii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 maii 1322, pont. anno VI.

---

## XXXIV.

*Canonizatio B. Thomae de Aquino, ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum institutione festivitatis pro die 7 martii.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. B. Thomae encomium. — 2. Opera nonnulla scribit. — 3. Orationi et studiis assidue vacabat. — 4. Castitate, sobrietate, humilitate et aliis virtutibus praefulsit. — 5. Ultima infirmitate in monasterio Fossae Novae laborat. — 6. Viaticum sumens sua scripta S. R. E. iudicio submittit. — 7. Pie moritur. — 8. Miraculis claret. — 9. Eius corpus miro manat odore. — 10. Podagra laborans, — 11. Sensibus stupidus, — 12. Tremebundus, et inflatus capite, — 13. Loquela privatus, — 14. Febre quotidiana detentus, — 15. Mulier surditate, — 16. Puella squinantia, — 17. Conversus quidam monasterii Fossae Novae brachii acerrimo dolore afflictus, — 18. Infans habens in crure tumorem sanitati restituti. — 19. Ex iis itaque credendum B. Thomam in coelis esse: — 20, 21. Miraculisque eius, et sanctitate vitae diligenti perquisitis examine, Ss. Confessorum albo adscribitur. — 22. Eius celebranda festivitas. — 23. Proposita eius sepulchrum visitantibus indulgentia.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, aliisque Ecclesiarum praelatis, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Redemptionem misit Dominus populo suo, cum Dei Verbum in virginalis uteri thalamo, Sancti Spiritus cooperatione con-

ceptum, caro factum est et habitavit in nobis, verbo suo nos instruens, exemplo docens, coelestia reserans, occulta miraculis roborans, ac sacri eloquii testimoniis futura eadem esse confirmans; tandem se Deo Patri in ara crucis hostiam acceptabilem offerens, peccata nostra pio cruore detersit, descendensque ad inferos, ac die tertia resurgens a mortuis, et per quadraginta dies apparens discipulis et loquens de regno Dei, ipsis cernentibus est elevatus in coelum, et captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quibus patescere coelum innotuit, reserata dudum clausa in se credentibus ianua Paradisi. Patet ergo coelum credentibus, patet humilibus, patet etiam, qui honestatis, paupertatis et obedientiae votis se Deo (a quo stulti per inobedientiam discesserunt) voluntaria sponsione devovent. Regnum enim coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud, dum propriis subactis affectibus, violentia quadam ad superiora conscendunt.

B. Thomae encomium.

§ 1. Haec igitur B. Thomas de Aquino, ordinis fratrum Praedicatorum, sacrae theologiae doctor, nobilis quidem genere, sed nobilior conversatione, fama clarus, vita clarissimus, sedula meditatione revolvens et attenta deliberatione discernens, dum adhuc infra pubertatis annos existeret, ipsius ordinis Praedicatorum habitum suscepit, in eo (invito etiam patre, qui eius felicibus actibus invidebat) constantius mansit, ac in ipso tandem regularem professionem emisit: ubi in brevi adeo scientia, vita et moribus profecit, ut aetate adhuc iuvenis, ad sacerdotium promoveretur, et ad eiusdem magisterium Parisiis, loco utique celeberrimo, assumptus, magno inibi sui suique ordinis ac Parisien. Studii favore, per multorum annorum curricula cathedram regeret magistralem. Quippe cum illi vita existentiam, conversatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem merito exhiberent; ut illud Psal.: Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra, in eo verissime impleretur. Quod utique thema idem Sanctus, dum esset in sacra Pagina incepturus, assumpsit, quodque (ut fertur) revelatione sibi post suam orationem facta didicerat, dum propter iuventutem suam se inhabilem ad magisterium reputans, quid proponeret in istanti principio haesitaret.

Opera nonnulla scribit.

§ 2. Nam et in primitivis scientiis et diversis philosophiae partibus, ut non esset ociosus, sed operaretur terram; necnon in sacrae Scripturae pagina, tam super novum, quam vetus Testamentum scripta, plurimaque alia in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque studentium, clara cum sciens esset, famosa, cum cognitus, non absque speciali Dei infusione perfecit. Doctrina quippe prudentium facilis, et omnino scientis signum est posse docere.

Orationi et studiis assidue vacabat.

§ 3. Profecit utique vir peritus, a terrenorum ambitione semotus et ad coelestium assecutionem intentus, perfecto vacans studio, intendebat Deo; praetermittebat terrena, ut assequeretur aeterna; praemittebat divina, ut roboraretur in schola; cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram vel distraheretur ad alia, missam unam celebraret, aliam audiret, in quibus et alias in oratione (cum in illa foret assiduus) lacrymarum effusione mentis suae dulcedinem devotionemque Deo, cui nihil est absconditum, revelabat.

Castitate, sobrietate, humilitate et aliis virtutibus praefulsit.

§ 4. Cumque castitatis nitore canderet, parsimonia devota custodiebat humilitatem; hanc eamdem sobrietate medica nutriebat, adeo ut multi eum in carne virginitate mansisse incorruptum existimarent. Quod eiusdem Sancti confessor ordinis memorati, qui longo tempore ipsius confessionem audierat, publice (ut ad nos testimonio fide digno pervenit) coram omnibus die defunctionis eiusdem asseruit, dicens: Ego confessionem generalem

istius sancti viri audivi, de quo testificor, quia ita inveni eum purum, sicut puerum quinque annorum, quia numquam suae carnis sensit corruptelam. Qui praeterea vir Dei, cibis religiosorum, vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis, benignitate suavis, pietate misericors, humilitate subiectus, caeteraque virtutum varietate redimitus, honorum supercilium, mulierumque cautius consortia spernebat, non elatus, non prœeminens, nec etiam disputans (quod et interdum disputantium solet esse commercium) iactator effectus, ut ampullosis (etiam si sibi eadem iniicerentur ab aliis) in illo palestricae syllogizationis exercitio uteretur. Totus igitur Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua praecellebat, aut praedicationi, qua immotus erat, aut orationi qua devotus, aut Scripturae qua profundus, sedulus vacabat, adeo ut praeter naturalis necessitatis aut quietis horas, nullum sibi aut vix temporis spacium relinqueret ociosum.

Ultima infirmitate in monasterio Fossae Novae laborat.

§ 5. Appropinquante autem die, qua de hoc saeculo migraturus esset ad Dominum, quaque devicto triumphatoque mundo, in perpetuas aeternitates recipiendus in patria (nam bonorum laborum gloriosus est fructus), cum a felicis recordationis Gregorio Papa decimo praedecessore nostro, ad Lugdunense concilium diceretur esse vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more solito famose legebat ut doctor, et per Maritimam transiens, cum ad monasterium Fossae Novae ordinis Cistercien. Terracinen. dioec. parumper digressurus per dies aliquot antea ad ipsum ut illuc deferretur, affectuose depostulans, pervenisset, intrans monasterium, plenus Dei spiritu, haec verba protulisse refertur: Haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo quoniam elegi eam. Quod verum esse eventus edocuit, et sacri corporis sui illic facta tumulatio manifestat. Coepit enim illic in infirmitate gravari eadem, viribus paulatim destitui, infirmitatem tamen ipsam, etsi dierum plurium, non impatienter tolerans, sed aequanimiter totus ut erat humilis, patientia supportans, quo sibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, ministris de se, quos non intendebat aggravare reverentia, imitandae quoque patientiae exempla praeberet, adeo quod eiusdem monasterii Fossae Novae fratres, inibi Deo devotius famulantes, haec in sancto viro religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore promptis obsequiis mancipati, quem utique tanta refertum patientia fore cernebant, singuli ligna de sylva, singuli quaeque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant, non extimantes fore conveniens, ut brutorum animalium humeri in portandis eidem rebus accommodis praestarent obsequia, qui tantarum virtutum praerogativa pollebat.

Viaticum sumens sua scripta S. R. E. iudicio submittit

§ 6. Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, sanctissimi Dei et Domini nostri Iesu Christi corpus in cibum sumendum sibi, ut viaticum, deferretur, totus profusus in lacrymis et dulci amore eiusdem anima assueta dulcedine Dei, liquefacta, inter caetera multa et decora, quae protulit, haec vel similia fidei et devotionis verba, toto illius monasterii conventu, multisque dictorum Praedicatorum et Minorum ordinum assistentibus fratribus, eructasse refertur: Ego de isto sanctissimo Corpore Domini nostri Iesu Christi et aliis sacramentis multa docui, multa scripsi in fide Iesu Christi et sanctae Romanae Ecclesiae, cuius correctioni cuncta subiicio, cuncta suppono.

§ 7. Recepto deinde ab ipso eodem vivifico Sacramento, cunctisque aliis Sacramentis Ecclesiae debita veneratione cum lacrimarum effusione susceptis, tertio die obdormivit in Domino, cui credidit, quem amavit et tota mentis affectione dilexit. Fidelis servus et prudens, non pertinax, non proprio sensui aut prudentiae innitens et nulla de se scientiae suae opinione superbus; nam qui scru-

Pie moritur.

tator est maiestatis, opprimetur a gloria. Unde sapienter Doctor idem atque humiliter (ut praefati sumus) omnem suam verbo vel scripto doctrinam ad eiusdem Ecclesiae fidei normam fideli devotione reduxit: quam Petri ore diffusam stabilem noverat et nullis concussionum flatibus agitandam; cum post veram deitatis Christi recognitionem, qua respondit: Tu es Christus filius Dei vivi, ab Ipso audire meruit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et alibi: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; dumque pro Petro Christus rogat, pro eius Ecclesia intercedit.

Miraculis claret.

§ 8. Verum, quia dignum erat et consonum, ut quem Deus viventem in hoc saeculo tantis suis donis gratiisque perfecerat, assumptum in coelis sanctificatum fore hominibus declararet, multis eumdem virum Dei post ipsius de hac vita transitum (licet et antea nonnulla fecisse memoretur), magnisque signis gloriosius coruscare, ut illud psalmi merito de ipso dicamus: Scitote, quia mirificavit Dominus sanctum suum; sicque vita eius attestaretur miraculis, ut illius miracula vitae testimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem et Sancti huius commendationem, et aedificationem fidelium, idoneis approbata testibus, praesentibus subnectemus.

Eius corpus miro manat odore.

§ 9. Post septimum namque mensem, vel circa, a die obitus, ipsius S. Thomae de Aquino, cum corpus eius, quod in cappella S. Stephani dicti monasterii per idem tempus sepultum extiterat, ad sepulchrum eiusdem primum, scilicet iuxta altare maius Ecclesiae monasterii antedicti, unde ad tempus per monacos eiusdem monasterii timoris causa sublatum fuerat, ne corpus ipsum omnino de dicto monasterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferri exinde decrevissent, in apertura ipsius sepulchri eiusdem cappellae S. Stephani tanta fragrantis odoris suavitas emanavit, quod totam ipsam cappellam, claustrumque ipsius monasterii, quod diffusum est, mira eadem suavitate replevit, quae de ipsius corpore (prout ex solicita, curiosaque monacorum indagine est repertum) mirifice fundebatur. Propter quod maiore per monacos concepta ad ipsum devotione, totus conventus processionaliter (priore tamen dicti monasterii, cum quibusdam ex monacis paramentis indutis) corpus ipsum ad praefatum primum eius sepulchrum honorifice detulerunt. Hanc similem fragrantiam post septem annorum spacium, quidam ex testibus, quidam vero post quatuordecim annorum spacium sensisse se referunt, dum corpus ipsum diversis ex causis per temporum vices sedulo inspexissent. Quippe odor, carnis eius munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum eius adoramenta repraesentabat, famam quoque eius claram diffusione virtutum et illarum aromatum non celabat.

Podagra laborans,

§ 10. Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per se vel ambulare nequaquam absque baculorum sustentatione aut aliorum suffragio poterat, se Deo et B. Thomae devovens, iuxta eum tumulum incumbens (oratione facta), sanus prosiliit, et currens, ac Deum laudans, quod meritis eius esset tam longae infirmitatis languore curatus.

Sensibus stupidus,

§ 11. Alter quidam ex horribili quadam visione phantasmatis timiditate percussus, pedibus manibusque contractus fuit et ore ac facie distortus, sensibus carens et omni virtute destitutus, ita quod loqui non poterat, sed mortuo similis videbatur, adeo ut ignem eius membris admotum nullatenus sentiret, portatus ad tumulum illius, post morulam, liber et sanus omnino a dicto sepulchro surrexit.

Tremebundus, et inflatus capite,

§ 12. Alius dum non devote de Sancto sentiret, virtutem Dei in Sancto, in se duplicem est expertus, infirmitatis, dum contemnit, sanitatis, dum a contemptus culpa discessit. Nam cum sibi devotionis causa a quodam cappellano plures vene-

randae reliquiae monstrarentur, ipse quoque ostensor preciosiores adhuc se habere reliquias, videlicet manum F. Thomae de Aquino fateretur illico hunc derisorie de his truffantem, cum eas videre non curaret, dicens, sanctus non est, sed quidam ordinis Praedicatorum frater, tremor apprehendit: et caput eius ad modum magnae cistae grossum et valde ponderosum sibi esse videbatur; sed infirmitate correptus et poenitens, simulque de sua incredulitate dictisque deplorans, dum veniam a sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum eiusdem Sancti deosculans, confestim a tremore et inflatione capitis liberatus evasit, sensitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu suavitatis odorem: qui odor cum ipsius curati capitio, personaeque ex tactu manus eiusdem per magnum tempus inhaereret, multis eumdem postmodum percipientibus, sciscitantibusque, quid esset, hoc signo narrare, quod acciderat (etsi nolens) miraculum cogebatur.

Loquela privatus,

§ 13. Notarius quidam, dum ad mensam sanus accederet, surgens ab illa gravi squinantiae infirmitate correptus est. Duobus diebus propterea linguam movere non potuit et loquelam amisit. Cumque multa medicorum remedia, ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodessent, immo de illo desperarent, ad Sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum eius deferretur, quam lingua non valebat, manus suae scriptura deprompsit. Verum, cum illuc, repugnante uxore sua (quia mulieribus praefati monasterii Ecclesiam ingredi non liceret) nequaquam duceretur, ipse sic infirmus advertens infra se ipsum, eidem beato viro, se ut liberaret, affectuosius commendavit. Coepit ex tunc linguam ducere, meliorari et convalere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit.

Febre quotidiana detentus,

§ 14. Dum alius quidam per septem hebdomadas et ultra febre quotidiana, malo hepatis et stomachi affligeretur, quadam die Veneris, cum peius haberet, auditis quibusdam miraculis, quae per virum Dei facta esse dicebantur, cum se ad ipsum devotius sequenti die sabbati de sero, uxoris suae suasibus, eaque praesente, devovisset, die dominica proximo in mane se a praefatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

Mulier surditate,

§ 15. Mulier quaedam, cum filium suum duorum mensium decumbentem, periclitari non immerito formidaret, pro eo praesertim, quod per menses quatuor ex surditate adeo gravata esset, ut decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, viri sui inductione, qui moestus una cum illa communis filii periculo condolebat, praedicto viro Dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet, obnoxius devovit, emissoque voto, cum nocte secura dormisset, in crastino se liberatam Sancti meritis reperit, ut optabat.

Puella squinantia,

§ 16. Puella gutturis sui fauces squinantiae (1) habens infirmitate constrictas in tantum, ut nec quid sumere solidum aut liquidum valeret, et anhelitus sibi meatus, ut vix respirare posset, includeretur: dum devote se beato viro a matre persuasa commendaret, ductaque foret in crastinum ad dictum monasterium Fossae Novae, superpositis gutturi suo dicti viri sancti ex reliquiis in quadam capsa delatis, confestim melioratam se sensit, panem comedit, perfecteque sanata rediit.

Conversus quidam monasterii Fossae Novae brachii acerrimo dolore afflictus,

§ 17. Quidam praefati monasterii Fossae Novae conversus, adeo gravem in brachio dextro et spatula dolorem patiebatur, ut ipsum brachium quod per trium mensium cum dimidio spacium detulerat suspensum ad collum, ei esset inutile, dolore praesertim vehementer afflictum. Quod cum requisitum medicorum remedium non haberet et amplius dolore gravaretur, dum dicto Sancto pro sua liberatione, se quodam emisso voto, commendasset, seque supra eius tumulum posuisset, ibidem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti monasterii monaco, brachio, quod linteo prius habebat incumbens, collo adhuc de-

(1) Squinantia, *angina* (Ducange).

pendenti, extractum ab eo reperit, excitatorumque a somno more, dum ambas manus capiti suo, ut ipsum scalperet, apposuisset, se liberatum intellexit, ac astantibus, quod notum fuerat, miraculum revelavit.

Infans habens in crure tumorem sanitati restituti.

§ 18. Infans quidam quatuor annorum tumorem et ruborem in costis et crure usque ad pedem patiebatur, adeo afflictivum, ut nec a matre sua vel alio sine laesione et clamore suo aliquatenus tangi potuisset. Movere se non poterat, per mensem in tanto dolore et in anxietate fuit; a medicis spes curationis eius sine incisione pueruli non inveniebatur, illaque (si fieret) perpetuo eum in persona futurum impeditum moestis amaritudine mentibus nunciabat. Deficiente natura, artisque suffragio non invento, recursum est ad Deum, qui gloriosus est in Sanctis suis, faciens prodigia. Nam mater infantuli, quae ipsum diligebat ut mater, eum B. Thomae devotius commendavit, ut a dicta infirmitate sine incisione suis meritis liberaret. Delatus est puer ad monasterium, positus super tumulum Sancti, post aliquantulam moram sanus inde surrexit.

Ex iis itaque credendum B. Thomam in coelis esse.

§ 19. Haec sunt igitur testimonia tua, Deus, quae de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est, quo animam enim coelum possidere iam credimus, intercessorem ipsum expectamus, ac inter sanctorum agmina, quasi stellam matutinam, eum fidimus esse locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Iesu, nutris, spem erigis, dilectionis caritatem accendis. Laetetur itaque mater Ecclesia, exultet Italia, parens Campania iucundetur, Praedicatorum sacer ordo iam iubilet, religiosorum devotio concrepet, doctorum turba complaudat, animentur ad studia iuvenes, provecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, provecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad praecepta et legem vitae et disciplinae; et sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiae aperuit os eius: et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus; stolam gloriae induit eum. Nam veritas (quae est Christus) ipsa veris, non fictis doctoribus pollicetur: Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Quamvis Ipse verus institiae Sol stellarum illustratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipso, clarescat. Habitat enim lucem inaccessibilem, Qui est splendor gloriae et figura substantiae eius, idcirco tenebris non obscuratur, ut deficiat, aut nebulis offuscatur, ut suae claritatis radios non diffundat.

Miraculisque eius, et sanctitate vitae diligenti perquisitis examine, Ss. Confessorum albo adscribitur;

§ 20. Caeterum, quia rationis ordo depostulat, ut triumphantem in coelis Ecclesiam devota in terris militans subsequatur, illum veneratione praecipua percolat, quem in coelestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscitur.

§ 21. Nos de sanctitate vitae, ac miraculorum veritate confessoris eiusdem non semel tantum, sed primo et secundo; non festine, sed mature inquiri fecimus; et per nos etiam et fratres nostros, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, inquisitionem huiusmodi exacta discussione examinavimus diligenter, ut tanto firmius, quanto maturius, tanto certius, quanto disquisitius inquisitum et examinatum existeret, in sic arduo difficilique negotio procedere valeremus. Difficile namque extimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore; quae autem in coelis sunt, quis investigabit? Cumque per huiusmodi nostram et eorumdem fratrum nostrorum examinationem solicitam et solicitudinem examinatam, vitam eius sanctam et miracula vera eius meritis facta, probata esse constiterit; et supplicantibus nobis idipsum humiliter et devote multis tunc praelatis apud Sedem Apostolicam existentibus, de dictorum fratrum nostrorum consilio et as-

sensu, auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, ac nostra, eum sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum.

Eius celebranda festivitas.

§ 22. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta praecipiendo mandantes, quatenus nonis martii festum Confessoris eiusdem devote ac solemniter celebretis, et faciatis a vestris subditis veneratione debita celebrari, ut pia eius intercessione et hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

Proposita eius sepulchrum visitantibus indulgentia.

§ 23. Ut autem ad venerabile eius sepulchrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebris eiusdem Confessoris colatur festivitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et eorumdem beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad praedictum sepulchrum infra septem dies, festum ipsum immediate sequentes, centum dies de iniuncta sibi poenitentia relaxamus.

Dat. Avinione 15 kal. aug., pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 iulii 1323, pontif. anno VII.

---

## XXXV.

*Iurisdictionis pars quaedam, nonnullique redditus, spectantes ad Ecclesiam Avenionen. in castris Pontis Sorgiae et de Interaquis ab ea separati Romanae Ecclesiae et comitatui Venaisino uniuntur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Ad tollendas incommoditates et dissensiones capitulum Avenionen. Papae supplicat, ut iurisdictionis partem, nonnullosque redditus Romanae Ecclesiae uniat, Avenionensi data compensatione. — 2. Votis annuit Ioannes. — 3. Literae supplices capituli Avenionen. Pontifici datae. — Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Dum a nobis, quod iustum est, petitur et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem nostri officii ad debitum perducatur effectum.

Ad tollendas incommoditates et dissensiones capitulum Avenionen. Papae supplicat, ut iurisdictionis partem, nonnullosque redditus Romanae Ecclesiae uniat, Avenion. data compensatione.

§ 1. Sane dilecti filii, Geraldus praepositus et capitulum Ecclesiae Avinionen. ordinis Sancti Augustini, attendentes, quod certi redditus et proventus, quos episcopus Avinionen., qui est pro tempore, in castris de Pontesorgiae et de Interaquis, ad Romanam Ecclesiam spectantibus, nomine Ecclesiae praedictae Avinionen. habere noscitur, ac certa pars iurisdictionis eiusdem castri de Interaquis, eiusque pertinentiarum, ad eosdem episcopum et Ecclesiam pertinens, propter periculosas dissentiones, quae inter gentes et officiales Romanae et Avenionen. Ecclesiarum praedictarum, praetextu regiminis dictae partis iurisdictionis, et perceptionis reddituum et proventuum praedictorum, saepe contingunt, parum aut nihil utilitatis, sed potius incommoditates varias afferunt et attulerunt hactenus episcopo et Ecclesiae memoratis; nobis humiliter et unanimiter supplicarunt, ut pro honore et utilitate praedictae Avinionen. Ecclesiae partem iurisdictionis ac redditus et proventus praedictos, in quibuscumque consistant, ab Ecclesia Avinionen. et mensa episcopali eiusdem separare, praefataeque Romanae Ecclesiae et castris praedictis unire et incorporare perpetuo, et eidem Avinionen. Ecclesiae pro praedictis praestari facere condecentem recompensationem in aliis dignaremur, prout in literis patentibus super hoc confectis, dictorum prae-

positi et capituli sigillis munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur.

Votis annuit Ioannes.

§ 2. Nos autem praedictae Avinionen. Ecclesiae, quam amoris privilegio complectimur specialis, periculis et incommoditatibus obviare, providereque utilitatibus paternae sollicitudinis studiis cupientes, ac volentes ipsorum praepositi et capituli votis et supplicationibus annuere favorabiliter in hac parte, praedictae iurisdictionis partem, ac redditus et proventus praedictos, in quibuscumque consistant, ab Ecclesia Avinionen. praedicta et ipsius mensa episcopali separantes omnino, eidem Romanae Ecclesiae et castris praedictis auctoritate apostolica et ex certa scientia incorporamus, perpetuo adnectimus et unimus. Et licet memoratae Avenionen. Ecclesiae hactenus contulimus et applicavimus multa bona, nihilominus tamen de recompensatione decenti propter hoc eidem intendimus providere, prout loco et tempore congruis videbimus opportunum.

Literae supplices capituli Avenion. Pontifici datae.

§ 3. Tenor vero literarum praedictarum talis est: Sanctissimo in Christo patri ac domino nostro domino Ioanni, divina providentia sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae Summo Pontifici, sui devoti et humiles filii, Geraldus praepositus et capitulum Ecclesiae Avinionen. devota pedum oscula beatorum. Quia nostram Avinionen. Ecclesiam, quam in sponsam divinae dispensationis providentia, dum ageretis in minoribus, habuistis, et adhuc sub vestri specialis regiminis facitis custodia gubernari, vos prospicimus prosequi praecipui praerogativa favoris, pro eiusdem Ecclesiae opportunitatibus ad vestram beatitudinem tanto duximus maiori confidentia recurrendum, quanto speramus apud vestrae magnitudinem sanctitatis super illis audiri benignius et favorabilius exaudiri. Sane vestrae sanctitatis clementiam volumus non latere, quod certi redditus et proventus, quos habet episcopus Avinionen., qui est pro tempore, in castris Pontis Sorgiae et de Interaquis, in comitatu Venaisino ad vos et Romanam Ecclesiam pertinente, consistentibus, et certa iurisdictionis pars, quam obtinet in castro de Interaquis praedicto, propter periculosas dissentiones, quae inter gentes dicti comitatus et praefatae Avinionen. Ecclesiae invicem super regimine et perceptione praedictorum contingere consueverint, interdum parum utilitatis afferunt episcopo et Ecclesiae Avinionen. praedictis: quamobrem, diligenti deliberatione praehabita ac interveniente consensu unanimi et concordi, vestrae sanctitati humiliter supplicamus, quatenus pro honore et utilitate dictae Avinionen. Ecclesiae dictos redditus et proventus, ac partem iurisdictionis praedictae, in quibuscumque consistant, Romanae Ecclesiae et castris praedictis incorporare auctoritate apostolica dignemini perpetuo et unire, et a mensa episcopali dictae Avinionen. Ecclesiae perenniter separare. Dignetur etiam vestra sanctitas Ecclesiae praelibatae in aliis compensationem praestari facere condecentem, sicut vestrae placuerit sanctitati: nos enim ex unioni de praedictis a mensa episcopali dictae Avinionen. Ecclesiae, et unioni ac incorporationi dictis castris et comitatui faciendis, melioribus iure, modo et forma, quibus possumus, assensum nostrum ex nunc tenore praesentium impartimur. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes literas fieri fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari.

Datum Avinione, die undecima mensis novembris anno Domini MCCCXXII.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum incorporationis, annexionis et unionis infringere *etc.*

Datum Avenioni, kalendis ianuarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 ianuarii 1324, pont. anno VIII.

## XXXVI.

*Approbatio congregationis monacorum B. Mariae Montis Oliveti ordinis S. Benedicti.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Congregationem hanc sub apost. recipiens protectione, bona omnia ei confirmat. — 2. Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, conventui monasterii S. Mariae de Monte Oliveto in Accona ordinis S. Benedicti Aretin. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium

Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Congregationem hanc sub apost. recipiens protectione, bona omnia ei confirmat.

§ 1. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, praestante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem, decimas, grancias, curtes, terras, vineas, domos, prata, nemora, possessiones et alia bona vestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, salva in praedictis decimis moderatione concilii generalis.

Clausulae.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenioni 16 kal. iunii, pont. nostri anno VIII.

Dat. die 17 maii 1324, pontif. anno VIII.

## XXXVII.

*Quod regulares cuiuscumque ordinis ad partes infidelium se conferre, ibique verbum Dei praedicare absque superiorum suorum licentia speciali minime possint* (1).

SUMMARIUM

Fraticelli Orientem suis haeresibus inficiunt. — 1. Vetiti monachi Orientem petere sine licentia superiorum, quibus idoneis tantum eam concedere iniungitur: intentato iis anathemate, qui contra haec tendunt. — 2. Dantur praesulibus imperia, ut monachos sine dicta singrapha praedicantes, vel aliquid contra religionem effutientes debitis coerceant poenis. — 3. Obstantium derogatio.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Fraticelli Orientem suis haeresibus inficiunt.

Ad nostrum nuper relatio fide digna perduxit auditum, quod nonnulli religionis gestantes habitum, sed et virtute religionis omnino vacui, et modestia penitus alieni, ad partes quandoque infidelium se transferunt, in quibus pauci fideles respectu infidelium commorantur; et ut ibidem facilius decipere simplicium animos, ac ipsos et alios in errores praecipitare seu retinere valeant, sub ovina veste ac humilitatis habitu lupinum animum occultantes, doctrinas suas reprobas et erroneas, quibus fidelium mentes, quantum in eis est, corrumpere satagunt, in ipsis partibus periculose nimium spargere non omittunt; nec non et os suum ponentes in coelum, lingua eorum transeunte falsidica super terram, sanctae Romanae Ecclesiae detrahere constitutionibus, et alia multa a fide devia in suis sermonibus et secretis collocutionibus evomere insanis ausibus non verentur; ex quibus Deus offenditur, periculosa suscitantur scandala, paratur simplicibus laqueus, ipsique talium praesumptores de haeresi vehementer argu-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. Consule Raynaldum ad annum 1325, § 26.

unt se suspectos; immo ex iis vere fore haeretici comprobantur.

Vetiti monachi Orientem petere sine licentia superiorum, quibus idoneis tantum eam concedere iniungitur: intentato iis anathemate, qui contra haec tendunt.

§ 1. Nos itaque, tantis obviare periculis paternae diligentiae studiis cupientes, universis et singulis religiosis cuiuscumque religionis, ordinis, status vel conditionis existant, de fratrum nostrorum consilio districtius auctoritate praesentium inhibemus, ne ipsorum aliquis absque superioris sui ordinis licentia sibi per ipsius literas patentes concessa, de caetero ad partes se transferat antedictas: superioribus ipsis nihilominus iniungentes ne quibusvis sui ordinis fratribus, nisi dumtaxat viris literatis, providis et expertis huiusmodi licentiam impertiri praesumant. Nos enim quoscumque scienter, super quo eorum conscientias oneramus, praesumentes contrarium quovis modo excommunicationis subiacere sententiae volumus et decernimus ipso facto, a qua nullus ab alio, quam a Romano Pontifice possit, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere.

Dantur praesulibus imperia, ut monachos sine dicta singrapha praedicantes, vel aliquid contra religionem effutientes debitis coerceant poenis.

§ 2. Caeterum universis Ecclesiarum praelatis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo praesentium tenore mandamus, quatenus nullos religiosos ad partes se transferentes praedictas, nisi per patentes superioris sui ordinis literas de licentia speciali, se illuc transferendi sibi concessa, praelatis eisdem fecerint plenam fidem, in suis civitatibus et dioecesibus ac terris et locis aliis ad praedicationis officium vel divinorum celebrationem admittant: sed ipsos potius velut apostatas capiant, seu capi faciant; eos carcerali custodia, donec de dicta licentia modo praedicto sibi constiterit, detinendo. Et nihilominus, si quos religiosos approbare, quae Sedes reprobavit Apostolica, vel quae alias sint fidei obvia, in suis praedicationibus seu secretis collocutionibus dogmatizare praesumpserint, ut tales, quibuscumque cessantibus privilegiis, possint auctoritate apostolica licite capere, et carcerali custodiae, sicut suos possent subditos, mancipare, licentiam impertimur: et insuper tenore praesentium mandamus eisdem, ut de praemissis summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu iudicii et figura per se vel alium seu alios se solerter et fideliter studeant informare: quosque de praedictis, seu eorum aliquo, repererint reos esse, iuxta statuta canonum in aliorum exemplum castigare poenis debitis non postponant.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus exemptionis et quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis, gratiis et literis apostolicis, eisdem religiosis vel eorum ordinibus communiter vel divisim sub quacumque forma vel expressione verborum ab eadem Sede concessis vel imposterum concedendis; etiamsi de illis plena et expressa mentio ac de verbo ad verbum in praesentibus sit habenda, quae quantum ad praedicta vel aliquod eorumdem eisdem in nullo volumus suffragari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis, mandatorum, voluntatum, constitutionis et concessionis infringere *etc.*

Datum Avenione sexto idus maii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 10 maii 1325, pontif. anno IX.

---

## XXXVIII.

*Revocatio concessionum de percipiendis fructibus in absentia in Ecclesiis quibuscumque Urbis, cardinalibus dumtaxat exceptis* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 2. Ab hac lege cardinales excipiuntur.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Licet cunctarum orbis Ecclesiarum curam gerere vigilem ex apostolicae ser-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. Consule Raynaldum ad annum 1325, § 26.

vitutis officio teneamur; venerabiles tamen, famaque celebres Urbis Romanae patriarchales, et fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus intitulatas vel commendatas et alias collegiatas eiusdem Urbis Ecclesias, nec non basilicam Sancti Laurentii in palatio Lateranensi, quae Sancta Sanctorum vulgariter nuncupatur, et capellas dictae Urbis, tam nobis immediate, quam eiusdem cardinalibus ratione titulorum vel cardinalatuum suorum vel commendatarum eis Ecclesiarum, subiectas, eo specialius et vigilantius opportunis favoribus prosequi, et praerogativa tenemur attollere privilegii singularis; quo eædem patriarchales et aliae praefatae Urbis Ecclesiae maiorum donorum excellentia coruscantes, multorum Sanctorum sunt rubricatae martyriis, et eorum gloriosis reliquiis decoratae.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 1. Ut igitur in eisdem patriarchalibus et aliis praefatis eiusdem Urbis Ecclesiis ac basilica Sancti Laurentii et capellis praedictis, devotius et solemnius divinis laudibus insistatur, nec per indulgentias praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, atque nostras, multis concessas, de percipiendis in eorum absentia fructibus beneficiorum suorum, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, cultus divinus minuatur in eis, vel alias eædem Ecclesiae praegraventur, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio ordinamus atque statuimus, quod deinceps omnes et singulae indulgentiae dictorum praedecessorum, et nostrae, sive cardinalibus sanctae Romanae Ecclesiae, seu regibus et principibus pro clericis domesticis familiaribus eorumdem, sive personis aliis quibuscumque, vel generalibus Studiis, generali tamen Studio Romanae Urbis dumtaxat excepto, cuius per hoc privilegiis seu indultis ei ab eadem Sede concessis, nolumus in aliquo derogari, perpetuo vel ad tempus concessae vel imposterum concedendae super percipiendis fructibus in absentia in Romana Curia vel alio certo loco, vel etiam ubicumque ad patriarchales vel alias eiusdem Urbis, quae presbyterales vel diaconales cardinalatus existunt, nec non collegiatas Ecclesias, basilicam et capellas praedictas, nullatenus extendantur: omnes processus iam habitos et sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti, forsitan iam prolatas contra ordinationem et statutum huiusmodi, apostolica vel alia quavis auctoritate, in quantum processus huiusmodi et sententiae, quoad suum obtinendum effectum, futurum tempus respiciunt vel quos imposterum haberi seu proferri contigerit, decernentes irritos et inanes.

Ab hac lege cardinales excipiuntur.

§ 2. Praesentem autem constitutionem extendi nolumus ad indulgentias vel alia iura, quae in eisdem patriarchalibus et aliis praefatis Urbis Ecclesiis ac basilica Sancti Laurentii et capellis praedictis, personas contingunt vel respiciunt cardinalium praedictorum, quibus in nullo per constitutionem praesentem, quoad iura eis competentia ex speciali privilegio, consuetudine, seu alio quovis iure, volumus derogari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum ordinationis, statuti, constitutionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Avenioni nonis iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 iunii 1325, pontif. anno IX.

---

## XXXIX.

*Erectio episcopatus Cortonen. in Ecclesia Sancti Vincentii eiusdem civitatis cum exemptione a iurisdictione Ecclesiae Aretinae (1).*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae huiusce erigendi episcopatus. — Terra Cortonen. a subiectione episcopi Aretini liberatur, et in

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

civitatem erigitur: — Ecclesia vero S. Vincentii ibidem sita cathedralis titulo insignitur: — 2. Et a iure et dominio monasterii Sanctae Florae Aretin. eximitur. — 3. Novo episcopatui iura omnia et bona applicantur, quae in civitate Cortonen., eiusque territorio, et in Ecclesia S. Vincentii episcopis Aretinis competebant. — 4. Pacta quaelibet cum episcopo Aretino inita resolvenda pecunia qualibet, vel alias, irritantur, *etc.* — 5. Poenae contra quid in contrarium attentantes.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Vigilis speculatoris officium super gregem dominicum, nostrae vigilantiae creditum, exercere utiliter cupientes, circa illa potissime intentum dirigimus animum, curamque solicitam adhibemus, per quae divini cultus augumentum, exaltatio catholicae fidei et commoda salutis proveniant animabus.

Causae huiusce erigendi episcopatus.

§ 1. Sane iamdudum multorum fide dignis relatibus plenius informati, quod universitas Cortonae, quae hactenus de Aretina dioecesi existebat, sinistrae partis non declinat in devium, nec suam ponit cum indevotis eiusdem Ecclesiae portionem, sed prono et prompto animo in eiusdem Ecclesiae obsequium totaliter se exponit; quodque praesules Ecclesiae Aretin., qui fuerunt pro tempore, raro dictum locum Cortonae visitarunt, nec circa illum curam pastoralis curaverunt officii exercere; et quod eadem Ecclesia in proventibus et redditibus annuis sic affluit abundanter, eiusque dioecesis adeo diffusa existit, quod, exempto dicto loco Cortonae cum suo territorio, redditus et (1) dioecesis eiusdem Aretinae Ecclesiae sufficiunt abundanter: considerantesque attentius, quod eadem terra Cortonae est locus nobilis et insignis, latum et magnum habens territorium et districtum, gregemque fidelium tam infra moenia dictae terrae, quam extra, foecundum et plurimum copiosum; quodque praefata universitas per speciales suos procuratores et nuntios multas et diversas rationabiles causas coram nobis fecerunt exponi, quae rectae meditationis examine in libra praesidentis appensae, iuste debebant et poterant ad concedendum eisdem cathedram pastoralem Romani Pontificis animum inclinare: eorum, qui proprium habere Pontificem in eadem terra desiderant, supplicationibus annuentes, ad Dei laudem et gloriam et exaltationem eiusdem catholicae fidei, et divini cultus augumentum, eamdem terram Cortonae, quam una cum toto suo territorio et districtu ab omni iurisdictione spirituali et temporali tam Ecclesiae Aretinae, quam quorumlibet episcoporum et capitulorum et aliarum personarum ecclesiasticarum saecularium et regularium, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis existant, auctoritate apostolica prorsus eximimus, et totaliter liberamus, de fratrum nostrorum consilio et assensu et apostolicae plenitudine potestatis in civitatem erigimus, et civitatis vocabulo insignimus: auctoritate apostolica decernentes, ut Ecclesia Sancti Vincentii, sita in dicta civitate Cortonae, quae hactenus monasterio Sanctae Florae Aretin. ordinis sancti Benedicti erat pleno iure subiecta et per ipsius monasterii monacos fuerat solita gubernari, sit de caetero et habeatur perpetuo eiusdem civitatis Ecclesia cathedralis.

Terra Cortonen. a subiectione episcopi Aretini liberatur, et in civitatem erigitur:

Ecclesia vero S. Vincentii ibidem sita cathedralis titulo insignitur:

Et a iure et dominio monasterii Sanctae Florae Aretin. eximitur.

§ 2. Quam quidem Ecclesiam Sancti Vincentii cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ab omni iurisdictione, potestate, iure et dominio episcopi et Ecclesiae Aretinae ac ipsius monasterii, auctoritate praedicta prorsus eximimus et plenarie liberamus: eamque ad censum aliquem seu praestationem aut servitium vel subiectionem quamcumque dilectis filiis abbati et conventui dicti monasterii, eorumque successoribus, necnon praefato monasterio, volumus et decernimus in antea non teneri: eidem cathedrali Ec-

(1) Deest aliquid, forsan *proventus*.

clesiae territorium et districtum praedicta pro dioecesi auctoritate praedicta in perpetuum assignantes.

Novo episcopatui iura omnia et bona applicantur, quae in civitate Cortonen., eiusque territorio, et in Ecclesia S. Vincentii episcopis Aretinis competebant.

§ 3. Concedimus quoque ex nunc auctoritate praefata et donamus, deputamus, et etiam applicamus mensae episcopali et capitulo Cortonen. omnia bona mobilia et immobilia, domos, aedificia et possessiones, redditus et proventus, pensiones et census, iurisdictiones et iura quaecumque spiritualia et temporalia, quocumque nomine censeantur et in quibuscumque locis et rebus consistant, quae episcopi, qui fuerunt pro tempore, et Ecclesia Aretina hactenus in dicta civitate Cortonae, eiusque territorio et districtu habuerunt vel ad eos quomodolibet competere potuerunt: ita quod praedicta bona et iura universa et singula ad praefatam Ecclesiam Cortonen. et episcopalem mensam ipsius et capituli, iuxta nostrae ordinationis tenorem, perpetuis futuris temporibus debeant pertinere: iura omnia superioritatis et alia quaelibet, quae in civitate praedicta, Ecclesiis, ecclesiasticisque locis et personis et incolis, pertinentiis et districtu eiusdem Ecclesia Aretina et eius capitulum olim quomodolibet habuerunt, in dictam cathedralem Ecclesiam Cortonen. plenarie transferentes; et illa penes eam plene et integraliter volentes perpetuo remanere: conventiones et pacta dudum habita inter Guidonem, tunc episcopum Aretinum, et commune ac populum civitatis Cortonen., vel quemcumque alium, nomine populi et communis praedictorum, in quibus inter alia dicitur contineri, quod universitas, commune et populus Cortonen. dictas domos, aedificia et alia bona immobilia, iurisdictionem et iura, ad certum tempus nondum completum, pro mille florenis auri anno quolibet praefatis Guidoni tunc episcopo et Ecclesiae Aretin. seu alteri eorum nomine persolvendis, tenere debent; omnemque sententiam seu sententias per episcopum Aretin., qui fuit pro tempore vel eius auctoritate per quemcumque prolatam seu prolatas ob praemissa vel aliquod praemissorum, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, omnemque contractum seu contractus super huiusmodi conventionibus seu obligationibus habitum vel habitos, in personam cuiusquam singularis personae de dicta civitate Aretin., poenarum adiectione et iuramentorum praestatione vallatos, auctoritate apostolica cassantes, irritantes et revocantes omnino, ac ipsos cassos fore et irritos decernentes et nullius prorsus existere firmitatis: instrumenta quoque super dictis contractibus confecta omnino iuribus, quantum ad tempus futurum attinet, vacuamus: ita quod instrumentis eisdem in iudicio vel extra nulla fides debeat adhiberi.

Pacta quaelibet cum episcopo Aretino inita resolvenda pecunia qualibet, vel alias, irritantur. etc.

§ 4. Dictam quoque universitatem et populum Cortonen. et quaslibet singulares personas civitatis Cortonen., eiusque territorii et districtus, necnon fideiussores, si qui super praemissis intervenerunt, et quamlibet aliam specialem vel singularem personam dictis ex causis obligatam, ab omnibus promissionibus, pactibus, conventionibus, obligationibus atque poenis et fideiussionibus super praemissis vel praemissorum occasione factis et habitis, ac praestatione iuramentorum super observantia praedictorum vel alicuius eorum, auctoritate praedicta et de apostolicae plenitudine potestatis totaliter absolvimus et etiam liberamus, et eos ad praedictorum iuramentorum observantiam decernimus non teneri: ita quod propter praemissa pacta vel aliquod praemissorum, per eos vel fideiussores eorum non servata nec completa, a quorum observatione ipsos et haeredes eorum in perpetuum duximus absolvendos, nullam possint poenam incurrere, nec praemissorum occasione aliquatenus conveniri.

Poenae contra quid in contrarium attentantes.

§ 5. Quia vero, quod de civitate ipsa per Apostolicae Sedis providentiam circumspectam factum et ordinatum esse dignoscitur in hac parte, perpetuis futuris temporibus esse volumus valiturum et

robur obtinere incommutabilis firmitatis, auctoritate praedicta districtius inhibemus, ne aliquis cuiuscumque præeminentiae, ordinis, conditionis aut status, etiamsi archiepiscopali vel episcopali seu regia praefulgeat dignitate, huiusmodi ordinationem Sedis eiusdem quovis quaesito colore vel modo, sive causa vel occasione qualibet adinventis, turbare seu quomodolibet impedire praesumat. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hoc per quemcumque, quavis auctoritate, contigerit attentari. Et nihilominus in eos, qui ex certa scientia contrarium quovis modo attentare praesumpserint, excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias promulgamus; a quibus nullus ab alio, quam a Romano Pontifice, absolutionem, suspensionem vel relaxationem, nisi dumtaxat in mortis articulo, ab eadem excommunicationis sententia valeat obtinere. Quod si aliquem in mortis articulo a dicta excommunicationis sententia contingat absolvi, nisi post resumptam convalescentiam, quamcitius commode poterit, apostolico conspectui se praesentet, mandatum Romani Pontificis humiliter super hoc recepturus, volumus et decernimus, licet sit satis a iure provisum, quod in eandem excommunicationis sententiam recidat ipso facto.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionum, liberationum, erectionis, insignitionis, constitutionum, voluntatum, assignationis, concessionis, donationis, deputationis, applicationis, translationis, cassationis, irritationis, revocationis, vacuationis, absolutionis, liberationis, inhibitionis et promulgationis infringere, *etc.*

Datum Avenione, tertio decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 19 iunii 1325, pontif. anno IX.

## XL.

*Contra ineuntes foedera cum haereticis aut alio quovis modo eis faventes.*

SUMMARIUM

Causae condendae legis. — 1. Procedendum contra culpabiles.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Lamberto de ordine fratrum Praedicatorum, inquisitori haereticae pravitatis in inferiori parte Lombardiae, salutem et apostolicam benedictionem.**

Causae condendae legis.

Cum nonnulli de provincia Romandiolae, tam clerici, quam laici, Deum et Romanam matrem Ecclesiam offendere, seque in praecipitium damnationis et mortis immergere non verentes, adeo favere et favisse dicantur damnatis haereticis, confoederationes, ligas et societates ineundo cum ipsis, eosque receptando et sibi praestando multipliciter auxilia, consilia et favores, quod de labe haeresis se reddiderunt et reddunt vehementer suspectos.

Procedendum contra culpabiles.

§ 1. Nos tam ipsorum, quam multorum aliorum periculis, ex praemissis imminentibus, obviare salubriter cupientes: discretioni tuae apostolica auctoritate mandamus, quatenus contra fautores huiusmodi et alios quoslibet de crimine pravitatis haereticae culpabiles vel suspectos, sic solerter secundum formam canonum ac privilegiorum concessorum inquisitionis officio procedere non postponas; quod inde debeat tua diligentia merito commendari.

Dat. Avinione, 12 kal. septemb., pont. nostri anno X.

Dat. die 21 augusti 1326, pont. anno X.

## XLI.

*Contra immolantes daemonibus, aut responsa et auxilia ab eis postulantes; sive tenentes libros de eiusmodi erroribus tractantes.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Daemonibus immolare, superstitiosis insistere, auxilia et responsa

petere interdictum — 2. Sub excommunicationis et corporali quoque poena. — 3. Libros vero et scripturas de huiusmodi flagitiosis tractantes rebus comburi praeceptum.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Super Illius specula, quamvis immeriti, Eius favente clementia, qui primum hominem humani quidem generis protoplastum, terrenis praelatum, divinis virtutibus adornatum, conformem et consimilem imagini suae fecit, revocavit profugum, legem dando; ac demum liberavit captivum, reinvenit perditum, et redemit venditum, merito suae Passionis, ut contemplaremur ex illa super filios hominum, qui christianae religionis cultu Deum intelligunt et requirunt: dolenter advertimus, quod etiam cum nostrorum turbatione viscerum cogitamus, quamplures esse solo nomine christianos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod cum morte foedus ineunt, et pactum faciunt cum inferno: daemonibus namque immolant, hos adorant, fabricant ac fabricari procurant imagines, annulum vel speculum vel phialam vel rem quamcumque aliam magice ad daemones inibi alligandos, ab his petunt responsa, ab his recipiunt, et pro implendis pravis suis desideriis auxilia postulant, pro re foetidissima foetidam exhibent servitutem: proh dolor! huiusmodi morbus pestifer, nunc per mundum solito amplius convalescens, successive gravius inficit Christi gregem.

Daemonibus immolare, superstitiosis insistere, auxilia et responsa petere interdictum

§ 1. Cum igitur, ex debito suscepti pastoralis officii, oves oberrantes per devia teneamur ad caulas Christi reducere, et excludere a grege dominico morbidas, ne alias corrumpant: hoc edicto in perpetuum valituro, de consilio fratrum nostrorum, monemus omnes et singulos renatos fonte baptismatis, in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione anathematis, praecipientes eisdem, quod nullus ipsorum aliquid de perversis dictis dogmatibus docere ac addiscere audeat: vel, quod execrabilius est, quomodolibet alio modo, in aliquo illis uti.

Sub excommunicationis et corporali quoque poena.

§ 2. Et quia dignum est, quod hi, qui per sua opera perversa spernunt Altissimum, poenis suis pro culpis debitis percellantur: nos in omnes et singulos, qui contra nostra saluberrima monita et mandata facere de praedictis quicquam praesumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam ipsos incurrere volumus ipso facto. Statuentes firmiter, quod praeter poenas praedictas, contra tales, qui admoniti de praedictis seu praedictorum aliquo, infra octo dies a monitione computandos praefata, a praefatis non se correxerint, ad infligendas poenas omnes et singulas, praeter bonorum confiscationem dumtaxat, quas de iure merentur haeretici, per suos competentes iudices procedetur.

Libros vero et scripturas de huiusmodi flagitiosis tractantes rebus comburi praeceptum.

§ 3. Verum cum sit expediens, quod ad haec tam nefanda omnis via omnisque occasio praecludatur, de dictorum nostrorum fratrum consilio, universis praecipimus et mandamus, quod nullus eorum libellos, scripturas quascumque ex praefatis damnatis erroribus quicquam continentes, habere aut tenere vel in ipsis studere praesumat; quin potius volumus, et in virtute sanctae obedientiae cunctis praecipimus, quod quicumque de scripturis praefatis vel libellis quicquam habuerint, infra octo dierum spatium ab huiusmodi edicti nostri notitia computandum, totum et in toto et in qualibet sui parte abolere et comburere teneantur: alioquin volumus, quod incurrant sententiam excommunicationis ipso facto, processuri contra contemptores huiusmodi (cum constiterit) ad poenas alias graviores.

Datum Avenione, *etc.*

## XLII.

*Ordinationes observandae ab auditoribus causarum Curiae Romanae, eorumque notariis.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Auditores sine cappa et rocheto non debent incedere: — 2. Sint diligentes. — 3. Causis audiendis debitis horis insistant. — 4. Festa hactenus statuta tantum servent. — 5. Diebus iuridicis, obsequiis cardinalium non incumbant. — 6. Nihil a quoquam recipiant, et coauditorum consilia secreta servent sub statutis poenis. — 7, 8. Iuramentum quod debent singuli S. R. E. vice-cancellario praestare. — 9. Ordo servandus in propositionibus causarum. — 10. Ante definitivam sententiam colligenda omnium vota. — 11. Quatuor habeant tantummodo notarios: — 12. Caveantque, ne hi quid ultra taxam exigant. — 13. Consilium non praestent in causis coram eis cognoscendis. — 14. Auditorum consilia a notariis secreta serventur. — 15. In arduis testes per se examinent auditores. — 16. Notarii diligentes fidelesque sint. — 17. Antequam admittantur debent examinari. — 18. Et huiusmodi praestare iuramentum. — 19. Causas non affectent. — 20. Modestiam servent. — 21. Uni tantum auditori servire debeant. — 22. Concubinam non retineant. — 23. Causarum quae coram suis auditoribus agitantur, patroni non sint, *etc.* — 24. De registris servandis. — 25. Taxa notariorum pro registro. — Taxa pro singula pagina, et numerus linearum: — 26. Pro copiis: — 27. Pro citationibus: — 28. Pro inhibitione: — 29. Pro intimatione: — 30. Pro appellatione: — 31. Pro testium depositionibus: — 32. Pro sententia definitiva et eius instrumento: — 33. Pro interlocutoriis. — 34. Distinctio monetarum. — 35. Cavendum iis, ne prolixiores aequo efficiant scripturas. — 36. Simile iuramentum a notariis caeterorum tribunalium emittendum: — 37. Qui praedicta tenentur observare. — 38. Hae leges in cancellaria registrandae: — 39. Ibique quolibet anno legendae. — 40. Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Ratio iuris exigit, debitum honestatis exposcit et pietatis consideratio persuadet, ut in cunctis dirigendis iudiciis et iustitia ministranda, sint, quoad praesidentes, vigilantia studiosa, venusta modestia, cordium puritas, munditia manuum et consiliorum sanitas requirendae. In personis quoque ad conscribendum acta iudicialia deputatis, sufficientia operosa, fidelitas comprobata, vitae honestas, decentia commendanda, mercedis exactio moderata, benignitas ad pauperes compassiva, sint merito exigendae. Igitur in Romana Curia communi quidem patria, ubi est summum tribunal iudicii divinitus constitutum, et ubi lux et forma iustitiae præeminent et praelucent, haec oportet necessario reperiri. Quare nos, qui, licet immeriti, sumus B. Petri successores, et vice Christi fungimur super terram, cupientes, ut in Apostolico Palatio audientiae causarum, ac in personis ad examinationem et conscriptionem illarum pro tempore ordinatis, habeatur ordinatio limitata, congrua et salubris circa earumdem causarum auditores, ipsorumque notarios scribentes in causis huiusmodi, suadentibus rationabilibus causis, statuta et ordinamenta, quae particulariter et seriatim praesentibus adnotantur, auctoritate apostolica edimus, et ea praecipimus perpetuo futuris temporibus observari.

Auditores sine cappa et rocheto non debent incedere:

§ 1. Statuimus igitur et ordinamus, quod auditores sine cappa et roqueto in loco, ubi residet Curia, in publico non incedant.

Sint diligentes.

§ 2. Item quod praefati auditores earumdem causarum Palatii sint, audiendis et decidendis causis eis commissis et committendis, fortius solito diligentes.

Causis audiendis debitis horis insistant.

§ 3. Item quod auditores praedicti bona hora diebus singulis iuridicis ad Palatium conveniant, et immediate post pulsationem campanae, quae pulsatur ad horam Tertiae in Ecclesia cathedrali, incipiant sedere ad audiendum causas; et dictum Palatium non exeant, donec partes satisfecerint suis terminis coram eis.

§ 4. Item quod iidem auditores illa festa dumtaxat observent, quae hactenus

Festa hactenus statuta tantum servent.

de mandato nostro per audientiam literarum nostrarum ipsos servari debere statuta fuisse noscuntur; et quod de caetero alia festa seu dies alios ex se ipsis vel alias statuere vel observare non praesumant aliquatenus; sed diebus aliis sic paratos se et sollicitos exhibeant in exhibenda iustitia partibus litigantibus coram ipsis, quod ex hoc merito debeant commendari.

Diebus iuridicis, obsequiis cardinalium non incumbant.

§ 5. Item quod illi ex eisdem auditoribus, qui fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium familiares existunt, diebus iuridicis et horis, quibus causae tractabuntur, cardinales non sequantur eosdem nec alibi se occupent, nisi a nobis vel a dictis cardinalibus, quorum familiares, ut praefertur, existunt, specialiter vocarentur.

Nihil a quoquam recipiant et coauditorum consilia secreta servent sub statutis poenis.

§ 6. Item quod auditores per se vel alium seu alios a partibus, coram eis causas habentibus, seu a suis notariis scribentibus coram ipsis vel aliis, pro eisdem seu eorum nomine, nihil nec rem, nec obligationem vel promissionem recipiant; nec etiam pro ipsorum sigillo aut pro rubricis, in causis, in quibus auditores sunt vel fuerint deputati, vel alio quaesito colore quocumque: et quod consilia coauditorum secrete tenere debeant usque post sententiam promulgatam; contrarium vero facientes per unum mensem ab ingressu eiusdem palatii suspendantur. Si autem iterato in eamdem culpam inciderint, priventur perpetuo eorum officio audientiae causarum palatii praelibati.

Iuramentum quod debent singuli S. R. E. vice cancellario praestare.

§ 7. Item quod auditores praedicti, praesentes videlicet, statim post publicationem praesentis ordinationis, posteri vero antequam ad officium admittantur, in manibus vicecancellarii Sanctae Romanae Ecclesiae, nostro et ipsius Ecclesiae nomine, iuramentum praestent in forma, quae sequitur, per haec verba:

§ 8. Ego N. auditor ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, S. R. E. et domino meo D. N. et eiusdem successoribus canonice intrantibus. Non ero in facto, consilio vel consensu, quod vitam perdant, aut membrum vel capiantur mala captione: consilium quod per se vel alium nuncium suum seu literas mihi credituri sunt, signo, verbo vel nutu, me sciente, ad eorum damnum seu praeiudicium nemini pandam: et simpliciter sic sua, quae secreta esse cognovero, servabo secrete, quod nulli personae, de qua credam sibi displicere, si ei revelarem, ipsa manifestabo scienter. Si damnum eorum tractari scivero, pro posse meo impediam, ne fiat eisdem. Si per me impedire non possem, per nuncium vel literas eis significare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Papatum romanum et regalia B. Petri et omnia iura Romanae Ecclesiae, quae habet ubicumque, manutenebo totis viribus et defendam. Negotia et officia, mihi a D. Papa vel domino S. R. E. vicecancellario commissa vel committenda, fideliter geram et sollicite exercebo, et specialiter officium auditorum Sacri Palatii, reddendo iustitiam unicuique. Dona vel munera seu xenia aut obligationem vel promissionem super illis, per me vel alium seu alios a partibus, coram me causas habentibus seu earum aliqua, vel a notariis deputatis ad scribendum coram me acta dictarum causarum vel aliis pro eisdem seu eorum nomine non recipiam; quinimo omnes familiares et officiales meos omni diligentia, qua potero, faciam abstinere. Nec etiam pro sigillo meo, nec pro rubricis faciendis in causis, in quibus sum vel fuero deputatus auditor, nec alio quaesito colore aliquid percipiam, nec a praedictis meis officialibus seu familiaribus recipi permittam. Consilia quoque coauditorum meorum secreta tenebo, usque quo in causa sententia sit prolata. Supradicta omnia et singula promitto et iuro attendere et observare sine omni dolo et fraude. Sic me Deus adiuvet, et Sancta Dei Evangelia.

Ordo servandus in propositionibus causarum.

§ 9. Statuimus et ordinamus, quod auditor eiusdem palatii a tempore suae receptionis antiquior, primitus incipiat

referre suis coauditoribus: et causas, quas audit, si ad hoc paratus existat, inter eos in relationibus ponat, ut est moris. Sicque per consequens alii d. Palatii auditores successive secundum gradum receptionum eorum cuiuslibet similiter referant; et causas, quas audiunt, in relationibus ponant, si ad hoc etiam sint parati. Et quod postquam una causa in relationibus huiusmodi posita fuerit, alia ponatur, quousque partes allegaverint, quae voluerint allegare; non tamen auditores ipsi audire allegationes superfluas adstringantur.

Ante definitivam sententiam colligenda omnium vota.

§ 10. Item quod nullus auditorum ipsius Palatii aliquam definitivam sententiam, quaecumque fuerit seu quamvis interlocutoriam super devolutionibus causarum in Romana Curia tractandarum, si inter partes de ipsa devolutione controversia fuerit vel super admissione vel repulsione articulorum aut super remissione super eisdem articulis aut aliis probationibus extra curiam faciendis, nisi forsan de consensu partium fieret remissio vel admissio supradicta; necnon super restitutione seu revocatione attentatorum, sive innovatorum, lite vel appellatione pendente, sive super appellationibus ab interlocutoria, vel a gravamine interpositis, aut aliam quamcumque interlocutoriam super re, de qua agitur, contra alteram partium finem negotio imponentem, absque relatione publica et consilio coauditorum proferat. Super aliis vero interlocutoriis absque publica relatione, cum consilio coauditorum dictorum, ad eorum prolationem possit procedere, prout hactenus extitit in Palatio laudabiliter observatum. Item quod auditor referens, facta relatione coauditoribus suis, consilia eorumdem diligenter quaerat et eisdem consiliis habitis, dictas causas finire et terminare celeriter teneatur.

Quatuor habeant tantummodo notarios:

§ 11. Item quod quilibet dictorum auditorum notarios intelligentes fideles et honestos habeat, ita quod quatuor notariorum numerum non excedat. Qui quidem notarii per se et non per alios, coram auditoribus ipsis, in causis scribant. Nec dicti auditores committant scribendas alicui alteri notario causas commissas eisdem; nec aliquis dictorum auditorum quemquam in notarium recipiat, qui sit alterius auditoris notarius.

Caveantque, ne hi quid ultra taxam exigant.

§ 12. Item quod praefati auditores provideant diligenter, quod dicti notarii super ipsorum receptione salarii non excedant, nec aliquid ultra recipiant, nisi prout est descriptum, taxatum et etiam ordinatum. Item quod si aliqui sint vel fuerint, qui ob paupertatem nequeant acta redimere suae causae, auditores suos compellant notarios scribentes in actis eisdem ad restituendum gratis huiusmodi actorum copiam parti, solvere (ut praemittitur) nequeunti, si auditori causae illius paupertas notabilis videatur.

Consilium non praestent in causis coram eis cognoscendis.

§ 13. Item quod nullus eorumdem auditorum in causis, quae sunt in dicto Palatio, vel in brevi sperantur existere, consilium nec per se, nec per interpositam personam partibus praebeat, nec aliquod patrocinium praestet, nisi causae propriae vel suorum usque ad tertium gradum consanguinitatis, vel dominorum aut familiarium suorum, seu Ecclesiarum, in quibus beneficiatus foret, existerent. Et in praemissis ultimis casibus ad coauditorum suorum consilia minime admittatur; quodque hoc revelare teneatur, si existeret id occultum. Item quod nullus auditorum ipsorum causam recipiat audiendam, si committatur eidem, in qua consilium dederit, sed ad cancellariam ipsam incontinenti remittat alteri committendam.

Auditorum consilia a notariis secreta serventur.

§ 14. Item quod eorumdem auditorum consilia, quae praebentur in causis, scribantur per notarium illius causae, in qua huiusmodi consilia impenduntur, et secreta causarum et consiliorum eorumdem, tam per ipsos auditores dictarum causarum, quam per notarium in eis scribentem sub sigillo credentiae teneantur.

In arduis testes per se examinent auditores.

§ 15. Item quod quando testes sint vel fuerint in curia examinandi in causis, quae in palatio ventilantur, in punctis arduis eosdem testes per se dicti examinent auditores.

Notarii diligentes fidelesque sint.

§ 16. De supradictis quoque notariis eorumdem auditorum scribentibus in causis illis commissis, similiter statuendo et ordinando subiungimus, quod diligentes et attenti existant in commisso eis officio notarii praelibato, ac fideliter et sollicite scribant et exerceant officium antedictum, et quod a partibus, vel aliquo alio earum nomine, nihil recipiant, prout est infra descriptum, taxatum et etiam ordinatum. Contrarium vero facientes duplum restituere teneantur.

Antequam admittantur, debent examinari,

§ 17. Item quod nullus eorumdem notariorum in eodem palatio scribat in causis coram aliquo ipsius Palatii auditore, nisi primo per vicecancellarium vel alium de eius speciali mandato, de literatura ac scriptura sufficienti ad huiusmodi notariatus officium exercendum examinatus; ac de vita et conversatione ipsius informatione recepta, necnon approbatus fuerit per eumdem; ac etiam iuramentum in manu vicecancellarii praestiterit in hac forma:

Et huiusmodi praestare iuramentum.

§ 18. Ego N. notarius N. auditoris, commissum mihi officium sollicite et fideliter exercebo. A partibus, causas habentibus vel habituris, in quibus sum vel fuero notarius deputatus, vel ab earum aliqua, seu a quocumque alio, earum nomine quovis colore seu modo quaesito, nihil recipiam, ultra taxationem per SS. D. N. D. Ioannem XXII Summum Pontificem super hoc ordinatam. Nullam causam mihi committi procurabo scribendam, nec adhibebo instantiam aliquam in hac parte. Non ero promotor seu procurator in causis, quae coram auditore meo agitantur, seu quas agitari continget. In causis praedictis, in quibus sum vel fuero, ut praefertur, notarius deputatus, omnes actus iudiciarios substantialiter in manuali seu memoriali, in auditoris mei praesentia et etiam partium, si hoc expectare voluerint, conscribam, et postquam illos conscripsero, eos necnon instrumenta et omnia alia et singula in causis producta, ubi requisitus ab auditore vel partibus, seu earum aliqua fuero, in registrum fideliter redigam vel redigi faciam requisitus ab eisdem partibus, vel earum aliqua in singulis terminis successive; et partibus ipsis copiam, cum per auditorem decreta fuerit, sine difficultate et fraude quacumque faciam, salvo meo salario per ipsum dominum Summum Pontificem moderato. Secreta causae secrete tenebo, et praesertim consilia auditorum et sententiam, donec ipsa sit prolata. Supradicta omnia et singula promitto et iuro attendere et servare, sine omni dolo et fraude; sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Causas non affectent.

§ 19. Item statuimus et etiam ordinamus, quod nullus notariorum ipsorum causam aliquam sibi committi scribendam, per se vel alium procuret, seu adhibeat instantiam in hac parte.

Modestiam servent.

§ 20. Item quod dicti notarii omnem modestiam, honestatem in omnibus studeant observare.

Uni tantum auditori servire debeant.

§ 21. Quodque nullus eorumdem notariorum, qui per aliquem dictorum auditorum in notarium receptus extiterit, alterius auditoris notarius esse valeat, quamdiu erit primi auditoris notarius.

Concubinam non retineant.

§ 22. Item quod nullus notariorum ipsorum concubinam tenere praesumat, et si quis eorum ad praesens teneret aliquam, eam dimittere teneatur. Si vero infra octo dies post publicationem statuti et ordinationis praesentis, ipsam non dimiserit, illam vel aliam deinceps minime resumpturus, et deinceps ipse vel alii reperti fuerint aliquam tenere, ab officio notariatus in dicto palatio exercendo perpetuo sint privati.

Causarum quae coram suis auditoribus agitantur, patroni non sint, etc.

§ 23. Item quod praefati notarii, promotores seu procuratores in causis, quae coram auditore suo agitantur, in dicto palatio non existant. Item quod nullus

notarius alicuius auditoris deinceps audeat scribere, vel praesumat in causa, si alterius partium dictae causae in audientia literarum contradictarum, vel in palatio apostolico, seu Romana Curia procurator vel promotor negotiorum, seu pensionarius quoquomodo fuerit vel existat. Sed si ex ignorantia contingeret auditorem aliquam vel aliquas causam seu causas alicui tali notario committere ad scribendum, statim notarius huiusmodi causam seu commissionem in manibus dicti auditoris restituat. Contrarium faciens per annum ab officio notariatus in palatio exercendo sit eo ipso privatus.

De registris servandis.

§ 24. Item praefati registrum cuiuscumque causae, in qua notarii deputati existunt, cum manuali suo et productis originalibus, antequam registrum auditori exhibeant et copias in publicam formam seu in simplicem scripturam redactas, cum eodem registro, antequam partibus tradant, diligenter auscultent, et alias sic perfecte videant et corrigant diligenter, quod per eorum incuriam negligentiam vel alias nihil de substantialibus omittatur, seu damnum aliquod patiatur aliqua partium earumdem; nec in favorem vel praeiudicium unius partium praemissa complere differant vel postponant. Item quod iam dicti notarii omnes actus iudiciarios clare, distincte et substantialiter in manuali seu memoriali, in auditoris causae, in qua scribunt, praesentia, et partium, si expectare voluerint, conscribere non postponant. Et postquam illos conscripserint, in registrum fideliter redigant vel redigi faciant; et requisiti ab ipsis partibus vel earum aliqua, in singulis terminis, partibus eisdem copiam, cum per dictum auditorem decreta fuerit, sine difficultate et fraude quacumque faciant, salvo suo iusto salario inferius moderato. Item quod iidem notarii in registro illius causae, in qua scribunt, ut praedicitur, omnes sententias definitivas et interlocutorias ac inhibitiones, necnon intimationes et appellationes verbo vel in scriptis emissas, ex integro de verbo ad verbum conscribant, cum per partem vel partes seu auditorem ipsius causae fuerint requisiti. Item quod instrumenta et alia per partes producta diligenter registrent vel registrari faciant notarii memorati. Acta vero in partibus habita minime registrent, sed conserventur per illius causae notarium diligenter, nisi partes vel earum altera, illa peterent registrari; pars vero haec petens de registro satisfacere teneatur. Item quod notarii, quos interdum perpetuo, et interdum ad tempus de curia absentari contigerit, omnia registra, acta et producta causarum, in quibus erant notarii deputati, illi videlicet, qui animo non redeundi recedunt, alicui alteri notario idoneo iurato, examinato et approbato ut supra, subrogando loco ipsius; ille vero qui ad tempus abesse voluerit, uni ex aliis notariis auditoris sui, de ipsius auditoris licentia et scientia tradere et ponere teneatur: qui notarius depositarius, in praedictis eidem se absentanti commissis pro eodem absente scribat fideliter et suppleat eius vices.

Taxa notariorum pro registro.

§ 25. Caeterum quia optat praemium quisque labor, et laboranti non est debitae mercedis exhibitio deneganda, moderamine nihilominus observato, ne sanguinem eliciat nimietas emungentis, subsequitur per statuta et ordinationes huiusmodi certus modus rationabilis et discretus, per quem praedictis notariis pro eorum salario moderata satisfactio praebeatur; et litigantes, qui litigiorum involvuntur anfractibus, et plerisque fatigantur laboribus diuturnis, superfluis expensarum effusionibus non graventur.

Taxa pro singula pagina, et numerus linearum.

Quod videlicet praedicti notarii pro petia registri unum turonensem argenti cum dimidio, et non plus habeant, et petia 26 lineas ex qualibet parte contineat, et quaelibet dictarum linearum habeat quatuordecim dictiones. Item quod pro petia registri, redacta in formam publicam,

receptione unius turonensis cum dimidio similiter sint contenti.

Pro copiis

§ 26. Item quod pro copia sive copiis, sive in quaterno sive in petiis longis fiant, de folio sive de petia registri unum tantum similem recipiant turonensem.

Pro citationibus

§ 27. Item quod pro citatione in audientia publica legenda, ultra medium similem turonensem ipsis recipere licitum non existat.

Pro inhibitione:

§ 28. Item quod pro inhibitione, quae in causis fieri solet, si redigatur in publicum instrumentum, sex similes turonenses recipiant, et non ultra.

Pro intimatione.

§ 29. Item pro intimatione, cum in publicum redigatur instrumentum, non amplius quam quatuor similes valeant recipere turonenses.

Pro appellatione.

§ 30. Item pro appellatione, si redigatur in publicum instrumentum, de petia registri duos dumtaxat turonenses similes recipere licitum sit eisdem.

Pro testium depositionibus

§ 31. Item quod de attestationibus testium, quos quisque notariorum examinaverit praefatorum, de petia registri receptionem duorum turonensium similium non excedat; et de copia ipsarum attestationum unum cum dimidio similium turonensium notarii praedicti de petia eiusdem registri recipiant, si copia ipsa in formam publicam redigatur. Si vero huiusmodi copia in papiro recipiatur, prout supra de aliis copiis est expressum.

Pro sententia definitiva et eius instrumento.

§ 32. Item de sententia definitiva pro qualibet petia registri possunt duodecim similes recipere turonenses. De instrumento vero publico, cum per se de sententia ipsa confectum extiterit, duodecim similes turonenses pro qualibet registri petia debeantur, et pro copia sententiae in publico sive in simplici quantum et de aliis copiis superius est expressum.

Pro interlocutoriis.

§ 33. Item quod de interlocutoria vim definitivae habente, ut de sententia supra proxime exprimitur, observetur. Si vero talis interlocutoria vim definitivae nequaquam habeat, recipiantur duo similes turonenses pro petia registri, ut supra dicitur computando; et si de interlocutoria ipsa instrumentum per se publicum fiat, sex pro eodem poterunt recipere instrumento.

Distinctio monetarum.

§ 34. Item volumus, statuimus et etiam ordinamus, quod caeterae iudiciales taxentur secundum modum superius designatum, hoc tamen adiecto et ordinato specialiter et expresse, quod videlicet ubicumque in taxationibus antedictis de turonensi grosso fit mentio, id de illo intelligi volumus, quamdiu Romana Curia fuerit citra montes; ubi vero ultra montes, Romae videlicet vel in aliis Italiae partibus, curiam esse contigerit ipsam, romanus loco turonensis ponatur, et computetur in taxationibus antedictis.

Cavendum iis, ne prolixiores aequo efficiant scripturas.

§ 35. Caveant tamen notarii memorati, quod propter praemissas modificationes, scripturas prolixiores nequaquam efficiant, neque ponant superflua in eisdem, nisi prout necessarium fuerit et est, hactenus fieri consuetum, nec malitiose differant vel differre procurent scripturas partibus assignare. Contrarium vero facientes duplum restituant. Et si super hunc frequentaverint excessum, ab auditorio sui auditoris et praedicto palatio expellantur.

Simile iuramentum a notariis caeterorum tribunalium emittendum.

§ 36. Volumus insuper, statuimus, et etiam ordinamus, quod venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ab auditoribus et notariis suis, necnon camerarius noster ab auditore vel viceauditore curiae camerae nostrae, ipsiusque notarii, et etiam marescallus Romanae Curiae a iudicibus et notariis eorum, seu quicumque alii auctoritate apostolica causas in Romana Curia audientes, seu etiam audituri, a notariis suis in eisdem causis iuramentum recipiant iuxta formas, quibus curare debent dicti auditores et notarii palatii apostolici, per nos, ut praemittitur, ordinatas, in quantum tanget officia eorum.

§ 37. Item statuimus et ordinamus, quod praefata alia quoad munera, dona

Qui praedicta tenentur observare.

et xenia, ad scripturarum exactiones, quae, ut praefertur, de auditoribus et notariis dicti palatii sunt statuta, et etiam ordinata per dictorum cardinalium, et etiam curiae camerae nostrae auditores et iudices curiae marescalli, ac per ipsorum et quorumcumque aliorum in Romana Curia causas auctoritate apostolica audientium et auditurorum in posterum notarios serventur inviolabiliter.

Hae leges in cancellaria registrandae:

§ 38. Ut igitur ordinationes et statuta nostra huiusmodi, quae perpetuis futuris temporibus duratura censemus, inviolabiliter observentur; et ne illa ob memoriae labilitatem humanae oblivioni dentur; et etiam ut auditores et notarii praelibati per ordinationum et statutorum eorumdem inspectionem assiduam, circa eorum observantiam attentius et vigilantius sint attenti; volumus et statuimus, ut ordinationes et statuta nostra huiusmodi de verbo ad verbum in cancellariae et praedictae audientiae literarum nostrarum registris ex integro conscribantur.

Ibique quolibet anno legendae.

§ 39. Quodque in singulis annis in kalendis octobris, vel prima sequentis audientiae die, si festum fuerit die kalendarum ipsarum, ordinationes et statuta huiusmodi legantur solemniter in audientia praelibata. Et quilibet auditorum et notariorum ipsorum penes se copiam conservet et habeat eorumdem.

Clausulae.

§ 40. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, statutorum, reformationis, prohibitionis et voluntatis infringere *etc.*

---

## XLIII.

*Declarat, indultum quibuslibet universitatibus et personis concessum, ne extra certos limites vocari in iudicium possint, ad causas et negotia, quae apud Sedem eamdem agitantur, non extendi* (1).

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

SUMMARIUM

Abusus huiusmodi indultorum ab Apostolica Sede obtentorum. — 1. Declaratio (*de qua in rubrica*).

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Abusus huiusmodi indultorum ab Apostolica Sede obtentorum.

Contingit plerumque per Sedem Apostolicam nonnullis universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum, necnon singularibus personis ecclesiasticis et saecularibus indulgeri, ut per literas dictae Sedis nequeant conveniri, vel extra certa loca ad iudicium evocari, nisi dictae literae plenam et expressam ac, de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi faciant mentionem. Cuius indulti praetextu eædem universitates et personae, cum super certis causis seu negotiis ad Romanam Curiam evocantur, ad comparandum (1) seu litigandum in praedicta Curia, se asserunt non teneri.

Declaratio (de qua in rubrica).

§ 1. Attendentes igitur quod Romana Curia communis est patria, Sedesque Apostolica mater existit omnium fidelium et magistra, hoc edicto in perpetuum valituro, auctoritate apostolica declaramus, praefatum indultum hactenus quibusvis concessum, vel imposterum concedendum, ad causas et negotia, quae apud Sedem eamdem agitantur, seu pro tempore contigerit agitari, propter praerogativam seu eminentiam dictae Sedis, aliquatenus non extendi, universitates et personas praedictas, cuiuscumque dignitatis, conditionis aut status existant, aliquam immunitatem exinde recipere, quominus apud Sedem eamdem apostolica auctoritate vocatae comparere ac respondere legitime teneantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis infringere *etc.*

Datum Avenioni nonis aprilis, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 5 aprilis 1327, pontif. anno XI.

(1) Forsan leg. *comparendum*.

## XLIV.

*Confirmatio erectionis Universitatis studiorum in civitate Cadurcensi (1).*

SUMMARIUM

Exordium. — Consulum Cadurcen. petitis annuens, Studium generale in ea civitate confirmat.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Cum civitas Cadurcensis, quam excellentiae divinae bonitas multiplicium gratiarum bonis et dotibus decoravit, propter ipsius commoditates et conditiones quamplurimas apta non modicum generali Studio censeatur, nos reipublicae multipliciter expedire credentes, quod in civitate praefata fiat et emanet fons scientiarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi, litteralibus cupientes imbui documentis, et etiam cultores sapientiae inserantur et provehantur diversarum facultatum dogmatibus eruditi, facundi et undique illustrati, fructum uberem, largiente Domino, suo tempore producturi; attendentes quoque sincerae fidei puritatem, ac eximiae devotionis affectum, quos dilecti filii consules et Universitas eiusdem civitatis ad nos et Romanam Ecclesiam habere noscuntur: ex praedictis causis, porrectis etiam nobis pro parte consulum et Universitatis praedictae humilibus et devotis supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica statuimus et ordinamus, quod in civitate praedicta perpetuis futuris temporibus generale Studium habeatur et vigeat in qualibet licita facultate, quodque praefatum Studium, ac eius Universitas, ac doctores, magistri, licentiati, baccalaurei et scholares pro tempore commorantes causa studiorum ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus, concessis Studio Tholosanensi ac Universitati eius, plene et libere gaudeant et utantur.

Consulum Cadurcen. petitis annuens, Studium generale in ea civitate confirmat.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Avenione VII idus iunii, pontificatus nostri anno XVI.

Dat. die 7 iunii 1332, pont. anno XVI.

(1) Ex Gall. Christ., edit. paris., tom. I, in appendice, pag. 38.

---

# BENEDICTUS XII

## PAPA CXCVII

*Anno Domini MCCCXXXIV*

Die 20 decembris anno 1334 cardinales in palatio Avenionensi, ubi decesserat Ioannes XXII, inclusi, elegerunt in Pontificem Romanum Iacobum Furnerium, presbyterum cardinalem tituli S. Priscae, qui in minoribus ex ordine Cisterciensi, mox Appamiarum, postmodum Mirapiscensis fuerat episcopus. Hic vocatus est Benedictus XII, qui coronatus est in Ecclesia fratrum Praedicatorum die 8 ianuarii anni sequentis. Sedit itaque in pontificatu a die coronationis suae annos VII, mens. III, imperante in Oriente Andronico iuniore imperatore. Obiit siquidem Avenione die 25 aprilis 1342 et sepultus est in ecclesia cathedrali. Post eius mortem vacavit sedes dies XI (1).

---

## I.

*Benedictus praelatos Ecclesiarum certiores facit de sui electione in Pontificem (2).*

SUMMARIUM

Exordium a divina providentia petitum. — 1. Sua ad Summum Pontif. electio. — 2. Humiliter de se sentit Benedictus: — Suamque exponit in Deo fiduciam positam. — 3. Fideles, ut humiles ad Deum preces fundant, cohortatur.

(1) Exclusis extremis. (2) Ex Raynald. ad annum 1334, § 3.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Rhemensi, et episcopis ac dilectis filiis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis et aliis Ecclesiarum praelatis, exemptis et non exemptis, per Rhemensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium a divina providentia petitum.

Altitudo coelestis consilii, supra cuncta tenens in excelsis imperium, sic dat esse rebus, et dispensat ineffabili providentia munera gratiarum, sic creaturarum conditiones et status ordinat, ac, prout vult, variat et disponit, quod sensus humanus, eius secreta consilii perscrutari non valens, in horum consideratione potius hebetatur, cum sint investigabiles viae Domini, et sapientiae suae magnitudinem humani non capiant intellectus: facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, et ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam et perfectam habens ad singula, tamquam palmo concludens omnia, potestatem.

Sua ad Summum Pontif. electio.

§ 1. Sane felicis recordationis Ioanne Papa vigesimo secundo praedecessore nostro nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, et ad caelestem patriam ab huiusmodi miseria, sicut pie credimus, evocato, eiusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri et diaconi, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, sub deliberatione consilii, quam tanti negotii qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papae celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios maiorum meritorum claritate conspicuos, et plurium virtutum titulis insignitos, tandem ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos ad summi pontificatus apicem divinae dignationis clementia evocarunt.

Humiliter de se sentit Benedictus:

§ 2. Nos igitur, nostrarum insufficientiam virium, et administrationis tam arduae sarcinam, tantique oneris gravitatem intenta consideratione pensantes, intra nostra praecordia, quid inter tot diversas et varias saeculi fluctuationes et pugnas agendum, quidve tenendum, quidve pensandum extiterit, animo duximus trepido revolvendum. Demum vero spiritus virtute reassumpta, in Illo, qui assurgit in occursum timentium et implorantium humiliter nomen suum, quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter huiusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostrae fiximus, ad ferendum sub Eius fiducia iugum servitutis apostolicae imbecilles humeros humiliter submittentes, ac subsequenter benedictionis et coronationis solemnia et caetera recepimus, secundum morem eiusdem Romanae Ecclesiae in personis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum hactenus observatum antea; et humiliato spiritu Domino supplicando, ut Ipse, qui nos iugum huiusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram suae virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo non contingat nos ex nostra debilitate deficere, sed ita sua omnipotentia nobis et gregi dominico, vigilantiae nostrae commisso, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo iudicio reddere rationem.

Suamque exponit in Deo fiduciam positam.

Fideles, ut humiles ad Deum preces fundant, cohortatur.

§ 3. Cum autem nos ad tanti molem ponderis levius et salubrius perferendam, ac praefatam Ecclesiam, quae procellis ac turbinibus agitari assolet, piis et devotis expediat orationum suffragiis adiuvari, universitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus apud Ipsum, Sponsum eiusdem Ecclesiae, suppliciter in humilitate spiritus devotis precibus insistatis, ut, tempestosa procellarum molestia quiescente, Ecclesia ipsa sub facilis aurae serenitate laetetur, luxque pacis copiosa sibi resplendeat, errorum et dissentionum tenebris de medio fidelium profligatis; ac gressus

nostros, dum in praesentis valle miseriae peregrinamur a Domino, per suorum dirigat semitas mandatorum; nostraeque debilitatis humeris fortitudinis robur adiiciens, misericordi nobis pietate concedat, praefatam Ecclesiam ad sui nominis laudem et gloriam utiliter gubernare, ut cum domus nostrae habitationis terrenae figmentum eius imperio, per quem in praesenti saeculo iuxta originariae conditionis cursum solitum ingressum habuimus, dissolvetur, in illa caelesti Ierusalem, ad cuius aedificationis, ceu quidam expoliti lapides, electorum animae deferuntur, gloriosam, non manufactam, sed aeternam dignetur concedere mansionem.

Datum Avenione quinto idus ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat die 9 ianuarii 1335, pont. anno I.

---

## II.

***De apostatis, seu alias quomodolibet habitum religionis dimittentibus, ac extra suorum ordinum claustra evagantibus, deque eorumdem animadversione, ac praelatorum facultate absolvendi resipiscentes ab excommunicatione, et super irregularitate dispensandi ratione apostasiae*** (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Hac constitutione consulere se velle ait Pontifex regularibus asserentibus se in claustris permanere non posse. — 2. Praecipit praelatis ordinum, ut regulares apostatas vel vagantes inquirant et ad religionem reducant: — 3. Renitentes vero secundum loci circumstantias diversimode cogant ad idem. — 4. Rogent quoque regulares, qui ab uno ad alium ordinem, inconsulta Sede Apostolica, transierunt, primum assumere habitum. — 5. Apostatas vero resipiscentes recipere omnino teneantur. — 6. Ex Mendicantibus vero, qui in primis locis recipi nequeunt, alibi recipiantur. — 7. Poena vero eis imminuenda. — 8. Praelatis data facultas eos a censuris absolvendi cum eisque dispensandi super irregularitate, *etc.* — 9. Obstantium derogatio. — 10. Petentibus literae apostolicae concedendae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Procemium.

Pastor bonus, diligens, operosus et pervigil, oves suas errabundas et devias, ne lacerentur et devorentur lupinis a morsibus, ad caulam reducere satagens, sollicite et prudenter super illas, et alias suae custodiae deputatas, instituit studiosas excubias, sibi et eis spiritualiter et temporaliter salutares. Sic ergo nos, qui, coelesti disponente Pastore, quamquam immeriti, constituti sumus in Summi Pontificii specula, et Domini nostri Iesu Christi vicariatus officium exercentes ferventer in votis gerimus, et quatenus divinis beneplacitis convenire percipimus, studium apponimus sollicitudinis efficacis, ut cuncti tam æternae maiestatis obsequiis sub regulari observantia dedicati, quam caeteri christicolae deliri a norma rectitudinis et tramite rationis ad reconciliationis Deo gratae gratiam admittantur, et ad eam redeant, ne pereant, sed salventur.

Hac constitutione consulere se velle ait Pontifex regularibus asserentibus se in claustris permanere non posse.

§ 1. Sane ad apostolatus nostri non sine mentali molestia iam dudum perducto notitiam, quod nonnulli, stabilitatis suae professionis violato proposito, regularem habitum temere dimittentes, ac de diversis mundi partibus ad Sedem Apostolicam confluentes, et praetendentes variis coloribus et figmentis exquisitis, se in suis claustris et religionibus non posse commode permanere; nos, de apostolicae pietatis abundantia talium periculis animarum occurrere desiderabiliter affectantes, et ut huiusmodi religiosis apostatandi, et extra religiones, ecclesias, monasteria, seu alia loca ordinum eorumdem vagandi materia imposterum amputetur; ipsique apostatae, vel qui iam perniciose vagantur per saeculum, ab eorum

temeritatis revocentur nequitia, et ad eorum religionis abiectae propositum reducantur; super praemissis opportunae ordinationis remedia, prout series subscripta describit, digesta in hac parte, deliberatione praehabita, providimus apponenda.

Praecipit praelatis ordinum, ut regulares apostatas vel vagantes inquirant et ad religionem reducant:

§ 2. Volumus namque et apostolica auctoritate ordinamus universis et singulis tam exemptis, quam non exemptis praelatis immediatis quorumcumque religiosorum quorumlibet ordinum, in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandantes, ut ipsi praelati apostatas, et etiam de suis ordinibus eiectos, et quosvis religiosos alios eis subditos sine praelatorum eorumdem licentia per saeculum evagantes inquirant seu inquiri faciant diligenter, ipsosque ad religionem reducere studeant eorumdem.

Renitentes vero secundum loci circumstantias diversimode cogant ad idem.

§ 3. Quod si apostatae, eiecti, ac evagantes religiosi praefati redire noluerint; aut praelatis ipsorum praedictis super his inobedientes seu rebelles extiterint, illos, qui ad praesens apud Sedem consistunt eamdem, auditor camerae apostolicae; alios vero, exemptos videlicet, apostolica; non exemptos autem ordinaria auctoritate, locorum ordinarii ad requisitionem dictorum praelatorum capere teneantur; per auditorem ac ordinarios antedictos praelatis eisdem sine difficultate qualibet remittendos, ut sic redire ad religionis observantiam et obedientiam praelatorum suorum, ac in illis persistere, compellantur.

Rogent quoque regulares, qui ab uno ad alium ordinem, inconsulta Sede Apostolica, transierunt, primum assumere habitum

§ 4. Nostrae praeterea intentionis exstitit, rursusque volumus et ordinamus, ut omnes apostatae, qui religionem seu religionis, quam professi sunt, habitum dimiserunt, et ad religionem aliam absque praedictae Sedis, seu alia debita licentia transierunt, habitumque assumpserunt huiusmodi religionis alterius, etiamsi in ipsa religione altera, in qua, ut praefertur, assumpserunt habitum, secundo professi fuerint, ad religionem eorum primam, dum tamen canonice in ea professi fuerint, infra trium mensium spatium, computandum a die, qua haec intentio, voluntas et ordinatio nostrae ad notitiam eorum pervenerint, vel per ipsos steterit, quo minus perveniant ad eosdem (quod quidem spatium eis pro peremptorio termino assignamus), curent reverti, et habitum ipsius primae religionis nequiter dimissum resumere ac gestare.

Apostatas vero resipiscentes recipere omnino teneantur.

§ 5. Volumus quoque ac etiam ordinamus, quod praedicti praelati Ecclesiarum, monasteriorum, seu aliorum locorum quorumlibet, a quibus ipsi apostatae, ut praemittitur, temere apostatarunt, eosdem apostatas ad habitum et religionem eorum priores recipere teneantur. Quod si forte iidem praelati, capitula ecclesiarum, conventus monasteriorum, seu fratres eorum et locorum praedictorum recusarent recipere apostatas praelibatos; volumus et ordinamus, quod ipsi praelati, capitula, conventus et fratres per certos exequutores, super hoc a Sede Apostolica deputandos, ad eos recipiendos, salva ordinis disciplina, quam volumus et mandamus circa illos, qui voluntarie redierint, hac vice, ut infra sequitur, misericorditer temperari, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellantur.

Ex Mendicantibus vero, qui in primis locis recipi nequeunt, alibi recipiantur.

§ 6. Nempe circa illos ex dictis apostatis, qui ordinum Mendicantium fuerint, etiam volumus et ordinamus, quod si apostatae ipsi ordinum, ut praedicitur, Mendicantium in suis primis locis eorumdem suorum ordinum recipi commode nequeant, in aliis locis ordinis cuiuscumque ipsorum vel alterius ordinis dictorum Mendicantium, si alii Mendicantes huiusmodi apostatas recipere voluerint, hac vice collocentur: et nihilominus religiosi praedicti locorum eiusdem ordinis ad recipiendum apostatas ipsos, qui transire ad alia loca eiusdem ordinis, ut praefertur, habebunt, ad recipiendum dictos apostatas in locis huiusmodi per exequutores a praedicta Sede super hoc deputandos,

si opus fuerit, censura simili compellantur.

Poena vero eis imminuenda.

§ 7. Et quia nimia rigoris vel poenalis seu poenitentialis asperitas, ob fragilitatem carnis humanae, non aedificat, sed corrumpit, volumus et ordinamus erga omnes apostatas supradictos, quemlibet ipsorum per eorum praelatos, servato subscripto moderamine, provideri: scilicet quod ipsi praelati circa huiusmodi apostatas, etiamsi ante vel post eorum apostasiam excessus in ordine suo vel extra illum commiserint, et proinde vel etiam ex quacumque alia causa in apostasiam huiusmodi lapsi fuerint, vel ordinis sui carceres effregerint, seu ab ipsis evaserint, quod eis poenam seu poenitentiam salutarem imponant, iuxta eorumdem ordinum statuta antiqua: quam tamen poenam seu poenitentiam sic etiam misericorditer volumus temperari, quod iidem apostatae terrore ultionis seu poenae a sumptione suorum religionis et habitus minime retrahantur.

Praelatis data facultas eos a censuris absolvendi cum eisque dispensandi super irregularitate, etc.

§ 8. Insuper memoratis praelatis eorumdem apostatarum, dictos apostatas, ad religionem suam pristinam vel aliam Mendicantium, ut praetangitur, redeuntes, absolvendi hac vice, iuxta formam Ecclesiae, ab excommunicationis sententia, in quam apostatando taliter inciderunt; et cum eis super irregularitate, quam occasione apostasiae huiusmodi vel alias, forsan sic ligati divina officia celebrando, imo verius prophanando aut illis se immiscendo, damnabiliter incurrerunt, prout eorumdem apostatarum saluti iidem praelati expedire viderint, dispensandi plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica potestatem.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus quorumlibet ordinum, ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum praedictorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis vel etiam privilegiis, indulgentiis aut literis apostolicis seu aliis quibuscumque, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri: et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum plenam et expressam oporteret in nostris literis fieri mentionem.

Petentibus literae apostolicae concedendae.

§ 10. Ut autem voluntatum et ordinationum nostrarum praemissarum, aliorumque superius expressorum exequutio promptior et efficacior subsequatur, volumus et mandamus, quod ordinariis, praelatis, apostatis ac religiosis praedictis petentibus, iuxta qualitatem casuum eorumdem, opportune ipsis literae apostolicae concedantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, ordinationum, mandatorum et concessionis infringere, *etc.*

Datum Avenione, quintodecimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 17 iunii 1335, pontif. anno I.

---

## III.

*Quod fratres Mendicantes ad ordines monacorum Nigrorum et Cisterciensium transire non possint absque licentia Romani Pontificis.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae huius prohibitionis. 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — 3. Obstantium derogatio. — 4. Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Regularem vitam professis expedit subtrahi omnem inquietudinis et turbationis materiam, quo in contemplationis suavitate quiescere valeant, et tranquillum reddere Domino famulatum.

Causae huius prohibitionis

§ 1. Cum igitur ex eo, quod professores ordinum Mendicantium ad monacorum Nigrorum et Cisterciensium ordines consueverunt plerumque transire, multas in dictis ordinibus turbationes, infesta-

tiones, molestias, damna et scandala provenisse experientia doceat manifeste.

Probibitio (de qua in rubrica):

§ 2. Nos his ex debito pastoralis officii pro futuro tempore occurrere cupientes, de consilio fratrum nostrorum decernimus, nequis cuiusvis ordinis Mendicantium professor ad aliquem dictorum duorum ordinum quoquomodo transire valeat, sine Romani Pontificis licentia speciali, plenam et expressam de constitutione huiusmodi mentionem faciente.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus privilegiis apostolicis quibuscumque concessis in contrarium dictis ordinibus Mendicantibus seu eorum praelatis, aut aliquibus eorumdem; quae quoad hoc nullius ex nunc fore decernimus firmitatis.

Clausulae.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam huius nostrae prohibitionis, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, *etc.*

Datum Avenione, quarto nonas iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 4 iulii 1335, pontif. anno I.

---

## IV.

### *Reformatio ordinis Cisterciensis monacorum S. Benedicti.*

SUMMARIUM

Cisterciensis ordinis encomium. — 1. Benedictus in minoribus huius ordinis monachùs. — 2. Nonnisi gravissimis de causis se motum asserit ad haec edenda statuta. — 3. Proprium cuilibet monasterio sigillum. — Iuramentum de non alienando ab abbatibus emittendum. — 4. Casus et forma alienandi. — 5. Pecuniam ex alienationibus utiliter expendi et conservari mandat. — 6. Locationes nonnisi ad quinquennium faciendae. — Excipiuntur tamen parvae, sterilesque possessiones ab hac lege. — 7. Mutui nonnullis hic expressis de causis accipiendi norma. — 8. Quae de conventuum consensu peragi debent, in scriptis redigenda. — 9. Iuramentum ab officialibus de fideli administratione praestandum. — 10. Depositarii duo in quolibet monasterio eligendi, qui quater annis singulis rationem reddant. — 11. lis vero rationem quovis anno reddant de receptis et expensis abbates. — 12. De visitatorum numero, officio et evectionibus. — 13. A monasteriis interiacentibus victum solummodo recipiant. — 14. Quibus de causis visitatoribus adiungendi abbates. — 15. Nomina eorum, qui secreta eis notificant, revelare non possunt. — 16. Abbates visitantes quid recipere possint. — 17. Abbates et monachi declinantes ad alia monasteria, *etc.*, non ultra duos dies commorentur in iis per quae transeunt. — 18. Abbates non accedentes ad capitulum generale quo pacto coercendi. — 19. De contributionibus solvendis. — 20, 21, 22. Contributiones a quo sint recipiendae et conservandae. — 23. Literae solutionis contributionis quo pacto sigillandae et custodiendae. — 24. Capitulum gen. nihil de hac ordinatione potest immutare. — 25. De recipiendis in ordine. — 26. De habitu abbatum et monachorum: — 27. Superfluitas in omnibus vitanda. — 28. Abbates unum tantum equitantem ducere possunt. — 29. Esus carnium prohibetur, et omnes in contrarium licentiae irritantur. — 30. Locus coquendi carnes in casibus permissis. — 31. Abbates quando dispensare possunt super esu carnium. — 32. Consuetudines contrariae irritantur. — 33. Dormiant monachi in communi dormitorio. — 34. Cellae in dormitorio non construantur, et constructae destruantur. — 35. Portio certa per monachos non recipienda. — 36. Concessio certi redditus similiter interdicitur. — 37. Divisio quoque bonorum et redditum inter abbates et conventus vetatur sub poenis hic expressis. — 38. Equitaturae quibus sint concedendæ. — 39. Contra peculium et proprietatem. — 40. De victu et vestitu cuilibet subministrando. — 41. Numerus monacorum sit iuxta facultatem monasterii. — 42. De locis studiorum. — 43. Qui et ad quae studia sint mittendi. — 44. Quot e quolibet monasterio ad Studium mitti debeant. — 45. Studentium provisiones taxat. — 46. Lectio Bibliae sit in quocumque Studio generali. — 47. Studiorum expensas facientes iurent ut hic. — 48. Abbates cessantes mittere studentes cum

dictis provisionibus, poenam substinent. — 49. Provisores animarum studentium deputantur. — 50. Quod si quis de ord. Cistercien. in Studio Parisien. assignatus, sit dispositus ad magisterium theologiae vel baccalarium, non removeatur, *etc.* — 51. Studentes ordinis iura canonica non audiant. — 52. Officiales idonei pro obsequio studentium deputentur. — 53. Qui rectores et officiales in Parisiensi et aliis Studiis eligantur et a quibus. — 54. Doctorandi quid iurare, quidve observare debeant. — 55. Qui cursus Bibliae facere et qui Sententias legere possint. — 56. Derogatio contrariorum. — 57. Iussio hanc constitutionem in primo capitulo generali et annis singulis in aliis legendi, et etiam semel in anno in particulari capit. cuiuslibet loci.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Cisterciensis ordinis encomium.

Fulgens sicut stella matutina in medio nebulae sacer Cisterciensis ordo in Ecclesia militante strenue militat operibus et exemplis, fervideque satagit per sanctae contemplationis applausum et innocentis vitae meritum montana scandere cum Maria; seque per exercitium laudabilium actionum, et pensum piorum operum curiosum, Marthae satagentis officio conformare. Hic nempe ordo in divini cultus ministerio sedulus, ut sibi et aliis proficiat ad salutem, in sacrae lectione paginae studiosus, ut ad perfectam excellentiae supernae cognitionem valeat pervenire; praestans et promptus in operibus charitatis, ut adimpleat legem Christi, a mari usque ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, et proinde per Sacri Pneumatis inflammantis corda debilia fistulas gratiis abundavit, dignumque se reddidit a Romana Ecclesia, Ecclesiarum omnium magistra, multis insigniri privilegiis, et gratiosis favoribus communiri.

Benedictus in minoribus huius ordinis monachus.

§ 1. Huius quoque ordinis ab adolescentia nostra perseveranter iugum sustulimus, et in eo alumni effecti, per temporum curricula diuturna crevimus, tam in illo quam extra ipsum, successivis praelationum honoribus; et tandem conscendimus, quamquam immeriti, summi cathedram pastoratus. Licet autem, exigente apostolici ministerii cura, cuiuslibet ordinis approbati incrementum felix et floridum plenis affectibus in eo zelemur, a quo coelicae ac terrenae salutis perfectio derivatur; eumdem tamen Cisterciensem ordinem acie internae devotionis et charitatis aspicimus; et ea, quae ipsius salutem et prosperitatem respiciunt, qualenus aeterni Patris beneplacitis gratificare credimus, favorabiliter promovemus.

Nonnisi gravissimis de causis se motum asserit ad haec edenda statuta.

§ 2. Sane recensentes memoriter, quod ab olim, dum eramus intra ordinem praelibatum, certa nos experientia instruebat, quod super quamplurimis articulis inferius explicatis, ordo ipse apostolicae provisionis remediis indigebat; nos hactenus et moderno tempore super eis et nonnullis aliis a dilectis filiis Guillermo Cisterciensi, Ioanne de Firmitate, Ioanne de Claravalle et Rainaldo de Morimundo monasteriorum dicti ordinis Cabilonensis et Lingonensis dioecesis abbatibus, diligenti collatione praehabita, super his omnibus plenarie informati dignum ducimus et pro urgenti necessitate ac evidenti utilitate ordinis memorati, suadentibus etiam aliis iustis et rationabilibus causis, statuta et ordinationes, prout series subscripta describit, auctoritate apostolica edere: quae volumus et decernimus solidam habere roboris firmitatem, eaque debere perpetuis futuris temporibus firmiter observari, videlicet:

Proprium cuilibet monasterio sigillum.

§ 3. Cum cautelae provisio in omnibus sit habenda, et praecipue ne paulatim deveniat in collapsum, quod est antiquitate vel prolixitate peracti temporis acquisitum, statuimus ac etiam ordinamus, quod quilibet conventus cuiusvis monasterii seu alterius loci conventualis dicti ordinis habeat proprium et speciale sigillum. Et quod quilibet abbas monasterii,

sive alius loci alterius conventualis, administrationi principaliter praesidens eiusdem ordinis, et etiam abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, antequam abbatiae suae vel administrationis huiusmodi se immisceat, iuramentum praestare ad sancta Dei Evangelia teneatur, quilibet scilicet inferior in manibus abbatis, qui electionem de ipso factam confirmare habebit et in praesentia sui proprii conventus, necnon ipse abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, suo conventui et praenominatis tribus, necnon monasterii de Pontiniaco dicti ordinis Antisiodorensis dioecesis abbatibus, si apud dictum monasterium Cisterciense praesentes extiterint; quod possessiones vel iura ad suum monasterium vel alium conventualem locum eius pertinentes seu pertinentia, non vendet, nec alienabit neque impignorabit, neque de novo infeudabit, nec per aliquem modum donabit, nisi per modum inferius designatum. Et hoc idem illi, qui nunc sunt abbates monasteriorum seu aliorum locorum conventualium ipsius ordinis regimini praesidentes, teneantur iuramentum praestare infra sex menses, postquam statutum et ordinatio huiusmodi publicata fuerint, in proximo secuturo capitulo generali eiusdem ordinis.

Iuramentum de non alienando ab abbatibus emittendum.

§ 4. Quod quotiescumque alienationem rei immobilis vel iurium alicuius monasterii vel alterius loci conventualis dicti ordinis vel diminutionem censuum seu pensionum vel canonis aut venditionem arborum sylvarum non caeduarum imminere contigerit faciendas, tractatus duorum dierum (ad minus) interpolatorum diligens et maturus praecedere debeat, habendus per abbatem monasterii seu praesidentem regimini alterius loci conventualis, cuius erunt res, iura, census, pensiones, canon et sylvae huiusmodi, cum suo conventu monasterii seu alterius loci conventualis praefati. Et nihilominus alienatio seu venditio huiusmodi fiat de consensu ipsius conventus vel maioris et sanioris partis eiusdem; et quod de tractatu et consensu iam dictis scriptura conficiatur authentica, in qua nomina et cognomina tractantium et consentientium et sigilla abbatis monasterii vel praesidentis regimini alterius loci conventualis et conventus monasterii seu loci huiusmodi apponantur. Et antequam procedatur ad alienationem seu venditionem ipsam, petatur et obtineatur licentia super hoc ab ipsius ordinis capitulo generali; et subsequatur discussio super alienatione seu venditione huiusmodi, facienda per duos abbates praedicti ordinis, ab eodem monasterio seu alio conventuali loco non remotos, per dictum generale capitulum deputandos, et cum approbatione seu auctoritate duorum abbatum praefatorum. Quodque tam abbas monasterii seu praesidens ipsi conventuali loco, quam duo abbates praedicti et etiam abbas eiusdem monasterii vel deputatus ab eo, praesente conventu ipsius monasterii seu alterius loci conventualis, cuius res, iura, census, pensiones vel canon, aut sylvae huiusmodi alienanda seu vendenda fuerint, iuramentum praestent ante discussionem praedictam, quod in praemissis fideliter se habebunt, omni dolo et affectione inordinata remotis; et quod etiam fiat de causis alienationis seu venditionis huiusmodi et solemnitatibus praefatis, per quatuor abbates praedictos et praesidentem ipsi conventuali loco, sub eorum sigillis plena et fidelis relatio in proximo subsequenti generali capitulo antedicto; ut videatur, si circa haec omnia debite processerunt. Verum cum monasterium seu alius conventualis locus, castrum, villa, grangia vel res alia multum notabilis, alienandum vel alienandus seu alienanda fuerit, capitulum generale ipsius ordinis alienandi licentiam concedere non praesumat, nec procedatur ad eam quovis modo faciendam vel auctorizandam, nisi prius per idem capitulum generale Romano Pontifice consulto, et ab eo super hoc petita licentia et obtenta. Si vero aliter, quam praemissum est, aliquis ab-

Casus et forma alienandi.

bas vel regimini praesidens alienare praesumpserit, tam ipse, quam officiales ipsius monasterii seu loci conventualis, in hac parte consentientes eidem, ab administrationibus suis per abbatem deponantur eorum, et alienatio huiusmodi praesumpta, sit ipso iure irrita et inanis.

Pecuniam ex alienationibus utiliter expendi et conservari mandat.

§ 5. Caeterum, si propter alicuius monasterii seu loci conventualis debita exsolvenda, vel ut aliquid aliud, quod eidem monasterio seu conventuali loco sit utilius, acquiratur aliquid alienandum extiterit, pecunia, quae inde habebitur, ad nullos usus alios, quam in acquisitionem seu debitorum solutionem huiusmodi convertatur. Et si secus actum fuerit, abbas monasterii vel alius praesidens conventuali loco, pecuniam huiusmodi ad usus alios, ut praefertur, convertens vel conversioni huiusmodi consentiens, ab administratione sua per abbatem deponatur ipsius. Caeteri vero monachi participes vel consentientes in idipsum, sint ad quodcumque officium seu administrationem eiusdem ordinis inhabiles ipso facto. Nec pecunia ipsa in solius abbatis seu alterius regimini praesidentis aut bursarii alicuius eorum remaneat potestate: sed reponatur in aliquo securo loco sub quatuor serraturis et diversificatis clavibus, quarum primam teneat abbas monasterii seu loci conventualis regimini praesidens, secundam bursarius, tertiam prior claustralis et quartam alius monachus ipsius monasterii, seu loci conventualis, de quo eiusdem monasterii seu loci conventualis conventui seu maiori et saniori parti eiusdem expedire videbitur, fideliter conservandam.

Locationes nonnisi ad quinquennium faciendae.

§ 6. Volumus etiam, quod circa concessiones iurium aut redditunm alicui ad vitam eius vel aliud certum tempus et circa locationes vel etiam reddituum aut fructuum venditiones, ultra quinquennium faciendas, praemissa forma per omnia observetur; huiusmodi tamen consultatione ac licentia Romani Pontificis et etiam licentia dicti generalis capituli et relatione in eo facienda exceptis. Permittimus tamen, quod parvae, steriles vel inutiles possessiones concedi possint sub annuo censu pecuniario vel sub certa portione seu quota proventuum, ad tantum tempus quantum visum fuerit abbati monasterii ipsius et alteri abbati alicuius monasterii vel praesidenti regimini loci conventualis eiusdem ordinis. Praecedente tamen maturo ac diligenti tractatu habito cum suo conventu, et de consensu ipsius vel maioris et sanioris partis eiusdem, praestitoque primitus iuramento per ambos abbates praedictos, eodem conventu praesente, quod concessionem huiusmodi facere intendunt pro utilitate monasterii seu loci conventualis, cuius erunt possessiones praedictae. Et si aliter huiusmodi concessio facta fuerit, eo ipso sit irrita et inanis. Si autem multitudo dictarum possessionum, quamvis parvarum, sterilium vel inutilium existeret concedenda, tunc ante huiusmodi concessionem earum consulatur idem capitulum generale, ac ipsius super hoc habeatur licentia, prout superius est distinctum. Abbas vero, vel praesidens regimini loci conventualis, si contrarium attentare praesumpserit, ac officiales ipsius monasterii seu loci conventualis, super hoc ei consentientes, per eorum abbatem a suis administrationibus deponantur.

Excipiuntur tamen parvae sterilesque possessiones ab hac lege.

Mutui nonnullis hic expressis de causis accipiendi norma.

§ 7. Insuper quia plerumque contingit imminere necessitatis articulum, in quo ex diversis causis expedit abbatibus et praesidentibus principaliter regiminibus aliorum locorum conventualium contrahere mutuum, hanc provisionis cautelam modificatam in hac parte volumus adhiberi, quod nullus abbas vel alius loci conventualis regimini praesidens ipsius ordinis, sine consensu proprii conventus, mutuum recipere valeat; et quod in authentica scriptura obligationis inde faciendae apponantur eorumdem abbatis vel praesidentis regimini et conventus sigilla. Sed si abbas a suo monasterio, vel regimini praesidens ab eius conven-

tuali loco remotus existeret, talisque urgeret necessitas, quod sine receptione mutui, sibi vel familiae suae aut negociis utilibus seu causis per eum agendis providere non posset; permittimus, quod tunc sine suo consensu et eius sigillo mutuum recipere valeat, quod tamen summam centum librarum turonensium parvorum seu valorem ipsarum, sive integraliter seu particulariter non excedat; cuius mutui quantitatem, causam obligationis, ac personam, a qua illud receperit, abbas vel alius regimini praesidens, mutuum ipsum recipiens, infra octo dies post eius regressum ad monasterium proprium vel suum conventualem locum ipsius, conventui ad hoc specialiter congregato explicare teneatur. Et quod ex quo semel usque ad huiusmodi summam centum librarum mutuum receperit, non possit amplius mutuum recipere sine consensu et sigillo conventus eiusdem, donec dictae centum librae fuerint integraliter persolutae. Quicumque autem abbas vel alius praesidens regimini loci conventualis per se vel per alium contrafecerit, eo ipso ab ingressu Ecclesiae ac divinis officiis sit suspensus.

Quae de conventuum consensu peragi debent, in scriptis redigenda.

§ 8. Et quia gesta hominum scripturae fidei committuntur, ut rei gestae memoria in posterum habeatur, volumus et ordinamus, ut ubicumque abbates vel alii locorum conventualium regiminibus praesidentes, aliquid cum expresso consilio suorum conventuum facient, de quo testimonialis conficiatur scriptura, quod sigilla ipsorum abbatum vel aliorum regiminibus praesidentium, eorumque conventuum apponantur in illa. Et quod deinceps in sigillo cuiuslibet abbatis vel alterius loci conventualis regimini praesidentis, quocumque nomine censeatur, ipsius nomen proprium exprimatur, ut melius sciri possit, per quem et cuius tempore, id, de quo agetur, factum extiterit, et ut malitiis et falsitatum commentis via melius praecludatur.

Iuramentum ab officialibus de fideli administratione praestandum.

§ 9. Praeterea, cum sit consonum rationi, ut negotiorum gestores et officiales de gerendo fideliter et utiliter, negocia et officia exercenda illis commissa, iuramenti vinculo adstringantur, volumus et ordinamus, quod cellararii, bursarii, negociorum gestores, rentarii nuncupati, caeterique officiales cuiuslibet monasterii seu alterius loci conventualis et eorum grangiarum magistri, cum ad officia vel magisteria huiusmodi assumentur, iuramentum praestare teneantur in manibus eorum abbatis vel alterius loci conventualis regimini praesidentis, suique conventus, quod in commissis officiis, administrationibus vel grangiis fideliter se habebunt; et quod de receptis et expensis fidele computum reddent, et reliqua ipsi monasterio seu conventuali loco aut eorum bursariis assignabunt. Et quod illi cellararii, bursarii, negociorum gestores, officiales et magistri, qui nunc sunt, praestare teneantur simile iuramentum.

Depositarii duo in quolibet monasterio eligendi, qui quater annis singulis rationem reddant.

§ 10. Et quia, ubi prudentia et moderantia fidei firmitate vallatae non vendicant sibi locum, luxus inest; longique temporis victum brevis hora consumit, decet et expedit, ut per dispensatores prudentes et fidos quaeque manuteneatur substantia, et etiam dispensetur. Unde statuimus et etiam ordinamus, quod in singulis monasteriis et aliis conventualibus locis praedicti ordinis, per abbatem seu alium regimini praesidentem, de seniorum sui conventus consilio, duo bursarii deputentur, quorum unus principalis existat. Qui siquidem bursarii omnes pecunias ipsius monasterii vel loci conventualis undecumque provenientes, universaliter recipiant, et de dicti abbatis vel regimini praesidentis mandato, caeteris officialibus et aliis distribuant, prout fuerit opportunum; ipsique bursarii quater in anno, sed caeteri officiales et receptores proventuum semel et etiam pluries, si eidem abbati vel regimini praesidenti videbitur expedire, de omni-

bus receptis et expensis coram praedicto abbate vel regimini praesidente, ac senioribus de conventu ipsius monasterii seu loci conventualis, teneantur plenissimam et fidelem reddere rationem.

§ 11. Abbates etiam vel regiminibus praesidentes, coram dictis senioribus et bursariis annis singulis de receptis et expensis per eos plenam et fidelem rationem reddere teneantur. Recipiantque ipsi abbates, vel regiminibus praesidentes, a dictis bursariis pecunias pro expensis eorum. Et si dum ipsi extra monasteria vel alia conventualia loca eorum accesserint, eos pecunias contingat de proventibus monasteriorum, seu locorum conventualium eorum, aut aliunde recipere, huiusmodi pecunias in ipsorum regressu tradant bursariis praelibatis, computatis si quas de ipsis pecuniis expenderunt; abbates vero seu aliis regiminibus praesidentes, si secus attentare, vel sibi alia retinere praesumpserint, ab ingressu Ecclesiae ac divinis officiis, post lapsum duorum mensium a die regressus huiusmodi computandorum, tamdiu suspensi existant, donec ea tradant bursariis memoratis.

Iis vero rationem quovis anno reddant de receptis et expensis abbates.

§ 12. Porro quia per visitationis actum, de vita et conversatione illorum, qui visitantur, exquiritur, et per eum sincere debet correctionis et reformationis officium exerceri, nec proinde hi, iuxta canonicas etiam sanctiones, superfluis sunt impendiis aggravandi, statuimus ac etiam ordinamus, quod visitatores dicti ordinis in aliquo monasterio per eos visitando, antequam officium visitationis incipiant, nisi prima die, qua declinabunt ad illud, valeant demorari; et si manere ibi voluerint, sequenti die dumtaxat id licitum sit eisdem. Et quod visitationes in eodem ordine faciendae deinceps non durent ultra triduum continuum, nisi apparens necessitas vel magna utilitas monasterii visitati dies exposceret ampliores: quodque ille visitator, qui ultra ipsos praedictos duos dies, vel ultra praefatum triduum, absque necessitate vel utilitate praedictis, easdem visitationes prorogare praesumpserit, si abbas fuerit, sit a stallo chori et loco capituli abbatialibus per unum sequentem annum eo ipso suspensus, et sedere in stallo et loco capituli remotis a stallis aliis et locis abbatialibus teneatur; si vero fuerit monacus, eo ipso sit per unum annum sequentem inhabilis ad quodcumque officium et administrationem seu gubernationem in eodem ordine obtinenda. Et nihilominus per sex menses sequentes in pane et aqua in suo monasterio ieiunare qualibet sexta feria teneatur; et quod similes poenas incurrant abbates et monaci, qui visitationis officium impendendo, numerum evectionum, per fel. recor. Clementem Papam IV praedecessorem nostrum super hoc taxatum, excedent. Nec praesumant visitatores ipsi ante huiusmodi eorum visitationem vel in ipsa seu post eam, occasione dictae visitationis aliquod munus suspectum per se vel alium recipere, nec illud a suis recipi permittant; expensas tamen, quas fecerint ad visitatum monasterium eundo et de ipso redeundo, recipere valeant iuxta ordinationem super hoc factam per Clementem eumdem.

De visitatorum numero, officio et evectionibus.

§ 13. Ubi autem a monasterio iam visitato usque ad monasterium visitandum aliquod vel aliqua monasteria in itinere constituta extiterint, ad quae dicti visitatores possint commode declinare, hoc ipsi efficere valeant; dictaque monasteria taliter constituta eosdem visitatores caritative recipere, decenterque tractare, ac eis providere in victualibus teneantur et pro diebus, quibus ad huiusmodi constituta, ut praefertur, monasteria declinabunt, et eis, ut praetangitur, provisum extiterit, nullas expensas possint a monasterio seu locis recipere visitatis. Abbas autem contra praedicta recipiens, nisi infra duos menses a receptione huiusmodi computandos, eis a quibus receperat, receptum restituat, ipsis elapsis, du-

A monasteriis interiacentibus victum solummodo recipiant

plum restituere teneatur. Monacus vero quicquid contra id receperit restituere non postponat, et ob hoc regulari subiaceat disciplinae.

Quibus de causis visitatoribus adiungendi abbates.

§ 14. Nec audeant praefati visitatores in ipsis visitationibus sibi alios abbates adiungere, nec ipsi alii abbates se illis adiungant, nisi pro consilio vel auxilio, ubi casus depositionis alicuius abbatis, vel aliud magnum et arduum negocium, seu patriae vel locorum, per quae transire haberent, periculum immineret, seu interpretatio linguarum necessaria foret; verumtamen Cisterciensis et quatuor abbates quatuor principalium filiarum, qui sunt pro tempore, ac superius nominantur, in eisdem visitationibus unum alium abbatem, si velint, secum recipere vel sibi adiungere valeant.

Nomina eorum qui secreta eis notificant revelare non possunt.

§ 15. Neque praedicti visitatores nomina eorum, qui eis in ipsis visitationibus secreta revelaverint aliqua, ea revelare praesumant, nisi tunc demum, cum propter revelata huiusmodi ad alicuius punitionem vel poenam fuerit procedendum, necnon revelantes huiusmodi puniantur plus vel minus, prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium ipsius ordinis capituli generalis.

Abbates visitantes quid recipere possint.

§ 16. Et quod abbates maiores post abbatem Cisterciensem et quatuor alii abbates earumdem principalium filiarum, qui sunt pro tempore, extra visitationes eorum, sex tantum; alii vero minores abbates quatuor evectionibus sint contenti; nec hoc praetextu, qui paucioribus uti solebant, credant sibi potestatem plurium attributam.

Abbates et monachi declinantes ad alia monasteria, etc., non ultra duos dies commorentur in iis per quae transeunt.

§ 17. Rursus, praecavere volentes, ne per abbates vel monacos dicti ordinis, declinantes ad alia monasteria eiusdem ordinis, veniendo ad huiusmodi capitulum generale, vel de illo redeundo, seu alias, huiusmodi alia monasteria plus debito aggraventur, statuimus et ordinamus, quod abbates aut monaci praefati ad idem capitulum venientes vel de ipso redeuntes, seu alias, tamquam hospites ad aliquod monasterium seu locum conventualem iam dicti ordinis declinantes, non remaneant in eodem monasterio seu conventuali loco vel locorum ipsorum, ultra diem, qua illuc declinaverint, et sequentem, nec ultra dictos dies; abbas vel cellerarius aut aliquis alius dicti monasterii seu loci conventualis, aut aliquorum locorum eorumdem, ipsos invitare vel amplius eis aliquid ministrare praesumant. Quod si ex aliqua rationabili causa ipsi vel aliquis de familia eorumdem amplius remanere voluerint, expensas, quas tunc ibi fecerint, de bonis proprii monasterii, vel aliunde procuratis, solvere teneantur. Quicumque vero contrarium fecerint, tam dantes, quam recipientes, de inobedientia et transgressione huiusmodi statuti et ordinationis nostrorum per generale dicti ordinis capitulum puniantur. Sed per praedicta nullum ius ipsorum declinantium alicui acquiratur, etiam per ipsos duos dies vel alias ad aliquod monasterium seu locum conventualem eiusdem ordinis aut locorum eorum declinandi, aut in eorum aliquo remanendi; hoc tamen salvo, quod circa patenter infirmantes solita caritas et pia hospitalitas observentur.

Abbates non accedentes ad capitulum generale quo pacto coercendi.

§ 18. Quia vero ideo sunt huiusmodi generalia capitula instituta, ut in eis de statu monasteriorum et aliorum locorum regularium ac de reformatione ordinis et observantia regulari tractatus debeat diligens adhiberi, dignum et debitum fore dignoscitur, ut ad illa conveniant universi, quibus id imminet, praepeditionem canonicam non habentes. Quare statuimus et etiam ordinamus, quod abbates ipsius ordinis, qui de caetero non venerint ad dictum capitulum generale (qui venire tamen tenebantur, secundum ordinis praedicti statuta, non habentes impedimentum legitimum, seu licentiam specialem ab eo, qui dare possit eamdem) exhibere teneantur duplum eius, quod expensuri essent ad idem capitulum veniendo et redeundo de illo, du-

plumque huiusmodi solvere in sequenti capitulo generali in utilitatem ipsius generalis capituli convertendum: et quod possint definitores eiusdem capituli generalis tales abbates non venientes ad duplum huiusmodi exsolvendum, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, coarctare, eorumque super hoc processum habendum et ferendas sententias publicare ac facere publicari. Quodque circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat fieri gratia, vel remissio indulgeri. Illi vero abbates, qui legitimum impedimentum seu licentiam huiusmodi asseruerint se habere, illa conventibus suis tempore, quo iter eundi ad d. capitulum arripere deberent, exponere teneantur, et nihilominus subsequenter de dictis impedimento sive licentia in ipso generali capitulo fidem facere per suum procuratorem, seu excusatorem, probum et idoneum virum, habentem speciale mandatum praestandi iuramentum in animam ipsius mittentis, causas absentiae ac impedimentum huius vera esse; quod quidem iuramentum praestare teneantur, si visum fuerit abbati Cisterciensi, qui est pro tempore ac praesidentibus ipsi capitulo generali. Et si abbas ac praesidentes praefati tale impedimentum et licentiam ipsam non esse legitimam fuerint arbitrati, tales abbates, qui ad idem capitulum nequaquam venerunt, declarent incurrisse poenam solvendi praefatum duplum, quemadmodum est praemissum.

De contributionibus solvendis

§ 19. Quia vero nonnulli, sicut accepimus, ad solvendum contributiones, quae in eodem ordine pro necessitatibus et usibus communibus, et alias consuetis ipsius ordinis pro tempore imponuntur, se reddunt difficiles et remissos, nos adversus eos et circa negotia contributionum ipsarum, aliaque illa contingentia, prout sequitur, duximus providendum: videlicet quod abbati Cisterciensi et quatuor coabbatibus principalium filiarum supradictis et qui pro tempore fuerint et cuilibet eorumdem, auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam et per alia remedia iuxta dicti ordinis instituta et observantias consuetas, aliaque opportuna remedia, compellendi eos, quibus dictae contributiones pro tempore impositae fuerint, ad solvendum easdem; et ad id etiam coarctandum, recusantes seu negligentes solvere praefatas contributiones iam impositas, et quosvis alios impedimentum praestantes publice vel occulte, quo minus contributiones praedictae solvantur, ad desistendum prorsus ab impedimento huiusmodi, nec non processus habendos ac excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliasque sententias ferendas in tales recusantes, negligentes et impedimentum praestantes, nunc et in posterum, in eorum et aliis monasteriis ac locis circumvicinis dicti ordinis, prout fuerit opportunum ac in generali capitulo ipsius ordinis publicandi et publicari faciendi, plenam atque liberam concedimus tenore praesentium potestatem.

Contributiones a quo sint recipiendae et conservandae.

§ 20. Volumus autem, quod praedictas contributiones deinceps recipiant tres abbates dicti ordinis, ad hoc per ipsum generale capitulum, seu per definitores eiusdem annis singulis deputandi, qui iuxta ordinationem dicti capituli, seu definitores eius pro necessitatibus et usibus communibus, aliasque consuetis iam dicti ordinis dispensent easdem; et si quid de ipsis contributionibus superfuerit, in aliquo monasterio securo ad hoc per dictum capitulum vel per ipsius definitores eligendo, ponatur et sub provisione custodiae per ipsos tres abbates super hoc adhibenda, sub tribus serraturis et diversificatis clavibus, de quibus quilibet ipsorum trium abbatum suam clavem teneat, fideliter conservetur. Tenebuntur namque praefati tres abbates in subsequenti capitulo generali de receptis et expensis per eos definitoribus ipsius capituli reddere rationem; et illud quod

restabit, ipsi capitulo seu definitoribus ipsius capituli custodiendum restituere, modo praemisso, per alios tres abbates per ipsum capitulum seu definitores eius, ut praetenditur, deputandos.

§ 21. Dictique tres abbates, quando ad praedicta deputabuntur, iuramentum praestabunt, quod in recipiendo, custodiendo et expendendo contributiones praedictas, ac in reddendo rationem de ipsis fideliter se habebunt.

§ 22. Poterunt autem dicti tres abbates receptores, modo praedicto a generali capitulo seu definitoribus ipsius capituli deputati, de ipsorum abbatis Cisterciensis et quatuor coabbatum totidem principalium filiarum consilio, certis personis fidelibus et discretis, annis singulis vices suas committere ad recipiendum contributiones in generali capitulo non solutas. Qui siquidem discreti praestabunt solemniter iuramentum, quod praefatas contributiones recipient, levabunt, exigent et servabunt fideliter, et ad sequens generale capitulum dictis commissariis generalis capituli seu definitoribus eius integraliter deportabunt; dictique tres abbates rationem reddent coram eisdem abbate Cisterciensi et quatuor coabbatibus totidem principalium filiarum, si omnes praesentes fuerint, necnon coram illis definitoribus, quos praefati Cisterciensis et quatuor coabbates in divisione decreverint detinendos.

Literae solutionis contributionis quo pacto sigillandae et custodiendae.

§ 23. Volumus quoque, quod fiat speciale sigillum, quo literae solutionis contributionum dicti ordinis de caetero sigillentur, quod quidem sigillum sub tribus serraturis et diversificatis clavibus penes dictos tres abbates vel in aliquo monasterio, de quo eis magis expedire videbitur, apud aliquem vel aliquos, quem vel quos eligendum vel eligendos decreverint, iam dictum sigillum modo præacto servetur: praedictae tamen personae, quibus de dd. abbatis Cisterciensis et quatuor coabbatum totidem principalium filiarum consilio, ipsi tres abbates, ut praedicitur, committent vices suas, dum non solutas contributiones receperint, poterunt de solutionibus particularibus, quae fiunt extra capitulum generale, recognitiones facere sub sigillis propriis eorumdem; sed illa, quae fiunt postmodum eis, sigillabuntur praedicto speciali sigillo.

Capitulum gen. nihil de hac ordinatione potest immutare.

§ 24. Praemissa vero circa ordinationem contributionum sic exacte ac diligenter observentur in ordine antedicto, quod etiam per generale capitulum vel alium seu alios quoslibet, quovis colore quaesito, contra ea nihil fieri praesumatur; et si quis secus attentare praesumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.

De recipiendis in ordine.

§ 25. Nempe cautius providere volentes, quod pro divino cultu et aliis obsequiis praestandis in ordine praelibato, personae recipiantur idoneæ ipsis officiis congruentes, statuimus et ordinamus, quod de caetero in eodem ordine non recipiantur in monacos vel conversos nisi personae idoneæ ad ea, quae conveniunt monacis vel conversis praedicti ordinis, et nisi per abbates monasteriorum vel principaliter praesidentium regiminibus, et aliorum locorum conventualium ipsius ordinis et infra monasteria seu loca huiusmodi, cum consilio seniorum de conventu, seu maioris et sanioris partis eorum monasterii vel alterius loci conventualis, in quo monacorum vel conversorum fit receptio praedictorum. Si secus actum fuerit, carere viribus decernentes.

De habitu abbatum et monachorum:

§ 26. Profecto, quia honestas, temperantia et modestia debent in cunctis personis ecclesiasticis, et maxime regularibus divinis laudibus sedulius dedicatis, locum praecipuum obtinere, statuimus et etiam ordinamus, ut omnes abbates et praesidentes regiminibus aliorum locorum conventualium, et monaci eiusdem ordinis, pannis bruni vel albi coloris dumtaxat utantur, et quod domicellum seu domicellos de vestibus vel robis partitis aut

virgatis, sive alias sumptuosis indutum vel indutos ducere non praesumant.

Superfluitas in omnibus vitanda

§ 27. Quodque a curiositate aut superfluitate vasorum argenteorum, lectisterniorum et quorumlibet ornamentorum curent penitus abstinere. Contrarium vero facientes per abbates eorum et per visitatores, vel per capitulum generale ipsius ordinis, taliter puniantur, quod metus poenae aliorum, sic excedere volentium, meta existat.

Abbates unum tantum equitantem ducere possunt.

§ 28. Et quod abbates monasteriorum, et praesidentes regiminibus aliorum conventualium locorum dicti ordinis, exceptis abbate Cisterciense et quatuor coabbatibus totidem principalium filiarum supradictis, qui sunt et pro tempore fuerint, ultra unum saecularem clericum sive laicum equitantem ducere non praesumant.

Esus carnium prohibetur, et omnes in contrarium licentiae irritantur.

§ 29. Quia vero personas regulari observantiae deditas decet potissimum ab esu prohibitorum cibariorum, tam virtutis amore, quam poenae formidine abstinere, ne ab eis in castimoniae lubricum descendatur, auctoritate praesentium firmiter inhibemus, ne deinceps abbates et monaci dicti ordinis, extra monasteria seu loca conventualia eiusdem ordinis, et etiam ipsi monaci infra monasteria seu loca huiusmodi, aut in cameris et extra infirmitorium commune, carnes vel pulmenta cum carnibus condita vel decocta praesumant comedere, contra observantiam dicti ordinis diutius observatam. Nos enim licentias, quas aliqui abbates et monaci iam dicti ordinis dicunt a Sede Apostolica super esu carnium se habere, cum tales licentiae redundent in scandalum aliorum, penitus revocamus. Monacus autem vel conversus, qui huiusmodi nostrae inhibitionis transgressor extiterit, tribus diebus pro qualibet carnium vel dictorum pulmentorum comestione ieiunare in pane teneatur et aqua, et quod nihilominus quolibet ipsorum dierum in capitulo regularem accipiat disciplinam. Sed abbas inhibitionis praefatae transgressor, non ad disciplinam ipsam, sed ad huiusmodi ieiunia teneatur, et si scienter haec omiserit negligenter (1) facere observari, etiam ex negligentia huiusmodi teneatur ad ieiunia praelibata, quae quidem poenae nulli remitti valeant, nec super eis vel ipsarum parte aliqua cum aliquo dispensari. Quod si aliqui super esu carnium vel pulmentorum praedictorum saepe inventi fuerint delinquentes, seu esum ipsum contra ordinationem huiusmodi frequentantes, et per abbates proprios, quod a talibus abstineant, canonice moniti, non destiterint, sint post monitionem huiusmodi per biennium eo ipso inhabiles ad quaecumque officia et administrationes in eodem ordine obtinenda; obtinentes vero illa, removeantur, si abbatibus eorum visum fuerit, ab obtentis. Inhibemus quoque quod nullus monacus vel conversus dicti ordinis cuiuscumque conditionis existat, etiam si officium habeat, nisi aegritudine gravi vel debilitate detentus fuerit, carnes de caetero in cameris infirmitorii comedere praesumat; sed omnia comedant in refectorio communi infirmitorio deputato.

Locus coquendi carnes in casibus permissis.

§ 30. Neque carnes parentur nec decoquantur alibi, quam in infirmitorio communi seu in coquina eidem infirmitorio deputata vel in posterum deputanda, nisi abbas, ex aliqua causa rationabili, alibi decoqui vel parari mandaret easdem, vel in eius absentia, ille cui dictus abbas commiserit vices suas. Ubicumque autem carnes pro aliis, quam pro infirmis vel debilibus paratae fuerint, per infirmarium inter comedentes in infirmitorio dividantur.

Abbates quando dispensare possunt super esu carnium.

§ 31. Abbatibus vero benemeritis qui cesserunt vel cedent in posterum spontanea voluntate, locus et esus carnium per abbatem proprium secundum suae discretionis arbitrium concedantur. Et quilibet abbas dicti ordinis ex indulgentia possit interdum aliquos fratrum, nunc hos et nunc illos, prout necessitas postulaverit,

(1) Forsan *diligenter*.

advocare, ipsosque secum in camera sua melius et plenius exhibere. Abbates autem et aliae notabiles personae ipsius ordinis ad monasteria declinantes, de abbatis vel, eo absente, de praesidentis regimini eiusdem monasterii licentia in camera ipsius abbatis vel in communi infirmitorio carnibus uti possint.

Consuetudines contrariae irritantur.

§ 32. Et quoniam aliqui monaci dicti ordinis in nonnullis monasteriis et studiis sibi temere vendicare praesumunt, quod certis diebus qualibet septimana iuxta observantias seu consuetudines vel statuta, quae super hoc allegant, minus tamen rationabilia, eis carnes debeant ministrari; nos huiusmodi abusum, observantias, consuetudines seu statuta huiusmodi, utpote vergentia in eorum religionis opprobrium, et exemplum et perniciem aliorum, penitus reprobantes, auctoritate ordinamus eadem, quod nullus abbas, provisor, prior, cellerarius vel alius deinceps haec aliquatenus observare praesumat, nec etiam observari permittat, aut ministrare vel ministrari facere occasione observantiarum, consuetudinum seu statutorum praedictorum carnes alicui praedicti ordinis, praeterquam in aliis casibus licitis et permissis.

Dormiant monachi in communi dormitorio.

§ 33. Cumque tam secundum canonica, quam regularia instituta, in unum locum dormire debeant monaci universi, et praetextu camerarum seiunctarum, quae in aliquibus monasteriis extra infirmitoria propter cellas, quae in dormitoriis sunt constructae, multae sunt inhonestates et dissolutiones inductae; nos super his expressius et salubrius providere volentes, statuimus et ordinamus, quod nullus de caetero monacorum in cameris iacere audeat, nisi solummodo propter invalitudinem corporalem (et tunc in cameris infirmitorii dumtaxat), sed omnes in dormitorio iaceant, nisi forte ab hoc aliquis propter officium excusetur; et tunc possit alibi, si aliter commode in dormitorio iacere non valeat.

Cellae in dormitorio non construantur, et constructae destruantur.

§ 34. Ad hoc etiam statuendo et ordinando adiicimus, quod deinceps cellae in dormitorio nullatenus construantur, et siquae iam constructae fuerint, omnino per abbates vel principales praelatos proprios infra tres menses a tempore, quo hoc statutum et ordinatio ad eos pervenerit, et eis negligentibus seu non valentibus, per visitatores, in prima visitatione quam impendent, auctoritate apostolica destruantur; et quod super his resistentes eisdem vel impedimentum aliquod praestantes seu praestari procurantes et ad hoc dantes auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto. A qua quidem sententia nequeant nisi per visitatores absolvi praefatos, quos etiam ipsi visitatores per alia iuris et statutorum eiusdem ordinis remedia valeant coercere. Priores tamen claustrales et superiores possint iuxta abbatis vel praelati principalis arbitrium, cellam habere infra dormitorium competentem. Dicti autem visitatores, quod super his invenerint vel fecerint, referant plene ac fideliter in ipsius ordinis subsequenti capitulo generali.

Portio certa per monachos non recipienda.

§ 35. Quia vero in nonnullis monasteriis et aliis locis conventualibus dicti ordinis servari dicitur abusive, quod quilibet monachus certam bladi, panis, vini vel pecuniae recipiat portionem, nos prorsus abusum huiusmodi detestantes et etiam abolentes, ac volentes in hac parte utiliter providere, auctoritate praedicta firmiter prohibemus, quod deinceps in nullo ipsius ordinis monasterio fiant huiusmodi portiones. Sed ministrentur unicuique, prout communitas eiusdem ordinis observavit hactenus atque servat.

Concessio certi redditus similiter interdicitur.

§ 36. Adiicientes ac prohibentes etiam, quod nulli monaco certi redditus aut proventus seu pars redditaum vel proventuum aut aliqua pensio pro victu vel vestitu seu ex quacumque alia causa, de caetero concedantur vel alicui assignentur, aut alicui vel aliquibus monacis ab extraneis concessi vel donati permittantur

eisdem: sed in utilitatem monasteriorum ipsorum per abbates proprios convertantur.

Divisio quoque bonorum et redditum inter abbates et conventus vetatur sub poenis hic expressis.

§ 37. Quodque inter abbates et conventus, aut officiales alicuius monasterii dicti ordinis, nequaquam fiat sectio bonorum, fructuum, reddituum vel proventuum eorum, sed communibus ipsorum usibus deputentur. Nos enim concessiones vel assignationes eisdem monacis de dictis redditibus vel proventibus seu eorum parte aut pensione aliqua factas, ac sectiones bonorum seu discretiones fructuum, reddituum vel proventuum huiusmodi, si quae factae sunt, totaliter revocamus. Abbates vero, qui deinceps portiones praedictas aut sectiones seu divisiones huiusmodi bonorum et aliorum praefatorum monasteriorum suorum fecerint vel fieri concesserint, aut hactenus factas servare permiserint, deponantur. Monaci autem, qui praedictis restiterint vel impedimentum per se vel alium praestiterint seu praestari procuraverint, tanto tempore carceri mancipentur, quanto abbati seu alio principali praelato eorum visum fuerit expedire; ac si etiam abbati vel ipsi principali praelato in hoc contradixerint, perpetuo carceri mancipentur. Abbatibus vero benemeritis, qui voluntarie cesserunt vel cedent in posterum, sufficiens et congrua provisio, prout abbati et abbati successori cedentis abbatis, de consilio seniorum de conventu illius monasterii, cuius regimini cessit vel cedet, visum fuerit, assignetur et etiam praebeatur.

Equitaturae quibus sint concedendae

§ 38. Et ut omnis evagationis ac inutilium expensarum occasio subtrahatur, auctoritate inhibemus eadem, ne quisquam monacus vel conversus dicti ordinis cuiuscumque status vel conditionis existat, equitaturam tenere praesumat, cellarariis, procuratoribus et grangiarum gubernatoribus dumtaxat exceptis, quibus abbas possit hoc de una tantum concedere, si viderit expedire. Cellarariis tamen Cisterciensium et aliorum quatuor monasteriorum totidem principalium filiarum praedictarum duae possint equitaturae concedi, si eorum abbatibus videatur.

Contra peculium et proprietatem.

§ 39. Quamvis autem contra monacos proprietarios, exceptis administratoribus, sit plene provisum per canonicas sanctiones, cum abdicatio proprietatis sit annexa regulae monacali; nos tamen specialius providere volentes contra illos monacos et conversos dicti ordinis, qui suae salutis obliti, contra regularem institutionem, pecunia congregata, iura, possessiones, redditus, pensiones, animalia et alia bona emerunt seu emi fecerunt et faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis, aliisque ipsa tradunt animalia nutrienda, et cum augmento vel lucro, sibi vel alteri reddenda eorum nomine seu pro ipsis, et alios multos contractus tamquam negociatores exercent; necnon appetentes lucra turpia et sectantes peculium occultant et illicite detinent in suarum periculum animarum, auctoritate praefata decernimus, omnia praemissa, quae tamen alias restitutioni non subiaceant aliorum, fore per abbates proprios monasteriis propriis applicanda, et in utilitatem ipsorum monasteriorum totaliter convertenda. Quodque ipsi abbates alicui monaco vel converso, talia faciendi licentiam nequeant impertiri, et quod dicti monaci et conversi praedicta committentes vel huiusmodi applicationi seu conversioni aliqualiter resistentes vel impedimentum publice vel occulte praestantes seu praestari procurantes, et peculium praedictum non revelantes et reddentes abbatibus praelibatis, sint eo ipso inhabiles ad quodcumque officium, administrationem, regimen et gubernationem quamlibet in eodem ordine obtinenda: permittimus tamen quod cum ipsis monacis et conversis possit abbas eorum super poenis huiusmodi dispensare, dum praedicta revelaverint et plene restituerint, quando eis videbitur expedire. Monacis autem et conversis etiam administrationes habenti-

bus, pecunias vel alia bona quibuscumque mutuantibus vel debita fingentibus, quae non debent, talis poena per abbates proprios imponatur, quae sit illis ad salutaris correctionis profectum, et caeteris attentare similia volentibus in exemplum.

De victu et vestitu cuilibet subministrando.

§ 40. Et quia per ministros providos administrationes bonorum consueverunt fructuose ac laudabiliter exerceri, volumus, ut abbates monasteriorum eiusdem ordinis, sic bona monasteriorum suorum dispensare ac providere talia teneantur, quod monacis et conversis tam sanis quam infirmis sufficienter provideatur in victu ac vestitu secundum cuiusque monasterii facultates et qualitates cuiuslibet regionis.

Numerus monacorum sit iuxta facultates monasterii.

§ 41. Quodque in monasteriis praedictis non plures monaci vel conversi ponantur, quam ex facultatibus dictorum monasteriorum possit congrue provideri.

De locis Studiorum.

§ 42. Praebere quippe materiam intendentes, quod in eodem ordine per sacrae theologiae studium professores ipsius erudiantur et illustrentur in illa, ut in Ecclesia Dei sibi ipsis et aliis fructus salutis, favoris, honoris et honestatis, caelesti Agricola irrigante ac multiplicante, producant, matura deliberatione praehabita, subscripta de praefato et alias literali studio, scholaribus provectis, ac doctoribus, et alia quae circa ea rationabilia et opportuna fore perspeximus, auctoritate saepedicta statuimus, ordinavimus et disposuimus, pro moderno et postero tempore valitura, perpetuo et inviolabiliter observanda: videlicet quod generalia Studia dicti ordinis in sacra Pagina Parisiis, Exoniae, Tholosae et apud Montem Pessulanum Magalonen. dioec. deinceps existant. Studium autem quod Stellae Pampilonen. dioec. fore consuevit, Salamanticam transferimus propter propinquitatem Studii Tolosani: ordinantes quod Bononiae fiat Studium quando commode fieri poterit et domus pro studentibus, (1) vel ematur. Fiatque Salamanticae illud idem. Metisquoque sit particulare Studium in scientiis primitivis, ubi etiam domus pro Alamannis per generationem supradicti monasterii Morimundi ematur, quantum generatio ipsa in Alemannia se extendit. Quodque domibus eorum, qui studebunt Bononiae ac Salamanticae, illi abbates seu rectores eorum praesint, de quibus ordinabitur per ipsius ordinis capitulum generale.

Qui et ad quae Studia sint mittendi.

§ 43. De his namque provinciis, scilicet de Viennen., Tarentasien., Ebredunen., Arelaten., Aquen., Narbonen., Bituricen., Auxinaten., Tarraconen., Caesaraugusten., Burdegalen. et Tholosan. ad praefata Tholosan. et Montis Pessulani Studia transmittantur. Qui vero ad Stellam mitti consueverunt, Salamanticam destinentur, exceptis illis de regno Navarrae, qui mittantur ad ipsum Studium Tholosan. Sed Alamanni dirigantur ad Studium Meten. pro dictis scientiis primitivis, ad quod quidem Meten. Studium nullus de generatione Clarevallis mittatur invitus. Bononiam autem Italici, et Exoniam Anglici, Scoti, Vallenses et Hybernici destinentur. Sed ad Studium Parisiense, quod est caeteris praecipuum, et fons omnium studiorum, indistincte mittantur ex omnium natione vel generatione, secundum modum inferius annotatum, videlicet quod abbates monacos illos, quos habebunt ad dicta Studia mittere, ad ea de consilio patris abbatis vel visitatoris et conventus proprii aut sanioris partis eiusdem conventus transmittere teneantur. Sic tamen quod mittantur magis dociles et idonei, necnon ad proficiendum dispositi, et quod tali tempore transmittantur, quod prima die mensis octobris, vel circa, in Studio Parisiensi existant, in aliis vero Studiis in B. Lucae, vel Omnium Sanctorum festis infallibiliter sint praesentes.

Quot e quolibet monasterio ad Studium mitti debeant.

§ 44. Numerus autem mittendorum videtur sufficere, prout sequitur: consideratis oneribus iam dicti ordinis, et temporum qualitate, scilicet de quolibet monasterio cuiusque provinciae seu generationis, in quo sunt, vel erunt, aut esse

(1) Deest aliquid.

poterunt quadraginta monaci vel supra, Parisios debent mitti duo. De quolibet vero monasterio, in quo sunt, vel esse poterunt triginta monaci et supra, usque ad quadraginta monacos exclusive, ad idem Studium Parisiense debeat mitti unus. Et de quolibet monasterio in quo erunt vel esse poterunt decem et octo monaci et supra, usque triginta monacos exclusive, ad alia generalia Studia, vel Parisios, si mittentes maluerint, debeat similiter unus monacus destinari. Ad Metense autem Studium, cum fuerit institutum, de quolibet monasterio generationis dicti monasterii Morimundi, quantum ipsa generatio se in Alemaniam et ultra Renum extendit, in quo erunt vel esse poterunt a decem et octo monaci inclusive usque ad triginta monacos exclusive, unus mittatur ad minus pro scientiis primitivis. Pro quibus, dummodo ipsi mittentes ad aliud mittant, destinare ad alia non cogantur.

Studentium provisiones taxat.

§ 45. Provisionem equidem studentium taliter limitamus, et sufficientem esse conspicimus, videlicet quod magister regens Parisiensis de communi contributione dicti ordinis, vel de redditibus communibus octuaginta libras turonensium parvorum, et a monasterio proprio vigintiquinque libras eiusdem monetae, pro bursa et aliis necessitatibus suis: baccalarius vero regens Parisiis, de dicta communi vigintiquinque, et a proprio monasterio alias vigintiquinque, pro bursa et aliis necessitatibus eius: ac lector Bibliae in eodem Studio de praefato communi decem, et a proprio monasterio viginti libras ipsius monetae percipiant annuatim: quilibet vero scholarium studens in ipso Studio, viginti libras dictae monetae a proprio monasterio pro bursa et aliis necessitatibus suis percipiant similiter annuatim. Sed in aliis Studiis abbates ipsorum Studiorum rectores, magistro in theologica facultate in illis regenti, de quadraginta libris praedictae monetae pro bursa et aliis necessitatibus suis providere annis singulis teneantur. Quando autem baccalarius in eisdem Studiis reget, ubi commode non reperiretur magister, teneantur dicti abbates dicto baccalario de triginta libris praedictae monetae pro bursa et omnibus necessitatibus suis annis singulis providere.

Lectio Bibliae sit in quocumque Studio generali.

§ 46. Ordinamus quoque ut in quolibet generali praedictorum Studiorum unus, qui Bibliam biblice seu textualiter continue legat, existat, cui ultra quindecim libras iam dictae monetae, quas percipiat a proprio monasterio pro bursa, centum solidi eiusdem monetae pro omnibus aliis necessitatibus suis annuatim a cellarario de bursis scholarium tribuantur. Quilibet autem scholaris in dictis aliis Studiis generalibus praeter Studium Parisiense, ac in dicto Studio Metensi quindecim libras praedictae monetae a proprio monasterio pro bursa et omnibus aliis necessitatibus suis percipiat annuatim. Siquidem omnes provisiones huiusmodi tam abbates dictorum Studiorum rectores, quam abbates proprii, prout quemlibet eorum continget seu tangere poterit, mittere teneantur ad dicta Studia eorum sumptibus, et illas ibidem solvere, terminis superius designatis, quibus ipsi mittendi esse debent in Studiis memoratis.

Studiorum expensas facientes iurent ut hic

§ 47. Cellararii vero et alii expensas dictorum Studiorum facientes teneantur iuramentum praestare, quod omnia, quae recipient de provisionibus ipsorum Studiorum et studentium, fideliter dispensabunt, et tenebunt etiam reddere rationem de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis, praesentibus magistro seu lectore dictorum Studiorum, baccalario, et provisore, ac septem aliis discretioribus scholaribus, quos dicti provisor, magister et baccalarius ad id deliberaverint advocandos.

Abbates cessantes mittere studentes cum dictis provisionibus, poenam sustinent.

§ 48. Et ut ipsi abbates, qui ad mittendum adstringuntur, prout superius est expressum, diligentiam adhibeant, et abiiciant desidiam in praemissis, volumus et ordinamus, quod abbas, qui dictis ter-

minis monacos seu monacum, quemadmodum praetactum existit, non miserit cum provisionibus supradictis, teneatur elapso mense duplum provisionum huiusmodi suis expensis mittere ad Studium antedictum. Cuius quidem dupli medietas studenti, pro quo mitti debebant, pro libris applicetur emendis, et alia in usus communes aliorum studentium per cellarium convertatur. Et si dictus abbas duplum praefatum, ut praefertur, infra sex menses dictos terminos immediate sequentes, non miserit, ei sit eo ipso, elapsis ipsis sex mensibus, ingressus Ecclesiae interdictus, dictasque poenas incurrant abbates eorumdem Studiorum rectores, qui dictis terminis non miserint, et non solverint provisiones praefatas, prout superius est descriptum. Quod si praedicti poenas huiusmodi per tres menses, dictos sex immediate sequentes, pertinaciter tolerarent, eo ipso a divinis officiis sint suspensi.

Provisores animarum studentium deputantur.

§ 49. Et ut eisdem studentibus animarum cura non desit, volumus et ordinamus, quod in eisdem Studiis generalibus abbates ipsorum Studiorum rectores deputent idoneos provisores, qui curam habeant animarum studentium in eisdem, quique illos corrigant et absolvant, sicut proprii abbates subditos proprie corrigere et absolvere possunt in monasteriis eorumdem: propter hoc tamen dicti studentes a potestate proprii abbatis exempti aliquatenus non existant.

Quod si quis de ord. Cisterciens. in Studio Parisien. assignatus, sit dispositus ad magisterium theologiae vel baccalarium, non removeatur etc.

§ 50. Ubi autem erit aliquis de ordine ipso in Parisiensi Studio assignatus, qui sit vitae laudabilis, aliasque idoneus et discretus, et ad baccalariatum vel magisterium theologiae dispositus et propitius, abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, cum consilio magistrorum, baccalariorum et provisoris domus studentium Parisiis, mandet abbati proprio, quod talem non revocet, sed eum permittat in huiusmodi scientia perfici, et ad statum baccalariatus ac honorem magisterii provehi, lecturamque continuare, prout ipsius ordinis generale capitulum ordinabit; possit tamen ipsum generale capitulum, deficientibus magistris seu baccalariis in theologia, talem etiam ante baccalariatum vel magisterium in quolibet praedictorum generalium Studiorum principalem deputare rectorem, ut eidem generali capitulo visum fuerit expedire.

Studentes ordinis iura canonica non audiant.

§ 51. In favorem utique studii eiusdem theologiae, ut ab alumnis eiusdem ordinis studentibus illi ferventius attendatur, statuimus, ordinamus et prohibemus expresse, quod in nullo dictorum Studiorum legantur vel audiantur iura canonica, nec etiam extra illa, per aliquem studentium eorumdem; quod si quis contrarium attentare praesumpserit, sit eo ipso ad claustrum suum ab huiusmodi Studio revocatus. Nec cellararius dictorum Studiorum ex tunc in aliquo illi provideat, sed incontinenti ad proprium monasterium remittatur, et de transgressione ac inobedientia huiusmodi secundum arbitrium abbatis proprii puniendus.

Officiales idonei pro obsequio studentium deputentur.

§ 52. Et ut in dictis Studiis pro studentibus in eis necessaria non desint obsequia, volumus et ordinamus, ut praefati abbates ipsorum Studiorum rectores, in eis provideant de cellarariis et aliis officialibus idoneis, prout necessitas vel utilitas cuiuslibet Studiorum requiret ipsorum. Quodque ipsi cellararii et officiales iuramentum praestabunt de fideliter dispensando, ac de receptis et expensis cautionem reddendo, quemadmodum superius est expressum.

Qui rectores et officiales in Parisiensi et aliis Studiis eligantur et a quibus.

§ 53. Et quia decet et expedit, ut inter Studia caetera Studium Parisiense refloreat, et iuge sine intermissionis dispendio habeatur, statuimus et ordinamus, quod in eodem Studio Parisiensi deputentur magistri, baccalarii, lectores Bibliae, ac provisores, cellararii et officiales praedicti ordinis per capitulum generale. Quod si ipsi vel aliquis eorum deficiant, seu ex aliqua causa magistri, baccalarii et lectores lecturam assumere vel continuare, aut cellararii et officiales praefati

sua officia exercere nequirent, subrogentur alii loco eorum per visitatorem illius anni, usque ad sequens dumtaxat capitulum generale. In aliis etiam Studiis generalibus magistri seu lectores principales per dictum generale capitulum deputentur. Alii vero minores rectores et officiales per abbates eorumdem Studiorum rectores debeant deputari. In ampliorem namque favorem et continuationem durabilem Studii huiusmodi theologiae iam dictae statuimus et ordinamus, quod quamdiu pro dictis Studiis generalibus, praeter Bononiense, Salamantinum et Metense Studia, magistri in theologia idonei de praefato ordine in eodem Studio Parisiensi, vel si non ibi, alibi poterunt reperiri, teneatur idem capitulum generale, magistrum in theologia principalem deputare lectorem, alioquin magis idoneum baccalarium, quem ad hoc poterunt Parisiis, vel si non ibi, alibi reperiri, quos dictum capitulum generale ad suscipiendum et continuandum lecturam huiusmodi, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia, sublato appellationis obice, etiam auctoritate apostolica coarctandi, dicto capitulo ac definitoribus ipsius, nec non abbatibus dictorum Studiorum rectoribus, communiter vel divisim plenam atque liberam tenore praesentium concedimus potestatem. Praefato insuper capitulo generali similem potestatem concedimus compellendi, appellatione remota, per censuram et remedia huiusmodi, abbates ipsorum Studiorum rectores ad recipiendum magistros in theologia et baccalarios, ad praedictam lecturam et ad providendum eisdem de communi contributione ipsius ordinis et pro bursa et aliis necessitatibus, annis singulis, prout de provisionibus huiusmodi est superius limitatum. Ipsi vero magistri non pompose manere seu laute vivere praesumant in Studiis antedictis, sed humiliter et devote legant, cibis competentibus vescantur, et uno solo servitore clerico sint contenti. In Studio autem Metensi provideat de lectoribus et aliis officialibus domus studentium abbas supradicti monasterii Morimundi, qui est et qui pro tempore fuerit, de consilio sui conventus, vel maioris et sanioris partis eiusdem, prout sibi videbitur expedire.

*Doctorandi quid iurare, quidve observare debeant.*

§ 54. Et cum sit dedecens et deforme, ut quis, praesertim religiosus, cum vanitate et imperitia cathedram ascendat praeeminentiae magistralis, statuimus et ordinamus, quod de caetero nullus de ordine praedicto assumatur ad recipiendum magisterii seu doctoratus honorem, nisi prius per eum praestito iuramento in praesentia provisoris et studentium ipsius ordinis tunc praesentium in Studio, in quo huiusmodi honorem recipere voluerit, seu maioris partis numero eorumdem, quod in assumptione ipsius honoris vel ante seu post occasione illius, circa cibos, vestes vel alia non expendat per se vel per alium undecumque habuerit vel fuerit sibi datum; nec quantum in eo fuerit, ultra valorem mille Turonensium argenti expendi permittat ab aliis eius consanguineis vel amicis. Baccalarii etiam iurare similiter teneantur in praesentia praedictorum, quod occasione baccalariatus sui vel ante seu post, nullum festum seu convivium faciant per se vel alium, seu fieri permittant, quantum in eis fuerit, a quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis.

*Qui cursus Bibliae facere et qui sententias legere possint.*

§ 55. Ad haec denique statuimus et ordinamus, quod quicumque dicti ordinis, qui tamen in eodem Studio Parisiensi vel in aliquo alio praedictorum generalium ipsius ordinis Studiorum per sex annos in theologia studuerint, et ad hoc idonei extiterint, in dicto Studio Parisiensi possint cursus Bibliae facere, et qui per octo annos studuerint, ut praefertur, sententias legere in Parisiensi Studio memorato.

*Derogatio contrariorum.*

§ 56. Non obstantibus quibusvis statutis et consuetudinibus ac observantiis ordinis monasteriorum, locorum conven-

tualium et Studiorum saepe dictorum contrariis, iuramentis, confirmationibus apostolicis aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis, et illo praesertim statuto, quo in eodem Studio Parisiensi caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliae nisi ibidem studuerit septem annis, quodque non permittatur sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis, prout sic vel aliter in statutis ipsius Studii Parisiensis dicitur contineri: necnon quibuslibet privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, ordini, monasteriis, locis conventualibus et Studiis praefatis, sive universitatibus magistrorum et scholarium eorumdem, in contrarium concessis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum et ordinationum nostrarum omniumque aliorum et singulorum contentorum in eisdem praesentibus valeat quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam oporteat in nostris literis fieri mentionem.

Iussio hanc constitutionem in I capitulo generali et annis singulis in aliis legendi, et etiam semel in anno in particulari capit. cuiuslibet loci.

§ 57. Ne autem supradicta vel aliqua, seu aliquid eorumdem in oblivionis lubricum deducantur seu parvipendantur ab aliquo, quinimo ut de ipsis nunc et perpetuis futuris temporibus notitia certior habeatur, eadem auctoritate statuimus, ordinamus et districte iniungimus, ut in primo generali capitulo dicti ordinis et deinceps singulis annis, in eodem capitulo generali ac semel quolibet anno in quocumque monasteriorum et locorum conventualium praedicti ordinis, omnibus monacis eorum in capitulo ad hoc specialiter congregatis, praemissa omnia et singula de verbo ad verbum legantur et etiam publicentur. Nulli ergo, *etc.* Si quis autem, *etc.*

Datum apud Pontem Sorgiae Avinionensis dioecesis, IV idus iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 iulii 1335, pontif. anno I.



## V.

*Definitio quorumdam articulorum circa Beatorum visionem, animarumque beatitudinem et damnationem.*

SUMMARIUM

Romanae Ecclesiae est cuncta definire et corrigere. — Ioannes ideo Pont. XXII censuit definire dissensiones quorumdam articulorum de quibus hic, sed morte praeventus, id perficere non potuit. — 2. Hic modo Pont. dictas dissensiones terminat cum infrascriptis definitionibus. — 3. Definitio circa beatitudinem animarum fidelium defunctorum. — 4. Definitio circa damnationem animarum decedentium in peccato mortali. — 5. Prohibitio aliter tenendi. — Sanctio poenalis.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Romanae Ecclesiae est cuncta definire et corrigere.

Benedictus Deus in donis suis et sanctus in omnibus operibus suis, qui sacrosanctam Romanam catholicam et apostolicam Ecclesiam, quam ut vineam plantavit dextera sua, quamque ut praecipuam in Ecclesiarum omnium caput erexit ut victricem (1), dicente Domino ad Petrum: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, sua miseratione non deserit, sed per beatos Apostolos suos, praecipue Petrum et Paulum singulares eiusdem Ecclesiae defensores, pia benignitate et continua pietate custodit: quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis manet, fundata supra firmam petram; omnesque christianae fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina et correctione consistant. Non in illa dogmatizetur improvidum, inseratur incautum, in fide temerarium ingeratur: sicque declinent homines a malo et faciant bonum, ambulent per vias rectas et ad meliora per sancta desideria proficiscantur, ut sperent iustorum propinquas aeternae vitae retributiones, timeant malorum inferni calamitates non remotas.

(1) Alias *veritatem*.

Nam scriptum est: Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique iuxta opera sua. Quod si secus a quoquam fuerit attentatum, id protinus sua auctoritate, poenis etiam adiectis, prout expedire viderit, prorsus evellat. Pro qua, ut in seipsa subsistens alios informaret, Passionis suae tempore Salvator noster Iesus Christus Patrem exorasse perhibetur dicens: Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Ioannes ideo Pont. XXII censuit definire dissensiones quorumdam articulorum de quibus hic, sed morte praeventus, id perficere non potuit.

§ 1. Sane dudum tempore fel. rec. Ioannis XXII praedecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicae facultatis magistros super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc saeculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an divinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem, et iudicium generale: et super nonnullis aliis orta materia quaestionis, ipsorum aliqui negativam, aliqui affirmativam, alii vero secundum suas imaginationes, de visione divinae essentiae ab animabus huiusmodi, diversa et diversimode ostendere nitebantur, prout ex dictis et scriptis ipsorum noscitur apparere; super reiectis vero suis concertationibus, quas hic causa brevitatis omittimus, quia ita ex nostris determinationibus inter se etiam (1) decidebant. Cumque idem praedecessor noster, ad quem praedictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet in suo consistorio publico, tam fratribus suis S. R. E cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam praelatis et magistris in theologia, qui multi aderant praesentes, iniungendo districtius et mandando, ut super materia de visione praedicta, quando requirerentur ab eo, deliberate unusquisque diceret, quod sentiret. Tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, perficere illud nequivit.

(1) Alias *dissidebant*.

Hic modo Pont. dictas dissensiones terminat cum infrascriptis definitionibus.

§ 2. Defuncto itaque praedecessore praefato, nos divina dignatione ad apicem summi apostolatus assumpti, diligentius attendentes, quanta ex praemissis eorum concertationibus non solutis animarum imminent pericula, quanta exinde possunt scandala suboriri, ut ipsorum varietas pereat, et veritatis soliditas innotescat, habita prius super praedictis sollicita examinatione et diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictae Romanae Ecclesiae cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate apostolica definimus.

Definitio circa beatitudinem animarum fidelium defunctorum.

§ 3. Quod, secundum communem Dei ordinationem, animae sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi Passionem decesserunt, nec non sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum; vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae; ac quod animae puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizandorum cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale, post ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in coelum, fuerunt, sunt et erunt in coelo, coelorum regno et paradiso coelesti cum Christo, sanctorum angelorum consortio aggregatae, ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva, et etiam faciali, nulla mediante creatura, in ratione obiecti visi se habente; sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente. Quodque

sic videntes eadem divina essentia perfruuntur. Necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae, et habent vitam et requiem aeternam, et erunt illorum, qui postea decedent, cum eamdem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante iudicium generale. Ac quod visio huiusmodi divinae essentiae, eiusque fruitio, actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes propriae theologicae sunt virtutes. Quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercessione seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata extitit et continuabitur usque ad finale iudicium, et ex tunc usque in sempiternum.

Definitio circa damnationem animarum decedentium in peccato mortali.

§ 4. Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

Prohibitio aliter tenendi.

§ 5. Decernentes, praedictas nostras definitiones seu determinationes et ipsarum singulas ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps praedictarum nostrarum definitionum seu determinationum ac singularum ipsarum contrarium scienter et pertinaciter tenere, asserere, praedicare, docere aut defendere verbo vel scripto praesumpserit, contra eum sicut contra haereticum modo debito procedatur.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, *etc.*

Dat. Avinione, 4 kalendas februarii, pont. nostri anno 2.

Dat. die 29 ianuarii 1336, pont. anno II.

## VI.

### *Ordinationes et reformationes pro bono regimine monacorum Nigrorum ordinis S. Benedicti.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Sanctio concilii generalis de communi abbatum concilio servanda. — Cap. I. De capitulis provincialibus. — II. De visitatoribus. — III. De capitulis generalibus, et reddendis rationibus. — IV. De subventionibus et collectis. — V. De capitulis quotidianis. — VI. De studiis. — VII. De studentibus ad generalia Studia mittendis. — VIII. De pensionibus studentium. — De promovendis ad baccalaureatum, magisterium, *etc.* — IX. De mutuis, venditionibus sylvarum et concessionibus iurium. — X. De fictis et dolosis contractibus. — XI. Forma iuramenti a praelatis praestandi. — XII. De spoliis. — XIII. De inventariis a superioribus locorum faciendis. — XIV. De locis non tradendis ad firmam nisi cum certa solemnitate. — XV. De privilegiis et rebus aliis non tenendis extra loca administrationum. — XVI. De monachis et conversis proprietariis et negotiatoribus. — XVII. Ne victualia in pecunia ministrentur. — XVIII. Ne saeculares deputentur ad victum monachis ministrandum, nec monachi alterius monasterii aut ordinis. — XIX. Ne mulieres morentur in monasteriis. — XX. Ne monachi nutriant vel teneant animalia aut laicos in monasteriis. — XXI. De solvendis censibus et redditibus pro alimentis monachorum. — XXII. De receptione monachorum. — XXIII. De forma et honestate vestium. — XXIV. De licentiis extra monasteria exeundi dandis; et de poenis apostatarum. — XXV. De monachis ad beneficia mittendis; et modo conversandi in eis. — XXVI. De esu carnium et abstinentia: — De dormitorio, modoque cubandi. — XXVII. De missarum celebratione et communione caeterorum. — XXVIII. De custodia ornamentorum Ecclesiae, et provisione librorum. — XXIX. De decanis et praepositis, aliisque ad sacerdotium promovendis. — XXX. De instituendo priore claustrali. — XXXI. De monachis obtinentibus beneficia in monasteriis alienis. — XXXII. De obtinentibus

beneficia ex collatione apostolica. — XXXIII. De numero monachorum in beneficiis, quae personis extra ordinem conferuntur. — XXXIV. De reparanda disciplina, ubi fuerit collapsa. — XXXV. De monachis ad monasteria transmittendis. — XXXVI. Ex ordinibus mendicantibus non recipiendi fratres, nisi licentiam, vel apost. dispensationem ostendant. — XXXVII. Quibus sub conditionibus audiendus monachus superiorem suum accusans. — XXXVIII. De conspirationibus. — XXXIX. De hisce statutis publicandis. — Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Proœmium.

Summi Magistri dignatio nos (quamquam immeritos) miseranter in apostolici magisterii cathedra collocavit, ut nedum praesimus, sed prosimus pariter operibus et exemplis, super cunctum gregem dominicum nostrae fidei fiducialiter creditum vigilemus, et labores expendamus assiduos, ut nobis et aliis salutis commoda procuremus. Proinde namque inter caeteros ordines religionesque sacras in triformis conflictu militantis Ecclesiae strenue dimicantes, ad sacram religionem monacorum Nigrorum nostrae dirigentes attente considerationis intuitum, optamus in Domino Iesu Christo, ut sicut ipsa religio a mari usque ad mare per incrementa temporum suos palmites dilatavit, sic per universa orbis climata virtutum radiis luminosis iugiter illustretur. Et quamquam circa illius salubrem et felicem statum eiusque attinentias, tam per regulares institutiones almorum Patrum, qui de hoc saeculo feliciter transiverunt, quam etiam per iuridicas sanctiones provisum existere dignoscatur; nos tamen ob zelum amplioris salutis et maioris prosperitatis eiusdem intra nostra praecordia et cum nonnullis ex fratribus nostris S. R. E. cardinalibus et dilectis filiis Petro Cluniacensi, Ioanne Casedei, Gilberto Massiliensi, Raymundo Salmodiensi, Guillelmo Montisoluti et Gregorio Ysiodorensi monasteriorum abbatibus eiusdem religionis, decretorum doctoribus, diligenti tractatu praehabito et super eo digesta deliberatione secuta, ut eadem religio in divini cultus obsequio floreat, honestatis candore fulgeat, disciplina regulari præemineat, sapientiae ac scientiae divinae pariter et humanae (sine quibus mortalium vita non regitur) fulgoribus rutilet, nec decrescat in profectu substantiae temporalis, sed potius augeatur, vigeatque inter coenobitas suos caritatis soliditas, et persistat sanctimoniae fortitudo, in virtute dominica confidentes, ut praemissa valeant, cooperante superna Omnipotentia, efficaciter provenire, auctoritate apostolica statuta edimus et ordinationes facimus, quae ordinatim subscripta serie describuntur, quaeve ubique terrarum et locorum infra et per ipsam religionem eadem auctoritate volumus perpetuis futurisque temporibus firmiter observari. Per editionem nempe statutorum et ordinationum praedictorum, non intendimus aliis iuribus institutis (quatenus eisdem statutis et ordinationibus expresse non obviant) aliquatenus derogare, sed illa potius approbare.

Sanctio concilii generalis de communi abbatum concilio servanda (1).

§ 1. Subiunctive igitur statuta et ordinationes huiusmodi explicantes; constitutionem concilii generalis de communi capitulo abbatum atque priorum abbates proprios non habentium, in singulis regnis sive provinciis faciendo, de triennio in triennium volumus exacte, ne committatur neglectui observari.

## Cap. I.

De capitulis provincialibus.

Statuimus et etiam ordinamus, quod in ordine seu religione dictorum monacorum Nigrorum in singulis provinciis per nos inferius deputatis fiat in loco ad hoc deputando de triennio in triennium (salvo iure dioecesanorum) commune seu provinciale capitulum abbatum et priorum abbates proprios non habentium, aliorumque priorum Ecclesiarum cathedralium ipsius ordinis seu

(1) Conc. gen. cap. 7, *De statu monac.*

religionis vel aliorum maiorum in ipsis Ecclesiis post antistites eorum existentium, quocumque nomine nuncupentur, caeterorumque praelatorum abbates proprios non habentium, ut praefertur, exemptorum ordinis seu religionis eiusdem. Ad quod quidem capitulum (iusto impedimento cessante) praedicti abbates, priores et praelati alii conveniant universi. Et circa id ad reformationem ordinis seu religionis huiusmodi et observantiam regularem adimplere studeant, quae in constitutione huiusmodi explicantur. Qui vero ad ipsum capitulum personaliter venire nequiverint: ad allegandam iusti impedimenti causam commonacum suum eiusdem Ecclesiae vel monasterii (si commode fieri valeat) alioquin alium idoneum cum sufficienti mandato causam excusationis sufficientem et claram, et etiam potestatem in animas eorum iurandi veram esse causam huiusmodi exprimentem, ad dictum capitulum transmittere teneantur: reservato praesidentium huiusmodi provincialibus capitulis arbitrio. Quorum potestas de uno provinciali ad aliud provinciale capitulum habeat perdurare: ut pro eorum arbitrio decernere valeant, an causa excusationis vel causae excusationum, cum diversae allegatae fuerint, sufficientes vel insufficientes existant: et quod cuiquam non sit licitum ab eorum decreto super hoc frivole appellare, vel quovis modo alio reclamare. Non venientes autem, legitimo impedimento cessante, vel excusatorem et procuratorem commonacum suum vel alium idoneum cum sufficienti mandato ad illud, ut praemittitur, non mittentes, teneantur duplum eius, quod expensuri fuissent ad praedictum capitulum veniendo et in eo morando ac redeundo ab ipso, iuxta eorumdem praesidentium arbitrium seu maioris partis eorum aestimando, in termino per ipsos praesidentes statuendo, exsolvere, in utilitatem ipsius provincialis capituli convertendum. Quodque possint ipsi praesidentes illos ad duplum huiusmodi exsolvendum per censuram ecclesiasticam auctoritate apostolica coercere. Eorumque super hoc faciendum processum et ferendas sententias publicare seu publicari facere in locis ordinis seu religionis eiusdem. Et quod circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat gratia fieri vel remissio indulgeri. Et nihilominus contra non venientes praefatos, maxime si se malitiose subtrahant vel ut correctionem evitent, sive ut nesciatur status Ecclesiae vel monasterii eorumdem, alias, prout dictis praesidentibus seu maiori parti eorum visum fuerit, procedatur, ipsorum absentia non obstante. Circa praesidentes namque ac visitatores in eisdem capitulis deputandos et alia omnia in eis exequenda, illa serventur, quae in dicta generalis concilii et fel. rec. Honorii Papae III praedecessoris nostri constitutionibus expressius continentur. Servatis tamen statutis, ordinationibus et adiectionibus nostris suprascriptis et infrascriptis, quemadmodum modificatur et perstringitur in eisdem. Et quia praelatorum et monacorum ipsius ordinis seu religionis regularis est institutio et observantia salutaris, decernimus, priores Ecclesiarum cathedralium ordinis seu religionis eiusdem, aut maiores in ipsis Ecclesiis post earum antistites existentes, ac post ipsos antistites regularem curam monacorum habentes, quocumque nomine censeantur, ad conveniendum in ipsis capitulis provincialibus sub modis et poenis superius designatis, necnon eosdem priores seu maiores et capitula, cunctosque monacos eorumdem Ecclesiarum sive monasteriorum, etiamsi in ipsis Ecclesiis vel monasteriis seu extra ea ubicumque prioratus, officia vel administrationes habuerint seu moram traxerint, tam exemptos quam non exemptos, etiamsi ipsi non exempti aliquibus exemptis antistibus sint subiecti, fore sub dictorum capitulorum provincialium districtionibus, correctionibus et ordinationibus inclusos et etiam comprehensos et ad illas sub poenis,

quas dicti praesidentes eis duxerint imponendas per ipsos praesidentes, ac etiam quoscumque dictarum Ecclesiarum monacos praefatos beneficia monacalia ad easdem Ecclesias pertinentia obtinentes, ad contributionem in expensis moderatis rationabilibus, quas dicti priores seu maiores fecerint ad ipsa capitula veniendo et in eis stando ac de illis redeundo, per priores seu maiores praedictos, auctoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam et alia remedia opportuna, sublato appellationis obstaculo, compellendo. Quodque quivis ordinarii locorum, exempti et non exempti, nullum praedictis vel singulis impedimentum apponant vel apponi permittant: sed legitimis temporibus requisiti, ea omnia et singula faciant executioni mandari et inviolabiliter observari. Praecavere siquidem intendentes, ne impedimentum accidens conventioni alicuius provincialis capitulo obesse valeat, intelligimus et volumus, quod si contigerit Ecclesias cathedrales, monacales, prioribus vel aliis post ipsarum antistites (existentibus in eis maioribus, ut praefertur) vel monasteria seu loca alia ordinis aut religionis eiusdem suis vacare seu carere pastoribus, qui adstricti essent ad conveniendum in provinciali capitulo antedicto, tempore videlicet quo imminebit ipsum provinciale capitulum celebrandum, teneantur capitula Ecclesiarum et conventus monasteriorum, aliorumque locorum conventualium praedictorum, personam sufficientem de gremio Ecclesiarum, monasteriorum et locorum eorumdem (si commode fieri possit) vel aliunde (dum tamen idoneum) transmittere ad dictum capitulum pro faciendis et adimplendis omnibus, quae facere possent abbates, priores, necnon priores seu maiores in ipsis Ecclesiis cathedralibus seu aliis eiusdem locis conventualibus praesidentes praefati, si venissent ad idem capitulum et in eo personaliter interessent. Quod autem praemittitur de provinciali capitulo de triennio in triennium celebrando, ad cuiuslibet haesitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus intellectum: scilicet, ut cum uno anno provinciale capitulum fuerit celebratum, alio proximo futuro anno ab illo valeat abstineri: et fiat omnino anno tertio subsequenti. Sane quia supervacuum foret edere sanctiones, si praetermitteretur eorum executio, et non essent, qui tuerentur easdem: ordinamus et volumus, ut dictum commune seu provinciale capitulum, apud unum de monasteriis eiusdem ordinis seu religionis ad hoc aptum (si in eadem existat provincia) debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo et securo, de quo, ac de die primi capituli huiusmodi celebrandi et aliis opportune facientibus circa idem, providebunt illi, qui super hoc per Sedem Apostolicam fuerint deputati prima vice. Et ut super eodem capitulo et per illud ex tunc in posterum et perpetuo rationabilis ordinatio habeatur, statuimus quod in dicto capitulo primitus celebrando et semper in antea successive, praesidentes singulis capitulis celebrandis seu maior pars eorum provideant et ordinare procurent, per quem in sequenti capitulo sermo fieri, missaque celebrari debeat, et eligant locum pro celebrando alia vice proxima praefato capitulo, et qui praesidentes esse debeant in eodem, et sic ex tunc fiat in provincialibus capitulis successivis. Provideant etiam qui abbates, quae et quot ac quotiens Ecclesias cathedrales, monacales, monasteria et alia loca eiusdem ordinis seu religionis debeant usque ad ipsum sequens provinciale capitulum visitare. Ut igitur de provinciis in quibus huiusmodi capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum haesitetur, quamlibet provinciam, prout sequitur, deputamus; videlicet quod provinciae Remensis et Senonensis, pro una. Rothomagensis et Turonensis, cum monasterio S. Florentii Veteris et membris suis, quod in nullo episcopatu esse dicitur, pro alia. Bituricensis et Bur-

degalensis, cum toto episcopatu Aniciensi, pro alia. Narbonensis, Tholosanus et Anxiatensis, pro alia. Cantuariensis et Eboracensis, pro alia. Compostellana et Hispalensis, pro alia. Toletana, pro alia. Bracharensis, pro alia. Tarraconensis et Caesaraugustana, cum toto episcopatu Maioricensi, pro alia. Lugdunensis, Bisuntinensis, Tharantasiensis, pro alia. Viennensis, Arelatensis, Aquensis et Ebredunensis, pro alia. Urbs Romana, cum episcopatibus nobis immediate subiectis, necnon Sublacensi et Farfensi monasteriis, quae in nullo episcopatu consistunt, in nostra provincia constitutis, pro alia. Reginensis, Cusentinensis, S. Severinae et Rossanensis, cum Miletensi et Bisignanensi episcopatibus, pro alia. Consanensis, Acheruntinensis, Taratinensis, Brundusinensis et Hydruntinensis, pro alia. Barensis, Tranensis, Sipontinensis et Beneventanus, cum Troiensi, Melphiensi, Rapallanensi episcopatibus, pro alia. Neapolitanensis, Capuanensis, Salernitanensis, Amalphianensis et Surrentinensis, cum Cassinensi, Ravellensi et Aversanensi episcopatibus et monasterio S. Vincentii de Vulturno, quod in nullo episcopatu existit, pro alia. Panormitanus, Messanensis et Montisregalis, cum episcopatu Melevitano, pro alia. Armacanensis, Dublinensis, Cassellensis et Caumensis, pro alia. Regna Scotiae, pro alia. Boemiae, pro alia. Daciae, Norwegiae pro alia. Svessiae, Sardiniae et Corsicae, pro alia. Cypri, pro alia. Provinciae Thebanensis, Atheniensis, Patracensis, Corinthiensis et Neopacensis, cum toto patriarchatu Constantinopolitano habeantur pro alia. Patriarchatus Aquileiensis et Grandensis, ac provinciae Iadrensis, Spalatensis et Ragusinensis, pro alia. Provinciae Mediolanensis, Ianuensis et Pisana, pro alia. Ravenna cum Ferrariensi et Placentinensi episcopatibus, pro alia. Maguntinensis cum episcopatu Bambergensi sive regno Boemiae, pro alia. Coloniensis et Treverensis, pro alia. Bremensis et Maldeburgensis, cum episcopatu Caminensi, pro alia. Salzburgensis, pro alia. Regensis, pro alia. Caeterum si quis episcopatus aut si qua monasteria vel loca dicti ordinis vel religionis fuerint, quae in aliqua dictarum provinciarum minime includantur, quoad praedicta capitula, de illa provincia esse volumus, cui episcopatus, monasteria et loca huiusmodi viciniora existent.

## Cap. II.

De visitatoribus.

Porro visitatores, qui secundum praedictam constitutionem ipsius generalis concilii fuerint in huiusmodi provincialibus capitulis deputati, sint idonei, soliciti et discreti circa visitationis eorum officium exequendum: et cuncta observent, quae in praefata eiusdem concilii et alia dicti Honorii, praedecessorum nostrorum, constitutionibus statuta existere dignoscitur. Quod si visitatores ipsi illa exequi omiserint negligenter, eas poenas incurrere volumus ipso facto, quas incurrunt hi, qui non veniunt ad capitulum provinciale, praepeditionem canonicam non habentes. Et quia cupimus, ut huiusmodi praefatorum visitatorum officium cum omni sinceritate procedat, interdicimus, quod nullus visitatoris sibi deputati eodem anno esse valeat visitator. Praedicti autem visitatores vel familiares eorum in Ecclesia cathedrali, monacali, vel monasterio, seu loco alio ipsius ordinis seu religionis, ad quae visitationis causa duxerint declinandum, ultra duos dies nequaquam remaneant, nisi evidens necessitas vel magna utilitas Ecclesiae, vel monasterii, seu loci huiusmodi per eos visitatores ampliorem inibi moram visitatorum vel familiarium exigerent eorumdem, sed tunc id efficiant de Ecclesiae, vel monasterii, seu loci huiusmodi praefatorum consilio seniorum: nec visitatores seu familiares ipsi eisdem Ecclesiis, monasteriis et locis visitatis onerosi et graves existant. Non sumptuosas epulas quaerant: sed cum gratiarum actione

recipiant quod illis honeste et competenter fuerit ministratum. Dicti quoque visitatores et familiares ipsorum nullam pecuniam huiusmodi occasione, seu quolibet alio modo recipiant; nec ipsi vel quisquam suorum aliquod munus, quodcumque sit, vel qualitercumque offeratur, praesumant recipere: ut non quae sua sunt, videantur quaerere, sed quae Christi. Unde statuimus et ordinamus, ut universi et singuli visitatores huiusmodi, vel familiares ipsorum, qui praeter expensas eis dumtaxat in victualibus exhibendas, exigere vel recipere pecuniam etiam a volente, quod si ipsi vel quisquam suorum familiarium similiter munera recipere quoquomodo praesumpserint, duplum eius, quod receperunt, Ecclesiae vel monasterio, seu alteri loco ipsius ordinis seu religionis eiusdem, a qua vel a quo id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc visitatores huiusmodi duplum ipsum eis ultra huiusmodi tempus restituere differentes, ab officio huiusmodi et beneficio noverint se suspensos, quousque huiusmodi gravatis Ecclesiis vel monasteriis, aut locis, de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, libertate vel gratia valituris. Et nihilominus (si expedierit) ipsi visitatores sic suspensi, per praesidentes dictis capitulis, et eorum quemlibet ad restitutionem praefati dupli, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia, remoto appellationis obice, compellantur. Et quia procedit de virtute prudentiae, si via scandalis praecludatur, inhibemus visitatoribus memoratis, ne illos, seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus revelaverint, praesumant aliis revelare: nisi tunc demum cum propter revelata huiusmodi ad alicuius punitionem vel poenam fuerit procedendum. Aliter autem huiusmodi revelantes puniantur plus vel minus, prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium praesidentium eorumdem.

## Cap. III.

*De capitulis generalibus, et reddendis rationibus.*

Rursus quia Ecclesiis cathedralibus et monasteriis eiusdem ordinis seu religionis ad salutem et prosperitatem noscitur provenire, cum in eorum singulis annuatim generale capitulum celebratur, in quo alii abbates, priores, praelati et administratores eis subiecti, ordinis seu religionis ipsius, conveniant die praestituto in illis, in quibus statutum existit: dieque statuendo in illis, in quibus nondum ad hoc dies huiusmodi constitutus, ut membra suo capiti consonent, et caput respiciat sua membra: statuimus et etiam ordinamus, ut in singulis Ecclesiis cathedralibus et monasteriis antedictis, die statuto et statuendo, singulis annis generale capitulum celebretur, in quo cum praelatis eorum alii abbates, priores, praelati et administratores immediate eisdem subiecti studeant convenire ad tractandum de reformatione huiusmodi ordinis seu religionis, et observantia regulari: nec non corrigant et reforment ibidem tam in spiritualibus quam in temporalibus quae corrigenda fuerint ac etiam reformanda. Et in quo tam abbates, priores seu administratores principalium monasteriorum, et administrantes in ipsis Ecclesiis cathedralibus, quam praedicti alii subiecti, de administrationibus cuiuscumque ipsorum reddant in scriptis (quamvis non requisiti) rationem fidelem: summas videlicet rerum principalium et grossarum, quoad receptas et expensas annuas veraciter explicando; necnon quanta et qualia supersint et etiam debeantur; et ex qua causa, et a quibus personis, aut desint etiam, veraciter exprimendo. Qui vero legitime praepediti ad capitulum huiusmodi venire nequiverint, procuratores idoneos sufficienter instructos, cum sufficienti mandato excusationum suarum causas rationabiles etiam exprimente, cum potestate iurandi in eorum animas causas

huiusmodi fore veras; et reddendi rationem praedictam, et alia faciendi, quae ipsi facerent, si praesentes existerent, ad illud transmittere teneantur. Quod si non venerint non impediti legitime, vel non transmiserint ad idem capitulum (ut praefertur), poenis subiaceant superius contra non venientes ad capitula provincialia constitutis. Quorum compulsio, et ipsarum poenarum executio ad abbatem illius monasterii principalis, in quo ipsum capitulum celebratur, vel ad illum, qui maior est post antistitem in illa cathedrali Ecclesia, in qua celebrari continget capitulum praelibatum, auctoritate apostolica pertineat, prout supra de praesidentibus provincialibus capitulis est statutum. Et quia memoriam perpetuat et cautelam adiicit conservatio scripturarum, volumus et ordinamus, quod duae scripturae consimiles fiant, rationes huiusmodi continentes: quarum una penes illum, qui Ecclesiae post antistitem, seu monasterio, ubi dictum capitulum celebrari contigerit, praesidebit; et alia in arca pro sigillo capituli Ecclesiae vel conventus monasterii praefatorum deputata vel deputanda; seu alio loco competenti (de quo huiusmodi praesidenti et capitulo seu conventui vel maiori parti eius videbitur) ad cautelam et providentiam necessariam et utilem conserventur. Volumus insuper, ut cellararii, camerarii, hospitalarii, eleemosynarii, infirmarii et alii officiales quicumque, quocumque nomine censeantur, victum seu vestitum conventui vel aliis in dictis Ecclesiis vel monasteriis, sive locis conventualibus ministrantes rationem plenam et explicitam de receptis expensis, ratione administrationum vel officiorum huiusmodi, ter annuatim (computata ratione quam reddiderint in generali capitulo, ut praefertur) in fine scilicet cuiuslibet quarti mensis, etiam irrequisitis praelatis, qui Ecclesiis, monasteriis, et aliis locis conventualibus praesunt et præerunt antedictis, et capitulis seu conventibus eorumdem, aut illis discretis qui ad rationem ipsam audiendam et fideliter eis referendam deputati fuerint, reddere teneantur: proviso attentius, quod illis ex huiusmodi administratoribus, prioribus seu officiatis, qui gravia et enormia crimina commiserint vel committent, vel alias demeriti fuerint; sive per annum excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias rationabiliter in eos latas pertinaciter tolerabunt, et de his convicti fuerint; vel alias legitime constiterit, ab eorum superioribus cum consilio seniorum Ecclesiarum vel monasteriorum, seu locorum praedictorum, nedum a suis administrationibus, prioratibus vel officiis seu beneficiis amoveri valeant; sed ob crimina vel demerita huiusmodi poenis debitis percellantur; ut sit eis in poenalis confusionis opprobrium, et perniciosum non transeat aliis in exemplum. Ne vero per cuiuspiam calliditatis ingenium evenire contingat, quin capitula praedicta celebrentur locis et temporibus debitis, quemadmodum superius est distinctum, quia forte praetenderetur occasio, quod Ecclesiae, monasteria et loca praedicta gravata forent, et sumptus existerent evitandi: nos providere volentes, ne capitulorum ipsorum generalium, tantae salutis et prosperitatis fructibus obventuris malignitatis statibus resistatur, taliter ordinamus, quod illi, qui venire tenentur ad provinciale capitulum de triennio in triennium, et ad cuiusvis Ecclesiae vel monasterii annuatim capitula praelibata, vivant cum aliis ipsius loci monacis in communi, et familiaribus suis clericis et laicis, et etiam evectionibus extra Ecclesias vel monasteria et loca ipsa, de suis propriis redditibus providere in necessariis teneantur, quavis constitutione seu consuetudine contrariis non obstantibus. Licet autem circa rationes de administrationibus et officiis (ut praemittitur) reddendas duxerimus providendum: quia tamen veritatis claritas latebras non requirit, sed metas potius patentis clarita-

tis exposcit, cautius in hac parte super his Ecclesiarum, monasteriorum et locorum praefatorum occurrentes dispendiis et profectibus providentes, volumus, ut visitatoribus (1) capituli provincialis, qui pro tempore fuerint, cum ad Ecclesias, monasteria, prioratus et loca huiusmodi venerint, eorum officium exequendo, nequaquam omittant, quin de statu spirituali et temporali Ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum et locorum praedictorum plenarie se informent, ut sic reformando vel referendo (prout secundum iura et ordinationes capitulorum huiusmodi salubrius et utilius fuerit), Ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis ipsis providere valeant visitatis; proviso, quod praedicta provincialia et alia Ecclesiarum et monasteriorum praedictorum capitula non concurrant ad invicem; ne valeat unum per aliud impediri. Caeterum statuimus, ut omnes et singuli ad eadem capitula venientes, non ducant, vel duci faciant seu permittant, evectiones seu familiares in numero superfluo seu quomodolibet excessivo: sed numero evectionum et familiarium statui eorum cuiuslibet congruo eos volumus et praecipimus esse contentos. Ipsi autem familiares et alii, quos ducent vel duci facient seu tenebunt, sint humiles et honesti, de quibus aliquatenus praesumi nequeat, quod alicui abbati, priori, administratori, officiato, monaco, vel cuicumque alteri, cum eis seu aliis ad ipsa capitula venientibus, aut in eis morantibus, vel de illis redeuntibus, aut Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, vel aliis eorum locis, inferant per se aut alios saeculares vel regulares seu quoslibet alios, in personis vel rebus, iniuriam vel offensam: vel quod in aliquo de dictis capitulis, aut in aliqua Ecclesia vel monasterio seu loco, ubi celebrabuntur, scandalum suscitare, vel turbationem facere, seu discordiam seu contentionem movere praesumant. Quod si quis ad inferendum iniuriam vel offensam huiusmodi, ut turbetur vel impediatur quodcumque de dictis capitulis, scienter et ex proposito tales duxerit, vel alias tenuerit, seu ad hoc disposuerit aut convocaverit vel convocari fecerit; et turbatio vel impedimentum huiusmodi, si aliqua ex eis fuerint subsecuta; et qui consentiens extiterit in praedictis, vel aliquo eorumdem, aut dans scienter et ex proposito auxilium, consilium vel favorem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. A qua dumtaxat, si sit abbas vel monacus ipsius ordinis, per praesidentes capitulo provinciali, seu eorum aliquem, quantum ad ea, quae ipsum capitulum provinciale concernent: quantum vero ad illa de praedictis quae annuale capitulum vel ecclesiam seu monasterium, aut alium locum, ubi celebrabitur annuale capitulum antedictum, seu personas aut bona eorum vel alia concernerent, per abbatem vel alium huiusmodi annuali capitulo praesidentem auctoritate apostolica: saeculares vero et alii religiosi a sententiis huiusmodi per locorum ordinarios, tunc demum, cum satisfactionem impenderint congruentem, et non ante, possint absolvi; nisi commissa huiusmodi talia fuerint, propter quod Sedes Apostolica esset merito consulenda. Et si mors, vel membri mutilatio, seu debilitatio alicuius perpetua, occasione praedictorum, secutae fuerint, talis nedum ad administrationem vel officium seu beneficia aliqua in ordine seu religione huiusmodi, vel ab illis obtinenda, existat inhabilis; sed et obtentis in eis vel ab ipsis sit eo ipso privatus: quae aliis, et non sibi, per illum, ad quem collatio aut quaevis alia dispositio pertinuerit, libere conferantur, vel alius de illis canonice ordinetur. Eamdem quoque sententiam excommunicationis ipso facto incurrat quilibet, cuiuscumque sit præeminentiae, dignitatis, status vel conditionis, qui per se vel per alium malitiose impediverit, vel impediri fecerit scienter et ex proposito, quo minus

(1) Forsan *visitatores*.

praedicta capitula libere valeant celebrari: quique praesumpserit, euntes ad illa vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes capere, capi facere, seu captos detinere aut impedire, vel eis aut eorum familiaribus in personis vel rebus damna, iniurias vel offensas, occasione huiusmodi, ut videlicet turbetur vel impediatur celebratio cuiuscumque ipsorum capitulorum, inferre: nec non quicumque ipsius ordinis seu religionis, qui praetextu visitationis malitiose et ex proposito praedicta vel eorum aliquid per se vel alium commiserit in personas abbatum, priorum et aliorum maiorum praedictorum proprios subiectos visitantium, vel in personas visitatorum in provincialibus capitulis, vel per abbates alios seu praelatos principalium, vel propriorum monasteriorum deputandorum, vel familiarium eorumdem, aut in bonis eorum: et quicumque praedicti ordinis, qui in visitationibus huiusmodi vel correctionibus seu executionibus processus eorum malitiose impediverit, vel eis procaciter vel proterve se opposuerit, aut praedicta facientibus consenserit, per se vel alium, preces, minas, literas, auxilia potentium saecularium vel laicorum, seu quaecumque alia impedimenta malitiose procurando; et impediens eumdem ordinem seu religionem ipsam in contributionibus legitime faciendis: praesidentes autem provincialibus et annualibus capitulis praelibatis, et eorum quilibet, dum simpliciter et de plano eis constiterit, aliquem ex praedictis praefatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum per omnia eiusdem ordinis seu religionis loca vicina, de quibus eis videbitur, tamdiu solemniter publicent et faciant ab aliis auctoritate apostolica publicari; eis super hoc non parentes per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, donec congruam satisfactionem impenderint; et per ipsos praesidentes dumtaxat vel per duos eorum ad minus, auctoritate apostolica fuerit absolutus: ad haec tam diversorum locorum dioecesanis quam aliis personis, quae pro tempore praefuerint ipsis capitulis celebrandis, in virtute obedientiae districte praecipimus, ut per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compescant advocatos, patronos, magnates, rectores, vicedominos, consules, milites, seu quoslibet alios, ne cathedrales ecclesias, monasteria vel alia loca monastica, in personis vel rebus eorum praesumant offendere quoquomodo, et si secus forsan aliud egerint, eos usque ad satisfactionem debitam per censuram eamdem (appellatione semota) cogere non postponant: ut praelati et alii servi Dei dicti ordinis seu religionis huiusmodi liberis et devotis mentibus Altissimo pensum debitum quotidianum solvere satagant servitutis.

## Cap. IV.

*De subventionibus et collectis.*

Profecto cum in saepe dicta constitutione concilii generalis inter caetera sit expressum quod hi, qui convenerint in triennali capitulo, vitam ducant communem; et simul omnes communes expensas proportionaliter faciant: nos attendentes, quod praeter expensas huiusmodi, expensae aliae nedum pro provinciali, sed etiam annuali capitulis praedictis necessario requiruntur: statuimus et ordinamus, quod in eisdem capitulis, cuiusquam contradictione vel absentia non obstante, pro libertate, necessitatibus, utilitatibus, expensis communibus et aliis consuetis (cum onus divisum in partes levius supportetur) auctoritate apostolica fiant, imponantur seu inducantur collectae, subventiones seu contributiones secundum arbitrium praesidentium seu definitorum, quoad huiusmodi capitulum provinciale vel abbatis seu alterius praesidentis, ipsi annuali capitulo et definitorum quoad annuale capitulum ante dictum. Ut autem in conservatione collectarum, subventionum seu contributionum huiusmodi, cautela securitatis fideliter habeatur, volumus et ordinamus

ut collectae, quae fient in capitulo provinciali per tres probos et fideles abbates seu alios praelatos ipsius ordinis seu religionis illius provinciae, in qua idem capitulum fuerit celebratum, in aliquo securo monasterio seu alio loco congruenti; quae vero fient in singularibus Ecclesiis, monasteriis vel aliis locis eiusdem ordinis seu religionis per tres probos et fideles monachos cuiuslibet Ecclesiae vel monasterii seu loci, in qua vel in quo (ut praefertur) fient: quorum unum ponet abbas vel alius praelatus ipsius loci; alium vero prior vel priores administratores seu officiarii; et tertium, capitulum Ecclesiae seu conventus monasterii, seu loci huiusmodi, in una arca serata tribus diversificatis seris et clavibus fideliter collectae diligenter custodiantur: et ad usum dumtaxat eorum, pro quibus factae fuerint, et ad nullos usus alios convertantur. Pro quibus fideliter conservandis et complendis praestent dicti tres abbates in praesidentium, et praefati monaci in abbatis et capituli, necnon conventus Ecclesiae vel monasterii seu praelati alterius loci principalis, ubi dictum annuale capitulum extiterit celebratum, praesentia corporaliter iuramentum. Nec fieri valeat alia contributio, quamdiu aliquid, quod sufficiat, de prima contributione contigerit superesse. Habeantque dicti praesidentes, et eorum quilibet, quoad huiusmodi provincialia capitula, necnon abbates, priores et maiores, seu alii iam dicti, potestatem auctoritate apostolica supra dicta exigendi, colligendi et levandi collectas, subventiones et contributiones huiusmodi, ab omnibus et singulis abbatibus subiectis, si quos habeant, et prioribus, praelatis, administratoribus, officiatis et beneficiatis quibuscumque, qui erunt ipsi annuali capitulo seu Ecclesiae vel monasterio aut alii loco principali subiecti, et compellendi omnes et singulos antedictos eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, et alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia ad solvendum integre collectas, subventiones et contributiones praefatas, prout in huiusmodi provinciali et annuali capitulis fuerit ordinatum, super hoc terminis assignatis, ac etiam publicandi et exequendi libere praedicta, et processus ac sententias in Ecclesiis cathedralibus et monasteriis et aliis locis eiusdem ordinis seu religionis quando et quoties eis visum fuerit expedire; nec non absolvendi a dictis sententiis (congrua tamen satisfactione praemissa) et relaxandi ac tollendi omnes processus, sententias suspensionis et interdicti; et cum eis super irregularitate, si qua sint ligati profanando divina, vel alias se illis immiscendo, non tamen in contemptum clavium, incurrerint, dispensandi.

## Cap. V.

*De capitulis quotidianis.*

Rursus quia per quotidianam et ordinatam factionem capituli regularis fortificatur et durat nervus monasticae disciplinae, statuimus et ordinamus, ut in cunctis et singulis Ecclesiis cathedralibus, monasteriis et aliis conventualibus, caeterisque locis huiusmodi ordinis seu religionis, in quibus erunt sex monaci vel supra, et etiam alibi, ubi fieri consuevit capitulum regulare huiusmodi, capitulum fiat, et teneatur die qualibet ordinatim. In quo, priusquam ad quaevis alia procedatur, plene (secundum regulam monasticam, et Ecclesiarum, monasteriorum conventualium et aliorum locorum praefatorum consuetudines approbatas) monacorum seu fratrum excessus, transgressiones et negligentiae corrigantur: ac de disciplina et reformatione regulari agatur in illo. Ubi nullus monacus seu frater clamose aut irreverenter alterum defendere vel sustinere praesumat. Et quotiens regula pronunciata fuerit a lectore, per praesidentem ipsi capitulo, vel alium, cui hoc ipse iniunxerit, eiusdem regulae sententia vulgariter exponatur.

### Cap. VI.

De studiis.

Quia vero per exercitium lectionis acquiritur scientiae margarita, et per studium sacrae Paginae ad cognitionem excellentiae divinae familiarius pervenitur; ac per agnitionem humani iuris animus rationabilior efficitur, et ad iustitiam certius informatur: nos cupientes, ut viri eiusdem ordinis seu religionis in agro dominico laborantes, in primitivis, ac deinde in divini et humani, canonici videlicet, iurium scientiis instruantur, constitutioni Clementis Papae V, et praedecessoris nostri, de monacis in scientiis primitivis instruendis infra monasteria, quibus degunt, editae inhaerentes, illam volumus et praecipimus firmiter observari. Et nihilominus adiiciendo statuimus et ordinamus, ut quibuslibet Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus et aliis conventualibus et solemnibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates, ordinis seu religionis huiusmodi deinceps habeatur magister, qui monacos eorum doceat in huiusmodi scientiis primitivis, videlicet, grammatica, logica et philosophia: proviso attentius ut saeculares instruendi cum ipsis monacis docendis in eisdem Ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis nullatenus admittantur. Cui quidem magistro, si monacus non fuerit ipsius ordinis seu religionis, de pane et vino et pitantia providere quotidie, sicut uni ex monacis Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum ac locorum huiusmodi, teneantur illi, qui talia tenentur in eis capitulis Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et locorum ipsorum, conventibus seu monacis ministrare; necnon pro vestimentis, calceamentis et salario congrua pensio annua assignetur; quae tamen viginti librarum turonensium parvorum summam nequaquam excedat, quae de infrascripta communi contributione solvetur, donec pro ea et pensionibus monacorum studentium ad generalia seu solemnia studia mittendorum certi et perpetui redditus assignati fuerint; prout infra expressius et plenius continetur. Si vero in Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, vel locis praedictis sit monacus idoneus ad praedicta, monacus ipse per antistites in cathedralibus Ecclesiis, in monasteriis vero et aliis locis praefatis per superiores suos instruere fideliter ipsos monacos in praedictis scientiis deputetur; et ad hoc, si necesse fuerit, compellatur. Cui scilicet monaco instructori decem librae turonenses ultra victum et vestitum pro libris emendis, vel aliis suis necessitatibus iuxta dispositionem ipsius antistitis vel dictorum superiorum deputentur. Antistites vero et alii superiores praedicti praedictos monacos, qui dociles fuerint, cum consilio proborum et seniorum Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et locorum huiusmodi eligere teneantur, et ordinare de certo numero eorumdem, ac de locis et temporibus, quibus lectionibus, quibusve divinis officiis seu obsequiis aliis opportunis intendant. Possintque dicti antistites et superiores dictos magistros instructores et instruendos cum consilio proborum et seniorum praedictorum (prout eis expediens visum fuerit) removere, et loco eorum alios subrogare. Praecipimus insuper in virtute obedientiae cunctis visitatoribus, in provincialibus capitulis deputandis, quod omnia et singula de magistris, instructoribus et personis instruendis et aliis circa ea superius ordinata, faciant auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia (appellatione semota) firmiter observare. Et nihilominus ea, quae super praedictis fecerint et invenerint, praesidentibus capitulo provinciali referant: qui etiam auctoritate apostolica praefata, si videatur eisdem vel ipsorum maiori parti, contra negligentes vel rebelles in praemissis fortius procedere non postponant.

## Cap. VII.

De studentibus ad gener. Studia mittendis.

Caeterum, quia expedire dignoscitur, ut postquam praefati monaci in praedictis scientiis primitivis eruditi fuerint, ad sacrae theologiae vel canonum transeant facultates; statuimus et ordinamus, ut Ecclesiae, monasteria, prioratus et alia loca huiusmodi, singula videlicet eorum cum suis membris inferius declarandis, de quolibet numero vicenario monacorum unum aptum pro fructu maioris scientiae acquirendo, ad generalia seu solemnia studia mittere teneantur, et quemlibet ipsorum mittendorum de infrascripta pensione annua providere. Sic autem huiusmodi numerum vicenarium volumus computari, ut illi dumtaxat monaci numerum ipsum efficiant in hoc casu, qui sunt seu erunt in Ecclesiis, monasteriis, vel locis principalibus et in locis aliis eisdem Ecclesiis, monasteriis et locis principalibus subiectis, habentibus octo monacos sive plures, et hi solum cum monacis Ecclesiarum, monasteriorum et locorum principalium huiusmodi in computatione ac missione huiusmodi coniungantur. Declaramus insuper, quod si forsan ultra dictum numerum vicenarium aliqui superessent, qui tamen vicenarium alium non complerent, non propter hoc arctentur superiores eorum, eorumque capitula seu conventus, aliquem mittere ad studia praelibata; nisi alias essent ad mittendum plures adstricti virtute consuetudinis, statuti vel ordinationis alterius cuiuscumque, quibus consuetudini, statuto vel ordinationi per haec non intendimus in aliquo derogare. Eligantur quoque ipsi monaci mittendi, prout in scientia theologiae vel iuris canonici, seu magis in una quam in alia ipsarum aptiores poterunt inveniri. Sic tamen, quod si apti reperiantur pro ipsius theologiae studio, ad minus medietas mittendorum pro ipso theologiae studio destinetur, vel etiam quanto plures aptiores potuerint inveniri: ac reliqua medietas eorumdem mittendorum ad ipsius iuris canonici studium transmittatur. In electione namque dictorum monacorum ad huiusmodi studia mittendorum subsequentem ordinationem modificatam duximus adhibendam: quod videlicet quivis antistes cathedralis Ecclesiae monacalis octo probos et seniores monacos ipsius Ecclesiae per eius capitulum seu maiorem partem ipsius eligendos (inter quos non ut praelatus, sed ut monacus dumtaxat vocem habeat) iuramento infrascripto adstringat ad nominandum et eligendum secum mittendos monacos antedictos, ipseque antistes huiusmodi monacos nominatos et electos per eum, et alios octo praedictos seu maiorem partem eorum, licentiare ad huiusmodi studia teneatur infra tempus inferius declarandum. Quilibet vero abbas, seu prior, vel alius locum conventualem et solemnem obtinens, quatuor monacos eligat de suo monasterio seu loco seniores, quos esse sinceriores in zelo et discretiores in iudicio existimaverit: et corporali iuramento adstringat eosdem, quod reiectis gratia, odio vel timore, quibuscumque et qualitercumque, secundum Deum, et prout magis expedire viderint, personis et locis, cum consilio instructoris, si monacus fuerit, cum iuramento simili adstringendi, illos ex monacis instructis in eisdem primitivis scientiis et in observantiis regularibus informatis, sive in Ecclesiis, monasteriis et aliis locis principalibus seu membris resideant, ad praedicta studia mittendos, iuxta mittendorum huiusmodi praetaxatum numerum, nominent seu eligant coram eo, quos dociles esse noverint et vitae ac morum honestate decoros, ad puritatem religionis tenendam et ad acquirendum fructum scientiae aptiores. Taliter autem nominati seu electi ab eis, vel ubi concordes non essent, a maiori parte ipsorum, sive ubi quilibet nominaret et eligeret diversos, illi, quos ex ipsis nominatis et electis abbas vel prior seu alius, locum conventualem et so-

lemnem obtinens, elegerit, ad praedicta studia destinentur: ita quod in festo Exaltationis S. Crucis, vel circa, ipsi taliter nominati et electi in Studio Parisiensi existant, qui Parisios fuerint destinati, in aliis vero Studiis in festo S. Lucae, vel circa, infallibiliter sint praesentes. Quod si dictus antistes annis singulis quibus praefati monaci ad eadem Studia mitti debebunt vel in locum illorum alii subrogari, infra decem dies, festum Assumptionis B. Mariae Virginis immediate praecedentes, cum dictis octo probis minime nominaverit et elegerit ac licentiaverit (ut praefertur), ipsis decem diebus elapsis, ad priorem, qui post eum præerit monacis Ecclesiae suae in regularibus disciplinis, seu alium his et in illis praesidentem, quocumque nomine nuncupetur, cum consilio et assensu quatuor proborum monacorum eiusdem Ecclesiae, quos dictus prior vel alius (ut praedicitur) praesidens elegerit; et quos similiter, ut de abbate ac priore, vel alio locum conventualem et solemnem obtinente praetangitur, simili iuramento adstringat, potestas huiusmodi nominandi, eligendi et licentiandi libere devolvatur. Si vero idem prior vel alius praesidens, ut praefertur, id non fecerit, poenas ipso facto incurrat inflictas infra proxime contra abbates vel priores, seu alios loca conventualia et solemnia obtinentes, qui super hoc extiterint negligentes. Abbas quoque vel prior, aut alius huiusmodi locum conventualem et solemnem obtinens, qui seniores praedictos infra praefatos decem dies non elegerit, ut praefertur, ipsosque dicto non adstrinxerit iuramento, aut nominatos et electos per illos ad Studia non licentiaverit memorata, poenas incurrat inflictas abbatibus vel prioribus, seu aliis loca huiusmodi conventualia et solemnia obtinentibus, solvere negligentibus id, quod pro huiusmodi mittendis ad ipsa Studia fuerit assignandum, pro rata ipsos contingente secundum gradum, modum et ordinem infra proxime sequentes: a quibus liberari vel absolvi non valeant nisi per praesidentes provincialibus capitulis illius provinciae, in qua fuerint abbates, priores vel alii loca conventualia et solemnia (ut praedicitur) obtinentes, super his negligentes, seu per aliquem eorumdem, nec etiam ab ipsis praesidentibus quousque praemissa negligenter omissa impleverint, et ad eorumdem praesidentium arbitrium satisfecerint competenter: quos etiam negligentes ipsi praesidentes et eorum quilibet ad omnia et singula praedicta et infrascripta complenda per censuram ecclesiasticam et alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia compellere, submoto appellationis obstaculo, auctoritate apostolica teneantur. Et ut haec celerius et expeditius compleantur, ordinamus, quod dicti seniores, eligendi per eosdem abbates vel priores seu alios maiores in Ecclesiis cathedralibus post antistites ac alios loca conventualia et solemnia obtinentes, statim cum electi fuerint, et huiusmodi iuramentum praestiterint, includantur in aliquo loco secreto, de quo nullatenus permittantur exire, donec infra diem inclusionis huiusmodi in scriptis eorum abbatibus vel aliis superioribus proxime dictis nominaverint et elegerint supradictos ad Studia destinandos. Quod si non fecerint, elapsa die huiusmodi, ad ipsos abbates et supradictos eligendi et licentiandi eosdem potestas libere devolvatur: qui secundum Deum et bonam conscientiam infra tres dies immediate sequentes, dociles et aptiores, vitamque honestam et religionem servantes, ut praemissum est, licentiare teneantur ad praedicta Studia transmittendos. Si qui vero abbates, priores vel praelati alii abbates proprios non habentes, seu administratores vel caeteri quicumque ad hoc obligati, illud quod ipsis monacis mittendis ad ipsa Studia fuerit assignatum, pro rata ipsos contingente in termino vel terminis ad id statutis solvere non curaverint, ultra quantitatem,

quam secundum taxationem contingentem eosdem solvere tenebantur infra mensem, tantumdem nomine poenae solvere sint adstricti. Quod si non fecerint, sit eis tamdiu eo ipso Ecclesiae interdictus ingressus, donec tam principale, ad quod tenebantur, quam huiusmodi aliam quantitatem nomine poenae, ut praefertur, appositam, duxerint persolvendam. Et si ex tunc per quatuor menses huiusmodi sustinuerint interdictum, sint ipso facto tamdiu a divinis suspensi, donec integre huiusmodi principale ac poenam solverint, nulla eis remissione in praemissis quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi nomine poenae, ut praedicitur, exsolvenda, in acquisitionem librorum utilium et alios profectus dictorum studentium, quam etiam quantitas (quam per contemnentem satisfacere in termino assignato studentibus ipsis mitti praecipimus) ad ipsius contemnentis expensas iuxta superioris sui arbitrium convertatur. Praemissis quoque adiicimus, quod priores et caeteri administratores abbates proprios non habentes, seu quivis alii beneficiati, qui huiusmodi summas solvere contempserint, et praenominatas poenas per alios quatuor menses immediate sequentes sustinuerint animis induratis, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant; a qua non possint absolvi, nisi debita satisfactione praemissa: et tunc per praesidentes dumtaxat capituli provincialis illius provinciae, cuius erunt vel alterum eorumdem: quam si per annum pertinacibus animis sustinuerint, sint eo ipso cunctis beneficiis, quae obtinuerint, privati: et de beneficiis huiusmodi per illos, ad quorum collationem, seu quamvis aliam dispositionem pertinuerint, libere in personis aliis disponatur.

## Cap. VIII.

De pensionibus studentium.

Sane quia prosecutiones liberalium studiorum, praecipue in generalibus seu saecularibus Studiis, diversa requirunt onera expensarum: nos huiusmodi monacis mittendis ad ipsa Studia et pro eis et aliis ratione dictorum studiorum pensiones in quantitatibus subsequentibus providemus fore annis singulis ministrandas et infrascriptis terminis trasmittendas. Videlicet magistro in theologia in Studio generali legenti sexaginta; baccalaureo, necnon scholari theologiae quadraginta; doctori decretorum, iura canonica in huiusmodi Studio legenti, quinquaginta; baccalaureo vero, seu scholari canonistae triginta quinque libras turonensium parvorum vel earum valorem in alia moneta, tam pro victualibus, vestimentis et calceamentis, quam pro libris et quibuscumque aliis necessitatibus eorumdem; illis videlicet, qui ad Studium Parisiense in festo Exaltationis S. Crucis vel circiter; iis vero, qui ad alia Studia deputati fuerint, in festo B. Lucae vel circa, singulis annis per illum vel illos, qui ad ipsas pensiones colligendas deputati fuerint, infallibiliter transmittendas: et per illos, qui tenebuntur ad solvendum easdem, in festo Assumptionis B. Mariae annis quibuslibet ipsis collectoribus integraliter persolvendas. De quibus quidem pensionibus dictis scholaribus, ut praemittitur, ministrandis, quilibet scholaris habeat pro quotidianis expensis viginti libras dumtaxat, et pro vestimentis et calceamentis sex libras tantum: de residuo vero emantur ac provideatur ei de ipsis, quae, ratione infirmitatum vel alia, necessaria sibi erunt. Nullus autem cuiuscumque fuerit præeminentiae, dignitatis, conditionis aut status, sive collector pensionum huiusmodi, seu redditunm assignandorum, pro ipsis vel pro quocumque alio nomine fuerit deputatus, aliquid sibi vel alteri, seu usui cuicumque et quantocumque pio de praefatis pensionibus vel de fructibus, redditibus, seu proventibus, qui assignabuntur pro pensionibus ipsis, quomodolibet applicare vel dare, seu commutare, aut quomodolibet alienare praesumat.

Qui vero contrarium fecerit, et qui ad dandas vel mittendas illas extiterit deputatus, si eas (ut praemittitur) in eisdem terminis dictis studentibus non dederit vel miserit, poenas eo ipso incurrat statutas contra non solventes id quod monacis mittendis ad dicta Studia fuerit assignatum, secundum statum ipsorum non solventium, et iuxta gradus et ordinem superius denotatos. Si vero laicus extiterit, excommunicationis incurrat sentententiam eo ipso: a qua (nisi debita satisfactione praemissa) nequeat absolutionis beneficium obtinere. Et ut onus huiusmodi pensionum levius supportetur, statuimus et ordinamus, ut solvantur pensiones huiusmodi et etiam pensio dicti magistri, qui monacos in primitivis scientiis instruet (ut praefertur) per capitula cuiuslibet Ecclesiae cathedralis ipsius ordinis seu religionis, et per beneficiatos quorumlibet beneficiorum monacalium eiusdem et cuiuslibet monasterii, prioratus et loci ordinis seu religionis huiusmodi et membrorum suorum, de communi contributione inter caput et beneficia seu membra omnia et singula ad ipsum caput pertinentia vel dependentia, ab eodem facienda, secundum taxationem vel aestimationem decimae in taxatis. In non taxatis vero beneficiis, proportionabiliter et rationabiliter secundum valorem ipsorum, in primo cuiuslibet Ecclesiae cathedralis eiusdem ordinis seu religionis ac monasterii seu prioratus vel alterius loci, abbatem proprium non habentis, capitulo generali per priores vel alios maiores post antistitem in cathedralibus Ecclesiis. In monasteriis vero, prioratibus vel aliis supradictis, per abbates vel priores, seu alios praesidentes eiusdem cum consilio et assensu capituli seu conventus seu maioris partis ipsorum. Quam si forte facere neglexerint vel noluerint, praesidentes provinciali capitulo illius provinciae, ubi tales negligentes fuerint, et quilibet ipsorum praesidentium, ac visitatores per dictum provinciale capitulum deputati et eorum quilibet, ipsos negligentes auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia ad illam faciendam (appellatione cessante) compellere teneantur, quousque certi et perpetui redditus pro ipsis pensionibus exsolvendis extiterint assignati. Volumus autem quod per illos, qui ad hoc per nos cum sufficienti potestate fuerint deputati, cum antistitibus in cathedralibus Ecclesiis monacalibus, et cum abbatibus et prioribus et aliis loca conventualia et solemnia, ut praedicitur, obtinentibus, cum consilio et assensu capitulorum et conventuum eorumdem, auctoritate apostolica praedicta, possint pro praedictis pensionibus assignari vel ad invicem uniri aut Ecclesiis cathedralibus, monasteriis seu locis aliis conventualibus supradictis vel eorum administrationibus aut officiis seu locis vicinioribus ad Ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus seu loca huiusmodi pertinentibus, prout erit commodius, prioratus aliaque beneficia ecclesiastica sine cura ipsius ordinis seu religionis consueta monacis assignari et ad Ecclesias cathedrales, monasteria seu loca alia conventualia praefata spectantia: dum tamen ipsa beneficia tanto tempore ab uno vel pluribus monacis fuerint continue ac pacifice gubernata, ut praescriptio legitima sit completa, etiam si ante vel post clerici saeculares quandoque ministraverint in eisdem: dummodo per ipsos clericos legitima praescriptio minime sit impleta. Quod si forte huiusmodi prioratus seu beneficia sine cura non inveniantur accommoda vel non sufficiant ad praemissa, possint per praedictos, modo praemisso et ut commodius fieri poterit, super aliis prioratibus, administrationibus seu beneficiis monacalibus curatis (si facultates eorum ad hoc sufficiant), aliis eorum oneribus supportatis, de parte dumtaxat quam monaci percipiunt ex eisdem pro praedictis perpetuae pensiones imponi. Prohibemus autem quod nulli monaco quodcumque beneficium quantumcumque modicum vel

aliam pensionem habenti (nisi ea omnino dimitteret aliis conferenda vel assignanda) possit aliqua de dictis pensionibus studentium assignari vel assignata dimitti. Nec in ipsa sibi ius aliquod acquiratur: immo si assignationi pensionis huiusmodi consenserit, eo ipso privatus existat quocumque beneficio seu quavis alia pensione, si quod vel siquam forsitan antea obtinebat. Si vero ipsi monaco habenti pensionem huiusmodi studentium beneficium aliquod quantumcumque modicum conferatur: adepta ipsius possessione pacifica, ipso facto vacet dicta pensio, eaque privatus existat, studenti alteri assignanda: ut non desit studens de numero instituto. Nec per literas a Sede Apostolica vel legatis ipsius, super provisione quorumlibet monacorum aut aliorum directas, de studentium pensione aliqua praedictorum cuiquam valeat provideri: nec alicui alteri, nisi nominatus, electus et licentiatus fuerit, prout est superius ordinatum; alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure, nec per eam ius alicui acquiratur, et tam assignans, quam accipiens teneantur ad restitutionem omnium, quae exinde recepta fuerint, faciendam; quae in libris vel aliis necessitatibus dictorum studentium convertantur; et nihilominus poenis subiaceant superius designatis. Prohibemus insuper, ne libri Ecclesiarum cathedralium, monasteriorum et aliorum locorum praedictorum qui dictis studentibus fuerint assignati, seu eis a consanguineis vel amicis dati, aut per eosdem studentes alias licite acquisiti, per eos alienentur, distrahantur seu etiam obligentur. Quinimo volumus, quod dicti libri (defunctis eisdem studentibus, quibus fuerant assignati) ad Ecclesias, monasteria seu alia loca praedicta libere revertantur. Volumus etiam, quod si in Ecclesiis, monasteriis seu locis praefatis libri multiplicati fuerint, libris necessariis in ipsis Ecclesiis, monasteriis et locis remanentibus, de caeteris libris per antistites in Ecclesiis cathedralibus et in monasteriis vel aliis locis praedictis, per eorum praelatos, et de consilio eorum, cum quorum consilio studentes praefati sunt (ut praemissum est) eligendi, fiat conveniens distributio inter studentes eosdem. Fiatque prius memorialis scriptura de personis studentium, quibus dicti libri tradentur, et librorum nominibus praedictorum: quae quidem scriptura in Ecclesiis, monasteriis vel locis huiusmodi conservetur. Si quis vero de studentibus ipsis, per se vel per alium, librum seu libros huiusmodi, qui ad eum praemissis modis pervenerunt, distraxerit aut obligaverit (nisi pro utilioribus vel pluribus libris emendis, et tunc de licentia superioris sui petita humiliter et obtenta) eo ipso sit inhabilis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum. Et nihilominus ad claustrum suum de studio revocetur, et loco sui alius subrogetur: et etiam per superiorem suum (prout facti qualitas exegerit) alias graviter puniatur. Praesidentes insuper et alii convenientes in dicto capitulo provinciali ordinare debeant, qualiter dicti studentes vivere seu ad invicem se habere debebunt: qualiter et ex quibus causis ante tempus etiam regulariter praestitutum, poterunt et debebunt de Studiis huiusmodi revocari, et in locum eorum alii totidem numero subrogari, iuxta modificationem superius designatam. Ubi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vitae laudabilis aliasque idoneus et discretus, et ad baccalaureatum vel magisterium dispositus vel propinquus, idem prior dictorum studentium, qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum proborum studentium eorumdem, scribat praesidentibus antedictis: ut praelato ipsius proprio mandent et ordinent cum eodem, quod talem non revocet: sed eum in scientia proficere et ad statum baccalaureatus et honorem magisterii pervenire, lecturamque continuare permittat, ac ipsum et alios similes, quos iam in scientia laudabiliter proficere cognoverit, dignis attollat honoribus et promotionibus efferat

opportunis. Provideant quoque praesidentes et alii praefati convenientes in ipso capitulo provinciali, quod monaci ad dicta studia transmittendi (prout communius et commodius fieri poterit distributi) insimul commorentur, saltem deni ad minus: et deni huiusmodi non possint ultra quatuor servitores habere, computato in eis coco seu servitore coquinae. Deputent etiam iam dicti praesidentes in singulis eorum provincialibus capitulis speciales visitatores huiusmodi ordinis seu religionis provinciae infra quam erit studium, in quo studentes huiusmodi morabunt. Quibus siquidem visitatoribus et etiam aliis visitatoribus per provincias, ad visitandum cathedrales Ecclesias monacales, monasteria et alia loca ipsius ordinis seu religionis, per praedicta provincialia ordinandi. Necnon dictis studentium prioribus in virtute obedientiae districte praecipimus, ut omni favore, gratia, odio et personarum acceptione semotis, ex puritate conscientiarum suarum, secundum quod Deo magis placere, et huiusmodi ordini seu religioni expedire crediderint, in his quae circa ipsos studentes in ordinationibus nostris praescriptis salubriter statuuntur, sint solliciti et attenti, et quod si forsan per antistites Ecclesiarum cathedralium, monacalium, abbates, priores et administratores alios monasteriorum et aliorum locorum ipsius ordinis seu religionis, eorumque capitula et conventus, illa quae de scholaribus mittendis ad studia et pensionibus, aliisque quae praemittuntur, invenerint incompleta: plenam de ipsis relationem faciant in capitulis provincialibus cuiuscumque provinciae superius limitatae, qualiterque in ipsis sequentibus capitulis ea ordinari et compleri omnino debeant, vel quae minus considerate ordinata fuerint, corrigantur: aut ut bona etiam in meliora mutentur: prout haec vel alia ex successione temporum, ac probatione factorum poterunt apparere. Ordinamus insuper, ut iidem praesidentes habeant plenariam potestatem faciendi compleri et inviolabiliter observari auctoritate apostolica omnia et singula supradicta: necnon contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et per alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia, sublato appellationis obstaculo, compellendi, et processus ac sententias eorum in locis eiusdem ordinis seu religionis solemniter publicandi: et illos qui sententias eorum incurrerint (praemissa congrua satisfactione), iuxta formam Ecclesiae absolvendi. Praecavere nempe volentes, ac etiam providere dictis scholaribus in eisdem studiis morantibus et etiam moraturis, ut, eo quod absint ab eorum coenobiis, regularis non desit salubre gubernaculum disciplinae: ordinamus et volumus, quod capitulis provinciarum, in quibus erunt huiusmodi studia, praesidentes unum abbatem vel priorem ipsius ordinis seu religionis cuiuslibet ipsorum studiorum vicinum, et quem quotiens eis placuerit ponere valeant et mutare, ordinent et assignent, qui abbas vel prior ex praedictis studentibus unum ibi monacorum priorem studentium deputet, per unum tantum annum duraturum. Quem quidem priorem dicti etiam praesidentes ipsi mutare valeant, quotiens videbitur expedire, quique potens in opere ac sermone per directionem verbi et ducatum exempli, eosdem monacos studentes tractando, ipsos, quotiens opus fuerit et sibi videbitur expedire, convocet ad locum aliquem competentem, illisque quoad regularem praesideat disciplinam, et potestatem habeat illos corrigendi, puniendi et absolvendi, et cum eis dispensandi (quamdiu in ipsis studiis moram traxerint) ab omnibus, a quibus et super quibus et prout posset abbas vel alius praelatus eorum proprius, in monasterio vel alio loco, unde coenobitae seu claustrales existunt, ipsosque informandi et instruendi, ac tenendi sub regularibus disciplinis, et illos etiam coercendi ne vagentur, vel actibus seu operibus vacent illicitis: sed studeant et proficiant, sicut decet, vivant-

que laudabiliter et honeste. Provideat insuper, quod dicti monaci studentes expensas faciant moderatas et non superfluas vel aliquatenus excessivas; eosque cogat ad reddendum de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis (vel prout alias sibi videatur) rationem illi vel illis providis et discretis, quos idem prior ad hoc duxerit deputandos. Et quando eorumdem studentium demerita seu conditio suaserit eos a studio revocari, prior ipse teneatur id (consulte tamen, caute et sollicite) antistiti, abbati vel alii praelato eorum proprio, per suas literas intimare. Idemque antistes, abbas seu praelatus proprius eos revocare debeat, et in locum eorum totidem monacos subrogare, appellatione, contradictione vel reclamatione reiectis. Concedimus quoque dicto priori, eadem auctoritate apostolica, plenariam potestatem dictos monacos studentes, quamdiu in ipsis studiis fuerint, ab excommunicationum et suspensionis sententiis dumtaxat, quae contra studentes in locis, ubi erunt dicta studia generaliter ex causis minoribus prolatae, vel per statuta sui ordinis sive suae religionis aut Ecclesiae seu loci eius, unde coenobitae sunt, inflictae fuerint, a quibus abbas vel alius praelatus eorum proprius ipsos de iure vel permissione suae regulae absolvere potuisset, congrua satisfactione praemissa, iuxta praefatam formam Ecclesiae, absolvendi, et cum eis super irregularitate, quam ex causis huiusmodi sic legati celebrando divina, seu illis se alias immiscendo (non tamen in contemptum clavium) incurrerant, dispensandi. Per praedicta vero dicti monaci studentes a potestate antistitis vel alterius praelati sui exempti aliquatenus non existant. Ordinamus etiam, quod dicti monaci Parisiensi Studio insistentes, ipsi priori studentium ultra suam pensionem de vigintiquinque librarum turonensium parvorum annuatim; alii vero cuiuslibet studiorum aliorum, si tamen in eo sexaginta monaci vel supra studentes fuerint, de viginti libris; si vero pauciores numero sexagesimo extiterint, quilibet eorum de quinque solidis ipsius monetae, seu alterius, de aequivalenti summa dumtaxat, per contributionem communem de dictis pensionibus ipsorum inibi studentium annis singulis faciendam providere procurent: dictosque monacos studentes ad contributionem ipsam faciendam et solvendam eamdem iam dicto priori, praefatus prior per censuram ecclesiasticam et alia ipsius ordinis seu religionis remedia possit eadem auctoritate apostolica (semoto appellationis diffugio) coarctare. Volumus tamen, quod idem prior sumptus nunciorum subeat, quos pro praemissis duxerit transmittendos. Praeterea volumus et ordinamus, quod priores et alii beneficiati et non beneficiati, praelibatis studiis insistendo (qui tamen expensas in ipsis studiis aliunde habuerint, quam sic ut supra tangitur ordinatum) sub correctione et obedientia d. prioris studentium humiliter maneant: et ad contributionem huiusmodi iuxta quantitates praemissas eidem priori solvendas, prout alii studentes praefati, firmiter adstringantur; et ad eas solvendas, sicut de aliis studentibus iam dictum seriatim et modificatim existit, per ipsum priorem valeant coarctari. Porro statuimus et ordinamus, quod nullus de ordine seu religione huiusmodi ad recipiendum magistratus seu doctoratus honorem de caetero assumatur, nisi praestito per eum primitus iuramento in praesentia dicti prioris studentium ac duodecim proborum et discretorum ex studentibus antedictis, quod in assumptione ipsius honoris vel ante seu post eius occasione, circa cibos, vestes vel alia non expendet per se vel alium, undecumque habuerit vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit expendi permittet ultra valorem duorum millium turonensium argenti ab aliis etiam suis consanguineis vel amicis. Illi etiam, qui ad baccalaureatum extiterint assumendi, praestare similiter teneantur

iuramentum in praesentia prioris studentium et duodecim proborum et discretorum praefatorum, quod huiusmodi sui baccalaureatus praetextu, ipsa die, qua incipiet, vel ante seu post, nullum festum seu convivium facient per se vel alium, seu alias fieri permittent a quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis.

De promovendis ad baccalaureatum, magisterium, etc.

Statuimus etiam et ordinamus, quod quicumque ipsius ordinis seu religionis, qui in dicto Parisiensi vel in aliquo alio generali Studio per sex annos in sola sacra theologia studuerint, in aliis primitivis scientiis sufficienter instructi, et ad hoc sufficientes et idonei fuerint, possint in ipso Parisiensi Studio cursus consuetos Bibliae facere. Qui vero per octo annos in sola theologia studuerint, ut praefertur, librum Sententiarum legere valeant in Parisiensi Studio praelibato, et quod in eodem Parisiensi et quocumque alio Studio, in quo ad magisterium in theologia ipsa licentia dari consueverit, cum digni reperti ad hoc extiterint, ad magisterium et doctoratum in dicta theologia, et nihilominus ad baccalaureatum, licentiam, magisterium seu doctoratum et lecturam iuris canonici sive Decretorum in eodem Parisiensi et quolibet alio Studio, in cappa suae religioni congruenti, dummodo sufficientes et idonei fuerint; ac illi, qui ad baccalaureatum et ad legendum Decretales ibi assumi voluerint, et in ipso Parisiensi vel quovis alio generali Studio audiverint iura canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audiverint Decretum; necnon illi, qui ad magisterium in Decretis vel ad lecturam Decretorum assumi voluerint in praefato Parisiensi Studio, et ibi vel in alio generali Studio audiverint iura canonica, aut baccalaurei legerint per quinque annos, et de hoc primo fidem fecerint per eorum proprium et aliorum duorum iuramentum, absque dilatione et difficultate malitiosa et impedimento quibuscumque, libere admittantur, sicut caeteri clerici saeculares ibidem consueverunt admitti. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus monasteriorum et aliorum locorum eiusdem ordinis seu religionis Parisiensis et aliorum Studiorum quorumcumque contrariis, iuramentis, confirmationibus apostolicis et quibusvis firmitatibus aliis roboratis, et aliis praesertim statutis, quibus in eodem Parisiensi Studio caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliae, nisi etiam inibi studuerit decem annis; nec permittatur Sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis; quodque nullus monacus vel religiosus alius legat ibidem iura canonica, vel ad baccalaureatus statum aut magisterii honorem in iure canonico permittatur assumi, seu quod nullus sine rubea cappa Decretum legat seu legere permittatur ibidem; aut quod nullus ibi legere valeat iura canonica vel ad baccalaureatum assumi seu ut baccalaureatus legere Decretales, aut ad magisterium ascendere in Decretis, sive doctor fieri Decretorum, aut ad lecturam Decretorum in Decretis assumi, seu ipsam continuare, nisi ibidem vel alio Studio generali audiverit iura canonica per quinque et alibi iura civilia per tres annos; alibi iura civilia per quinque vel in alio generali Studio iura canonica per tres annos; et prout sic vel aliter in statutis ipsius Studii Parisiensis dicitur contineri, vel de consuetudine observari et aliis consuetudinibus vel statutis eiusdem Parisiensis Studii quibuscumque seu quacumque forma vel expressione verborum in contrarium editis vel edendis; necnon quibuslibet privilegiis vel indulgentiis generalibus aut specialibus et literis apostolicis, contrariis ordinibus, Ecclesiis, monasteriis, locis ac Studiis quibuscumque sive Universitatibus magistrorum vel scholarium eorumdem; seu personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, cuiuscumque sint præeminentiae, dignitatis, conditionis aut status, sub quavis forma vel expressione verborum concessis, per quae praesentibus non expressa vel tota-

liter non inserta, effectus huiusmodi statutorum et ordinationum, omniumque aliorum et singulorum contentorum in eisdem praesentibus impediri valeat quomodolibet vel differri; et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam, ac de verbo ad verbum oporteat in illis vel aliis nostris literis fieri mentionem.

## Cap. IX.

De mutuis, venditionibus sylvarum, et concessionibus iurium.

Profecto considerantes attentius nobis fuisse fida et concordi relatione monstratum, qualiter experientia docuerat cum iactura, quod ad desolationes Ecclesiarum cathedralium, monasteriorum, prioratuum, administrationum et aliorum locorum ordinis seu religionis eiusdem plurimum redundabant debita contrahendi effraenata potestas, et plerumque innovatio eorumdem, ac obligationes et missiones, quae fiunt pro tempore super eis; necnon arborum, sylvarum non caeduarum et etiam caeduarum venditiones, et iurium, redditum, possessionum seu pensionum concessiones ad vitam et ad longi temporis spacium; nos Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, administrationum et aliorum locorum praefatorum indemnitatibus occurrere desiderabiliter affectantes, et super his intendentes opportunae cautelae profuturum remedium adhibere, statuimus et ordinamus, ut, salvis aliis iuris et ordinationum ac statutorum Ecclesiarum cathedralium, monacalium et monasteriorum, prioratuum, administrationum et aliorum locorum praedictorum remediis, talis in praedictis et circa ea solemnitas debeat observari: videlicet, quod cum per antistitem vel per abbatem seu priorem vel administratorem aut alium praelatum abbatem proprium non habentem, seu per alium priorem vel administratorem quemcumque ipsi subiectum conventum non habentem, suscipiendum vel innovandum fuerit mutuum vel facienda pro necessitate vel utilitate (cum non aliter fieri debeat) venditio arborum, sylvarum non caeduarum vel ad magnam et notabilem quantitatem etiam caeduarum, seu concessio iurium, redditum vel possessionum aut annuarum pensionum, sive diminutio censuum, pensionum seu canonum ad vitam alicuius vel ad certum tempus, etiam pecunia inde recepta: tractatus duorum dierum (ad minus) interpolatorum diligens et maturus praecedere debeat, habendus per antistitem cum eius capitulo in dictis Ecclesiis, seu per abbatem vel alium praelatum abbatem proprium non habentem, cum conventu cuiusque ipsorum. Et nihilominus de consensu ipsius capituli vel conventus aut maioris partis eiusdem fiant omnia supradicta. In prioratibus vero vel administrationibus aliis conventualibus antistitem aut abbatem vel alium superiorem immediatum habentibus, tractatus habeatur huiusmodi per priorem seu alium administratorem ipsius cum proprio conventu eiusdem; et nihilominus postea per antistitem aut per abbatem vel alium praelatum superiorem immediatum, cum capitulo seu conventu Ecclesiae vel monasterii tractatus etiam habeatur, fiantque contractus huiusmodi de consensu sui ipsius capituli et huiusmodi subiecti conventus vel utriusque conventus, superioris scilicet et subiecti seu maioris partis eorum, ac de ipsius antistitis seu abbatis vel alterius immediati superioris auctoritate expressa et licentia speciali. In tractatibus namque praefatis agatur, ut clare liqueat, ob quam causam, quanta summa, a quibus creditoribus, quibus conditionibus et obligationibus, quibusque terminis solvendum suscipiatur mutuum praelibatum; et quare, cui, ad quantum tempus et sub quo pretio fiant venditio et concessio, vel censuum seu canonum aut pensionum diminutio, seu pensionum assignatio supradicta, ac de caeteris omnibus, quae in huiusmodi negocio fuerint opportuna, et quod de causis, tractatibus, consensibus, auctoritatibus, licentiis et aliis praedictis scripturae conficiantur au-

tenticae, in quibus nomina et cognomina tractantium, consentientium, auctorizantium et licentiae huiusmodi exprimantur, et sigilla antistitis vel abbatis seu abbatum aut aliorum superiorum, necnon capituli et conventuum praedictorum apponantur in illis. Prohibemus autem, ne virtute alicuius procuratorii generalis (etiam si contineatur in eo quod procurator mutuum possit recipere aut obligare monasterium, vel alium locum ipsius ordinis seu religionis, aut pensionem assignare ad vitam vel ad tempus, seu canonem, censum seu pensionem diminuere) possit mutuum recipi, vel Ecclesia seu monasterium aliquod, sive locus alius obligari, aut pensio ad vitam vel alias dari, seu census vel canon aut pensio diminui, nisi prius clare ac explicite omnia praedicta fuerint observata. Et quod pecunia, quae mutuo recepta fuerit, vel ex aliis praedictis habita, in solius antistitis vel abbatis seu prioris aut alterius administratorum huiusmodi, conctractum principaliter ineuntis, non remaneat potestate, sed tradatur tribus viris providis et discretis eiusdem ordinis seu religionis, si commode fieri possit, qui eam ad illas dumtaxat necessitates vel utilitates convertant, propter quas receptum mutuum, vel venditio, aut concessio, seu census, vel canonis aut pensionis diminutio, seu pensionis assignatio et obligatio factae fuerint supradictae. Ad quae fideliter exequenda et observanda ipsi tres viri iuramenti vinculo adstringantur, quando tradetur eis pecunia praelibata. Volumus etiam, quod eorum, quae debentur Ecclesiis vel monasteriis, seu aliis locis ipsius ordinis seu religionis remissio fraudulosa et notabiliter damnosa a quoquam nequeat attentari. Insuper volumus et ordinamus, quod illa summa, quae in capitulo generali cuiuslibet Ecclesiae vel monasterii, seu alterius loci ipsius ordinis seu religionis eiusdem provinciae annis singulis pro evidenti utilitate vel necessitate per antistitem seu abbatem, vel alium superiorem, et capitulum generale praedictos, seu maiorem eius partem, vel per tres providos et discretos monacos iuratos super hoc, per eos deputandos taxabitur, possit recipi mutuum sine praedictis solemnitatibus et poenis infra proxime designatis. Et etiam si casus aliquis evidenter utilis seu necessarius occurreret, cui succurri non valeat nisi mutuum contrahatur, si abbas vel alii supradicti a locis, quibus praefuerint, sint multum remoti, licitum sit eisdem absque solemnitatibus et poenis huiusmodi, ut tali casui valeat provideri, tantam, absque fraude qualibet, summam recipere mutuo, quanta necessaria fuerit pro supportando casu praefato, sive ut sibi provideant per eosdem. Quo videlicet casu, abbates et priores ac caeteri abbates proprios non habentes, infra octo dies postquam ad monasteria sua redierint, haec omnia conventibus propriis exponere teneantur. Priores vero et administratores caeteri suis superioribus et ipsorum conventibus similiter infra octo dies postquam ipsorum superiorum et conventuum eorum praesentiam adire poterunt, facere teneantur; et quod fiat de his scriptura authentica, quae in Ecclesia vel monasterio principali fideliter conservetur: et quae causas et omnia, quare mutuum huiusmodi contractum fuerit, debeant continere. Nec ante solutionem integram mutui sic contracti, dictaeque summae singulis annis, ut praefertur, taxandae, aliud debeat contrahi per abbates vel alios supra dictos, nisi solemnitates huiusmodi observentur. Nos insuper decernimus irritum et inane, si contra praedicta extiterit attentatum. Volentes itaque, ut statutum et ordinatio huiusmodi firmius observentur, ordinamus, quod abbas seu prior, aut quicumque alius proprium non habens abbatem, si ommissis solemnitatibus huiusmodi, venditionem seu concessionem, aut pensionis assignationem, vel census seu canonis vel pensionis diminutionem, aut re-

missionem debitorum huiusmodi, et obligationes praefatas de praedictis facere, aut mutuum ultra, vel alias quam supra proxime conceditur, recipere praesumpserit, occasione ipsius Ecclesiam, monasterium, prioratum, administrationem seu locum alium, aut iura, redditus seu pensiones ipsius obligando, seu submittendo, aut instrumenta vel literas concedendo; praeter alias poenas iuris, tamdiu ingressum Ecclesiae sibi eo ipso noverit interdictum, donec obligationes et submissiones, venditiones et concessiones, censuum seu canonum et pensionum diminutiones, ac pensionum assignationes, et illarum effectus, necnon gravamen Ecclesiae, monasterii, prioratus, seu alterius administrationis omnino cessent: et Ecclesiam, monasterium, prioratum seu administrationem huiusmodi iuxta posse indemnia reddiderit, seu reddi fecerit, aut procuraverit in praemissis. Quod si per sex menses huiusmodi sustinuerit interdictum, sit a divinis et a collatione beneficiorum eo ipso suspensus; et collatio beneficiorum huiusmodi ad priorem, seu alium praelatum maiorem post abbatem seu praelatum monasterii seu alterius loci, ordinis seu religionis huiusmodi, abbatem proprium non habentem, durante suspensione huiusmodi, libere devolvatur. Nos autem omnibus praesidentibus provincialibus capitulis provinciarum a nobis superius decretarum, et visitatoribus in illis ordinatis et ordinandis, in virtute obedientiae districte praecipiendo iniungimus, ut contra talem sic interdictum et suspensum, super praedictis, ac de fama et de regimine ipsius simpliciter et de plano informationem recipiant, et si exemptus Sedi Apostolicae immediate subiectus, ipsi Sedi, si vero exemptus eidem Sedi mediate subiectus, superiori suo immediato, si autem exemptus non fuerit, dioecesano suo informationem huiusmodi sub eorum sigillis inclusam, quam cito commodius poterunt, destinare procurent, et servent contra talem quae in supradicta constitutione saepe dicti Honorii praedecessoris nostri instituta fore noscuntur. Caeteri vero priores et administratores quilibet ipsius ordinis seu religionis, nedum interdicti huiusmodi poenam eo ipso incurrant; sed etiam (ut de aliis est praemissum) infra sex menses a tempore, quo praedicta commiserint, numerandos, obligationes, submissiones, venditiones, concessiones censuum, seu canonum aut pensionum diminutiones, et pensionum assignationes, necnon illarum effectus et gravamina cessare non fecerint, et quatenus de facto processerint tolli, ac prioratus seu administrationes alias indemnes non reddiderint, seu reddi non fecerint ac procuraverint, donec proxime dicta compleverint, sint a divinis eo ipso suspensi. Quod si suspensionem huiusmodi per alios sex menses proxime secuturos tolerare praesumpserint, sint ipsis prioratibus et administrationibus ipso facto privati, per illos ad quos eorum collatio pertinuerit, aliis idoneis, et nullatenus eis illa vice libere conferendis.

### Cap. X.

De fictis et dolosis contractibus.

Praeterea quia plerumque contingit, quod quidam abbates et priores, ac nonnulli alii administratores, praesidentes, seu monaci et conversi, eiusdem ordinis seu religionis, praetextu administrationum vel aliorum negotiorum quae gerunt, multas fraudes adhibent, et dolosos seu simulatos seu fictos contractus ineunt: mutua etiam per se et alios simulata et ficta suscipiunt: aliquando proprio et etiam fideiussorio, et etiam diversimode nomine alieno, et inter caetera quandoque confitentur in instrumentis publicis seu authenticis et aliis scripturis se a patre, fratre, nepote vel consanguineo, seu quolibet alio coniuncto, affine, familiari, servitore, amico, seu mercatore, recepisse mutuo, vel alias pecuniam, pannos, vinum, bladum, equos, boves sive

animalia alia, vel res seu caetera bona, eaque in utilitatem locorum de quibus praesident, vel administrationum quas gerunt fuisse conversa: cum tamen aliquando nec pro se, seu eorum locis, neque pro administrationibus suis receperint: sed esse finguntur et ponuntur ac scribuntur frequenter principales: et ut tales se obligant (cum revera fideiussores dumtaxat existant) et interdum pro aliis recipiuntur mutua praelibata, super his etiam frequenter se ac alios, locaque ipsa, possessiones, redditus, proventus, bona et iura ipsorum multipliciter obligando etiam et submittendo. Quidam insuper in fraudem seu dolose confitentur, et alios praesertim eorum debitores faciunt confiteri ac etiam obligari, ac super his instrumenta et authenticas vel alias scripturas in fraudem confici, iura, redditus, possessiones animalia, blada, pecuniae, debita, seu alia bona, ad ipsos vel monasteria, seu quaevis alia loca ipsius ordinis seu religionis pertinentia, seu debita fuerint, sunt vel esse debent patris, matris seu fratris eorum, vel aliarum personarum praedictarum, et ad ipsas personas pertinere, vel debita eis fore: aliosque multos contractus similes fingunt, faciunt, seu fieri procurant, aut permittunt fraudulenter seu dolose: per quos Ecclesiae, monasteria et alia loca ipsius ordinis seu religionis, quibus praesunt, ac iura, redditus et possessiones, seu alia bona ipsorum damnificari, gravari, obligari, vel alias impediri seu deperire possunt; nos super praemissis Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum locorum præfatorum indemnitatibus, prout tenemur, obviare volentes, statuimus et ordinamus, quod praeter alias pœnas iuris, talia committentes, vel fieri facientes, aut eis consentientes vel scientes, et quam cito commode poterunt, quibuslibet fraude ac dolo exclusis, superioribus talium et eorum conventibus minime revelantes, si eiusdem ordinis seu religionis fuerint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto: a qua nequeant absolvi, scientes videlicet, nisi ea revelaverint: caeteri vero nisi prius praemissa omnia tolli fecerint et cessare, et Ecclesias, monasteria, prioratus, administrationes et loca (quantum eis possibile fuerit) reddiderint, seu reddi fecerint indemnia, seu procuraverint a talibus dispendiis relevari. Et tunc per praesidentes provincialibus capitulis dumtaxat, vel per aliquem ipsorum si fuerint abbates qui deliquerint in praemissis: vel priores, aut alii abbates priores non habentes: caeteri vero per proprios abbates vel alios superiores eorum a praefata excommunicationis sententia absolvantur. Interim vero cum summarie ac de plano constiterit aliquem huiusmodi sententiam incurrisse, si abbas fuerit vel prior, seu alius proprium non habens abbatem, tunc quilibet praesidentium capitulo provinciali, ac visitator illius Ecclesiae seu monasterii aut loci proprium abbatem non habentis; si vero alius prior aut administrator extiterit, abbas vel alius eius proprius et immediatus superior, eum publicent, et teneantur facere excommunicatum per loca ipsius ordinis seu religionis, usque ad satisfactionem condignam, publice nunciari.

### Cap. XI.

Forma iuramenti a praelatis praestandi.

Praeterea ut praedictis et aliis damnis, periculis et scandalis obvietur, statuimus et ordinamus quod omnes et singuli abbates et alii praelati ordinis seu religionis huiusmodi abbates proprios non habentes, qui per Sedem Apostolicam promoti sunt vel promovebuntur in antea, et eidem Sedi non existunt immediate subiecti, suis immediatis superioribus iuramentum praestare ad sancta Dei evangelia corporaliter teneantur: quod possessiones vel iura ad mensam sui monasterii sive loci spectantia non vendent nec alienabunt, nec impignorabunt, neque de novo infeudabunt, nec per aliquem modum donabunt, neque

census diminuent: nisi qualenus a iure permittitur, et servata solemnitate superius denotata. Nec etiam obligabunt alias vel ultra quam in praescriptis statutis et ordinationibus continetur, et quod possessiones, redditus et iura mensae praedictae indebite alienata, distracta vel occupata, prout commode poterunt, repetent: et ad ius et proprietatem Ecclesiae vel monasterii seu loci ordinis seu religionis huiusmodi procurabunt reduci. Non obstante si forte aliud vel simile Romanae Ecclesiae praestiterint iuramentum, ad quod praestandum per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia per superiores praedictos, appellatione remota, valeant coarctari. De praestatione vero huiusmodi iuramenti plena et sufficiens fides fiat conventibus eorumdem. Et idem iuramentum praestare teneantur immediatibus abbatibus, seu aliis praelatis suis in praesentia capituli vel conventus, si commode fieri possit, omnes et singuli priores seu quicumque alii administratores et beneficiati monaci eiusdem ordinis seu religionis: quibus per dictam Sedem, vel eius legatos, seu executores vel alios provisores a Sede Apostolica seu per ipsius vel dictorum legatorum literas deputatos, sive per abbates aut per quoscumque alios iure ordinario vel alias quomodolibet provisum est hactenus, vel providebitur in futurum, et ad praestandum huiusmodi iuramentum per ipsos abbates seu priores etiam auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia remedia, si moniti praestare iuramentum huiusmodi recusarint, remoto appellationis obice, cogi possint per praedictos. Insuper quibuscumque formis aliis licitis iuramentum (1), per quae ad alia plura iurantes adstringuntur, non intendimus derogare: sed si forsan in illis contineantur capitula et alia in praemissa forma non expressa, illos ad ea obligari volumus et adstringi. Decernimus insuper, quod cum civitas, castrum, villa vel iurisdictio alicuius eorum feudum solemne aut grangia, seu magnum territorium, vel magnus possessionum aut terrarum numerus vendenda vel obliganda, seu monasteria, prioratus vel Ecclesiae aliquo a iure permisso alienationis titulo alienanda, vel in alios transferenda extiterint, venditiones seu alienationes aut translationes huiusmodi fieri nequeant: nisi etiam prius consulto Romano Pontifice, ac eius super his petita licentia et obtenta. Aliter autem venditiones seu alienationes vel translationes praefatae sint irritae ipso iure: et quilibet praesidentium ac visitatores contra exemptos Sedi Apostolicae supradictae, et contra non exemptos contrarium facientes, locorum ordinariis eorumdem, quam cito commode poterunt, sub eorum sigillis intimare praedicta nihilominus teneantur.

(1) Forsan leg. *iuramenti, per quas.*

### Cap. XII.

*De spoliis.*

Caeterum antistitibus ordinariis, abbatibus, prioribus et aliis praelatis religionis eiusdem, qui bona mobilia prioratuum, administrationum et beneficiorum quorumlibet sibi subiectorum vacantium in ipsis tempore huiusmodi vacationis inventa, seu alia causa rationabili ad se asserunt pertinere, districtius inhibemus, ne vasa, vestimenta, seu alia ornamenta quaecumque divino cultui deputata, animalia etiam tam pro agricultura, quam aliis ipsorum locorum necessitatibus teneri inibi consueta, vasa insuper vinaria, et coquinae, lectos et alia supellectilia seu vasa (nisi forte aurea vel argentea fuerint) occupare vel exinde asportare aut sibi appropriare praesumant. Quodque in apprehendendis bonis aliis, formam constitutionis felicis recordat. Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri super hoc editae diligenter observent, ac nihilominus de portione dictorum bonorum, quae rationabiliter eos continget, quartam partem in augmentum ornamentorum ecclesiasticorum, Ecclesiarum seu monasteriorum suorum, convertere integraliter teneantur. Qui vero secus fece-

rint, iuxta qualitatem delinquentium personarum, poenas incurrant, quae per constitutionem eamdem eius transgressoribus infliguntur.

## Cap. XIII.

De inventariis a superioribus locorum faciendis.

Statuimus insuper ac etiam ordinamus et districte praecipiendo iniungimus, quod deinceps in singulis Ecclesiis cathedralibus, monacalibus ac monasteriis et prioratibus, necnon administrationibus aliis quibuscumque ipsius ordinis seu religionis per antistites Ecclesiarum, abbates, priores et alios gerentes administrationes huiusmodi, in eorum novitate, coram uno vel duobus notariis publicis et aliquibus probis et senioribus Ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum eorumdem, de omnibus bonis mobilibus et immobilibus seseque moventibus ad ipsorum administrationes dumtaxat spectantibus, in quibuscumque locis consistant, fiant inventaria seu registra consimilia duplicata, in quibus scribatur quot monaci in quolibet loco ipsarum administrationum iuxta ipsius loci facultates possint et debeant commorari, et in quo statu quilibet recepit Ecclesiam, monasterium vel prioratum seu administrationem, et inter alia quot extent vel deficiant animalia, et qualia, quanta blada, vina et caetera victualia et moneta, vasella aurea vel argentea, et quae et quot et quibus, Ecclesia, monasterium, prioratus, administratio seu locus huiusmodi debent, et quae et quot et a quibus debentur eisdem, et sub quibus obligationibus debent et debentur eisdem, et quae et quot alia bona mobilia vel vasa sive ornamenta vel supellectilia et similia inibi fuerint. Et si quid ex praedictis in bono statu receperit, ipseque ad malum statum duxerit Ecclesiam, monasterium, prioratum, administrationem seu locum eius, bona ipsius debitis obligando indebite ad vitam vel perpetuo concedendo, seu alias alienando vel dilapidando; procedatur contra eum, prout iura et statuta, necnon ordinationes nostrae superiores requirunt, et praesertim supradicta constitutio Honorii super hoc exacte servetur. Praedicta vero inventaria seu registra clare ac integraliter legantur in capitulo cuiuslibet Ecclesiae cathedralis ac monasterii prioratus vel alterius loci huiusmodi, praesentibus capitulo seu conventu ad hoc specialiter congregatis. Quibus lectis, unum ponatur et servetur in arca communi, ubi commune sigillum est solitum custodiri, seu loco alio congruenti, et reliquum remaneat penes antistitem aut abbatem vel priorem seu administratorem alium a supradictis: ita quod si aliquem ex praedictis ad Ecclesiam, monasterium, prioratum, administrationem seu locum alium transferri seu mutari contigerit, ipse translatus seu mutatus, si antistes vel abbas aut prior seu alius, superiorem eiusdem religionis non habens, fuerit; capitulo seu conventui loci quod dimiserit, seu deputatis ab eis infra sex menses ad tardius post adeptionem pacificae possessionis Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, administrationum seu ipsorum locorum; vel si hoc ante non fecerit, succedenti sibi in loco dimisso: alii vero superioribus suis immediatis, iuxta inventaria seu registra praedicta rationem debitam, vocatis et praesentibus aliquibus probis viris Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ipsorum, reddere teneantur; dictaque inventaria seu registra transmittantur ad Ecclesias, monasteria vel alia loca principalia (ut praefertur) legenda et conservanda in illis.

## Cap. XIV.

De locis non tradendis ad firmam nisi cum certa solemnitate.

Verum, quia traditiones ad firmam factae de locis administrationum ipsius ordinis seu religionis, aut proventuum ipsorum, per antistites, abbates, priores et alios administratores eorum, ipsis Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, administrationibus de locis, spiritualiter et temporaliter diversa praeiudicia generant; prohibemus ne proventus seu loca prae-

dicta ad firmam de caetero concedantur, nisi ex causa et in casu necessario sive utili evidenter: et tunc si antistes, abbas vel prior, seu alius, proprium non habens abbatem vel administratorem, hoc facere voluerit, debeat deliberationem super hoc cum capitulo vel cum conventu praemittere, et diligentem tractatum cum illo habere de causa huiusmodi, et de quantitate pretii ac de persona cui fuerit firma seu venditio huiusmodi facienda, et de conditionibus, pactis, obligationibus, solutionibus et similibus, pertinentibus ad praedicta; et ipsius capituli vel conventus seu maioris partis eiusdem in hac parte consilium adhibere. Si vero prior seu administrator alius fuerit conventum habens proprium et superiorem abbatem vel alium eiusdem religionis, praemittere debeat deliberationem et tractatum praefatos, nedum cum proprio suo conventu, sed cum ipso abbate vel alio superiore praedicto immediato et conventu superioris monasterii sui, ac expressam auctoritatem et licentiam eiusdem abbatis vel alterius superioris cum consilio conventus ipsius abbatis vel alterius superioris primitus obtinere. Priores autem et administratores alii, abbatem proprium vel alium superiorem eiusdem religionis, non tamen conventum habentes, teneantur deliberationem et tractatum iam dictos cum eorum abbate vel alio superiore praemittere, necnon auctoritatem et licentiam specialem ab eo primitus obtinere. Quod si secus actum fuerit, firma seu venditio ipsa et contractus quilibet super praemissis initus, sint irriti eo ipso; ac instrumenta et quaelibet alia documenta super eis confecta nullam obtineant firmitatem. Et nihilominus abbates et priores, caeterique abbates proprios non habentes, qui contra fecerint per praesidentes provincialibus capitulis, caeteri vero per abbates vel alios superiores eorum, arguantur graviter et debite puniantur.

## Cap. XV.

*De privilegiis et rebus aliis non tenendis extra loca administrationum.*

Praeterea statuimus et ordinamus, quod antistites, abbates, priores et caeteri administratores vel monaci et conversi eiusdem ordinis seu religionis, privilegia, literas et instrumenta, quibus libertates, possessiones, res et iura locorum et administrationum suarum firmantur, vasa etiam aurea et argentea, ornamenta ecclesiastica, libros, pecunias, blada, vina, animalia et res alias notabiles seu preciosas, ad Ecclesias, monasteria seu loca eorum spectantia, extra Ecclesias, monasteria seu loca eadem apud consanguineos vel propinquos seu alios quoscumque, fraudulenter aut dolose in damnum Ecclesiarum, monasteriorum, locorum seu administrationum huiusmodi nullatenus transportent seu tenere praesumant; et quod antistites, abbates vel priores, ac caeteri, superiorem eiusdem religionis non habentes, qui contra fecerint, sint eo ipso per mensem ingressu Ecclesiae interdicti, et nihilominus ipsi huiusmodi transportata et detenta, ad Ecclesias, monasteria, loca et administrationes praefatas reducere teneantur. Et si abbatum, priorum et aliorum administratorum superiores (ut praemittitur) non habentium, transgressio manifesta seu nota fuerit, per praesidentes in provinciali capitulo seu visitatores per idem capitulum deputandos, censurae graviori ac debitae satisfactioni subdantur. Alii vero inferiores administratores et transgressores ipso facto sint et permaneant per annum integrum ab eorum officiis et administrationibus suspensi. Et si eorum transgressio manifesta seu nota extiterit, per suos superiores amoveantur perpetuo ab administrationibus eorumdem, et administrationes huiusmodi per eosdem superiores, ad quos eorum collatio pertinuerit, aliis libere conferantur. Simplices autem monaci et conversi transgressores sint inhabiles ad obtinenda quaelibet beneficia et officia ipsius ordi-

nis seu religionis, usquequo per eorum superiores (congrua satisfactione praemissa) cum eis extiterit misericorditer dispensatum.

## Cap. XVI.

De monachis et conversis proprietariis et negotiatoribus.

Rursum, licet contra monacos proprietarios sit plene provisum per canonicas sanctiones: tamen specialius providere volentes contra illos monacos et conversos ipsius ordinis seu religionis, qui suae salutis obliti, contra regulares et canonicas institutiones pecuniam congregant, iura, possessiones, redditus seu census annuos et alia bona emunt, seu emi faciunt aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super his figmentis adhibitis; aliisque tradunt animalia nutrienda et cum augmento vel lucro sibi vel alteri reddenda eorum nomine, seu pro ipsis; et alios multos contractus diversimode tamquam negotiatores exercent; necnon appetentes et sectantes lucra turpia, peculium occultant et illicite detinent in suarum periculum animarum: auctoritate apostolica praedicta decernimus, omnia praemissa (quae tamen non restitutioni subiaceant aliorum) nedum post obitum, sed etiam in vita ipsorum monacorum et conversorum fore per antistites, abbates seu alios praelatos eorum proprios, cum consilio proborum monacorum seniorum Ecclesiae, monasterii vel loci cuiuslibet eorum, eiusmodi Ecclesiis, monasteriis seu locis propriis applicanda, et in eorum utilitatem totaliter convertenda, usu (immo potius abusu) quocumque contrario non obstante: quodque ipsi antistites, abbates seu alii praelati proprii, alicui monaco vel converso talia faciendi licentiam nequeant impartiri. Et quod tam praelati, monaci et conversi praedicta committentes, quam alii quicumque ordinis seu religionis huiusmodi supradicta retinentes, aut sibi ipsis appropriantes vel applicationi et conversioni huiusmodi resistentes vel impedimentum publice aut occulte praestantes, seu praestari procurantes, vel dictum peculium non revelantes antistitibus, abbatibus seu praelatis propriis antedictis, sint eo ipso inhabiles ad beneficium, prioratum, administrationem, officium, regimen et gubernationem quamlibet in ordine seu religione huiusmodi obtinenda. Permittimus tamen, quod cum ipsis monacis et conversis possit antistes, abbas vel alius eorum praelatus proprius dispensare super poenis huiusmodi, quando ei videbitur expedire: dummodo praemissa revelaverint et plene restituerint, ut praefertur.

## Cap. XVII.

Ne victualia in pecunia ministrentur.

Nempe statuimus et ordinamus, quod iuxta suppetentiam facultatum Ecclesiarum cathedralium et capitulorum earum, ac monasteriorum et aliorum locorum eiusdem ordinis seu religionis et singularum regionum etiam qualitates, per antistites, abbates et alios praelatos et quosvis alios administratores vel officia ad haec deputata vel deputanda tenentes et exercentes, sufficienter victualia, vestiaria, omniaque alia necessaria monacis ministrentur; proviso attentius, quod pro huiusmodi victualibus, vestiariis aut aliis quibuslibet eisdem monacis necessariis, pecuniae simul aut per vices seu minutatim nullatenus eis dentur, aut pensio vel redditus quomodolibet assignentur: sed in victualibus, vestiariis et rebus aliis eis ipsorumque usui congruentibus, provideatur eisdem, quemadmodum fuerit opportunum. Et ubi alius certus terminus super hoc non fuerit ordinatus, singulis annis, prima videlicet die mensis octobris, vestiaria praebeantur. Si qui autem redditus vel pensiones hactenus propter hoc seu alias extiterint assignati, nullatenus dimittantur eisdem: sed ex nunc pro revocatis ab ipsis totaliter habeantur. Et nihilominus illi, qui pensionem, redditus aut pecuniam pro praedictis vel eorum aliquo cuiquam monaco ministrare vel assignare praesum-

pserint, si antistites, abbates vel priores, seu caeteri, superiores eiusdem ordinis seu religionis non habentes, extiterint, infra octo dies tantundem erogare pauperibus teneantur, hoc tamen adhibito moderamine circa idem, quod monacis de suorum superiorum licentia extra cathedrales Ecclesias, monacales, monasteria, prioratus et administrationes praefatas, in scholis vel alibi pro utilitate Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et administrationum huiusmodi commorantibus, possit pro victu et vestitu (sicut eorum superioribus videbitur) dari pecunia; non tamen pensio vel redditus assignari: salvis etiam statuto et ordinatione praescriptis, de monacis ad Studia generalia transmittendis et de pensionibus eis, ac de decem libris exhibendis dicto monaco, qui infra Ecclesias, monasteria et alia loca eiusdem ordinis seu religionis monacos dociles instruet, prout seriose superius est distinctum. Ad haec subiungimus, quod illi, qui praedicta ministrare tenentur, ad ea, omni excusatione cessante, sufficienter (ut praemittitur) ministranda, per superiores suos, aut in defectu eorum, per visitatores vel praesidentes praefatos irremissibiliter compellantur: nec audiantur, si dicant privilegium, statutum, ordinationem vel consuetudinem aliam se habere, aut pro suis personis eorumque statu (iuxta personarum vel officiorum decentiam sustinendis) se asserant indigere; nulla quoque super hoc appellatio, nullave supplicatio eis prosint. Sed si tertio moniti per aliquorum dierum competentia intervalla, praelati eorum arbitrio relinquenda, praemissis efficaciter parere contempserint, removeantur libere a suis administrationibus vel officiis, ipsaque aliis idoneis praedicta complere valentibus committantur. Quod si forte redditus officiorum seu administrationum huiusmodi, ad victum, vestiarium, seu alia necessaria monacis ministranda non sufficiant, de communi contributione, ut de pensionibus studentium (ut praemissum est) facienda, defectus huiusmodi suppleatur, donec pro aliis per deputandos a nobis redditus seu pensiones perpetui fuerint assignati, quos per eosdem deputandos assignari volumus eisdem modis et formis, quibus pro pensionibus dictorum studentium redditus seu pensiones perpetuas ordinavimus et statuimus assignari. Abbates vero ac priores et caeteri, superiores (ut praefertur) non habentes, qui tenentur administrare praedicta, a praesidentibus aut visitatoribus per censuram ecclesiasticam, modisque aliis congruentibus, ad id omnino cogantur; ipsis, nisi suos subditos, et praesidentibus ac visitatoribus nisi abbates, priores et alios supradictos, iuxta modum praefatum effectualiter ad praemissa compulerint, in capitulis provincialibus graviter arguendis et taliter corrigendis, quod rubor et confusio de praeteritis diligentiam efficiant ad futura.

### Cap. XVIII.

*Ne saeculares deputentur ad victum monachis ministrandum, nec monachi alterius monasterii aut ordinis.*

Caeterum, ut viam scandalis praecludamus, prohibemus expresse, ne in Ecclesiis vel monasteriis seu locis aliis conventualibus eiusdem ordinis seu religionis, clerici saeculares vel laici, seu alterius monasterii monaci vel religiosi alterius religionis, ad victum monacis ministrandum de caetero deputentur. Quicquid autem ad victum monacis ministrandum in cibo, potu vel pitantia eisdem monacis ministrandum existit, singulis eorum die qualibet administretur ad congruentem mensuram, prout erit opus, iuxta Ecclesiarum, monasteriorum et locorum ipsorum exigentiam facultatum; et quicquid de administratis supererit, eleemosynae applicentur per illum, qui ad hoc fuerit deputatus. Nec aliquis alius per se vel per alium de refectorio seu infirmitorio vel alio loco, in quo monaci comedent, aliquid extrahere vel alibi deferre, seu alteri usui applicare praesumat. Quod si fecerit, pro qualibet vice

per duos dies panis et aquae solummodo poenitentiariae subdatur.

### Cap. XIX.

Ne mulieres morentur in monasteriis

Insuper statuimus et ordinamus, quod antistites, abbates, priores ac caeteri administratores in Ecclesiis vel monasteriis seu aliis locis eiusdem ordinis vel religionis huiusmodi, aut infra septa Ecclesiarum, monasteriorum et locorum eorumdem, vel in domibus, in quibus monaci habitant, mulieres tenere (etiam si matres vel sorores fuerint) non praesumant. Antistites vero, abbates, priores, ac caeteri, superiores religionis eiusdem non habentes, qui contra fecerint, a collatione beneficiorum sint per tres menses eo ipso suspensi, quibus durantibus, ad priorem vel alium maiorem, post antistitem seu abbatem, cum consensu capituli seu conventus vel maioris et sanioris partis eiusdem, beneficiorum ipsorum sit collatio devoluta. Alii vero priores et administratores, quicumque fuerint, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinuerint, sint suspensi; quibus durantibus, antistes, abbas vel alius praelatus, immediatus eorum superior, ponat in eisdem beneficiis alios monacos administratores providos et discretos, ac fructus ex his dictis sex mensibus obvenientes, qui supererunt (debitis consuetis oneribus supputatis), convertantur in utilitatem Ecclesiae, monasterii seu loci immediate superioris delinquentium praedictorum. Et nihilominus dicti abbates et priores et alii non habentes superiores, per praesidentes seu visitatores, caeteri vero per suos superiores, prout culpae aut delinquentium qualitas exegerit, alias puniantur.

### Cap. XX.

Ne monachi nutriant vel teneant animalia aut laicos in monasteriis.

Caeterum prohibemus, ne aliqui monaci nutriant seu teneant equos vel alias evectiones aut servitores, seu alias personas vel familiares in Ecclesiis, monasteriis seu locis aliis conventualibus ordinis seu religionis eiusdem, nisi eis ratione administrationum vel officiorum, quae gesserint, id competere dignoscatur. In infirmitorio tamen pro necessitatibus infirmorum coquina capituli vel conventus, aliisque officiis honesti servitores seu famuli saeculares teneri poterunt necessarii in numero moderato, prout in aliquibus Ecclesiis cathedralibus vel monasteriis, seu locis aliis ipsius ordinis seu religionis fuerit rationabiliter observatum. Qui saeculares, quanto minus fieri poterit, cum monacis conversentur, nec bibant, nec comedant cum eisdem in capitulo vel conventu. Superiores quoque circa haec provideant, quod diligentius observentur, transgressores eorum arguendo et prout expediens fuerit, puniendo. Prohibemus insuper, ne superiores, abbates, priores, et caeteri quicumque ipsius ordinis seu religionis lautis conviviis et comessationibus occupentur; nec in his sumptus immoderatos et alios excessus faciant, volentes quod a familiarium, servitorum aut sequentium et robarum seu vestium multitudine indecenti et excessiva, tam infra Ecclesias, monasteria, prioratus, administrationes et alia loca eorum, quam etiam extra illa, diligenter studeant abstinere, et honeste ac laudabiliter conversari. Inhibemus namque, ne aliquis abbas vel prior seu administrator alius, religionis eiusdem conventum habens, plures saeculares personas equitantes quam . . monacos (eo pro uno monaco computato) secum ducere praesumat, nisi guerrae discrimen vel personarum seu rerum periculum timeretur, aut forsitan immineret, fictione et fraude cessantibus quibuscumque. Caeteri vero, conventum non habentes, si duos equitantes secum ducant, volumus, quod unus illorum monacus existat; si autem plures ducant equitantes, circa hoc servetur quod superius de conventum habentibus est expressum: adiicientes, quod abbas vel prior seu administrator vel monacus quicumque religionis eiusdem, domicellum

vel domicellos vestibus virgatis seu partitis aut curiosis, vel quomodolibet inhonestis non induat vel indutos secum teneat sive ducat. Qui autem contrarium fecerit, si superiorem religionis eiusdem non habuerit, per praesidentes dicti capituli provincialis; si autem superiorem huiusmodi habuerit, per ipsum superiorem immediatum videlicet puniatur.

### Cap. XXI.

De solvendis censibus et redditibus pro alimentis monachorum.

Sane statuimus et ordinamus, quod omnes abbates, priores et administratores caeteri, et clerici saeculares et laici quicumque, qui census, redditus, pensiones seu quaecumque alia similia debent vel debebunt in posterum, pro alimentis quotidianis vel pro necessariis Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus, administrationibus, officiis seu locis, capitulis vel conventibus ordinis seu religionis eiusdem, sive in blado, vino, oleo, piscibus, pecunia seu rebus aliis quibuscumque consistant, illa eis solvere in terminis consuetis vel praefixis seu in antea praefigendis, integre non omittant. Et si ea in ipsis terminis vel saltem post eos infra quindecim dies non solverint, priores et administratores caeteri ordinis seu religionis ipsius, totam quantitatem rei debitae, ac ultra ipsam quartam partem praedictae quantitatis eiusdem loco poenae (infra mensem dictos quindecim dies immediate sequentem) solvere sint adstricti. Quas quidem quantitatem et quartam partem appositam (ut praedicitur) loco poenae, si solvere contempserint, infra mensem alium ex tunc primo secuturum, a beneficiis quae obtinuerint, donec praedicta solverint, sint ipso facto suspensi. Et si suspensionem huiusmodi per alium mensem ex tunc futurum sustinuerint, donec de praedictis integre satisfecerint, ab officio sint suspensi. Quod si per alium mensem proxime sequentem suspensionem huiusmodi ab officio sustinere praesumpserint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto: quam si per sex menses ex tunc secuturos pertinaciter toleraverint, prioratibus, administrationibus et quibusvis aliis beneficiis quae obtinuerint, sint ipso facto privati per illos, ad quos eorum collatio seu quaevis alia dispositio pertinuerit, aliis personis idoneis libere committendis seu etiam conferendis. Abbates vero qui infra praefatos quindecim dies praedicta per eos debita non solverint (ut praefertur), totam debitam quantitatem, et ultra illam, loco poenae tertiam partem illius, quod debuerint, persolvere teneantur. Et si per tres menses, dictos quindecim dies immediate sequentes, quantitatem quam debuerint, ipsamque tertiam partem loco poenae non solverint, sint eisdem abbatibus stallus chori et locus capituli abbatialia, donec super his integre satisfecerint, penitus interdicta. Quod si interdictum huiusmodi per alios tres menses proxime secuturos sustinere praesumpserint, sit ipsis Ecclesiae interdictus ingressus, quousque satisfecerint competenter integre de principali et tertia parte praefatis. Et nihilominus dicti abbates, ac omnes et singuli supradicti, damna et expensas ac interesse, quae Ecclesiae, monasteria, prioratus, administrationes, officia et loca huiusmodi sustinuerint, fecerint et incurrerint occasione retardatae solutionis huiusmodi vel ob defectum praedictorum, reficere et solvere teneantur. Poenae autem praedictae quartae et tertiae partium praedictarum in eos usus convertantur, in quos principales quantitates fuerant convertendae. Sententiae vero praemissae auctoritate apostolica, ubi expediens videbitur in ordine seu religione huiusmodi, contra ipsos contemptores valeant publicari; et quoties contumacia non solventium exegerit, aggravari per superiores, qui locis praefuerint, quorum extiterit solutio retardata. Nec in eis valeat remissio seu gratia cuiuscumque, nec tempus lapsum vel per negligentiam non petentium intelligantur remitti vel possit iuri petendi praescribi. Absolutio autem dictarum sen-

tentiarum competit abbatibus praelibatis. Per haec autem, poenis aliis, si quas dicti non solventes iuxta statuta vel ordinationes Sedis Apostolicae aut ordinis seu religionis eiusdem seu quovis modo alias existerent incursuri, non intendimus in aliquo derogari.

## Cap. XXII.

De receptione monacorum.

Caeterum quia multum ordini seu religioni praefatis hactenus obfuit indiscreta receptio monacorum; statuimus et ordinamus, ut per illos, ad quos in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus, decanatibus seu aliis locis quibuscumque ipsius ordinis seu religionis spectat creatio monacorum, deinceps non recipiantur aut induantur in monacos vel conversos nisi personae idoneae, vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat, et tales per quos inibi Deo in divinis officiis congrue deserviri seu impendi valeant obsequia opportuna; et quod per eosdem, ad quos (ut praemittitur) creatio ipsa spectat, infra Ecclesias, monasteria, prioratus, decanatus huiusmodi seu alia conventualia loca ipsis subiecta et non alibi, cum proborum consilio, Ecclesiae, monasteria, prioratus, decanatus, aut loci huiusmodi, cui hi, ad quos dicta creatio pertinet, praefuerint, induantur; nec per eos huiusmodi creatio, habitus traditio seu receptio, nisi personis ordinis seu religionis eiusdem de caetero committantur; et quod infra tempus probationis ad loca alia, nisi conventualia fuerint, non mittantur. Decernimus quoque, quod cum imminebit huiusmodi receptio facienda, si ad antistites, abbates vel praelatos alios, una cum capitulis vel conventibus eorumdem, seu cum eorumdem consensu pertineat, et capitula seu conventus huiusmodi, vel eorum maior pars ad eam pure procedere vel receptioni huiusmodi pro eorum libito renuant consentire, antistites, abbates seu alii praelati post ipsos, eos moneant in virtute obedientiae ut pure ac secundum Deum, et iuxta eorum conscientiam infra decem dies, huiusmodi creationi seu receptioni consensum praestare procurent. Quod si forte id facere negligant vel recusent, ad eosdem antistites, abbates vel praelatos alios creatio seu receptio ipsa libere devolvatur, dummodo nil fraudulenter per eos actum fuerit in praemissis. Qui quidem antistites, abbates et praelati alii in locis in quibus sexaginta monaci vel pauciores fuerint, cum consilio seniorum, proborum et discretorum suorum capitulorum vel conventuum, eligendorum per eos, tertiam partem numero facientium; in aliis vero locis in quibus monaci numerum sexagenarium excesserint, cum consilio seniorum, proborum et discretorum ex eis dumtaxat eamdem creationem et receptionem cum Dei timore ac observantia regulae de personis, ut praedicitur, idoneis facere non postponant, aliorum contradictione in aliquo non obstante. Prohibemus insuper, ne aliquis recipiatur in monacum ordinis seu religionis eiusdem, nisi statim induatur habitu monacali, nec literae seu instrumenta super futura receptione monacorum aliquibus concedantur, aut promissiones seu obligationes aliae inde fiant. Ut autem adversus eos, qui, tempore probationis elapso, volunt regularis professionis votum emittere, nullius difficultatis obstaculum ingeratur, universis et singulis praelatis, ad quos pertinet, suos monacos ad huiusmodi professionem recipere duximus iniungendum, ut omnes illos qui, dicto tempore probationis elapso, expresse profiteri voluerint, iuxta regularia instituta sine dilatione ac difficultate quibuslibet ad huiusmodi professionem admittant. Quod si facere sine rationabili causa recusaverint, tamdiu sint stallus chori et locus capituli abbatialia vel prioralia (ubi per priorem monasterium gubernatur) interdicta eisdem, donec praefatos ad professionem receperint antedictam. Et nihilominus id per visitatores provinciali capitulo referatur, ut per praesidentes eidem capitulo debite puniantur, proviso

attentius, quod in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, et aliis locis ordinis seu religionis huiusmodi, non recipiantur plures monaci vel conversi, quam tot potuerint de ipsorum proventibus congrue sustentari. Licet autem praecipiatur in supradicta constitutione saepedicti Honorii praedecessoris nostri, ut in nullo monasterio ad praebendas ex tunc recipiant abbates vel monaci clericos saeculares; nos tamen super hoc espressius providere volentes, ipsorumque monasteriorum et aliorum locorum ipsius ordinis seu religionis indemnitatibus (quæ plerumque contigerunt) propterea praecavere, huiusmodi praeceptum innovamus et etiam approbamus, et adiicientes prohibemus ne in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus conventualibus, sive locis aliis eiusdem ordinis seu religionis, praelati, priores seu administratores alii, vel capitula, seu conventus eorum, clericos saeculares vel laicos (nisi eisdem Ecclesiis, monasteriis seu locis dederint se et sua) ullo modo recipiant ad praebendas; nec eas aliquibus ad vitam vel ad tempus vendere seu concedere vel dare praesumant: volentes, quod venditio, concessio, seu datio (quas deinceps contra praemissa fieri contigerit) sint irritae et inanes; nec ex venditione, concessione seu datione huiusmodi eis, quibus factae fuerint, ius aliquod acquiratur. Et nihilominus contra hoc dantes et concedentes, per superiores suos, vel (si superiores eiusdem religionis non habuerint) per praesidentes provincialibus capitulis pro eorum arbitrio puniantur.

### Cap. XXIII.

De forma et honestate vestium.

Quamvis autem in constitutione Viennensis concilii, scilicet, *Ne in agro*, de vestibus, caputiis, et sotularibus monacorum, eorumque formis provide sit statutum; nos tamen praemissis adiicimus, quod altitudo sotularium ipsorum tanta ad minus esse debeat, ut quatuor (1) transversalium de tibia super cavillam spacium comprehendat; quodque nulli monaco eiusdem ordinis seu religionis portare caputium etiam fissum super humeros sit licitum quoquomodo, nisi prius ipsius caputii fissura et honestas alias per abbatem, seu praesidentem alium, ubi præest alius, fuerint arbitratae. Horum namque transgressores poenas eo ipso incurrant, quae portantibus sotulares non corrigiatos et alios, aut caputia non fissa, inflictae noscuntur per dictam constitutionem ipsius concilii Viennensis. Adiiciendo quoque interdicimus expresse universis et singulis ipsius ordinis seu religionis monacis, quod nullus eorum de caetero rodundellum, clochiam, cucullam manicatam vel tabardatam seu epithogiatam, aut in veste superiori habitui proxima, manicas ligatas, consuticias, seu quomodolibet botonatas portare praesumat, sed quales portare statuit praefata constitutio eiusdem concilii Viennensis. Qui vero interdicti huiusmodi transgressor extiterit, auferatur ab eo per suum superiorem vestis ipsa transgressionis, pauperibus eroganda; et nihilominus transgressor ipse per eumdem superiorem sic alias debite puniatur, quo caeteri a similibus arceantur. Abbates autem in monasteriis et in cathedralibus Ecclesiis monacalibus; priores seu alii maiores in illis post eorum antistites, ac priores seu alii non habentes superiores religionis eiusdem, sic formam honestam vestium ac calceamentorum ordinent et disponant, quod sit omnibus monacis tam intrinsecus quam extrinsecus uniformis; ipsamque tam abbates quam priores et administratores, quam caeteri quicumque monaci, priores videlicet et alii per proprios eorum abbates seu praelatos alios; abbates vero et caeteri abbates proprios monacos non habentes, per praesidentes provincialibus capitulis, seu per quemlibet eorumdem, ac per visitatores in ipsis capitulis deputandis tenere ac servare cogantur. Per praemissa vero, vel per ea, quae in dicta constitutione Viennensis concilii statuuntur, non intendimus quod in

(1) Forsan addendum *digitorum*.

religionibus sive locis, in quibus abbates vel alii praelati locorum, seu monaci eiusdem ordinis seu religionis uti caputiis vel sotularibus non solebant, ipsis uti licitum sit eisdem.

Cap. XXIV.

De licentiis extra monasteria exeundi dandis; et de poenis apostatarum.

Statuimus insuper et etiam ordinamus, quod nullus monacus ordinis seu religionis eiusdem, de Ecclesia coenobio seu alio loco conventuali exire praesumat, nisi petita et obtenta licentia primitus ab eius superiore, qui eam valeat indulgere, quavis consuetudine contraria non obstante. Ipseque causam exitus vel itineris, omni fictione cessante, superiori exponat, dictusque superior licentiam huiusmodi, nisi ex causa rationabili, non concedat. Et eis quibus illa concesserit, certum ad redeundum terminum praefigat, ut convenienter poterit breviorem; ipsosque salubriter exhortetur a quibus, extra monasterium, habeant abstinere. Si quis vero monacus contrarium fecerit, teneatur satisfactionem illam vel poenam subire, cui sine licentia de monasteriis suis seu locis exeuntes conservantur, seu debent subiici, in ordine seu religione praefatis. Ad Ecclesias etiam vel monasteria seu loca huiusmodi redeuntes, ad communionem aliorum monacorum seu fratrum, donec satisfactionem huiusmodi fecerint, nullatenus admittantur, quae subiicitur esse talis: videlicet, quod a porta regulari, parlatorio seu alio loco consueto per claustrum cum magistro novitiorum, vel alio ad hoc deputato, ad capitulum veniat in staminea, vel nudus secundum quarumdam Ecclesiarum, monasteriorum et locorum religiosorum morem, femoralia et caligas sine pedalibus tantum habens, cucullam seu scapulare vel floccum in brachiis, ac ferulam in manibus suis ferens. Cum quibus ibi prius venia recepta, et sua recognita culpa, coram omnibus publice verberetur. Demum vero per abbatem vel alium praelatum principalem si sit ibi, aut priorem, vel alium post abbatem seu per principalem praelatum huiusmodi, poenitentia seu poena levis aut gravis culpae sibi pro qualitate demeriti imponatur, secundum morem cuiuslibet Ecclesiae, monasterii seu loci laudabiliter observatum, proviso attentius quod modum peccati modus correctionis nequaquam excedat. Poena quoque simili puniantur monaci in prioratibus, seu administrationibus aliis exterioribus deputati, qui de illis redierint ad Ecclesias vel monasteria seu loca conventualia praedicta, sine vocatione antistitis, abbatis vel alterius praelati, seu sine licentia eiusdem a priore vel administratore alio loci, in quo, ut praefertur, fuerint deputati, per patentes literas eisdem dandas, iustam causam licentiae huiusmodi continentes. Nullusque monacus pernoctaturus extra Ecclesiam, monasterium vel alium locum suum permittatur abire sine cuculla regulari clausa, necnon breviario, in quo servitutis suae pensum possit exsolvere Creatori.

Cap. XXV.

De monachis ad beneficia mittendis; et modo conversandi in eis.

Ordinamus etiam et volumus, Lateranensis concilii de monacis singulis per villas vel oppida et parochiales Ecclesias non ponendis, supradictam Clementis praedecessoris editam in dicto concilio Viennensi constitutionem, ne ipsi singuli monaci in singulis sibi commissis administrationibus vel prioratibus habitare praesumant, firmiter observari. Statuimus insuper quod absque personarum delectu transmittantur, cum faciendum fuerit, monaci per superiores eorum, prout locis congruere noverint et personis; et non prout priores seu administratores alii eos duxerint eligendos, vel sibi per antistites, abbates aut alios, ad quos hoc pertinet, petierint assignari. Quod si per ignorantiam vel errorem aliqui ad huiusmodi prioratus et administrationes ultra numerum constitutum vel constituendum missi forsan extiterint, priores seu alii administratores locorum ipsorum eos cum literis suis causam huiusmodi exprimen-

tibus et expensis conventibus ad superiores remittant eorum. Verum, si, cessante causa huiusmodi, priores seu alii administratores praedicti recusarint admittere aliquem ad se missum vel eis sufficienter in necessariis providere, tamdiu iidem priores seu administratores in claustro principali Ecclesiae, monasterii seu loci ad modum claustralium sequendo capitulum seu conventum residentiam facere teneantur, ad gubernationem locorum sibi commissorum per superiores praedictos, monacis aliis idoneis uno vel pluribus, prout superioribus ipsis videbitur subrogatis, donec dicti priores seu administratores plene paruerint in praemissis; salvis nihilominus aliis rationabilibus poenis statutis et consuetudinibus tales vel alios inobedientes in quibuscumque monasteriis vel locis ipsius ordinis vel religionis hactenus observatis. Monaci autem in prioratibus seu administrationibus cum dictis prioribus seu administratoribus commorantes in Ecclesia horis congruis et locis cum dictis prioribus seu administratoribus simul sint, et canonicas horas dicant. Et in missis celebrandis suas hebdomadas ordinare, ac tractim, non sincopando, humiliter et devote et horis competentibus et cum nota, ubi fuerint tres vel quatuor seu plures, facere teneantur, et in talibus locis ubi tres sint (1) aut supra sunt, una per eos missa ad minus cum nota die qualibet celebretur. In unaquaque domo communi regularibus iaceant (2), camerulis et cellulis eis penitus interdictis. In domo insuper una prior et monaci vescantur, nisi infirmitas aut alia evidens ratio aliud interdum suaserit faciendum. In vestitu, lectisterniis et tonsura, a communi Ecclesiae, monasterii seu loci cuiuscumque alterius superioribus eorumdem institutione vel debita observantia non recedant. Monaci quoque suo priori vel administratori iuxta ordinationem antistitis, abbatis vel superioris alterius obediant humiliter et devote. Prior autem vel administrator ipsos tractet fraterna in Domino caritate; nec ipsi priores seu administratores monacos vel eorum socios extra prioratus vel administrationes morari faciant vel permittant, aut a se remittere valeant absque superiorum suorum licentia, nisi ad ipsos superiores vel Ecclesias, monasteria seu alia loca principalia ex causa legitima et cum eorum priorum seu administratorum patentibus literis et prout superius est expressum; proviso diligentius quod dicti priores vel administratores soli non remaneant in eisdem prioratibus vel administrationibus. Imo ad residendum ibi continue compellant monacos antedictos, et si eis obedire noluerint, superioribus notificent indilate. Idemque faciant, quando mori vel fugitivos fieri continget monacos praelibatos, diem mortis eorum in suis literis exprimendo, ut in Ecclesiis, monasteriis seu locis aliis principalibus pro anima monaci defuncti fiant suffragia consueta; ac diem etiam fugae seu recessus eorum, ut fugitivos valeant revocare seu loco ipsorum alios subrogare. Quod si dum primo id sciverint, superioribus praefatis significare distulerint, ipsi priores vel administratores duplum illorum, quae monacus, si fuisset ibidem, expendisset pro pitantia, capitulo. Ecclesiae vel conventus monasterii seu loci alterius principalis solvere teneantur. Certos autem limites a priore vel administratore praedictis praefixos ipsi monaci habeant, quos etiam causa deductionis seu recreationis, vel alias transgredi eis non liceat sine prioris vel administratoris licentia speciali. Soli quoque numquam incedant, sed semper cum alio monaco vel alia honesta persona. In villa vero, in qua fuerint prioratus vel administrationes huiusmodi, comedere seu bibere vel domos ingredi non praesumant, nisi cum honestis personis, et hoc de sui prioris vel administratoris licentia speciali. Qui autem praemissa minime observaverint, regulari subiaceant disciplinae. Ut autem

(1) Legendum forsan *tres simul aut supra sint*.
(2) Addendum fortasse *lectulis*.

haec efficacius observentur, antistites, abbates et superiores, necnon alii, qui ad visitandum per eos fuerint deputati, cum prioratus et administrationes huiusmodi visitabunt, circa illa servanda et non servata etiam corrigenda, curam adhibeant diligentem.

## Cap. XXVI.

De esu carnium et abstinentia:

Verum, quia ad salutis profectum tenditur, si moderationis sobrietas et modestia observentur, volentes ea, quae circa esum et abstinentiam carnium beati Benedicti regularis institutio tradidit et in constitutione piae memoriae Innocentii Papae III praedecessoris nostri sunt statuta, firmiter observari, statuimus et ordinamus, quod per totum annum feria quarta et die sabbati, et a prima dominica de Adventu usque ad diem Natalis Domini et a dominica Septuagesimae usque ad diem Paschae omnes gentes regulares eiusdem ordinis seu religionis ab esu carnium ubique abstineant, nisi necessitas infirmitatis non fictae, per abbatem vel alium praelatum proprium forte suadeat cum aliquo dispensandum. Diebus autem quibus monaci in infirmitorio carnes edent, sic provideatur omnino, quod in refectorio remaneat ad minus medietas monacorum capituli vel conventus; et idem fiat ubi abbas seu alius praelatus principalis, aliquos ad domum seu ad cameram suam vocabit ad melius et plenius exhibendum. Quoties vero plures simul carnes in infirmitorio comedent, versus et oratio in principio mensae, ac post refectionem hymnus et versus dicatur, et continuum discumbendo silentium observetur. Ibique legatur sicut in refectorio continue aliquid, quod aedificet audientes; nullaque persona saecularis ad comedendum inibi aliquatenus invitetur. Caveant autem abbates et alii praelati aliorum locorum ipsius ordinis seu religionis, ne saeculares personas ad eorum mensas convocent, quarum occasione ipsi vel ordo seu religio huiusmodi denigrari valeant vel notari. Omnes insuper monaci, vel, si multitudo non sint eorum, saltem quando plures ex ipsis commode poterunt, in una domo dormiant et iaceant iuxta regularia et canonica instituta, non per separatas cameras vel per cellas, exceptis his quibus in cameris vel cellis infirmitorii permittetur propter senectutem vel invaletudines corporales vel ex aliis rationabilibus causis, iuxta dispositionem abbatis seu alterius eorum praelati, vel nisi propter administrationes seu officia super haec aliqui excusentur. Vestiti autem iaceant abbates, priores, administratores et monaci universi, tam infra, quam ubicumque extra monasterium constituti; lineisque camisiis, cum sint eis expresse prohibitae, non utantur. Transgressores vero praemissorum, si abbates, seu alii praelati, abbates proprios non habentes, fuerint, per praesidentes vel visitatores provincialis capituli; caeteri vero per suos superiores, prout culpae ac delinquentium qualitas exegerit, debite puniantur. Caeterum quia cellae in dormitoriis inhonestates inducunt, statuimus et ordinamus, quod in ipsis dormitoriis cellae de caetero nullae fiant; et iam factae nullatenus dimittantur: sed per antistites in cathedralibus Ecclesiis monacalibus et per abbates vel alios praelatos principales in monasteriis ac prioratibus et locis aliis, per illos, qui eis praefuerint infra quatuor menses a tempore quo statutum seu ordinatio huiusmodi ad eos pervenerit; eisque negligentibus seu non valentibus, per visitatores in prima visitatione, quam impendant, auctoritate apostolica destruantur: et quod super his resistentes eisdem vel impedimentum aliquod praestantes seu praestari procurantes, et ad hoc dantes auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, a qua nequeant nisi per praedictos visitatores absolvi, quos ipsi visitatores ad hoc per alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia valeant auctoritate apostolica coarctare.

De dormitorio, modoque cubandi.

Ipsi etiam visitatores quod super his invenerint vel fecerint, referant plene ac fideliter in subsequenti cuiuslibet provinciae, in quam visitatores deputati extiterint, capitulo provinciali. Pro studentibus tamen provideatur iuxta dormitorium de cellis, in quibus ipsi studere valeant, non iacere.

## Cap. XXVII.

De missarum celebratione et Commun. caeterorum.

Monemus insuper universos priores, administratores et monacos ipsius ordinis seu religionis in sacerdotio constitutos, intra Ecclesias, monasteria et alia loca eorum conventualia residentes, ut eorum quilibet bis vel ter; qui vero in prioratibus vel aliis locis non conventualibus, aut in scholis, sive alibi fuerint, etsi non frequentius, saltem semel in septimana, salva honestate et debita devotione, missas studeant celebrare. Et nihilominus qui locis conventualibus praesidebunt, in festis solemnibus missas maiores conventuales celebrent in eisdem. Alii vero non sacerdotes, etsi non saepius, saltem singulis septimanis confiteantur, et singulis mensibus, iuxta constitutionem saepe dicti Clementis praedecessoris editam in praefato concilio Viennensi, ad Communionem accedant. Illi videlicet qui infra Ecclesias, monasteria seu alia loca conventualia erunt, in altari maiori; qui vero extra illa fuerint, ubi magis visum fuerit honestum eisdem; nisi abstineant ex causa rationabili et de licentia superioris aut confessorum suorum. Quod si negligenter omiserint, per eosdem superiores suos graviter arguantur et nihilominus debite puniantur. Per haec autem statutis vel consuetudinibus Ecclesiarum, monasteriorum seu locorum praedictorum, in quibus observaretur, ut confiteri vel celebrari seu communicare frequentius habeant, non intendimus in aliquo derogare. Abbates insuper ac priores ac caeteri non habentes superiores eiusdem religionis, qui eo amplius debent forma vitae pollere, quo magis status praefulgent honore, die qualibet, rationabili causa cessante, missam celebrent vel audiant, et in solemnibus festis in suis monasteriis sive locis missas solemnes studeant celebrare. Quamvis autem satis sit tam in regula beati Benedicti, quam in iure provisum, quomodo in Ecclesiis, monasteriis et locis aliis conventualibus supradictis monaci convenire debeant ad divina officia, diurna videlicet et nocturna, atque psallere in eisdem; quia tamen haec negligenter omittunt interdum, volumus et etiam ordinamus, ut in eisdem Ecclesiis, monasteriis sive locis cum gravitate ac modestia humiliter et devote horis debitis ad divina officia universi et singuli monaci debeant convenire; ipsasque cum devotione sincera tractim, distincte, convenienter et debite celebrent, non transcurrendo aut sincopando; et quoad alia, quae his impedimentum afferrent, servando silentium, quinimo ad divina ipsa intentis praecordiis attendendo. Transgressores vero praemissorum debitae subiaceant disciplinae. Caeterum qui ad chorum vel ad Ecclesiam accedere nequiverint, praedicationi, lectioni, studio seu administrationibus vel officiis suis, aut piis sive licitis operibus, de licentia illius, ad quem eam dare pertinuerint, occupati, in loco alio congruo et honesto debitis horis iuxta possibilitatem plures simul conveniant, et debite dicant divinum Officium, et quotidianum pensum exsolvant debitae servitutis.

## Cap. XXVIII.

De custodia ornament. Ecclesiae, et provisione librorum.

Sane universis et singulis antistitibus, prioribus, decanis, praepositis, sacristis, et administratoribus aliis, quibus hoc competit, in virtute obedientiae districte iniungimus, ut Ecclesias, oratoria, altaria, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica, munda et nitida conservent, et faciant ab aliis conservari; quodque de breviariis, missalibus, aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis omnino provideant seu faciant provideri.

XXIX.

De decanis et praepositis, aliisque ad sacerdotium promovendis.

Insuper, cum caveatur in supradicta constitutione dicti Clementis praedecessoris, edita in eodem concilio Viennensi, quod prioratus conventuales alicui, nisi vigesimumquintum annum attigerit, conferri nequeant vel committi: et quod qui tales prioratus habuerint, infra annum computandum a tempore collationis seu commissionis sibi factae de illis, et possessionis eorum adeptae, se faciant ad sacerdotium promoveri; quod si, cessante rationabili causa, non fecerint, eo ipso dictis prioratibus sint privati: nos pari ratione inducti, quod super his in praenominata constitutione cautum existit, ad decanos, praepositos et quoscumque alios praesidentes locis conventualibus ordinis seu religionis eiusdem duximus extendendum; et hoc idem statuimus et decernimus existere similiter observandum in assumendis ad officia seu administrationes claustrales, quae beneficia censebuntur ipsius ordinis seu religionis, etiam si officia seu administrationes huiusmodi curam non habeant animarum, et quod de prioratibus non conventualibus curam animarum habentibus, etsi cura ipsa per saeculares presbyteros habeat exerceri, et assumptis ad eos ad sacerdotium promovendis, ac eorumdem aetate, in dicta constitutione cavetur. In decanatibus, praepositurіs et aliis quibuscumque administrationibus non conventualibus similem curam habentibus ordinis seu religionis huiusmodi, et in assumendis ad eos idem per omnia volumus observari.

Cap. XXX.

De instituendo priore claustrali.

Sane cum prior claustralis esse debeat potens in opere ac sermone, volumus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut instituatur ipse prior providus et discretus, prout in congregatione cathedralis Ecclesiae, vel monasterii, seu alterius loci eiusdem ordinis seu religionis aptior poterit inveniri, sitque talis qui continue in capitulo seu conventu resideat, claustrique curam et regimen exercere assidue teneatur.

Cap. XXXI.

De monachis obtinentibus beneficia in monasteriis alienis.

Attendentes praeterea fore quam plurimos monacos ipsius ordinis seu religionis, qui licet in vel sub alienis Ecclesiis vel monasteriis, quorum unum ab alio non dependet, ex dispensatione supradictae Sedis, beneficia sint adepti; remanent tamen in primis Ecclesiis seu monasteriis monaci, nec ad Ecclesias seu monasteria, in vel sub quibus beneficia obtinent, sunt translati; propter quae opportune providere volentes, auctoritate apostolica statuimus et etiam ordinamus, quod quivis ex monacis supradictis infra mensem post publicationem praesentis constitutionis in suo provinciali capitulo faciendam, dictarum Ecclesiarum seu monasteriorum alterum eligere teneatur. Quod si secundum elegerit, in quo vel sub quo beneficiatus extiterit, statim eo ipso eius verus monacus censeatur, et esse desinat in priori; nisi forsan in huiusmodi Ecclesia vel monasterio sic electo certus esset monacorum numerus, et de ipso aliquis non deesset. Quo casu translationem ad Ecclesiam vel monasterium sic electum differri volumus donec aliquis de numero praedicto defuerit, et tunc in eius locum eadem auctoritate eo ipso noverit se translatum. Quod si secundam (1) Ecclesiam vel monasterium omnino elegerit, ut praefertur, prioratu, administratione, officio seu beneficio huiusmodi eo ipso noverit se privatum; et in priori Ecclesia vel monasterio remaneat monacus sicut prius, dispensatione praedicta contra praesens statutum in nullo sibi penitus suffragante. Volentes nihilominus, quod de prioratu, administratione, officio seu beneficio huiusmodi per eos, ad quos alias eorum collatio, concessio seu quae-

(1) Leg. f. *priorem*, aut *primam*.

vis dispositio pertinet, non obstante contradictione cuiuspiam, libere disponatur; eos nihilominus qui contra constitutionem praesentem huiusmodi prioratus, administrationes, officia seu beneficia in alienis Ecclesiis seu monasteriis retinere praesumpserint, poenis constitutionis Bonifacianae, *Cum singula capitula*, volumus subiacere. Et nihilominus per superiores eorum graviter decernimus puniendos.

## Cap. XXXII.

De obtinentibus beneficia ex collatione apostolica.

Rursum declaramus quod omnes monaci beneficia obtinentes in ordine seu religione huiusmodi ex collatione, provisione vel ordinatione Sedis Apostolicae aut legatorum, executorum, vel provisorum eiusdem, seu per ipsius Sedis vel per praedictorum literas, et qui ea obtinuerint in futurum, teneantur obedire superioribus suis eiusdem religionis, eorumque subesse correctionibus, ordinationibus, punitionibus et statutis; et prioratibus, administrationibus, officiis seu quibuscumque beneficiis, quae obtinent, ut praefertur, et obtinuerint in futurum, ex causis rationabilibus privari valeant, et ab illis etiam amoveri, ac si per superiores suos de suis beneficiis eis foret provisum.

## Cap. XXXIII.

De numero monachorum in beneficiis, quae personis extra ordinem conferuntur.

Caeterum cupientes cultum divini Nominis non minui, sed potius augeri, sitque rationabile, ut quicumque beneficia regularia obtinent, onera debita et consueta supportent, statuimus et ordinamus, quod in monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis monacalibus, personis quibuslibet extra ordinem seu religionem huiusmodi, cuiuscumque sint dignitatis, gradus seu præeminentiae, collatis vel commendatis, seu de caetero commendandis vel conferendis, tot monaci teneantur, quot in eis tenebantur, cum per monacos monasteria, prioratus et beneficia huiusmodi regebantur. Et quod nihilominus monaco in eisdem monasteriis, prioratibus et beneficiis committatur, id quod supra, vel circa alios monacos inibi residentes haberet exercere administrator monacus, si pæesset eisdem, quantum ad ea quae pertinent ad regulam seu disciplinam vel observantiam regularem; et quod quilibet huiusmodi monasteria, prioratus et beneficia quomodolibet obtinentes ad procurationes et alia quaelibet onera imminentia persolvenda, reddenda et supportanda auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, et alias, sic per omnia compelli valeat per capitulorum provincialium praesidentes, sicut per superiores possent et deberent compelli monaci, si præessent monasteriis, prioratibus et beneficiis memoratis; nisi fuerint sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, quos non decet aliorum compulsionibus subiacere.

## Cap. XXXIV.

De reparanda disciplina, ubi fuerit collapsa.

Statuimus quoque et ordinamus, quod si aliquod monasterium ipsius ordinis seu religionis lapsum in religione vel regulari observantia patiatur, qui per abbatem seu alium administratorem vel monacos eiusdem monasterii verisimiliter reparari non possit, per praesidentes provinciali capitulo vel quemlibet eorumdem ad requisitionem seu relationem visitatorum, prout eidem capitulo super hoc consulendo videbitur expedire; vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum capitulum periculum immineret, auctoritate apostolica assumantur de alio monasterio, in cultu eiusdem religionis vigente, monaci idonei, et ad dictum monasterium lapsum patiens transmittantur, inibi quamdiu expediens fuerit moraturi, per quos lapsus huiusmodi reparetur. Illi autem monaci ob quorum culpam alii transmittentur ad locum seu monasterium sic collapsum, in dicto monasterio, de quo alii, ut praefertur, assumpti fuerint, vel in diversis aliis monasteriis religione vigentibus, ubi eorum conditio valeat reformari, per praesidentes eosdem, prout

expediens fuerit, eadem auctoritate apostolica collocentur.

## Cap. XXXV.

De monachis ad monasteria transmittendis.

Statuimus insuper et ordinamus, ut si alicuius monasterii seu loci eiusdem ordinis seu religionis repentinus aut novus in facultatibus suis lapsus, vel aliquorum ipsius monacorum excessus, monacos sic excedentes aut alios ad monasteria mitti exegerit aliena, praesidentes praefati et eorum quilibet, ad requisitionem seu revelationem praefatorum visitatorum, ubi provinciali capitulo prius videbitur, et dilatio consulendi praefatum capitulum periculum non inducet; alioquin sine consultatione dicti capituli huiusmodi monacorum, auctoritate praedicta, faciant ad tempus, de quo eis videbitur, missionem ad receptionem ipsorum. Abbates et alios praelatos principales ipsius ordinis seu religionis, qui eos aliter recipere forte noluerint, compellentes: nisi fuerit talis huiusmodi missorum conditio, quod sine gravi scandalo in monasteriis seu locis aliis, ad quae missi fuerint, admitti vel tolerari non possint; vel nisi alias evidens et incalumniabilis ratio ipsos abbates vel praelatos ad receptionem talium suaserit non existere compellendos. Quo casu ad alia monasteria vel loca modo simili transmittantur, contraria super his consuetudine non obstante, et manente nihilominus illa consuetudine, quam super libera missione et receptione monacorum huiusmodi, alia monasteria sive loca inter se hactenus habuisse noscuntur, aut Ecclesias cathedrales, monacales quantum ad missionem et receptionem monacorum eorum, sub statuto et ordinatione praesentibus inclusas fore intelligimus et iubemus.

## Cap. XXXVI.

Ex ordinibus Mendicantibus non recipiendi fratres, nisi licentiam, vel apost. dispensationem ostendant.

Plerumque siquidem contingit, quod nonnulli professores ordinum Mendicantium extiterint, de suorum superiorum qui tunc erant vel apostolica licentia quam se habere praetendunt, se ad ordinem seu religionem huiusmodi transtulerint, qui asserunt quod ex dispensatione dictae Sedis possint vocem aut locum in capitulo habere, ac prioratus, administrationes seu officia monacalia licite obtinere. Nos igitur providere volentes, quod unde veritatis claritas pateat in praemissis, universis et singulis antistitibus dictarum Ecclesiarum, necnon abbatibus et prioribus, aliisque loca conventualia ipsius ordinis vel religionis obtinentibus, a quibus praedicti translati esse noscuntur, mandamus ut auctoritate apostolica tales compellantur, quod licentiam et dispensationem huiusmodi legitimas, si quas habent, necnon titulum prioratuum, administrationum seu officiorum, si qua obtinent, omnino exhibere procurent infra certum tempus, antistitum vel abbatum, aliorumque praedictorum arbitrio rationabiliter moderandum. Quod si non fecerint vel sufficientem licentiam et dispensationes praefatas non habuerint, praedicti antistites, abbates et alii non differant ipsos, prout iustum fuerit, ab Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, administrationibus seu officiis huiusmodi amovere, eosque a voce et loco capituli repellere, aliasque debite procedere contra eos.

## Cap. XXXVII.

Quibus sub conditionibus audiendus monachus superiorem suum accusans.

Porro quia nonnulli monaci contra praelatos vel superiores suos multa frequenter proponunt, non ut omnia probent, quia nec possent, sed ut diffament de omnibus, et probatis forsan illorum aliquibus, finem consequantur optatum; statuimus et etiam ordinamus, quod nullus omnino monacus contra suum praelatum vel superiorem super crimine vel criminibus deinceps quomodolibet audiatur nisi se prius obligaverit ad poenam congruam, si defecerit in probatione propositorum vel alicuius ex eis irremissibiliter subeundam. Volumus tamen, quod praelatus vel alius, si de criminibus le-

gitime convincatur, iudicium non effugiat debitae ultionis.

### Cap. XXXVIII.

De conspirationibus.

Caeterum quia pro eo quod conspiratores et coniuratores illiciti, ordinis et religionis eiusdem, interdum ut expediebat puniti hactenus non fuerunt, multa mala et scandala in eisdem ordine seu religione sunt secuta; statuimus et ordinamus, quod ipsi conspiratores et coniuratores, cum de conspiratione et coniuratione huiusmodi legitime convicti fuerint vel confessi, praeter alias poenas talibus a iure vel alias quovis modo inflictas, sint prioratibus, administrationibus et beneficiis quibuslibet, quae obtinuerint, eo ipso privati. Si vero simplices claustrales fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad prioratus, administrationes seu quaevis alia beneficia ecclesiastica quomodolibet obtinenda. Contra conspiratores autem et coniuratos occultos, seu non convictos vel non confessos, ut praefertur, per superiorem aut visitatores etiam poenae aliae, prout expedire videbitur, generaliter statuantur. Statuta namque et ordinationes suprascripta, necnon cuncta et singula in illis expressa, quemadmodum designatur, modificatur et perstringitur in eisdem, ubique terrarum et locorum infra et per ordinem seu religionem huiusmodi eadem auctoritate volumus perpetuis futuris temporibus firmiter observari. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus vel literis quibusvis ordinibus, religionibus, Ecclesiis cathedralibus, monasteriis seu aliis locis sub quacumque forma vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis. Necnon quibuslibet statutis et consuetudinibus ordinum, religionum, Ecclesiarum cathedralium, monasteriorum et aliorum locorum eiusdem ordinis seu religionis monacorum Nigrorum Parisiensium et aliorum studiorum quorumcumque contrariis, iuramentis, confirmationibus apostolicis aut quibusvis firmitatibus aliis roboratis, necnon quibuslibet privilegiis vel indulgentiis et literis apostolicis, generalibus et specialibus contrariis, Ecclesiis, monasteriis, locis et studiis quibuscumque, sive universitatibus magistrorum vel scholarium eorumdem, seu personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, cuiuscumque sint vel fuerint præeminentiae, dignitatis, conditionis aut status, sub quibusvis formis vel expressionibus verborum, ut praetangitur, a dicta Sede concessis, et ordinationibus ab eis vel pro ipsis factis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum et ordinationum, omniumque aliarum et singularum contentarum in eisdem praesentibus impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam oporteat in illis vel in aliis nostris literis fieri mentionem, seu si aliquibus a praefata Sede indultum existat communiter vel divisim, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

### Cap. XXXIX.

De hisce statutis publicandis.

Postremo volumus et mandamus, ut ordinationes et statuta nostra huiusmodi et omnia alia et singula suprascripta (per quae aliis iuris solemnitatibus non intendimus in aliquo derogare) in singulis Ecclesiis cathedralibus ac monasteriis et locis aliis conventualibus ipsius ordinis seu religionis sub scriptura authentica perpetuo habeantur, et fideliter conserventur, et quod in singulis provincialibus capitulis quarumlibet provinciarum superius distinctarum, et nihilominus bis quolibet anno in antea in singulis Ecclesiis, monasteriis et aliis locis conventualibus supradictis integre et attente legantur et etiam auscultentur.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, constitutionum,

deputationis, inhibitionum, declarationum, provisionis, prohibitionis, concessionis, innovationis, approbationis, monitionis, extensionis et mandatorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, XII kalend. iulii, pont. nostri anno secundo.

Dat. die 20 iunii 1336, pontif. anno II.

---

## VII.

*Contra Fraticellos, eorumque sequaces et fautores per Sedem Apostolicam damnatos* (1).

SUMMARIUM

Series facti. — 1. Decretum (*de quo in rubrica*).

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Bertrando archiepiscopo Ebredunensi, et Ioanni episcopo Anagnin. nostro in spiritualibus Urbis vicario, salutem et apostolicam benedictionem.**

Series facti.

Dudum ad audientiam nostri apostolatus perducto, quod quidam perniciosi homines et perversi se Fraticellos seu Fratres de Paupere Vita dicentes, quorum secta pestifera olim per Sedem Apostolicam damnata extitit, et perpetuae prohibitioni subiecta, in Urbe ac terris Ecclesiae Romanae immediate subiectis, circumvicinisque partibus commorantes, errores et haereses varios periculose nimirum seminabant; tam ordinariis, quam dilectis filiis inquisitoribus haereticae pravitatis in praefatis Urbe, terris ac partibus auctoritate apostolica deputatis dedisse per nostras certi tenoris diversas literas meminimus in mandatis, ut commissum eis inquisitionis officium solerter et fideliter super his et aliis negotium inquisitionis tangentibus exequentes de praedictis nequam hominibus, eorumque receptatoribus, complicibus, fautoribus et valitoribus ac eorum et cuiuslibet ipsorum in hac parte criminibus, delictis et erroribus veritatem inquirere solerti adhibita diligentia procurarent, ad captionem, correctionem et punitionem eorum, secundum sanctiones canonicas et privilegia concessa eidem inquisitionis officio, nihilominus processuri.

Decretum (de quo in rubrica).

§ 1. Sane cum, sicut ad nos noviter est perlatum, praedictorum malorum et superstitiosorum hominum praesumptio periculosa et temeraria non est in illis partibus diminuta, sed aucta: cum nedum ipsi, quinimmo quamplures alii eorum sub aliis tamen diversis fictis habitibus sequentes et imitantes damnata vestigia in eisdem Urbe, terris et partibus, nec non et in regno ac terris Siciliae disseminantes varios errores et haereses non sine multorum fautorum consiliis et auxiliis commorantur; nos igitur tantis periculis obviare salubriter cupientes, fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum in solidum per vos vel alium seu alios adversus praedictos homines eorumque sequaces, complices ac receptores, fautores et adiutores clericos et laicos cuiuscumque status, dignitatis, præeminentiae vel conditionis existant, etiamsi pontificali vel quavis alia dignitate praemineant, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, secundum canonicas sanctiones et privilegia concessa eidem inquisitionis officio, ad inquisitionem, correctionem et punitionem talium, prout cuiuslibet excessus et delicti qualitas exegerit, per vos aut cum ordinariis et inquisitoribus praedictis, quos solicitetis super his coniunctim vel separatim, prout quando et quotiens expedierit, procedatis; ita quod pestifera labes extirpetur huiusmodi et catholicae fidei claritas remaneat illibata: contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescendo, non obstantibus tam

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

exemptionis quam aliis quibuscumque privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, sub quacumque forma vel expressione verborum quibuscumque personis aut locis concessis, per quae vestrae iurisdictionis executio posset super his quomodolibet impediri, etiamsi de illis esset in praesentibus plena et expressa de verbo ad verbum mentio facienda: seu si aliquibus communiter vel divisim sit ab eadem Sede concessum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Avenione, nono kalendas iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 iunii 1336, pont. anno II.

---

## VIII.

*Quod rectores terrarum Romanae Ecclesiae consanguineos vel affines suos ad aliquod officium exercendum in eisdem terris minime admittant* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae ferendae constitutionis. — 2. Rectores civitatum marescallos e consanguineis assumere non possunt. — 3, 4. Quoto tempore durare debeat horum officium, et de sindicatione de eis facienda.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Desiderantes in terris Ecclesiae Romanae immediate subiectis serenitatem regnare iustitiae, sublatis iniuriosis oppressionibus, subditorum curam adhibemus libenter sedulam, ut nequaquam ab illis inferantur gravamina subditis, per quos debet ipsius iustitiae cultus coli.

Causae ferendae constitutionis.

§ 1. Sane ad nostri apostolatus auditum fide dignis quorumdam relationibus est perductum, quod marescalli per rectores terrarum praedictarum ibidem hactenus deputati, de multis excessibus ab eis in gravamen et iniuriam subditorum praedictorum, et praeiudicium Ecclesiae memoratae commissis, ex eo non extiterunt exinde, ut fieri debebat et expediebat, correcti, quia de consanguinitate vel affinitate rectorum erant ipsorum: quin potius ex iis praestita eis audacia in subditos gravius saeviendi, rationis et iustitiae laxatis habenis, excessus excessibus et oppressiones oppressionibus in damnum utilitatis reipublicae non modicum cumularunt.

Rectores civitatum marescallos e consanguineis assumere non possunt.

§ 2. Occurrere igitur eorumdem subditorum in hac parte dispendiis cupientes, volumus, statuimus tenore praesentium, et etiam ordinamus, quod amodo nullus rector terrarum praedictarum, vel alicuius earumdem aliquem, qui sit frater, nepos, consanguineus, vel affinis ipsius, aut de provincia, cui rector ipse praesidet, oriundus, suum et curiae suae marescallum, vel sub quocumque nomine gerentem officium, quod gerere marescallus consuevit, deputare praesumat, seu iam deputatum in eodem officio retinere; sed alium discretum, fidelem, strenuum constituat, qui iustitiam diligat, avaritiam odiat, et lucra propria contra honestatem et iustitiam, ac iura et honores praedictæ Ecclesiae non venetur.

Quoto tempore durare debeat horum officium, et de sindicatione de eis facienda.

§ 3. Cuius quidem marescalli officium per sex menses habeat tantummodo perdurare, nisi, huiusmodi semestris finito tempore, facta inquisitione et sindicatione publice contra eum, iustus, mundus et fidelis fuerit inventus: quo casu per alios sex menses poterit marescallus iterum deputari; quibus finitis, fiat similis inquisitio et sindicatio contra ipsum.

§ 4. Si vero rector, per quem inquisitiones et sindicationes habebunt fieri supradictae, circa eas prece vel precio, amore, favore vel odio, aut alias quomodolibet fraudolenter repertus fuerit deliquisse, pro male factis ipsius mare-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

scalli, quae correxisse deberet, praeter alias poenas, quae sibi propterea pro meritis aequitas suaserit infligendas, tenebitur; nec marescallus ipse, quo minus corrigatur et puniatur debite iuxta qualitates excessuum et delictorum ipsius, propter hoc remanebit immunis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere *etc.*

Datum apud Pontem Sorgiae Avenionen. dioecesis sexto idus iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 10 iulii 1336, pontif. anno II.

## IX.

*Quod rectores et thesaurarii terrarum Romanae Ecclesiae stipendia, quae dantur pro militia, familiaribus suis assignare non possint* (1).

SUMMARIUM

Causae dandae legis. — 1. Constitutio (*de qua in rubrica*). — Poenae contra inobedientes.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Causae dandae legis.

Habet fide dignorum relatio nostris auribus saepius inculcata, quod licet per Ecclesiam Romanam rectoribus et thesaurariis deputatis in terris, eidem Ecclesiae immediate subiectis, de stipendiis pro se suisque familiaribus provideatur decenter; aliqui tamen rectorum et thesaurariorum ipsorum huiusmodi stipendiis non contenti, sed avaritiae caecitate percussi, dum rectoribus ipsis conceditur, ut tenere possint ad stipendia Ecclesiae aut terrarum praedictarum certum stipendiariorum, equitum et peditum numerum; vel ipsi etiam pro coercendis rebellibus, et faciendis executionibus iustitiae, cum necessitas imminet, per se tenent familiares suos etiam ignaros et ineptos ad actus exercendos huiusmodi ad dicta stipendia, ut ea lucrentur et ditentur ex eis, et non ut in actibus praedictis serviant, cum nec servire possent aut scirent, prout consueverunt interdum.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 1. Nos igitur talia, quae cedunt in nostrae detrimentum Camerae, damnumque vertunt utilitatis publicae, tolerare de caetero minime intendentes, omnibus et singulis rectoribus et thesaurariis terrarum ipsarum praesentibus et posteris mandamus et inhibemus expresse, ne ipsorum aliquis quemquam familiarem suum clericum vel laicum, cuiuscumque conditionis existat, ad stipendia ipsa, quae dabuntur pro tenenda, ut praefertur, gente armigera, ponere, vel ea cuiquam familiari praedicto solvere, fraude quacumque cessante, absque nostra licentia vel mandato speciali praesumat.

Poenae contra inobedientes.

Quicumque vero ponendo vel solvendo contrarium fecerit, duplum nihilominus ipsius, quod sic solutum extiterit, nostrae praedictae Camerae restituere, praeter poenam infligendam sibi pro transgressione huiusmodi, teneatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, *etc.*

Datum apud Pontem Sorgiæ Avenionen. dioecesis sexto idus iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die annoque eodem.

## X.

*Quod beneficia vacatura per adeptionem aliorum apostolica auctoritate collatorum reservata censeantur, etiamsi ante assecutionem dictorum beneficiorum ex causa permutationis vel simplicis resignationis vacaverint* (1).

SUMMARIUM

Beneficia nonnulla Sedi Apostolicae se reservasse ait: — 1. Quae dum conferren-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tur provisis de alio beneficio, hi primum beneficium in ordinarii manibus dimittebant. — 2. Huiusmodi itaque beneficia, quae per assecutionem beneficiorum a Sede Apost. vacare continget, eidem Sedi reservantur. — Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Beneficia nonnulla Sedi Apostolicae se reservasse ait.

Dudum nos, ex certis causis rationabilibus inducti, prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, praebendas et Ecclesias, caeteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia, cum cura vel sine cura, quotcumque vel qualiacumque forent, etiamsi ad illa personae consuevissent, seu deberent per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quae per assecutionem pacificam quorumcumque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, praebendarum et ecclesiasticorum beneficiorum aliorum, per nos, seu auctoritate literarum nostrarum tunc collatorum, et conferendorum imposterum, tunc vacantia et in antea vacatura, ordinationi, dispositioni et provisioni nostrae auctoritate apostolica duximus reservanda; decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super praemissis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari.

Quae dum conferrentur provisis de alio beneficio, hi primum beneficium in ordinarii manibus dimittebant.

§ 1. Verum, quia, sicut accepimus, frequenter hactenus contingit, quod cum alicui ecclesiasticum beneficium obtinenti de alio beneficio ecclesiastico vacante vel vacaturo providebamus seu mandabamus per nostras literas provideri, dictum beneficium, quod obtinebat, pro eo, quod se non compatiebatur cum aliquo, de quo sibi providebamus seu provideri mandabamus, ut praefertur, seu alias ex voluntate seu dispositione nostra tenebatur dimittere, quamprimum dictum secundum beneficium existere pacifice assequutus, idem obtinens ante assequutionem huiusmodi dictum primum beneficium simpliciter vel ex causa permutationis seu alias in manibus ordinarii resignabat; et sic per consequens ipsum primum beneficium ante dictam assequutionem eiusdem secundi beneficii per ordinarium vel alium, ad quem alias spectabat eius collatio, contingebat conferri: propter quod dicta reservatio seu voluntas in eo casu suum sortiri nequibat effectum.

Huiusmodi itaque beneficia, quae per assecutionem beneficiorum a Sede Apost. vacare continget, eidem Sedi reservantur.

§ 2. Nos volentes circa praemissa adhibere, sicut expedit, remedium opportunum, omnes prioratus, decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, praebendas et Ecclesias, caeteraque beneficia ecclesiastica supradicta, quae de caetero per assequutionem pacificam quorumcumque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, praebendarum et beneficiorum ecclesiasticorum aliorum, per nos, seu auctoritate nostrarum literarum collatorum, seu conferendorum in posterum, fuerint vacatura, sive illa per resignationem simplicem, vel ex causa permutationis ante dictam assequutionem forsan vacare contigerit, collationi et dispositioni nostrae auctoritate praedicta specialiter reservamus: districtius inhibendo quibuslibet ordinariis et dioecesanis locorum, ac personis aliis ecclesiasticis quibuscumque, ad quos talium beneficiorum alias collatio vel provisio, seu quaevis alia dispositio pertinet, ne de illis, quae praemissis modis, vel aliquo eorumdem vacant, vel imposterum vacabunt, illa vice disponere quoquomodo praesumant, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super praemissis per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere *etc.*

Datum apud Pontem Sorgiae Avenionen. dioec. decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 22 septembris 1336, pont. anno II.

XI.

*Ordinationes et statuta pro bono regimine ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Assisio* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Pontificis studia in restituenda regulari disciplina in ordine Minoritarum. — Quos ad id in consilium adhibuerit. — 2. De divinis officiis, — 3. Et psallendi modo. — 4. Obiectae iis, qui contra tendunt, poenae. — Qui eximi a choro possint. — 5. De silentio. — 6. De salubri novitiorum et iuvenum informatione. — 7. De abstinentia. — 8. De qualitate habitus et vestium. — 9. De modo licentiandi fratres. — 10. De muneribus non dandis. — 11. De familiaribus. — 12. De studiis. — 13. De expensis studentium evitandis. — 14. Decretum contra Fraticellorum sequaces. — 15. De libris. — De rebus FF. decedentium. — 16. De donis et legatis factis fratribus. — Constitutio Bonifac. VIII *Super cathedram* validatur. — 17. De eleemosynarum memoria, et suffragiis faciendis. — 18. De iuramento generalis et provincialium ministrorum et aliorum. — 19. De familia, et expensis generalis ministri, et ratione reddenda. — 20. De visitatione generalis ministri. — 21. De visitatione provincialium ministrorum. — 22. De destitutione et renunciatione provincialium ministrorum. — 23. De familia et expensis provincialium ministrorum et ratione reddenda per eos. — 24. De custodum et guardianorum electione et confirmatione. — 25. De inquisitionibus ad capitula mittendis. — 26. De procuratore. — 27. De praedicatoribus et confessoribus. — 28. De fratribus euntibus seu mittendis ad partes infidelium. — 29. De adhibendis ad consilia fratribus, et modo tenendo in eis. — 30. De denunciationibus et inquisitionibus excessuum. — 31. De dormitoriis, cameris et clausuris. — 32. De aedificiis. — 33. De monialibus seu minorissis. — De clausura monialium. — Quod sorores Servitiales dictae debeant profiteri. — 34. De publicatione huiusmodi constitutionum. — 35. Contrariorum derogatio. — 36. Horum statutorum copiae singulis monialium conventibus dandae. — 37. Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium

Redemptor noster, factor coelorum, et universae conditor creaturae, hominem creaturarum terrestrium dignissimum ideo ad imaginem suam condidit, ut in bonis et sanctis operibus sui sit imitator auctoris; et hanc esse voluit naturalem humani generis dignitatem, ut in eo, quasi in quodam speculo, et divinae imaginis forma resplendeat, et sanctarum opera reluceant actionum, donans eis secundum unum et eumdem spiritum diversorum dona carismatum, secundum gratias differentes fundans militantem Ecclesiam, eamque insigniens diversis conditionibus hominum in Christo credentium, et ordinibus in divinis obsequiis militantium personarum, quæ, viventes sub regula, ab ipsa iter recte vivendi recipiunt, et transigendi praesentis militiae cursum per divinorum semitam mandatorum normam sanctam suscipiunt, et laudabilem disciplinam.

Pontificis studia in restituenda regulari disciplina in ordine Minoritarum.

§ 1. Ut igitur in sacro Minorum ordine fratrum, quem ab olim gessimus et gerimus in visceribus charitatis, divinorum officiorum sacrificium, debitumque silentium, ciborum abstinentia, sanctimonia habitus observentur; studium quoque sacrae Paginae in dicto ordine vigeat, et personis eiusdem ordinis ad hoc aptis insistendi disciplinis scholasticis commoditas ministretur; ac charitas Dei, ex qua virtutes caeterae generantur, regnet et ferveat in cordibus eorumdem, caeteraeque laudabiles observantiae regulares sic exemplariter luceant in eisdem, ut sint in aliis in recte vivendi speculum, et imitandae sanctitatis exemplum: ad laudem Dei, et spiritualem profectum omnium militantium in ordine memorato infrascriptas ordinationes in dicto ordine, auxiliante Deo, perpetuis futuris tempori-

bus observandas, adhibitis nobis ad haec quampluribus viris solemnibus sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus: videlicet venerabilibus fratribus Petro Praenestinensi, Gaucelino Albanensi, episcopis, ac dilectis filiis Petro tituli Sanctae Praxedis presbytero, ac Calhardo Sanctae Luciae in Silice, et Bertrando Sanctae Mariae in Aquiro, diaconis cardinalibus: ac etiam venerabilibus fratribus nostris, Gotio patriarca Constantinopolitan. et Iacobo episcopo Brixien.; ac dilectis filiis Girberto Sancti Victoris Massilienensis, ac Guillermo Montisolivi Carcassonensis diœcesis monasteriorum abbatibus, nec non Geraldo Generali, Henrico Franciae, Ioanne Burgundiae, Pastore Provinciae, Petro Tusciae, nec non Pontio Carboneli Aragoniae, ac Petro de Saxoferrato Marchiae Anconitanae, Philippo quondam Mediolanen., Laurentio quondam Terrae Laboris provinciarum ministris, Nicolao de Nayo, Gualtero Chyaton, Guillelmo Bernardi de Podio, Antonio de Valentia, Fortanerio Vassalli, sacrae theologiae magistris, ac Petro de Strata, procuratore in curia dicti ordinis Minorum, eiusdem ordinis professoribus, providimus faciendas.

Quos ad id in consilium adhibuerit.

§ 2. In primis circa agendum divinum Officium in eodem ordine auctoritate apostolica ordinamus, quod ante missarum et horarum principia fratres dicti ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant, praeparaturi Domino corda sua, ibique sine discursu, murmure, risu, et absque vagis et vanis aspectibus, sub silentio, in pace et cum debita gravitate permaneant, cantent et orent, et usque in finem unanimiter perseverent.

De divinis officiis.

§ 3. Quia vero cantus ecclesiasticus divinae laudis sacrificium fructusque labiorum canentium non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debent, eosdem fratres hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeste ac religiose persolvantur; gestus leves et cantus dissolutos seu fractos omnino declinent; tractum psallant debito more, incepta quae simul cantanda fuerint, simul continuent, simul pausent.

Et psallendi modo.

§ 4. Ordinamus etiam, quod in singulis ordinis praedicti conventibus hora sexta, sicut aliae horae, cum nota dicatur. Custodes autem et guardiani eorumque vicarii diligenter intendant, quod praescriptus modus conveniendi ad chorum et dicendi divinum Officium iugiter observetur. Siquem autem in aliquo praemissorum culpabilem compererint, debite puniant secundum delicti exigentiam, sive culpae. Minister vero generalis seu provincialis ipsos custodes et guardianos eorumque vicarios, quos super ordinationis huiusmodi observantia deprehenderint notorie negligentes, a suis officiis tamquam inutiles debeat amovere: forma tamen circa huiusmodi annotationem descripta inferius, observata; nullusque frater eximatur a choro, sed omnes fratres teneantur ire ad omnes horas canonicas et ad missas, exceptis aegrotantibus actu, et multum antiquis, super quibus guardianus habeat arbitrari, et magistris et lectoribus ac bachalariis in generalibus studiis constitutis, et legentibus in aliis studiis, dum actu suas continuant lectiones; exceptis etiam studentibus dum in lectionibus theologiae vel disputationibus ordinariis fuerint occupati. Porro illi de praedictis, qui ne ad matutinum in oratorio cum aliis conveniant, sunt excepti, hora congrua simul ad capitulum vel locum alium idoneum conveniant, et ibidem simul officium matutinale persolvant. Ad hoc autem astringi nolumus graviter aegrotantes vel lectores actu legentes qui commode nequeunt interesse.

Obiectae iis, qui contra tendunt, poenae.

Qui eximi a choro possint.

§ 5. Praeterea, quia pax est opus iustitiae, et silentium cultus, eius ne devotionis fervor per inquietudinem multiloquii extinguatur, statuimus et etiam ordinamus, quod silentium a Completorio

De Silentio.

usque ad primam pulsationem horae primae diei sequentis ab omnibus observetur, exceptis hospitibus de novo venientibus, et eis ministrantibus vel assistentibus usque ad horam congruam de guardiani sui licentia vel mandato. Sileatur autem in claustro, in choro et in ecclesia a principio chori ut supra; et in dormitorio, in quo sunt cellae seu studia, omni tempore: in dormitorio vero a studiis separato temporibus, quibus conventus fratrum ibi dormit, et in refectorio tam in prima quam in secunda mensa, ac etiam extra refectorium, ubi erit multitudo fratrum simul comedentium, et hoc non solum a residentibus, sed a forensibus observetur. In locis autem, ubi fratres non habent officinas distinctas, ab immediatis superioribus eorum locorum loca distincta et commoda deputentur, ubi fratres sileant, et ubi possint loqui aliis dum oportet. Similiter hora dormitionis a festo Resurrectionis Domini usque ad festum Exaltationis Sanctae Crucis, qualibet die post secundam mensam, immediate pulsetur campanella refectorii, et ex tunc sileatur usque ad nonam. In diebus vero ieiuniorum simili modo a pulsata campanella post mensam secundam, silentium observetur, donec fiat signum ad surgendum a somno secundum spatium a guardiano provide assignandum. Liceat tamen fratribus, quod necesse est, loqui breviter et submisse. Si quis autem silentium fregerit, debeat in capitulo dicere culpam suam, causam prout se in hoc deliquisse meminerit exprimendo, cui a guardiano abstinentia a pulmento vel a vino, vel ab utrisque, vel alia poenitentia secundum culpae exigentiam imponatur.

De salubri novitiorum et iuvenum informatione.

§ 6. Circa salubrem quoque novitiorum et iuvenum dicti Ordinis informationem statuimus et mandamus inviolabiliter observandum, quod quilibet provincialis minister, vel eius locumtenens annuatim in tabula diffinitionis sui provincialis capituli de diffinitorum consilio certos conventus in sua provincia deputet, in quibus omnes novitii eiusdem provinciae debeant commorari; et in quolibet illorum conventuum magistrum novitiorum assignet unum in eadem religione probatum, maturum, devotum, providum et discretum, qui huiusmodi novitiorum continuam curam gerat, viam Dei ipsos doceat, saepe et pure eos confiteri faciat, et ad servandam cordis et corporis puritatem informet, mores et observantias eiusdem religionis eis verbo et exemplo demonstret. Huiusmodi autem novitiatus sive probationis tempore studio scholastico non intendant, sed divinum addiscentes officium, studio devotionis et orationis vigilanter insistant, nec ordines sacros suscipiant, nec confessiones audiant, si fuerint sacerdotes, nec portam conventus exeant, nisi causa translationis vel generalis processionis, vel emergentis necessitatis, vel alia iusta seu rationabili, quae per fratres confessores et praedicatores conventus, ubi huiusmodi novitii fuerint, extiterit iudicata, nec literas mittant, nec recipiant sine sui magistri scientia et licentia speciali, nec loquantur cum aliqua saeculari persona, nisi suo praesente magistro aut alio per suum magistrum vel guardianum ad hoc specialiter deputato. Caveant autem guardiani et ipsorum novitiorum magistri, ac fratres alii, ne quem constitutum infra probationis annum aliquatenus impedire praesumant, quominus ad aliam religionem, quam maluerit, transeat, vel omnino ad saeculum redeat, sicut de sua processit voluntate. Professis quoque iuvenibus, qui aetatis suae annum vigesimum quintum nondum attigerint, simili modo per ipsum ministrum alius magister idoneus deputetur, qui super eorum vita continue et diligenter invigilet, eos moribus instruat, ab insolentia compescat et retrahat, et ad regularem observantiam instanter inducat. Si qui vero instructionem dicti magistri non reverenter et cum effectu receperint, ipse magister de-

fectus et excessus eorum ac contumaciam custodi suo vel guardiano denunciet, qui eos tali disciplinae subiiciat, quod caeteris transeat in exemplum. Si qui vero huiusmodi magistrorum post provinciale capitulum morte vel longa aegritudine, vel alia iusta et rationabili causa fuerint propediti, minister eorum cum discretorum fratrum consilio de aliis idoneis debeat celeriter providere. Tempore autem regiminis seu curae huiusmodi magisterii magistri praedicti non mittantur extra conventus seu loca, in quibus ad praedicta fuerint deputati, aut alias sic occupentur, quo minus utiliter et salubriter curae intendere valeant praelibatae. Si autem fratres ad huiusmodi magisterium deputati ipsum pertinaciter suscipere recusaverint, puniantur poena, qua fratres inobedientes debent secundum ipsius ordinis instituta puniri.

De abstinentia.

§ 7. Circa abstinentiam vero provide duximus ordinandum, quod in generali et provincialibus capitulis, et etiam ubique in refectoriis dicti ordinis abstineatur ab esu carnium, quodque, ubi commode fieri poterit, in conventu quolibet ordinis una magna pars ipsius conventus iuxta dispositionem guardiani ac consiliariorum conventus omni die in refectorio comedat, et in domo, in qua alia pars conventus iuxta dispositionem dicti guardiani comederit, sicut in refectorio, ab omnibus silentium observetur, et in mensa lectio habeatur. In festivitatibus autem Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Dominicae, Pentecostes, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Virginis gloriosae, et Sancti Francisci, Sancti Antonii et Beati Lodovici episcopi totus conventus in refectorio comedat. Rursus etiam ordinamus, quod ministri, custodes et guardiani ac eorum vicarii sint cum fratribus in conventu, in ecclesia, et in mensa, et in cibis, vestibus et lectis, quamdiu sani et fortes fuerint, eisdem fratribus se conforment; ubi tamen infirmitas vel debilitas aut labor itineris seu administrationis aliud suaserit faciendum, possint se a communi vita conventus, infirmi quidem et debiles quamdiu infirmitas vel debilitas duraverit, alii vero, itineris seu administrationis laboribus fatigati diebus aliquibus separate, et in aliquo congruo et honesto loco refici moderate, a superfluis et excessivis expensis penitus praecavendo. Ordinamus insuper quod ministri et custodes solicitam curam gerant, quod de eleemosynis et rebus aliis, quae obvenient conventibus, per guardianos provideatur moderate iuxta eleemosynarum et obventionum huiusmodi quantitatem fratribus in communi; ne fratres ipsi propter defectum communis et sufficientis victus seorsim comedere, et particulariter ac inordinate vitae necessaria sibi procurare cogantur. Dicti autem guardiani diligenter caveant, ne sine manifesta et rationabili causa dent fratribus extra communitatem licentiam comedendi.

De qualitate habitus et vestium.

§ 8. Sane cum felicis recordationis Ioannes Papa vigesimus secundus praedecessor noster intendens quaedam dubia circa vilitatem, formam et qualitatem vestium et habituum fratrum exorta plenius declarare, ac temeritatem et praesumptionem quorumdam fratrum, qui praelatis suis inobedientes in iis existebant, et habitus singulares et deformes contra communem ordinationem et observantiam ordinis et praelatorum suorum iudicium (*non?*) verebantur assumere et deferre, provide corrigere et cassare, inter alias quadam sua constitutione, quae incipit: *Quorumdam exigit*, adiecit clausulam, quae sequitur in haec verba: Nosque praefatorum ministrorum, custodum et guardianorum iudicio praesentium auctoritate committimus determinare, videlicet arbitrari atque praecipere, cuius longitudinis, latitudinis et grossitiei et subtilitatis cuiusve formae sive figurae, atque similium accidentium esse debeant tam habitus, quam etiam ipsorum caputia ac interiores tunicae, quibus fratres dicti Minorum ordinis induuntur; ac insuper cuius quantaeque

vilitatis indui eos ipsis vestimentis oporteat, et an in vestimentis huiusmodi secundum regulam et declarationes praedecessorum nostrorum et Ordinis constitutiones reluceat asperitas, vilitas et paupertas; utrumve quantum ad colorem, pretium, vilitatem, paupertatem quoque ac caetera accidentia supradicta fratres vestimentis induantur, ut debent; super quibus eorum ministrorum, custodum et guardianorum conscientias oneramus, districte praecipiendo mandantes, quatenus in praedictis et his similibus eorum arbitrium et determinationem, generalis quidem in totius, provincialium vero in primitiarum, ministrorum, custodum et guardianorum administrationibus, custodiis et guardianiis seu conventibus ordinis memorati commissis eisdem, fratres omnes et singuli sequi omnino, eisque parere per omnia teneantur. Ac insuper, quod illorum sequendo determinationem seu iudicium, illisque parendo, non sint nec dici possint, nec debeant, nec ipsi se ipsos autument suae regulae vel constitutionum sui Ordinis transgressores. Verum quia nondum, ut audivimus, cessat temeritas seu praesumptio aliquorum fratrum eiusdem Ordinis habitum et vestes singulares et deformes portantium, ut praefertur, volentes eosdem per poenae adiectionem a temeritate et praesumptione huiusmodi ad communem Ordinis observantiam revocare, praesentium auctoritate statuimus, quod si qui eiusdem Ordinis professores contra arbitrium, determinationem seu iudicium ministrorum, custodum seu guardianorum in Ordine ipso praesidentium habitus aut ipsorum habituum, caputia seu vestes deformes et vestibus aliorum fratrum communitatem Ordinis tenentium dissimiles et difformes portare, aut quod fratres Ordinis talibus uti deformitatibus teneantur, pertinaciter asserere praesumpserint, nisi infra quindecim dierum spatium, postquam praesens nostra ordinatio ad eos pervenerit, a talibus insolentiis obedienter destiterint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua per generalem seu provinciales in suis provinciis, ministros dumtaxat, satisfactione praemissa, possint absolvi. Ut autem maior sit vestium uniformitas inter fratres, et charitas amplius reluceat inter eos, ordinamus, quod pannus communis secundum regulam et declarationes praedecessorum nostrorum Ordini et fratribus conveniens per illos, ad quos pertinuerit, procuretur tempore competenti; de quo communi panno ministri, custodes, guardiani, lectores, praedicatores, confessores, procuratores et caeteri fratres, omnes, sine distinctione aliqua aut specialitate, tam interius quam exterius induantur. Si quis autem frater superfluas vestes habuerit, teneatur eas exhibere ministro, custodi vel guardiano, qui eas in tali loco reponere teneantur, ut de ipsis necessitates supervenientium fratrum vel aliorum indigentium subleventur. Si vero dicti fratres neglexerint seu contempserint vestes huiusmodi exhibere, custodes vel guardiani praedicti eas teneantur et possint licite eis auferre. Si autem pannus alicui fratri detur vel pro eo ematur, non praesumat dictus frater ex ipso panno vestes seu habitum sibi facere fieri, nisi prius dictum pannum suo superiori ostenderit, et obtinuerit super hoc licentiam ab eodem.

*De modo licentiandi fratres.*

§ 9. Ut autem in fratribus dicti ordinis debita gravitas et maturitas vigeant et discursus arceantur, providimus salubriter ordinandum, quod nullus frater extra locum fratrum mittatur vel ad eundem licentietur, nisi maturus moribus vel cum maturo socio et honesto; nec detur alicui socius ab ipso petitus, sed socius de quo expedire videbitur praesidenti; nec extra civitatem, villam, castrum vel oppidum, in quo fratres morantur, ad alia loca fratrum ituri licentientur sine literis testimonialibus obedientiam vel licentiam continentibus, in quibus secundum locorum distantiam, personarum ac negocii qualitatem certus redeundi terminus a con-

cedente licentiam vel dante obedientiam praefigatur; nec alicui huiusmodi licentia concedatur sine causa iusta et rationabili, quam is qui dat licentiam, aextimet esse veram. Cum autem alicui dabitur licentia ingrediendi civitatem, villam, castrum vel oppidum, ubi fratres morantur, is, qui licentiabit eum, inquirat de loco vel locis, de persona seu personis, in quibus et cum quibus frater licentiandus habebit aliquid expedire; et praefigat sibi certam horam, infra quam redire ad locum, de quo egreditur, teneatur. Frater vero huiusmodi licentiam accipiens, caveat, ne ad alia loca declinet, nec cum personis aliis tractet, nec ultra praefixam sibi redeundi horam moram protrahat, nisi superveniens necessitatis articulus eum cogeret aliter se habere, quem ipse et socius eius in eorum regressu suo superiori exponere teneantur. Provinciales vero ministri in eorum provinciis et custodes in quorum custodiis, ac guardiani, in quorum conventibus discursus inutiles fuerint frequentati, puniant discurrentes secundum huiusmodi discursuum quantitatem et etiam qualitatem: et si dicti ministri huiusmodi discursus in suis provinciis permiserint frequentari, per visitatores id denuntietur generali capitulo vel generali ministro, ut praedicti ministri per praefatos capitulum vel ministrum; praefati vero custodes et guardiani per provinciales ministros de huiusmodi negligentia debite corrigantur. Porro cum in regula dicti Ordinis contineatur expresse, quod fratres non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur, tenore præsentium ordinamus, quod priusquam aliquis frater de loco aliquo dicti Ordinis profecturus exeat, de praedictis necessitate et infirmitate, minister vel custos, si fuerint ibidem praesentes, vel in eorum absentia de discretorum consilio guardianus vel eius vicarius debeat arbitrari: si vero alicui fratri extra loca dicti Ordinis, in itinere vel alibi constituto necessitas vel infirmitas huiusmodi evenerit, ita quod praedictorum ministri aut custodis, guardiani seu vicarii praesentia commode non possit haberi, tunc frater, quem equitare contigerit, debeat statim cum venerit ad praesentiam alicuius praedictorum superiorum suorum, causam, propter quam equitaverit, explicare, qui cum consilio discretorum causam huiusmodi examinare habeat; et si eam approbaverit, frater huiusmodi sit immunis a poena, alioquin tam is, qui sine praedicto primo arbitrio praesumpserit equitare, quam etiam ille, cuius in casu proximo causam praedictam non iudicaverint esse iustam, pro die qualibet, qua huiusmodi rei transgressor extiterit, una die in pane et aqua debeat ieiunare, quam poenitentiam infra quindecim dies immediate sequentes debeat inchoare, ad quam etiam peragendam per suos superiores cogatur. Quod si ministri vel alii superiores praedicti in hoc fuerint reperti culpabiles, per visitatores acrius puniantur, et si huiusmodi vitium equitandi in aliqua provincia commune fuerit aut communiter usitatum, per eosdem visitatores denuntietur capitulo generali, per quod provideatur super hoc de remedio opportuno.

*De muneribus non dandis.*

§ 10. Caeterum volumus et mandamus, quod fratres dicti Ordinis munera seu donaria ministris, seu aliis superioribus suis, aut eorum sociis seu familiaribus, per se vel alium non audeant impertiri. Ipsi quoque ministri seu superiores alii eorumque socii aut familiares, ea per se vel alium recipere non praesumant; et tam ministri et superiores praefati, quam fratres alii dicti Ordinis caveant, ne personis extra suum Ordinem huiusmodi munera seu donaria dare seu offerre prorsus attentent, nisi prout eis in praemissis casibus et eorum quolibet est permissum per constitutiones Ordinis vel privilegia Sedis Apostolicae intra vel extra Ordinem aliis elargiri. Si quis autem contra huiusmodi ordinationem dare vel recipere quicquam praesumpserit; donator pro qualibet vice per tres dies in pane et aqua

ieiunet infra octo dies immediate sequentes; recipiens vero totum quod receperit, in utilitatem seu licitos usus fratribus conventus seu loci dicti Ordinis, in quo receperit, seu magis vicini, si extra conventum vel locum huiusmodi receperit, infra sex dies post receptionem praedictam convertere seu converti facere vel procurare, ac nihilominus conversionem huiusmódi et causam ipsius duobus fratribus discretis ipsius conventus seu loci exprimere teneatur. Quod si eum postea, quod absit, receptionem iterare contingat, debeat, praeter conversionem praefatam, pro qualibet vice semel in pane et aqua ieiunare infra octo dies, a receptione huiusmodi computandos.

De familiaribus.

§ 11. Nullusque frater famulum teneat nisi cui ex officio competierit per nostra vel ipsius Ordinis instituta; possit tamen generalis minister vel provincialis cum magistris in theologia dicti Ordinis, quod famulum tenere valeant, dispensare, si hoc eis visum fuerit expedire.

De studiis.

§ 12. Ad promovendum insuper sacrae theologiae doctrinam in Ordine memorato, statuimus, quod fratrum, qui ordinabuntur ad legendum Sententias Parisiis, unus assumatur uno anno de provincia Franciae, per ipsius provinciae provinciale capitulum eligendus; duo autem duobus annis sequentibus de aliis partibus Ordinis, unus videlicet de Cismontanis, alius de Ultramontanis partibus per generale capitulum eligendi. Qui autem ordinabuntur ad legendum Sententias Oxonii, duo assumantur duobus annis de provincia Angliae per ipsius provinciae provinciale capitulum eligendi; tertius autem pro anno tertio assumatur de aliis partibus Ordinis per generale capitulum vicissim tam de Cismontanis, quam de Ultramontanis partibus eligendus. Simili quoque modo illorum, qui ordinabuntur ad legendum Sententias in Studio Cantabrigiae, duo assumantur duobus annis de provincia Angliae, per ipsius provinciae provinciale capitulum eligendi; et tertius anno tertio de aliis partibus Ordinis per generale capitulum, tam de Cismontanis, quam de Ultramontanis vicissim partibus eligendus, quorum omnium et singulorum electiones et personae electae, si praesentes fuerint, praesententur generali ministro, qui si nihil habuerit contra eos, mittat ipsos cum suis obedientialibus literis ad studia memorata certis temporibus, iniuncta eis lectionum et aliorum actuum scholasticorum opera, secundum datam ipsis a Deo gratiam, impleturos. Si vero contra aliquem praedictorum idem minister aliquod grave habuerit, ex quo eius iudicio sit merito ab huiusmodi lectoris officio repellendus, audito quidem eo, si praesens fuerit, in ipso capitulo generali coram quinque de ministris et quinque aliis diffinitoribus, qui tunc erunt in eodem capitulo generali, et responsis ac defensionibus eius conscriptis, vel si absens extiterit, vocato et per ipsum generalem ministrum, et defensionibus suis, si quas habuerit, sufficienter auditis coram decem bonis, sinceris et discretis fratribus dicti Ordinis, qui vitam et actus eiusdem electi cognoscant: et si in casu praemisso, in quo electus et praesentatus in dicto capitulo praesens erit, praedictorum ministrorum et diffinitorum seu maioris partis numero eorumdem, sive ubi absens erit, praefatorum decem discretorum seu maioris partis numero, eorum iudicio repellendus fuerit, repellatur, quorum dicta remaneant penes ipsum generalem ministrum de manibus ipsorum ad consilium vocatorum conscripta, ex quibus de huiusmodi repulsione ipse generalis minister, si necesse fuerit, possit reddere rationem: si tamen dicti ministri et diffinitores in primo casu, seu in secundo praefati decem discreti, seu maior pars numero eorumdem ipsum repellendum non iudicaverint, minime repellatur; sed ad exequendum huiusmodi officium, ut praedicitur, destinetur: in casu vero, in quo aliquis de electis mortuus vel repulsus seu omnino aliter fuerit impeditus, et al-

terius loco eius electio facienda per generale capitulum in casu, in quo ad ipsum, vel per provinciale, ubi secundum praemissa ad ipsum electio alias pertinuerit, commode expectari non posset; generalis minister, deliberatione prius habita diligenti cum decem fratribus dicti Ordinis probis, providis et discretis super idoneitate personarum dicti Ordinis notitiam de ipsis personis habentibus, quales sint, si commode haberi possint, de regione illa, de qua fuerat mortuus vel repulsus, seu graviter impeditus, de consilio dictorum decem fratrum, seu ubi omnes non concordarent, de consilio maioris partis numero eorumdem, provideat de alio idoneo illius religionis seu partis Ordinis, de qua erat mortuus seu repulsus vel etiam impeditus, ut unicuique regioni seu parti, prædicti Ordinis honor et utilitas conserventur. Si tamen hoc casu mora seu dilatio nimia periculum vel damnum afferrent, ita quod generalis minister cito providere non possit, tunc frater alius, qui ad legendum immediate post alium Sententias extiterat assignatus, legat Sententias loco et tempore mortui, repulsi vel impediti, quamvis de alia regione seu Ordinis parte existat: subsequenti tamen anno legat frater alius de illa Ordinis parte seu regione, de qua erat praefatus mortuus repulsus vel impeditus modo praemisso, si commode fieri possit per electionem generalis capituli in casu, in quo ad ipsum, vel provincialis in suo casu, ut praemittitur, assumendus et generali ministro praesentandus et per eum approbandus. Quod si etiam electio huiusmodi tempore congruo fieri vel expectari non possit, provideat generalis minister, præmissa deliberatione praedicta, et de consilio praedictorum, de aliquo idoneo regionis, de qua erat, ut praemittitur, eligendus subsequenti anno praedicto: quod si contingat per Sedem Apostolicam imposterum ordinari, quod in aliis locis seu Studiis fiant seu fieri valeant sacrae theologiae magistri vel baccalarii; illi qui de dicto Ordine deputabuntur ad legendas Sententias in eis, legantur, prout supra de Parisiensi Studio est ordinatum, et ut de aliis est praemissum, praesentent generali ministro, et in eis observentur, quæ in aliis sunt praemissa. Nullus quoque frater dicti Ordinis ad legendum in prænominatis studiis Sententias assumatur, nisi prius legerit quater libros Sententiarum cum scriptis approbatorum doctorum in aliis Studiis, quae in eodem Ordine dicuntur generalia, vel in conventibus infrascriptis, videlicet, Rothomagen., Remen., Meten., Brugen., Londonien., Eboracen., Northwicen., Novicastri, Stanfordien., Comentreien., Oxonien., Burdegalien., Narbonen., Massilien., Asten., Varadien., Pragen., Pisan., Erfordien., Ariminen., Tudertin. Nullus autem baccalarius in aliquo trium praenominatorum principalium Studiorum, seu illorum, in quibus, ut praemissum est, continget imposterum per Sedem Apostolicam ordinari, quod fiant in eis in theologia magistri, incipiat ut magister, antequam textum Bibliae cum glossis ordinariis studuerit. In quolibet autem eorum trium vel proxime dictorum Studiorum ille prior ad magisterium praesentetur, qui prior in eisdem Studiis fuerit in lectura Sententiarum, eo semper salvo, quod antequam praesentetur, super ipsius vita et sufficientia collatio habeatur per ministrum provincialem vel guardianum cum aliis fratribus, qui solent ad illius loci, in quo assumendus erit ad magisterium, consilia evocari, et si inventus fuerit insufficiens vel indignus, nequaquam praesentetur; sed generali ministro casus instructus cum dictis eorum, qui fuerint in consilio, nuntietur, qui cum duodecim discretis fratribus, matura deliberatione praehabita, de consilio eorumdem mandet dicto ministro vel guardiano, quod baccalarium, qui post praedictum immediate debeat ad magisterium inibi promoveri, si sit idoneus; alioquin illum, de quo ipse generalis, praedicta deliberatione praemis-

sa, de consilio praedictorum duodecim praefatis ministro provinciali vel guardiano mandaverit, in tali casu debeant ad magisterium praesentare. Cum autem huiusmodi fratres assumpti fuerint ad magisterium, et in Universitate sua perfecerint cursum suum, fiant lectores alibi in locis solemnibus, ut in lectura valeant utiliter occupari. Aliis autem conventibus habentibus ea studia, quae in Ordine generalia nuncupantur, generalis minister in capitulo generali de idoneis lectoribus et baccalariis provideat, de consilio ministrorum et magistrorum, qui erunt in loco dicti capituli generalis. Ubi autem ex incidenti causa haberet alicui vel aliquibus studiis extra generale capitulum providere, provideat de consilio decem discretorum fratrum, de idoneitate, sufficientia personarum notitiam habentium, et nihilominus de consilio ministri provincialis et custodis, de cuius provincia vel custodia erit frater ad praedicta sumendus, si commode eorum praesentiam possit habere. Generali autem et provincialibus ministris, ac custodibus, guardianis, diffinitoribus, magistris et discretis ac electoribus praedictis, et aliis quibuscumque, ad quos hoc pertinuerit, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, ne in eligendis vel assumendis, seu mittendis, aut deputandis seu promovendis in Parisien., Oxonien., Cantabrigien., sive in aliis studiis supradictis magistris, lectoribus seu baccalariis vel scholaribus, aut in provisionibus eisdem studiis faciendis, de ipsis vel aliquo seu aliquibus praedictorum minus sufficientes proponant scienter magis sufficientibus odio, gratia vel favore; praedicti vero magistri, lectores et baccalarii legentes theologiam dictis philosophorum non multum insistant, sed quae theologice possunt tractari, pertractent theologice, et dictis communibus antiquorum et approbatorum doctorum, prout secundum Deum et veritatem poterunt, se conforment. Magistri quoque et lectores alii legentes textum Bibliae, debeant insistere circa dubia, quae fiunt iuxta ipsum, et circa dicta sanctorum catholicorum Patrum, ac glossarum ordinariarum Bibliæ memoratae. Circa fratres siquidem tam ad Parisien. quam ad alia generalia studia Ordinis transmittendos provide duximus statuendum, quod illi, qui ad huiusmodi studia extra suas provincias de debito transmittuntur, per sua provincialia capitula eligantur: electores autem meliores et magis ad hoc idoneos eligere in virtute sanctae obedientiae teneantur; illi vero, qui de gratia ad huiusmodi studia sunt mittendi, non mittantur sine generalis ministri licentia speciali, et sine sui ministri et provincialis capituli approbatione praecedente: missi vero sive de gratia sive de debito, si fuerint minus idonei ad scientiam capessendam, vel male conversentur ibidem, seu pacis et conventuum seu studentium fuerint turbatores, per ministrum, vel guardianum in eius absentia, de consilio consilii conventus loci, in quo studuerint, ad eorum provincias remittantur. Numerus autem studentium de gratia recipiendorum in singulis conventibus studia generalia habentibus taxetur in capitulo generali secundum statum et conditionem conventuum eorumdem, ultra quem numerum nullum recipere teneantur. Ad praedictum autem Parisien. Studium de singulis provinciis non possint semel mitti, vel in eo recipi, nisi duo studentes de gratia, nec isti seu alii de debito missi possint pro lectoribus revocari, donec studuerint per duos annos ibidem; cum autem studentes in generalibus studiis constituto tempore ad suas redibunt provincias, testimoniales literas guardiani et lectoris loci, in quo studuerint, de sua conversatione et profectu aut defectu in studio secum portent, quas suis ministris ostendere teneantur. Et ut proficiendi occasio studentibus praebeatur, praedicti guardianus et lector non dent huiusmodi studentibus tertimoniales literas, nec sicut fratres de consilio loci, in quo studuerint, vel maior pars numero

eorum consuluerint eis dari: ipsis vero guardiano et lectori, ac aliis fratribus de consilio in virtute sanctae obedientiae iniungimus, ut perhibeant fidele testimonium veritati de huiusmodi studentium conversatione, profectu et defectu, et de assiduis vel non assiduis scholarum et actuum scholasticorum exercitio seu sequela: ministri autem eorum ipsos lectores non instituant, nisi laudabile testimonium per modum praescriptum recipiant de eisdem. Ne autem nova cuiusvis doctrinæ opera per fratres ipsius ordinis incaute vel periculose communicari aut publicari contingat, districte praecipimus, quod novum opus theologicum, iuridicum vel philosophicum, scilicet librum seu libellum, summam, compendium, postillam, expositiones, glossas, tractatum, vel collectionem seu compilationem quaestionum vel sermonum a quocumque fuerit editus vel edita seu editum, nullus frater sine subscripto examine, ac ministri et capituli generalis prius obtenta licentia speciali, intra vel extra Ordinem publicare, communicare vel copiare praesumat: si quis autem hoc attentare praesumpserit, omnibus scholasticis et legitimis artibus ac usu librorum se noverit ipso facto fore privatum. Praedicti autem operis examen fiat per quatuor fratres eiusdem Ordinis in theologica facultate magistros ad hoc per generale capitulum specialiter deputatos, qui ad diligenter inspiciendum et examinandum nova huiusmodi opera examini eorum commissa, et ad fideliter referendum per obedientiam astringantur, quique completo examine, per se, vel per literas generali ministro et generali capitulo referre, quae approbatione vel improbatione digna repererint, teneantur: quorum relatio et approbatio vel improbatio in libris Ordinis registrentur.

*De expensis studentium evitandis.*

§ 13. Ordinamus etiam, quod pro principiis magistrorum dicti Ordinis in theologia, vel baccalariorum Sententias inchoantium, seu occasione eorum principiorum, non expendant in cibis vel potibus, nisi semel dumtaxat quantum sufficiat pro una moderata refectione conventus loci, in quo fient huiusmodi principia; caeteri vero baccalarii, lectores aut cursus in Biblia facientes, seu quivis alii studentes tam Parisiis quam in aliis generalibus vel particularibus studiis pro nullo principio vel actu scholastico suo vel alieno quicquam expendant.

*Decretum contra Fraticellorum sequaces.*

§ 14. Porro, quia nonnulli dicti Ordinis habitum religionis eiusdem gestantes, sed a puritate ac communitate ipsius recedentes, procurante satore malorum, sub simulata quadam sanctitatis specie damnatas per sacrosanctam Romanam Ecclesiam haereses dogmatizare, prædicare, defendere et approbare praesumunt, suaque doctrina, et praedicatione sacrilega et perversa corda simplicium damnabiliter corrumpere et depravare conantur, districte præcipimus, ut contra tales et quoscumque alios dicti Ordinis fratres, qui talia verbo vel scripto praesumpserint, sicut contra haereticos debite procedatur, et contra fautores, defensores et receptatores eorum procedi debeat iuxta canonicas sanctiones: illos etiam, qui ausi fuerint doctrinam, positionem vel opinionem per dictam Ecclesiam reprobatam docere, prædicare, defendere vel approbare, aut per eamdem Ecclesiam approbatam reprobare, animadversione canonica decernimus puniendos. Districtius etiam inhibemus, ne quis fratrum dicti Ordinis opinionem de fide vel moribus suspectam, aut per magistros sacrae theologiae communiter reprobatam dogmatizare, praedicare, defendere vel approbare praesumat, quibuscumque fratribus dicti Ordinis, qui aliquem eiusdem Ordinis sciverint vel audiverint talia facientem, in virtute sanctae obedientiae iniungentes, ut quamcito commode poterunt, prout ea perceperint, superiori ipsius debeant intimare, qui ante omnia ei districte praecipiat, ne talia recitet vel attentet, donec insuper eis plene veritas sit discussa: pro cuius discussione idem superior ad aliquod de vicinioribus Studiis

theologiae festinet recurrere, et super iis veritate comperta, fratri talia dogmatizanti, praedicanti, defendenti seu approbanti, ac quibuscumque aliis fratribus, vel in iis faventibus, vel eum defendentibus, prout culparum eorum qualitas seu praesumptuosa temeritas exegerit, de consilio discretorum fratrum loci praefati Studii debitam poenam imponat; et ad revocandum cum effectu praedictam opinionem erroneam ipsos moneat et inducat; quod si pertinaciter parere contempserint, nec a talibus desistere forte voluerint, eos de praedictorum consilio carceri mancipet, et detineri faciat mancipatos, donec efficaciter paruerint, et destiterint a prædictis. Et nihilominus praedictus superior de praemissis omnibus plenam et fidelem relationem faciat in primo subsequenti capitulo generali, in quo quid super eis faciendum fuerit, plenius ordinetur. Districtius etiam inhibemus, ne postquam super negocio fidei quaestio seu dubitatio aliqua, super qua sint opiniones adversae vel diversae, deducta fuerit ad Apostolicae Sedis examen, quisquam ex tunc alterutram partem determinare, eligere vel approbare praesumat; sed super easdem eius iudicium seu declaratio expectetur. Praeterea ordinamus, quod magistris, lectoribus et baccalariis in Studiis generalibus legentibus, per conventus locorum, ubi legunt, de vitae necessariis debeat provideri; alias autem expensas, sive pro itinere sive pro lectura librorum, conventus, de quo mittentur, habeat procurare, moderatas tamen, et prius a ministro generali vel provinciali taxatas: si autem conventus non sufficiat ad expensas huiusmodi ministrandas, faciat eis dictus generalis vel provincialis provideri per communitatem custodiae vel provinciae, de quibus assumuntur, de praedictis expensis: quando autem remittentur, provideant eis conventus, a quibus recedunt; et si conventus huiusmodi non possint providere, faciat eis praedictus generalis vel provincialis, per custodias vel provincias, cuius erunt, prout supra in casu alio est provisum.

De libris.

§ 15. Rursus ordinamus, quod de libris donatis vel legatis cuivis communitati seu personae ordinis, de quibus donantes provide disposuerint, fiat id dumtaxat, quod dispositum vel ordinatum fuerit per eosdem. Libri vero fratrum decedentium, quos ipsi fratres, dum viverent, a communitate provinciae vel custodiae vel conventus habuerant, libere ad illam communitatem, a qua eos habuerant, revertantur; illi vero libri, qui fratribus aliter quam supra dictum est, obvenerint vel obvenient, seu de quibus per donantem seu legantem expresse non fuerit ordinatum, ipsis fratribus decedentibus ad eorum conventus libere revertantur. Nec libri ad conventum aliquem pertinentes distribuantur vel alienentur, sed de ipsis muniatur plene conventus, ita quod de grammatica, logica, philosophia et theologia habeantur in ipso conventu libri duplicati, vel amplius multiplicati secundum magnitudinem, numerositatem, conditionem et statum cuiuslibet conventus. Postquam vero quilibet conventus fuerit libris praemissis hoc modo munitus, de aliis libris fiat distributio primo fratribus eiusdem conventus habilibus et indigentibus; deinde si, facta distributione, huiusmodi libri superfuerint, vel si in ipso conventu fratres non fuerint habiles vel indigentes, distribuantur aliis fratribus ex eadem custodia tantum, cuius erit ipse conventus. Distributiones autem huiusmodi fiant per guardianum de consensu conventus et de licentia ministri. Decedentibus autem ipsis fratribus, libri, qui eis fuerant distributi, ad ipsum conventum, a quo habiti fuerant, libere, ut praemittitur, revertantur modo consimili aliis distribuendi, de novo proviso tamen, quod meliores seu utiliores libri semper remaneant in conventu pro munitione praedicta. Libri vero ad communitatem custodiae pertinentes distribuantur in provinciali

capitulo fratribus eiusdem custodiae tantum per ministrum et diffinitores iuxta dispositionem custodis et fratrum discretorum, seu vocalium, ut eorum verbis utamur, ipsius custodiae. Libri autem ad communitatem provinciae pertinentes distribuantur in provinciali capitulo per ministrum, de consilio et assensu diffinitorum et custodum. Insuper ordinamus, quod libri communitatis provinciae non possint extra provinciam, nec libri custodiae extra custodiam, cuius erunt, distribui, quodque distributiones praedictae, et personae, quibus fient, registrari debeant per illos, per quos hactenus est in Ordine fieri consuetum, et registra huiusmodi fideliter custodiri: nec per illos, quibus libri praedicti fuerint distributi, dicti libri possint distrahi, commutari vel vendi, seu quomodolibet alienari, nisi pro melioribus et utilioribus libris, et tunc de consensu et licentia ministri, et illorum, per quos fuerint distributi: quod si contra praesumpserint, puniantur poena, quae pro gravibus culpis in Ordine consuevit imponi. Ut autem libri in ipso Ordine melius valeant conservari, ordinamus, quod guardiani in sua novitate infra unum mensem, postquam officium guardianatus assumpserint, et in conventu suo fuerint, teneantur in praesentia conventus sui facere fieri inventarium de omnibus libris, qui in ipso conventu tunc fuerint, eisdem libris dicto conventui realiter demonstratis. Ipsi etiam guardiani libros, qui tempore administrationis suae conventui obvenient, in praesentia ipsius conventus cum inventario recipiant; et huiusmodi inventaria renoventur annis singulis, et legantur in praesentia conventus, libris ipsis tunc etiam, ut praemittitur, realiter demonstratis. Legantur etiam ibidem tunc literae seu registra, et nihilominus in dicto inventario conscribantur super librorum distributionibus supradictis confecta. Ordinamus etiam, quod libri fratrum decedentium in loco Romanae Curiae per procuratorem ordinis remittantur communitati, provinciae, custodiae, seu conventui, ad quam seu quem, secundum praemissam nostram ordinationem, debent reverti; vestes vero conventui dicti loci Curiae applicentur. Si vero pecunia fuerit pro necessitatibus huiusmodi fratrum in loco Romanae Curiae decedentium apud aliquem de dicto loco deposita valorem quatuor florenorum excedens, et dominus pecuniae eam non revocaverit, ad aliquem spiritualem amicum conventus eorumdem fratrum decedentium remittatur: quod si pecunia dictam summam non excesserit, pro procuratoris officio expendatur. De rebus autem aliis parvi valoris, si quae fuerint, praedictus procurator et guardianus dicti loci Romanae Curiae disponant, prout eis secundum Deum videbitur expedire. De omnibus autem inventis, tam retentis, quam remissis, dictus procurator ordinis cum guardiano et discretis loci dictae Curiae inventarium faciant, et ipsum ad conventum fratris defuncti, quamcitius poterunt, destinare procurent.

*De rebus FF decedentium.*

§ 16. Quilibet etiam frater dicti ordinis, cui aliquid sine determinato usu legari, donari, vel pro aliquo deponi continget, postquam huiusmodi legatum, donatum seu depositum ad eius notitiam pervenerit, custodi aut guardiano suo vel eius vicario, quamcito commode poterit, debeat fideliter revelare. Hoc idem facere debeat quicumque frater alius habens notitiam praedictorum. Guardianus autem si frater, cui legatum seu donatum, vel pro quo depositum fuerit, sit habilis ad scientiam capessendam, provideat ei, seu provideri procuret secundum legati vel donati seu depositi quantitatem, et secundum fratris ipsius idoneitatem de libris ad eius studium opportunis. Si autem frater huiusmodi libris non indiget, aut ubi libris indigeret, proviso de libris sufficienter, eidem aliquid de legato vel donato seu deposito huiusmodi

*De donis et legatis factis fratribus.*

superesset, guardianus eius huiusmodi legatum, donatum seu depositum, vel id quod, facta provisione huiusmodi, superit, in communes sui conventus necessitates converti seu dispensari procuret; et necessitatibus eius, cuius contemplatione oblatum, datum, seu legatum fuerit favorabile, studeat subvenire. Per hoc tamen, vel per quaevis alia supra vel infra scripta constitutioni felicis recordationis Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri, quae incipit: *Super cathedram*, in nullo intendimus derogare. Inhibemus insuper ne dicti ordinis fratres equitaturas eorum usui applicatas ultra usum expletum, aut lectisternia eorum ordini non congruentia, seu alias excessiva, aut argentea vel aurea vasa seu alia iocalia pretiosa teneant; sed si talia eis donari, legari vel alias obvenire contingat, vel iam forsan donata seu legata sunt, vel aliter obvenerunt eisdem, in libros vel in alias res, quibus fratres ipsi possunt uti licite, prout de aliis supra dictum est, convertantur, nisi fuerint deposita seu commendata, vel per dominum revocata. Quod si superioribus suis infra tres menses, postquam huiusmodi nostra ordinatio in provinciali eorum capitulo fuerit publicata, praedicta non revelaverint, ut praemittitur convertenda, et ex tunc ea retinere praesumpserint, poena proprietarii puniantur.

Constitutio Bonifacii VIII (Super cathedram) validatur.

§ 17. Ordinamus etiam, quod in quolibet conventu seu loco dicti ordinis sit deinceps unus liber, in quo scribantur fideliter nomina et cognomina benefactorum et beneficia seu eleemosynae fratribus pro vivis seu defunctis impensa, et talium benefactorum nomina, cognomina et beneficia seu eleemosynae eorum infra hebdomadam in qua facta fuerint, in capitulo fratribus recitentur et suffragia ibidem fiant pro benefactoribus ipsis, et orationes vel missae pro ipsis benefactoribus fratribus imponantur, ibidem secundum quod guardiano vel eius vicario videbitur. Nomina etiam et cognomina illorum, qui loca dictorum fratrum in totum, vel pro parte fundaverint, aut fratribus aedificia construxerint, seu construi fecerint, vel eis notabilia donaria fuerint elargiti, ipsaque beneficia eorumdem anno quolibet in capitulo recitentur, et pro eorum animabus a fratribus in speciali oretur. Per hoc autem non intendimus in aliquo derogare ordinationibus, statutis vel observantiis dicti ordinis rationabilibus, secundum quae praedicta debeant frequentius recitari.

De eleemosynarum memoria et suffragiis faciendis.

§ 18. Ordinamus etiam quod deinceps minister generalis in sua novitate, antequam suum officium exequatur, teneatur iuramentum praestare in praesentia generalis capituli, si tempore electionis suae ibi praesens fuerit, vel praesente conventu loci, in quo eum decretum suae electionis recipere continget sub forma, quae sequitur: Ego frater N. generalis minister ordinis fratrum Minorum ab hac hora in antea fidelis ero sancto Petro, sanctaeque Romanae Ecclesiae, dominoque meo domino Papae, suisque successoribus canonice intrantibus: non ero in consilio nec in facto, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione: consilium, quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuntium manifestabunt, ad eorum damnum nulli pandam: vocatus ad synodum veniam, nisi fuero praepeditus canonica praepeditione in correctionibus iudicialibus gravium criminum, et in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus et repulsionibus faciendis de personis dicti ordinis fideliter ac secundum Deum et regulam beati Francisci, puramque et rectam conscientiam me habebo; sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Simile iuramentum praestabunt ministri provinciales, statim cum fuerint confirmati in praesentia primi provincialis capituli: et nihilominus, quod subiectionem et reverentiam et obedientiam a sanctis Patribus constitutam secundum regulam beati Francisci generali ministro,

De iuramento generalis et provincial. ministrorum et aliorum.

et suis successoribus canonice substitutis, exhibebunt, quamdiu in obedientia et unitate sanctae Romanae Ecclesiae fuerint. Ordinamus etiam, quod diffinitores capitulorum generalium et provincialium, antequam sua exequantur officia, praestent in praesentia ipsorum capitulorum corporaliter iuramentum, quod suum officium fideliter exercebunt. Electores etiam generalium et provincialium ministrorum, antequam ad electionem procedant, in praesentia dictorum capitulorum iurare teneantur, quod nullum eligent, quem sciant vel credant indignum. Electoribus autem custodum et guardianorum districte iniungimus, quatenus in eligendo se habeant secundum Deum, et rectas ac puras conscientias eorumdem. Ipsis etiam custodibus et guardianis in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ut in commissis sibi officiis diligenter et fideliter debeant se habere.

De familia et expensis generalis ministri, et ratione reddenda.

§ 19. Praeterea ordinamus, quod generalis minister duos fratres notabiles, providos et expertos habeat socios, unum cismontanum, et alium ultramontanum, per eum de consilio provincialium ministrorum in generali capitulo habito assumendos: et si eos vel eorum alterum mori aut impediri contigerit, loco eius vel eorum alium vel alios secundum modum praemissum de consilio aliquorum discretorum debeat surrogare: et nihilominus habeat duos alios fratres dicti ordinis, boni testimonii socios, et duos honestos famulos, quibus dumtaxat habeat contentari. Eidem autem generali, et praefatis sociis ac famulis provideatur moderate in suis necessariis per conventus seu custodias vel provincias, prout est hactenus in Ordine consuetum. Ipse vero generalis minister pro se et iis, qui secum erunt, non permittat, immo fieri prohibeat excessivas expensas: de iis autem, quae sibi ratione personae vel officii dari, legari vel offerri undecumque continget, per unum de praedictis sociis reddat in generali capitulo fideliter rationem.

De visitatione generalis ministri.

§ 20. Ordinamus etiam, quod generalis minister teneatur omnes provincias dicti ordinis, tribus dumtaxat exceptis inferius designatis, infra decem annos, postquam ad officium ministeriatus assumptus fuerit, personaliter visitare: et in visitando easdem provincias illum ordinem teneat, qui expedientior videbitur capitulo generali: et postquam unam provinciam visitaverit, nunquam postea causa visitationis revertatur ad eam, priusquam omnes reliquae provinciae ab eo fuerint visitatae. Quod si forsan casus aliquis arduus emerserit, propter quem provincia visitata plus aliis, quae visitandae fuerint, indiguerit visitari; tunc dictus generalis, si per ministrum provincialem et provinciale capitulum provinciae visitatae fuerit requisitus, vel generali capitulo, vel etiam ipsi generali ministro propter magnam necessitatem vel morae periculum videbitur fore ad eamdem provinciam causa visitationis, intermissis aliis provinciis, redeundum, possit ad eandem causa visitationis redire provinciam, ne animarum profectus aliquatenus negligatur. Ubi autem ex quavis causa rationabili huiusmodi visitationis ordinem interruperit, ipsa causa cessante, eundem ordinem visitandi resumat: et ubi visitationem praedecessor dimiserit, ibi eandem debeat inchoare successor. Si vero eundem generalem ministrum contingeret legitime impediri, quod personaliter visitare non posset; tunc per alium vel alios idoneos dicti ordinis fratres huiusmodi visitationis officium exequatur. Ad tres vero provincias, ut praefertur, exceptas, quas generalis minister non tenetur personaliter visitare, videlicet Iberniae, Graeciae et Terrae Sanctae infra eosdem decem annos mittat dictus generalis fratres idoneos et discretos ad huiusmodi visitationis officium exequendum de consilio generalis capituli deputandos, qui ipsas provincias visitare teneantur tam publice quam private.

De visitatione provincialium ministrorum.

§ 21. Singuli quoque ministri provinciales, illi videlicet, qui parvas singulis annis, qui vero magnas habent provincias de triennio in triennium ad minus conventus et alia loca suarum provinciarum visitare et complere in eis visitationis officium teneantur: quod si, rationabili causa cessante, non fecerint, a suis ministeriis debeant amoveri. Praefatus quoque generalis minister teneatur fideliter facere relationem in capitulo generali de statu provinciarum, quae per eum fuerint visitatae; et quilibet provincialis minister in eodem capitulo generali hoc idem facere teneatur de statu provinciae sibi commissae; et quicumque alii, qui provincias visitabunt.

De destitutione et renunciatione provincialium ministrorum.

§ 22. Quia vero circa electionem et institutionem ministrorum provincialium est per constitutionem felicis recordationis Clementis Papae quinti praedecessoris nostri sufficienter provisum, nihil super hoc duximus innovandum. Sed cum eadem constitutio in destitutione eorumdem ministrorum provincialium reservari voluerit, quod hactenus in ipso ordine extitit observatum, observantiam huiusmodi cum quibusdam nostris additionibus deinceps volumus modo subscripto in ordine prædicto teneri: videlicet, quod in capitulo generali provinciales ministri semper, si praesentes fuerint, per se renuntiare teneantur, vel per literas, si absentes, quorum renunciatio a generali ministro, vel ab eis, qui tenebunt capitulum loco eius, cum assensu generalis capituli seu maioris partis numero eiusdem, si videbitur, admittatur. In capitulo autem provinciali cum destituendi fuerint, destituantur per dictum generalem, vel per visitatorem super hoc ab eo specialiter deputatum, de consensu ipsius provincialis capituli seu maioris partis numero eiusdem. Extra vero capitula praedicta non destituantur, nisi pro gravi crimine notorio, evidentia rei, vel legitime probato seu confessato, sive pro insufficientia manifesta, vel pro sui regiminis inutilitate probata; et tunc fiat per dictum generalem seu per dictum visitatorem cum consilio et assensu duodecim proborum et discretorum fratrum vel maioris partis numero eorumdem, et praesertim custodum provinciae, cuius erit minister, si commode haberi poterit praesentia eorumdem custodum, et verisimiliter iidem custodes non praesumantur suspecti. Quod si quis dictorum ministrorum extra praedictum capitulum generale sponte renuntiare voluerit, et cum instantia petierit se absolvi, possit generalis minister renunciationem huiusmodi admittere, si ei videatur rationabiliter admittenda.

De familia et expensis provincialium ministrorum et ratione reddenda per eos.

§ 23. Quilibet etiam provincialis minister de consilio provincialis capituli unum socium providum et discretum assumat; quem si mori aut impediri contingat, alium surroget de consilio discretorum. Et nihilominus habeat unum fratrem scriptorem fidelem et unum honestum famulum, et eis tantum debeat contentari: quibus in necessitatibus suis provideatur per conventus suae provinciae. Ipse vero provincialis pro se et iis, qui secum erunt, non permittat, immo fieri prohibeat excessivas expensas. De iis autem, quae sibi ratione personae vel officii dari, legari vel offerri undecumque continget, in capitulo provinciali reddat fideliter rationem. Cum autem praedicti generalis et provinciales ministri de loco ad locum conducentur a fratribus, provideant, ne in huiusmodi conductu fiant in cibis vel alias superfluae seu immoderatae expensae: et habeant a conventu duos fratres, qui eos conducant, pro expensis huiusmodi faciendis.

De custodum et guardianorum electione et confirmatione.

§ 24. Statuimus insuper, ut deinceps guardiani in singulis locis conventualibus dicti Ordinis eligantur per conventus eorundem locorum, die ad celebrandum electionem huiusmodi per eorumdem conventuum vicarios assignata: in quorum electione nullus vocem habeat, nisi qui saltem vigesimum quintum annum suae

aetatis attigerit, et in sacris fuerit ordinibus constitutus. Nec in huiusmodi electione vocem habeant fratres alii non conventuales, licet morentur ibidem, qui erunt de provinciis alienis, nisi eiusdem loci lectores existant: electio autem guardiani Parisiensis fiat, prout est hactenus fieri consuetum. Custodes vero in die, quae apud eos crastinum diffinitionis provincialis capituli nuncupatur, eligantur per fratres discretos custodiarum, quibus de custodibus fuerit providendum ex parte conventuum vel capitulorum custodialium, more solito, ad capitulum provinciale transmissos. Guardiani vero in huiusmodi electione vocem non habeant, nisi per capitula custodialia vel per suos conventus fuerint pro discretis transmissi. Si vero custodem aliquem per quatuor menses ante provinciale capitulum mori, vel ab officio amoveri contingat, de singulis conventibus suae custodiae singuli discreti per conventus electi ad principalem locum custodiae die certa, per illius loci principalis guardianum assignata, conveniant pro electione huiusmodi celebranda. Dictarum vero electionum tam custodum, quam guardianorum confirmatio pertineat ad generalem vel provincialem ministrum. Et si ad electionem huiusmodi per viam scrutinii procedatur, et, votis in diversa divisis, electiones plures in discordia celebrari contingat, illa, quae a maiori parte numero omnium vocem in dicta electione habentium, nulla zeli vel meriti collatione habita fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacumque partis alterius non obstante, per dictum ministrum de consilio discretorum d. ordinis, prius tamen ex officio, prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione praemissa, confirmetur vel infirmetur, prout eis secundum Deum visum fuerit expedire. Et si fuerit infirmata, ad dictos electores electio revertatur, nisi elegerint scienter indignum, quo casu ad dictum ministrum illa vice ipso facto provisio devolvatur, et eadem fiat devolutio, si dicti electores die praedicta ad eligendum guardianum seu custodem, ut praemittitur, assignata vel ordinata, guardianum vel custodem eligere praetermittant. In electionibus quoque praedictis vel confirmationibus earumdem non intendimus electores seu confirmatores formis aut solemnitatibus aliis quibuscumque a iure statutis arctari.

*De inquisitionibus ad capitula mittendis.*

§ 25. Caeterum circa inquisitiones, quae ad generalia vel provincialia capitula solent mitti, quae apud eos visitatores vocantur, auctoritate praesentium ordinamus, quod nulla mittatur ad generale capitulum, quae non fuerit prius per provinciale capitulum discussa, examinata, probata, legitime approbata a maiori parte numero ipsius provincialis capituli, fideliter conscripta, lecta et sigillata coram omnibus, sigillis ministri, custodis et guardiani loci, in quo capitulum celebratur. Ubi autem, facto provinciali capitulo, aliquid adeo grave emergeret, quod sine periculo gravi usque ad sequens provinciale capitulum differri non posset, tunc per custodem, guardianum et fratres loci, ubi id contigerit, prius discussum et examinatum, de consilio ministri vel vicarii provinciae destinetur capitulo generali. Quod si dictum ministrum tangeret, tunc per praedictos modo consimili discussum et examinatum de consilio vicarii mittatur. Si autem ipsum vicarium tangeret, tunc eodem modo discussum et examinatum mittatur per praedictos de consilio dicti ministri ad dictum capitulum generale. Nulla etiam inquisitio seu visitatio ad capitulum provinciale portetur, nisi fuerit prius discussa, probata, examinata legitime, et in terminis explicata et approbata a maiore parte numero fratrum loci, in quo fiet fideliter conscripta, lecta et sigillata coram omnibus fratribus ipsius loci sigillo. Quando autem discutientur mittenda ad generale vel ad provinciale capitulum, diligenter gravia examinentur et specialiter inquiratur de causa scientiae, de visu, auditu, de loco,

de tempore et numero, et de aliis circumstantiis ad factum pertinentibus: et haec forma in inquisitione seu visitatione qualibet observetur. Ordinamus etiam, quod ea, quae in huiusmodi inquisitionibus seu visitationibus reperta fuerint, conscripta per integrum cum nominibus denunciantium, accusantium, deponentium, et cum depositionibus testium; et non solae conclusiones attestationum, sed ipsae attestationes ex integro transmittantur; ut quid, et a quo dictum fuerit, plenius agnoscatur. Nec in huiusmodi visitationibus cuiusque accusatio, denunciatio seu depositio recipiatur, nisi prius ab eodem accusante, denunciante seu deponente de calumnia et malitia ac veritate dicenda praestito iuramento. Insinuentur et exponantur etiam, antequam recipiantur accusationes, denunciationes seu depositiones huiusmodi, accusatoribus, denunciatoribus et testibus poenae excommunicationis, et aliae contra calumniatores seu falso deponentes per statuta dicti ordinis provide, ut dicitur, promulgatae.

De procuratore.

§ 26. Rursus ordinamus, quod procurator praedicti ordinis generalis in generali capitulo constituatur de consilio ipsius capituli vel maioris partis ipsius: et quod in quolibet capitulo generali requiratur ministrorum et diffinitorum consilium, an videlicet huiusmodi procurator sit in officio retinendus, an vero amovendus et alius subrogandus: et super hoc fiat illud, quod capitulum vel maior pars numero dicti capituli duxerit consulendum. Si tamen post ipsum generale capitulum procuratorem ipsum per generalem ministrum aut per commissarium suum insufficientem vel inutilem legitime reperiri contingat, idem generalis minister de maturo bonorum et discretorum fratrum dicti ordinis consilio illum amoveat, et de consilio eorumdem alium sufficientem et idoneum constituat, usque ad proximum generale capitulum duraturum. Et modo consimili constituatur alius, usque ad dictum capitulum generale dumtaxat permansurus, si praefatum procuratorem mori vel infirmitate diutina detineri, aut alias sic impediri contingat, quod commode exequi officium procuratoris non possit: et tunc in capitulo noviter instituatur idem substitutus vel alius de ipsius capituli consilio, ut superius est praemissum. Si autem huiusmodi procurator natione fuerit cismontanus, assignetur ei per saepedictum generalem ministrum socius ultramontanus, qui sit providus et discretus. Si vero dictus procurator fuerit ultramontanus, assignetur ei, ut praedicitur, socius cismontanus. Generalis et procurator ordinis victum recipiat a conventu loci, ubi erit Romana Curia: vestitum autem et omnia alia necessaria recipiat a ministris provincialibus, prout est hactenus fieri consuetum. De iis autem, quae a dictis ministris receperit et aliis undecumque obvenientibus sibi ratione personae vel officii, in capitulo generali reddet fideliter rationem, et moderatas expensas faciet, ab excessivis expensis provide abstinendo: nec recepta a dictis ministris expendat pro particularibus conventibus seu personis, sed pro communibus causis et negociis, sive pro utilitate communi ordinis supradicti. Caveat autem, ne munera vel donaria recipiat a fratribus dicti ordinis procurator praefatus. Custodes etiam de receptis et expensis per eos sive ratione officii vel personae teneantur annis singulis in provincialibus capitulis fidelem reddere rationem. Guardiani autem et caeteri officiales seu administratores quicumque hoc idem in praesentia custodum et conventuum suorum seu illorum, qui per custodes et conventus eosdem ad hoc fuerint deputati, facere teneantur. Non intendimus autem per praedicta praeiudicare in aliquo consuetudinibus vel statutis seu ordinationibus dicti ordinis seu singularium locorum eiusdem si quae fuerint, per quae ad

reddendum saepius rationem huiusmodi teneantur. Praemissis autem adiicimus, quod in reddendis rationibus seu computis per guardianum seu provisorem aut quoscumque alios officiales seu administratores conventus Parisiensis, praesentes esse debeant quicumque de studentibus ibidem, qui apud eos assistentes vocantur: qui computa huiusmodi audiant et examinent diligenter, et defectus, si quos repererint, in rationibus seu computis aut in provisione vel in administratione praedictorum exponant fratribus de consilio supradicti conventus Parisiensis, ut ipsum consilium provideri faciat de remedio opportuno.

De praedicatoribus et confessoribus.

§ 27. Ordinamus etiam quod provinciales ministri extra eorum capitula provincialia non eligant vel assumant fratres ad praedicationis verbi Dei seu confessionum audiendarum officia. Et prius quam generalis seu ministri praedicti fratres deputent seu assumant ad officia memorata, diligentius examinent ad eadem officia promovendos, et testimonium recipiant, de ipsorum vita et sufficientia, a fratribus fide dignis et notitiam habentibus de ipsis fratribus promovendis; et de eorum ac custodialium discretorum ad provinciale capitulum transmissorum consilio illos deputent et assumant. Et nihilominus minister generalis, qui tam intus quam extra capitulum fratres ad praedicta officia valeat assumere, cum extra dicta capitula eos assumere voluerit, testimonium et consilium suorum ministri et custodis adhibeat et requirat, si praesentiam habeat eorumdem; alioquin per ipsorum literas, si commode fieri valeat, et si ad dicta officia assumendi dicto ministro et praefatis discretis custodialibus videantur idonei, super quo eorum conscientias oneramus, assumantur et ordinentur per ipsum generalem ministrum ad officia supradicta: qui autem ad huiusmodi confessionis officium assumentur, prius quam officium huiusmodi exequantur, sint sufficienter instructi de casibus Sedi Apostolicae et dioecesanis reservatis; ac de prohibitionibus et poenis a iure statutis contra illos, qui temeritate propria in casibus praedictis absolvunt, vel in aliis, in quibus absolvere non possunt. Caveant autem fratres praedicti, qui ad confessionum audiendarum officium assumpti fuerint, ut non passim poenitentias pecuniarias imponant, et in casu, in quo poenitentia pecuniaria imponenda rationabiliter fuerit, vel satisfactio indicenda, non mandent eam vel procurent sibi aut aliis singularibus fratribus vel conventibus sui ordinis distribui vel erogari: ministri autem, custodes et guardiani compellant fratres etiam notabiles ad audiendas confessiones, non solum potentium et divitum, sed etiam pauperum personarum. Ordinamus etiam et districte mandamus, quod confessiones mulierum audiantur in aliquo patenti loco Ecclesiae vel alio honesto etiam patenti, et nihilominus serventur, quae circa haec sunt in dicto ordine provide instituta. Per praemissa autem non intendimus praefatae constitutioni felicis recordationis Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri, quae incipit: *Super cathedram*, in aliquo derogare.

De fratribus euntibus seu mittendis ad partes infidelium.

§ 28. De fratribus autem ad partes infidelium pro praedicatione verbi divini mittendis ordinamus, quod generalis minister nullos fratres mittat vel licentiet ad dictas partes, nisi praehabito testimonio ministri provinciae, cuius erunt fratres mittendi. Provincialis autem minister per obedientiam super hoc requisitus teneatur perhibere fidele testimonium veritatis, an videlicet fratres huiusmodi sint idonei ad mittendum. Ante vero quam huiusmodi testimonium perhibeat, fratres mittendos, de fide et doctrina, quam sequuntur vel hactenus secuti sunt, idem minister provincialis examinet diligenter: et nihilominus fratrum discretorum huiusmodi fratrum notitiam habentium requirat testimonium et consilium, ac illi fidele testimonium et consilium dare per ean-

dem obedientiam teneantur; ita quod nullus de aliquo errore vel de superstitiosa doctrina vel de mala conversatione suspectus ad partes huiusmodi destinetur. Provinciales vero ministri nullos ad memoratas partes mittant sine conscientia et licentia generalis ministri; et nihilominus circa illos, quos miserint, habeant, quae praemissa sunt, per omnia observare.

De adhibendis ad consilia fratribus, et modo tenendo in eis.

§ 29. Praeterea salubriter providimus ordinandum, quod generalis et provinciales ministri, eorumque vicarii, necnon et visitatores super confirmatione vel promotione seu provisione ad officia ordinis ac etiam super iudiciali correctione gravium criminum consilium decem proborum discretorum fratrum non partialium, sed zelum Dei habentium, requirere teneantur; vel sex ad minus, ubi decem commode haberi non possent, et auditis responsis eorum, illud, quod ipsis praesidentibus et maiori seu aequali parti numero dictorum consulentium videbitur, exequantur. Quod si maiori parti numero ipsorum consulentium aliud, quam eisdem praesidentibus videatur, et ipsis praesidentibus consilium ipsius maioris partis minus sanum vel suspectum appareat; tunc in alio loco solemni et opportuno totidem aliorum proborum et discretorum fratrum semel dumtaxat requirant consilium, non personam, sed casum cum debitis et necessariis circumstantiis solummodo exprimendo, nisi deliberatione prius super hoc habita, iidem praesidentes videant fore expediens nominari personam. Quod autem eisdem praesidentibus, ac maiori vel aequali parti numero huiusmodi consulentium videbitur, exequantur. Quod si etiam in hoc casu maiori parti numero horum consulentium aliud, quam eisdem praesidentibus videatur, tunc si ipsis praesidentibus secundum eorum bonas et rectas conscientias videatur aliter, quam huiusmodi pars maior numero consulat iudicandum vel agendum, superiorem consulant vel referant negotium principali capitulo vel generali, prout qualitas seu magnitudo negotii generali vel provinciali capitulo ipsum exegerit referendum: quibus tam praesidentibus quam consulentibus in virtute sanctae obedientiae iniungimus, ut postpositis quorumcumque precibus et inductionibus, odiis et favoribus, ad id solum, quod eis secundum Deum et suas bonas conscientias videbitur, sua consilia dirigere teneantur, iis, quae circa praedicta vel alias sunt superius vel inferius ordinata, in suo robore duraturis. Nullus insuper praesidens suam in consilio per se vel alium aperiat voluntatem, antequam consiliarii consilium dederint super iis, de quibus ab eis consilium requiretur; sed verbis simplicibus et planis illud seu illa, de quibus fuerit agendum, proponat; nec contra aliquem de consiliariis ipsis ante vel post ratione dati vel dandi consilii turbationem ostendat. Ipsis quoque consiliariis inhibemus, ne ad verba iniuriosa, superba aut scienter superflua, vel turbationem seu impedimentum praestantia se convertant; sed reverenter et humiliter dent consilium super iis, de quibus fuerit impediendum.

De denunciationibus et inquisition. excessuum.

§ 30. Ut autem circa correctionem excessuum delinquentium fratrum deinceps certius procedatur, et via calumniis praecludatur, statuimus, ut excessus enormes fratrum, de quibus aliquis fuerit condemnatus aut convictus legitime, seu iudicialiter confessus, vel qui evidentia rei erunt notorii, registrentur in libris ordinis, in quibus talia solent scribi. Enormes autem intelligi volumus in hoc casu illos, pro quibus in dicto ordine graviores et confusibiles poenae consueverunt imponi. Si vero excessus enormes occultos tamen, per unum solum contra aliquem dicti ordinis fratrem alias bonae famae alicui superiori ipsius secrete denunciari contingat, non recipiatur huiusmodi denunciatio ad finem, ut propter eam ad inquisitionem seu discussionem iudicialem procedatur; nisi denuncians, requisitus per superiorem eundem, dicat se fore pa-

ratum, ea, quae sic dicit et prout ea denunciat, deponere ut testis et in praesentia denunciati iurare; nec registretur talis denunciatio in dictis libris ordinis, nisi praefatus superior verisimiliter credat vel aextimet, posse super denunciatis excessibus testes alios idoneos reperiri. Possit tamen super eis huiusmodi denunciatio per ipsum superiorem recipi, ut denuntiatum, quanto brevius poterit, in secreto moneat, si et prout discretioni suae videbitur faciendum. Ubi autem denunciator seu testis alius idoneus super huiusmodi occultis excessibus postea appareret, possit superior ad secretam, si ei visum fuerit, etiamsi denunciatus absens et remotus extiterit, informationem procedere, et tam primum quam secundum et quoscumque alios testes idoneos recipere, recepto ab eis prius corporali iuramento, informationemque huiusmodi in praefatis libris ordinis registrare; tamen infra biennium, quam cito commode poterit, fratrem denunciatum vocare, et ea, de quibus delatus est, et factam informationem seu registrationem ei exponere; ac etiam infra biennium huiusmodi, si commode fieri valeat: alioquin, quamcitius commode poterit, super praedictis iustitiam facere teneatur. Quod si infra dictum biennium praefatus superior denuntiatum non vocaverit, et ea, de quibus delatus, seu contra eum informatio seu registratio facta extiterit, ei non exposuerit, ut praefertur, ipso elapso biennio, informatio vel registratio seu processus huiusmodi ipsi denunciato nocere non possint. Si vero plurium singularium personarum testimonia contra fratrem aliquem super excessibus eiusdem generis habeantur, ex quibus probabiliter reddatur suspectus: tunc ad veritatis inquisitionem pleniorem, etiam si expediens videbitur, per arctationem personae, contra quam habebuntur huiusmodi testimonia, procedatur secundum modum suspicionis et qualitatem excessus, ac statum et conditionem personae. Et si crimen per inquisitiones huiusmodi non probetur, ipseque denunciatus remaneat infamatus, indicatur ei purgatio vel alio modo provideatur ordinis honestati et famae denuntiati. Contra tamen infamatos apud bonos et graves etiam unius denunciatio de enormi excessu, licet secrete facta fuerit, scribatur, et in praefatis libris ordinis registretur et ad inquirendam veritatem excessuum, prout proxime de aliis praemittitur, procedatur, etiam si expediens videbitur, per arctationem personarum ipsarum secundum modum, suspicionem, qualitatem excessuum, et statum ac conditionem personarum. Et si excessus per inquisitiones huiusmodi non probentur, ipsique remaneant diffamati, indicatur eis purgatio, vel, prout praemittitur, provideatur aliter famae ipsorum et ordinis honestati. Caeterum ministris, custodibus et visitatoribus districte praecipimus, ut ea, quae, ut praemittitur, fuerint registranda, fideli scripturae commendent, et toto regiminis seu officiorum suorum tempore custodiant diligenter: districte nihilominus praecipientes eisdem et aliis quibuscumque dicti ordinis, ne libros praedictos, seu acta, quae in ipsis notata vel scripta fuerint, vel aliquid de eis deleant, subtrahant, comburant, vel alias destruant sive muteut vel hoc fieri mandent per alios, aut permittant, sine generalis ministri speciali licentia et expressa. Quod si quis praedictorum huiusmodi libros, seu acta, vel aliquid de eisdem scienter et malitiose delere, subtrahere, comburere, destruere seu mutare, sine praedicta licentia, aut aliquid in eis falso scribere vel scribi facere; vel si quisquam praefati ordinis dictis ministris custodibus seu visitatoribus, ipsis ignorantibus vel invitis, clausuras aut sigilla, sub quibus huiusmodi libri seu acta servantur, frangere vel aperire scienter et malitiose praesumpserit, sententiam excommunicationis incurrat, a qua per generalem dumtaxat ministrum, vel per eum, cui hoc ipse duxerit committendum, possit

absolvi: et si de hoc fuerit legitime convictus, poena carceris puniatur. Quando vero praedictos ministros, custodes aut visitatores ab officio removeri vel eos eidem renunciare contigerit, successoribus suis libros et acta praedicta integraliter tradere et relinquere per obedientiam teneantur. Si tamen contra huiusmodi successores in libris seu actis huiusmodi vel registris aliqua habeantur, transcribantur plene et integre in libris seu registris generalis ministri de ipsius ministri generalis licentia speciali, antequam tradantur vel relinquantur successoribus supradictis; et de libris aliis deleantur, de quibus libris seu registris generalis ministri nunquam talia aut quaecumque alia, quae in eis scripta extiterint, deleantur vel immutentur, etiam per ipsum generalem ministrum, sed prout veritas se habuerit, perpetuo incorrupta remaneat in eisdem. Praeterea ordinamus, quod si in provincia, custodia vel conventu aliqua fuerit turbatio et divisio inter fratres, quae per provincialem ministrum tolli non possit, generalis minister per se ipsum vel per visitatorem seu visitatores visitet huiusmodi provinciam, custodiam vel conventum; et eos, quos repererit talium turbationum et divisionum auctores, si in officiis fuerint constituti, eos amoveat ab officiis ipsis, de consilio discretorum, prout superius duximus ordinandum: et tam ipsos in officiis constitutos, quam alios, qui non fuerint in officiis constituti, si visum fuerit expediens, de suis expellat provinciis vel aliter puniat, prout pacifico statui ordinis expediet, et culpa exegerit eorumdem. Pro salubri quoque puritatis augumento dicti ordinis tenore praesentium providimus ordinandum, quod capitulum culparum, quod, ut audivimus, secundum morem in dicto ordine hactenus observatum, semel dumtaxat consuevit in septimana teneri, fiat et teneatur deinceps perpetuo ad minus tribus diebus cuiuslibet septimanae, in quibuscumque locis conventualibus eiusdem ordinis et aliis in quibus saltem erunt sex fratres, vel supra, ac etiam in quibuscumque aliis, in quibus dictum capitulum fieri consuevit: in quo quidem capitulo culparum quotidianae culpae ac negligentiae singillatim et specifice plene recognoscantur, et recognitae debite puniantur. Ordinent autem et statuant ministri et guardiani in singulis locis praedictis, et praesertim in illis in quibus erunt studia seu studentes, sic prudenter horam huiusmodi capituli celebrandi secundum qualitatem personarum, varietatem temporum et conditionem locorum, et aliis omnibus pensatis in talibus, quae secundum datam eis a Deo prudentiam viderint expedire. Itaque ipsa capitula plene fieri et teneri valeant tribus diebus praedictis, et dictae culpae ac negligentiae recitari et puniri, prout superius est praemissum: et nihilominus divinis officiis, sermonibus, lectionibus et aliis quae expedienda fuerint sufficienter vacari, quemadmodum in pluribus religionibus etiam diebus singulis laudabiliter observatur. Praeterea ordinamus, quod si ministri generales seu provinciales aut custodes vel guardiani, sive quivis alii praesidentes dicti ordinis reperti fuerint criminosi seu praevaricatores, Ordinis aut Beati Francisci regulae contemptores, sive notabiliter negligentes et remissi, et specialiter si ordinationes et statuta nostra praesentia vel statuta regularia dicti Ordinis non faciant, quantum in eis fuerit, observari, ab eorum officiis seu praesidentiis deponantur.

*De dormitoriis, cameris et clausuris.*

§ 31. Caeterum ordinamus, quod nullus fratrum habeat cameram clausam vel a dormitorio sequestratam, exceptis ministris et lectoribus constitutis in generalibus studiis; et quod in cellis vel studiis fratrum aliorum non habeant velamina vel clausurae, quominus fratres intus existentes patere possint aspectibus aliorum. Magistri autem in theologia etiam non legentes et fratres emeritae senectutis possint de licentia generalis vel provincialis ministri habere cameras a

dormitorio sequestratas. In dictis autem cellis et studiis seu cameris comedere non praesumant, nisi forte in cameris ratione infirmitatis vel de licentia ministrorum ex aliqua alia rationabili causa. Quod si contra fecerint, secundum suorum superiorum arbitrium puniantur. Volumus etiam, quod in locis ordinis sufficientes clausuras non habentibus clausurae huiusmodi fieri procurentur: et quod diebus singulis infra spatium comprehendens ecclesiam seu oratorium, claustrum, dormitorium et studia a dormitorio separata, et secretae necessitatis locum, fratres omnes praeter infirmos et forenses ac servitores eorum, et illos, quibus concessum est habere cameras a dormitorio separatas, a Completorio usque ad primum signum Primae diei sequentis se recolligant seu includant, sicque per domos alias vel porticus aut plateas illo tempore, quieti et orationum dedito, nullatenus evagentur, nec ad lectores de nocte praesumant accedere, etiamsi eorum camerae fuerint infra inclusionem praedictam: ad infirmos tamen extra conclusionem praedictam possint de licentia guardiani vel eius vicarii accedere, si casus necessitatis emergat. Loca vero dicti ordinis, quae ad huiusmodi inclusionem non sunt disposita, quamcito commodius fieri poterit, disponantur, et huic salubri observantiae coaptentur.

De aedificiis.

§ 32. Praeterea volumus et etiam ordinamus, quod in locis dicti ordinis Ecclesiae aut officinae seu quaevis alia aedificia sumptuosa non inchoentur, neque destruantur, nisi deliberatione prius habita diligenti per generalem seu provincialem ministrum, custodem, guardianum et discretos loci; et nihilominus interveniente auctoritate ipsius generalis seu provincialis ministri: et cum facienda fuerint et inchoanda huiusmodi aedificia, caveant diligenter praedicti et alii, quod propter ipsa, seu occasione ipsorum conventus victus necessaria non amittant, nec loca ipsa debitis aggraventur, constitutione praefati Clementis praedecessoris nostri super hoc edita in suo robore duratura. Per praemissa vero, vel aliquod praemissorum non intendimus regulae dictorum fratrum seu constitutionibus aut declarationibus quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum subsecutis, seu factis vel habitis super ea, in aliquo derogare: quinimo praemissa omnia et singula secundum regulam, constitutiones et declarationes praedictas, in quantum ipsas tangunt, intelligi volumus et servari.

De monialibus seu minorissis.

§ 33. Insuper, quia decet Christi familias, et devotas ancillas, quae mundanis contemptis illecebris, adversus principes tenebrarum, et contra spirituales nequitias pugnaturae, se per professionis votum disciplinis regularibus astrinxerunt, in agone praesentis militiae sic per rectum iter observantiae regularis incedere, ut per perfectam cordis et corporis puritatem, post consummatum cursum mundialis certaminis, supernae vocationis bravium consequi mereantur: Nos statui monialium, si quae sunt sub cura seu regimine fratrum ordinis Minorum, vel erunt in futurum, sive Minorissarum, aut Sanctae Clarae seu Sancti Damiani ordinum vocabulis nuncupentur, paternae solicitudinis studio providere volentes, auctoritate praesentium ordinamus, quod in singulis monasteriis earumdem per provinciales ministros eiusdem ordinis Minorum de consensu abbatissarum et conventuum, seu maioris partis numero earumdem, auctoritate apostolica certus monialium numerus statuatur iuxta monasteriorum ipsorum suppetentiam obventionum et etiam facultatum; itaquod ex ipsis congrue valeant sustentari: quodque ultra dictum numerum nulla in eis possit recipi nisi de Apostolicae Sedis auctoritate seu licentia speciali, vel nisi adeo ipsorum monasteriorum facultates seu obventiones excrescerent, quod pluribus possent sufficere competenter; sed ex tunc prius talis excrescentia referatur capitulo generali

dictorum fratrum Minorum, in quo ordinari habeat, quot personae ex ipsis fructibus vel obventionibus excrescentibus ultra dictum statutum numerum possint poni. Cum autem infra dictum statutum numerum alicuius vel aliquarum receptio fuerit facienda, talis receptio fieri nequeat nisi de ministri generalis vel provincialis speciali licentia et expensa: quibus districte praecipimus, ut antequam huiusmodi concedant licentiam, diligenter provideant, ne aliqua pactio illicita seu pravitas simoniaca intercedat. Si vero contingat aliquid gratis offerri monasterio ab ingrediente, parentibus vel amicis eius, vel alterius monialis, vel pensionem seu redditus alicui moniali, vel quicquid aliud donari vel legari, per abbatissam ipsius recipiatur, et in usus communes convertatur, et necessitatibus eius, cuius contemplatione oblatum, datum seu legatum fuerit, favorabilius subveniatur. Caveant insuper praefati generalis et provinciales ministri, ne pro concedenda praedicta licentia, seu alias quomodocumque occasione ipsius, vel quovis alio colore vel figmento quaesito, aliquid a quacumque seu quibuscumque persona vel personis, per se vel alium seu alios, ante ipsam licentiam, vel etiam postea, recipere quandocumque praesumant, seu recipi a quibuscumque aliis, etiam sui ordinis singularibus fratribus vel conventibus, seu dari aut offerri locis vel fabricis, seu aliis usibus quibuscumque dicti ordinis vel locorum ipsius faciant vel procurent; aut quantum in eis fuerit, hoc fieri permittant, etiam praetextu cuiuscumque consuetudinis, quam reputamus potius corruptelam. Si vero contra fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, a qua nequeant, nisi per Summum Pontificem, praeterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere: et si legitime ad hoc convicti fuerint, ab eorum ministeriis seu officiis perpetuo deponantur. Praeterea ordinamus, quod tam abbatissae, quam alii, seu aliae, qui, seu quae, bona et obventiones dictorum monasteriorum administrabunt, colligent, recipient aut expendent, teneantur annis singulis coram generali vel provinciali ministro seu visitatore et certis monialibus monasteriorum ipsorum providis et discretis, ad hoc per conventus eorumdem monasteriorum electis, de receptis et expensis, ac de iis, quae eis vel per eas debentur, et de statu in quo monasteria erunt, plenam et fidelem reddere rationem. Ordinamus etiam, quod deinceps in singulis monasteriis sive locis ipsarum in novitate cuiuslibet abbatissae infra duos menses, postquam pacificam possessionem bonorum monasterii habuerit, in praesentia generalis vel provincialis ministri, seu visitatoris ipsius monasterii et sex discretarum monialium eiusdem, de omnibus bonis ipsius monasterii mobilibus et immobilibus, seseque moventibus, in quibuscumque consistant, fiant inventaria seu registra consimilia duplicata, sigillis abbatissae et conventus sigillata: in quibus inter alia contineatur, quot extent vel deficiant animalia, et qualia et quanta blada, vina et caetera victualia, et quae et quot et quibus monasterium debeat, et quae et quot et a quibus debetur eidem et sub quibus obligationibus debet vel debetur ei; et quae et quot vasa sive ornamenta vel supellectilia et similia inibi fuerint. Et si qua abbatissa in bono statu receperit monasterium, ipsumque postea ad malum statum deduxerit, bona ipsius debitis obligando indebite, vel dilapidando seu alienando, ab administratione abbatiæ removeatur omnino, et alias debite puniatur. Praedicta autem inventaria seu regestra clare et integraliter in capitulo ipsius monasterii, praesentibus conventu eiusdem et ad hoc specialiter congregatis, legantur et vulgarizentur; quibus sic lectis, unum penes abbatissam remaneat et aliud penes dictum conventum, et transcriptum ipsius penes dictum generalem vel provincialem ministrum. Caeterum cum universae et singulae dictorum ordinum

De clausura monialium.

moniales secundum earum regulas et constitutionem felicis recordationis Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri, super hoc editam, sub perpetua in suis monasteriis debeant permanere clausura, et in nonnullis monasteriis monialium praedictarum id, sicut accepimus, non usquequaque servetur; volentes constitutionem praedictam super hoc inviolabiliter observari, districte praecipimus ministris, visitatoribus, abbatissis et quibuscumque aliis, ad quos vel quas hoc pertinuerit, ut clausuram huiusmodi diligenter teneri faciant et servari; itaquod nulli earum tacite vel expresse professae sit, vel esse valeat quacumque ratione vel causa clausuram huiusmodi deinceps egrediendi facultas; nisi forte causa plantandi vel aedificandi eandem religionem ad aliquem locum aliquae transmittantur, vel tanto forte et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari; quodque nulli regulari aut saeculari vel laicae personae, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, status, vel conditionis extiterit, ingressus pateat ad easdem, sine Apostolicae Sedis licentia speciali, exceptis solummodo personis illis, quibus in certis casibus per dictorum praedecessorum ordinationes et earumdem monialium regulas noscitur esse permissum. Eisdem quoque ministris, custodibus et guardianis districtius tenore praesentium duximus iniungendum, ut fratres dicti ordinis sibi subditos arcere studeant ab accessu ad monasteria monialium quarumcumque iuxta beati Francisci regulam et apostolica ac ipsorum fratrum ordinis instituta, poenas in dictis institutis eorum provide ordinatas eorum transgressoribus infligendo. Quamvis autem in regula dictarum monialium Sanctae Clarae sequens clausula inter alia sit inserta, videlicet: Possint autem in singulis monasteriis recipi aliquae, licet paucae, sub Servitialium nomine vel sororum, ad huiusmodi professionis observantiam astringendae: praeterquam in articulum de clausura *etc.* Nos tamen honestati et famae tam ipsarum monialium Sanctae Clarae, quam Minorissarum et Sancti Damiani praedictarum in hac parte providere volentes, ordinatione praesenti perpetuo valitura districte praecipimus, quod huiusmodi servitiales seu sorores, ad observantiam professionis astrictae, et quae de caetero astringentur, quemadmodum et caeterae moniales debeant sub perpetua clausura manere; possint tamen singula monasteria dictarum monialium habere aliquas paucas tamen mulieres, moribus et aetate maturas, providas et honestas, in saeculari honesto tamen habitu incedentes, quae dictam clausuram nullatenus ingredi permittantur; sed negocia monasterii ac necessitates monialium, prout eis commissum fuerit, fideliter exterius peragant et procurent. Porro si abbatissa contra praemissa clausuram praedictam exire praesumpserit, vel ad exeundum aliquam licentiaverit monialem, per ministrum suum de discretorum fratrum consilio removeatur a regimine abbatiae; moniales vero dictam exeuntes clausuram in casibus non permissis, ipso facto sint inhabiles ad quæcumque officia in earum ordine obtinenda; et nihilominus subdantur poenis illis, quæ pro gravioribus culpis in ipso ordine consueverint imponi. Ad haec districte prohibemus, dictorum ordinum moniales in earum dormitoriis cellas habere; si quas vero habent, omnino destrui praecipimus et mandamus per ministros seu visitatores in prima visitatione, quam impendent in monasteriis earumdem. Contradictores, si qui, seu si quae fuerint, ac dantes eis in hoc auxilium vel favorem auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam compescendo.

Quod sorores Servitiales dictae debeant profiteri.

§ 34. Ut autem salutaria statuta et ordinationes huiusmodi, per quorum observantiam professores eiusdem ordinis aeterno Regi in puritate mentium obsequentes, de spiritualibus hostibus anima-

De publicatione huiusmodi constitutionum.

rum poterunt, Deo propitio, facilius triumphare, per eorum publicationes solemnes ad cunctorum professorum dicti ordinis notitiam deducantur, ac devote et fideliter observentur ab eis; auctoritate apostolica tenore praesentium ordinamus, quod statuta et ordinationes praedicta in primis eorum generali et provincialibus capitulis a principio usque ad finem integre, prout iacent, legantur publice et solemniter publicentur; earumque singulae copiae singulis ministris provincialibus ad præfatum primum capitulum generale convenientibus per ministrum generalem, eius et diffinitorum eiusdem capituli generalis sigillis sigillatae tradantur et etiam assignentur. Itidem quoque provinciales ministri copiam statutorum et ordinationum huiusmodi singulis conventibus provinciarum suarum infra duorum mensium spatium post publicationem eorum in suis provincialibus capitulis factam mittere teneantur.

Contrariorum derogatio.

§ 35. Volumus etiam et auctoritate statuimus supradicta, quod in singulis conventibus dicti ordinis statuta et ordinationes praefata legantur quolibet mense semel; et quod quaelibet alia statuta et ordinationes eiusdem ordinis, contraria iis nostris ordinationibus et statutis, ipso facto omni robore careant et etiam firmitate. Dicti quoque ministri et fratres dicti ordinis, praesentes et posteri, contra ordinationes et statuta nostra huiusmodi quicquam statuere vel etiam ordinare, aut observantiam aliquam introducere non praesumant: quod si secus praesumptum fuerit, id auctoritate apostolica irritum decernimus et inane, et nullius penitus existere firmitatis.

Horum statutorum copiae singulis monialium conventibus dandae.

§ 36. Volumus etiam et mandamus, quod singuli ministri provinciales in singulis suis provinciis singulis conventibus monialium praedictarum, quae sub cura seu regimine dictorum fratrum consistunt, in quantum eas tangere vel respicere dignoscuntur, infra dictum terminum sub eorum et diffinitorum sigillis singulas copias debeant assignare; eaque eisdem conventibus legi ac vulgarizari faciant et exponi: ac sub poenis contentis in eis districte mandari, ut illa deinceps debeant inviolabiliter observare.

Clausulae.

§ 37. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum et mandatorum infringere *etc.*

Datum Avenione quarto kalendas decembris, pontificatns nostri anno secundo.

Dat. die 28 novembris 1336, pont. anno II.

---

## XII.

*Statuta et ordinationes pro bono regimine Poenitentiariae Apostolicae eiusque officialium, ac forma iuramenti praestandi ab eisdem (1).*

### SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Sancitae hae leges ut tuto quis in officio Poenitentiariae se gerat. — 2. De doctore adhibendo in consilium per summum Poenitentiarium in casibus ambiguis. — 3. De alia persona per eundem deputanda ad expedienda negotia non dubia. — 4. De correctorum officio, sigillatore, *etc.* — 5. De iuramento a supradicto doctore et alia persona deputata praestando. — 6. De supplicationibus Papae legendis. — 7. Nihil pro literis taliter expeditis accipiendum. — 8. De horis, quibus quisque pœnitentiarius sistere in Ecclesia debet. — 9. Benigne per eos cum poenitentibus agendum. — 10. Termini nonnulli facultatum eorumdem. — 11. De mulierum audiendis confessionibus. — 12. Literae absolutionis vel dispensationis nonnisi per scriptores ad id deputatos scribendae. — 13. Poenitentiarii a detractione *etc.* abstineant. — 14. De peregrinis expediendis. — 15. Poenitentiarii aliis facultates suas communicare non possunt. — 16. De confessariis in adiutorium admissis. — 17. De sigillis ad literas sigillandas. — 18. Duo clerici deputandi ad huiusmodi conservanda sigilla. — 19. De distributore petitionum. — 20. Leges nonnullae a scri-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

ptoribus servandae. — 21. Distributoris munia. — 22. Scriptores honeste vivant. — 23. De procuratoribus. — 24. Forma iuramenti ab officialibus praestandi: iuramentum doctoris: — 25. Deputati ad recipiendas petitiones: — 26. Correctorum: — 27. Sigillatoris: — 28. Poenitentiariorum minorum: — 29. Clericorum ad custodiam sigillorum deputatorum: — 30. Distributoris: — 31. Scriptorum: — 32. Procuratorum. — Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

In agro Dominico universalis Ecclesiae operarii et custodes a Domino, licet immeriti, constituti, desideramus in eo talem exercere culturam, per quam sanctorum operum fruges, grataque Deo messis et sincera fidelium, evulsis exinde peccatorum spinis et tribulis, coalescat. Hinc est, quod nos attenta meditatione pensantes, quod ad Sedem Apostolicam universorum matrem fidelium et magistram, velut singularem portum salutis pro confessionis lavacro et medela poenitentiae salutaris, praesertim in casibus eidem Sedi specialiter reservatis, universi christifideles cum indigent, devote recurrunt, tam nobis quam maiori, et aliis minoribus Poenitentiariis nostris suorum peccaminum pro obtinenda spirituali salute vulnera detegentes: hoc votis cupimus, hoc totis desideriis ardentius affectamus, ut officium Poenitentiariae nostrae in omni puritate et sinceritate procedat, et ut maior et alii minores Poenitentiarii supradicti, et scriptores eiusdem Poenitentiariae praesentes et posteri, ac procuratores, caeterique ministri dicti officii nitide, pure ac sincere, quae eis ratione dicti officii imminent vel imminebunt agenda, studeant exercere; seque sollicitos et obsequiosos exhibeant ad salutarem et celerem expeditionem eorum, qui de diversis mundi partibus ad eosdem maiorem et minores Poenitentiarios tamquam medicos animarum duxerint recurrendum, eis de spirituali salute, prout ad eorum spectat officium, caute, discrete et salubriter providendo.

Sancitae hae leges ut tuto quis in officio Poenitentiariae se gerat.

§ 1. Ut igitur dicti Poenitentiarii et scriptores praesentes et posteri, et alii ministri dicti officii, ac eorum procuratores, qui circa ea, quae ad dictum officium Poenitentiariae spectant, procurationis ministerium exercebunt, per salubria instituta, veluti per quasdam inviolabilium semitas mandatorum rectos faciant gressus suos, infrascriptas constitutiones, per maiorem et minores Poenitentiarios, scriptores, ministros ac procuratores, praesentes et posteros, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandas, auctoritate apostolica duximus faciendas.

De doctore adhibendo in consilium per summum Poenitentiarium in casibus ambiguis.

§ 2. In primis igitur auctoritate apostolica statuimus et etiam ordinamus, quod pro celeriori expeditione occurrentium casuum dubiorum in officio supradicto, maior Poenitentiarius habeat secum saltem unum peritum et expertum doctorem in iure canonico, ab eo specialiter deputandum ad examinandum diligenter omnes et singulas petitiones, literas Poenitentiariae praedictae super occurrentibus casibus ambiguis in petitionibus oblatis expressis: idemque doctor, quando et quoties occurrerint tales casus ambigui, illos referat maiori Poenitentiario supradicto, et super eis conferat et deliberet cum eodem: quibus collatione et deliberatione praehabitis, de consensu, et secundum ordinationem dicti maioris Poenitentiarii conficiantur literae super eis, et expeditionem celerem sortiantur.

De alia persona per eumdem deputanda ad expedienda negotia non dubia.

§ 3. Idem quoque maior Poenitentiarius deputet unam personam sufficientem et idoneam ad recipiendum et examinandum omnes et singulas petitiones ad ipsius Poenitentiariae officium pertinentes, et ad expediendum omnes petitiones secundum communem cursum officii Poenitentiariae nullum dubium continentes, et quae secundum dictum cursum consueverunt absque difficultate aliqua expediri: dubias vero referat maiori Poenitentiario vel doctori praedictis.

De correctorum officio, sigillatore, etc.

§ 4. Correctores insuper literarum dictae Poenitentiariae, de scriptoribus eiusdem officii magis expertis et idoneis per dictum maiorem Poenitentiarium ad correctionem huiusmodi deputentur, qui die qualibet ad certum locum ad hoc ordinatum vel ordinandum per dictum maiorem Poenitentiarium, iusto impedimento cessante, hora Primae vel alia competenti venire personaliter teneantur: ibique omnes et singulas literas dictae Poenitentiariae examinent diligenter, easque corrigant et reforment: et sic examinatas et correctas, ipsi, vel alter eorum sigillatori dicti maioris Poenitentiarii, qui pro tempore fuerit, manibus propriis quantocius studeant assignare; vel pro celeriori expeditione dictarum literarum per eosdem correctores vel alterum eorumdem ponantur in una archa in domo dicti maioris Poenitentiarii ad hoc specialiter deputanda, quae duabus consimilibus clavibus seretur: quarum una sigillatoris, et altera unius ex dictis correctoribus custodiae committantur, ex ea per dictum sigillatorem sumendae et sigillandae ac restituendae, prout fuerit hactenus consuetum. Dictae quoque literae, postquam fuerint sigillatae, donec iis, quorum sunt, fuerint restitutae, per dictum sigillatorem ponantur in archa ad earum custodiam deputanda: quae quidem archa in domo dicti maioris Poenitentiarii conservetur, et habeat duas claves consimiles, quarum una per distributorem dictarum literarum, et altera per certam fidelem personam, quam ad hoc dictus maior Poenitentiarius duxerit deputandam, debeant custodiri, ut sic facilius expeditio pauperum, et earumdem literarum restitutio subsequantur.

§ 5. Declaratorias vero, et alias literas casus ambiguos continentes, dicti correctores praefato doctori examinandas et reformandas assignent, cessante morae cuiuslibet tarditate. Idem quoque doctor, postquam per eum examinatae fuerint et correctae, nisi occurrerent sibi dubia, super quibus foret maior Poenitentiarius consulendus, eas sigillatori manualiter vel sub sigillo suo per nuntium proprium iuratum tradere teneatur: et tam doctor, quam persona ad recipiendum petitiones, ut praemittitur, deputata, quam etiam correctores et sigillator praefati, singulariter singuli in manibus eiusdem maioris Poenitentiarii de iis per eos fideliter exercendis praestabunt debita iuramenta iuxta formas, quae inferius continentur.

De iuramento a supradicto doctore et alia persona deputata praestando.

De supplicationibus Papae legendis.

§ 6. Supplicationes autem, quae nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus sunt legendae, per praefatum doctorem cum diligentia recipiantur, ordinentur et conserventur: nullaque ponatur in numero legendarum sine certa et expressa scientia maioris Poenitentiarii memorati; et illae, quae recipiendae fuerint, cito recipiantur et examinentur: et indilate postquam fuerint expeditae, restituantur illis, quorum sunt, vel procuratoribus eorumdem.

Nihil pro literis taliter expeditis accipiendum.

§ 7. Hoc idem circa celerem receptionem et facilem expeditionem, et indilatam restitutionem circa alias supplicationes dicti officii observetur: pro quibus nihil omnino quovis modo ante vel post receptionem, expeditionem et restitutionem recipiatur seu detur.

De horis, quibus quisque Pœnitentiarius sistere in Ecclesia debet.

§ 8. Statuimus insuper, et etiam ordinamus, quod omnes et singuli minores Poenitentiarii singulis diebus, quibus consuetum est eos ad confessiones audiendas in Ecclesia residere, quolibet mane, videlicet hora, qua pulsatur ad Primam in Ecclesia maiori civitatis vel loci ubi Curia residebit, accedant ad Ecclesiam seu locum deputatum vel deputandum pro audiendis confessionibus, et aliis exequendis, quae spectant ad officium eorumdem. Quodque inibi commorentur, quousque pulsatum fuerit ad Tertiam in ecclesia maiori praedicta; nisi eosdem Poenitentiarios, vel aliquem seu aliquos eorumdem causa rationabilis praepediret,

omni fraude ac dolo super hoc prorsus exclusis.

Benigne per eos cum poenitentibus agendum.

§ 9. Iidem quoque Poenitentiarii mansuete ac etiam charitative audiant peccata seu confessiones illorum, qui confitebuntur eisdem, et ipsos absolvant in casibus dumtaxat eis concessis sive permissis: nec confitentes eosdem ob paupertatem vel abiectum statum eorum, vel quemvis alium defectum dedignentur audire, vel circa eos suum officium exercere; dictosque confitentes propter enormitatem vel turpitudinem peccatorum, quae in confessione detexerint, non minis exasperent arguendo, sed eos patienter audiant; et per salutaria monita diligenter inducant, ut a talibus peccatis omnino desistant, et ab aliis etiam quibuscumque delictis et peccatis abstineant, eis, saltem in generali, malorum poenas et bonorum praemia salubriter exponendo.

Termini nonnulli facultatum eorumdem.

§ 10. Nullus autem eorumdem Poenitentiariorum pro huiusmodi confessionibus vel absolutionibus, vel aliis spectantibus ad officium eorumdem quidquam per se vel alium exigat vel petat seu recipiat, etiam gratis oblatum, vel etiam sub titulo vel specie eleemosynae, vel alio quovis modo: nullusque eorum absolvat vel dispenset scienter in aliquo casu sibi non permisso. Nullus etiam eorumdem quemquam scienter absolvat a peccato vel peccatis aliquibus in aliquo casu ambiguo, vel in dicto casu dispenset cum aliquo, nisi de speciali mandato Romani Pontificis vel Poenitentiarii maioris, cui teneatur exprimere dictum casum sine alicuius revelatione vel expressione personae: neque iniungat poenitentias pecuniarias, expresse sibi, vel alicui certae personae, vel Ordini suo, vel alteri applicandas. Satisfactionem vero vel restitutionem pecuniariam vel realem quamcumque certam, seu de certis per aliquos exhibendam iniungat, et fieri mandet illi vel illis tantum, quibus pro damnis eis illatis, vel rebus ablatis, vel aliis similibus casibus fuerit emenda praestanda, vel restitutio facienda. De incertis vero damnis illatis, vel rebus ablatis, cum videlicet ignorantur personae vel loca, quibus facienda sit restitutio, vel emenda praestanda, dicti minores Poenitentiarii se nullatenus intromittant; sed haec remittant maiori Poenitentiario supradicto: si secus fecerint graviter puniendi.

De mulierum audiendis confessionibus.

§ 11. Iidem quoque Poenitentiarii mulierum confessiones audire in loco praedicto eis deputato tantum, et non alibi teneantur: nisi dictarum mulierum infirmitas vel status earum sublimitas aliud exigeret faciendum: sed hoc ultimo casu in aliqua ecclesia et in loco patenti audiant confessiones earum. Virorum autem confessiones in praedicto loco eis deputato teneantur audire; nisi eorumdem virorum infirmitas vel personae confitentis status et conditio aliud suaserit faciendum.

Literae absolutionis vel dispensat. nonnisi per scriptores ad id deputatos scribendae

§ 12. Eisdem quoque Poenitentiariis districtius inhibemus, ne literas absolutionis seu dispensationis illorum, quorum confessiones audient, per alios scribi faciant, quam per scriptores Poenitentiariae nostrae, qui ad officium huiusmodi Scriptoriae per Romanum Pontificem sunt vel fuerint deputati.

Poenitentiarii a detractione etc. abstineant.

§ 13. Dicti quoque Poenitentiarii fraternitatem invicem diligentes a qualibet detractione et aemulatione prorsus abstineant, pacisque bonum, et concordiae unitatem teneant et observent.

De peregrinis expediendis.

§ 14. Volumus autem, quod si diebus dominicis vel festivis, quibus dicti Poenitentiarii ad ecclesiam vel locum alium ad hoc eis deputatum non consueverunt accedere, multitudo peregrinorum supervenerit ad Romanam Curiam pro confessionibus vel absolutionibus seu dispensationibus obtinendis, dicti Poenitentiarii omnes et singuli, si hoc sciverint, eisdem diebus dominicis et festivis, iusto impedimento cessante, ad eamdem ecclesiam seu locum alium ad hoc deputatum dicta hora Primae pro faciliori expeditione dictorum peregrinorum supervenientium ac-

cedere, eosque audire et expedire, quantum ad eorum officium pertinet, teneantur.

Poenitentiarii aliis facultates suas communicare non possunt.

§ 15. Districtius etiam inhibemus, ne dicti Poenitentiarii potestatem audiendi confessiones, eis dicti officii ratione concessam, generaliter vel specialiter infra Romanam Curiam vel extra, aliis committant; nec etiam poenitentias imponendi seu dispensandi potestatem eis concessam committant, nisi in casibus eis confessatis, prout in illis de consuetudine dicti officii consueverunt, per eorum literas sigillo officii sigillatas committere ab antiquo. Sed ubi forte casus accederet, quod tantus peregrinorum concursus, tantaque multitudo seu pressura confluentium immineret, ut dicti Poenitentiarii ad expeditionem eorum sufficere non valerent, habeant recursum ad maiorem Poenitentiarium supradictum, qui, durante illa necessitate de idoneis confessoribus, qui dictos Poenitentiarios in iis adiuvent, prout sibi videbitur, studeat providere.

De confessariis in adiutorium admissis.

§ 16. Huiusmodi autem confessores et adiutores confessiones audiant, absolvant, dispensent, poenitentias imponant in casibus tantum eisdem minoribus Poenitentiariis concessis, et in loco seu ecclesia ad sedendum eisdem Poenitentiariis deputatis, a quibus etiam idem maior Poenitentiarius recipiat iuramentum, quod in hoc bene et fideliter se habebunt, et quod nihil penitus pro praedictis expediendis recipient a quocumque.

De sigillis ad literas sigillandas.

§ 17. Statuimus insuper et etiam ordinamus, quod quilibet dictorum Poenitentiariorum sigillum proprium, quo utitur ad literas dicti officii sub suo et dicti officii nomine sigillandas, duobus clericis communibus ad hoc specialiter deputatis, vel imposterum deputandis, tenendum et conservandum assignet pro sigillandis celerius literis antedictis; quodque sigillis quibus dicti Poenitentiarii utuntur in officio supradicto nullae aliae literae, nisi dicti officii, sigillentur. Poterit tamen eorum quilibet, si velit, aliud alterius impressionis et formae sub nomine proprio sigillum habere pro aliis suis literis sigillandis.

Duo clerici deputandi ad huiusmodi conservanda sigilla.

§ 18. Iurabunt etiam dicti minores Poenitentiarii, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, iuxta formam inferius annotatam. Nostrae tamen intentionis seu voluntatis existit, quod maior Poenitentiarius praedictus debeat in dicto officio Poenitentiariae dictos duos clericos pro tenendis et conservandis dictis sigillis et literis sigillandis, sufficientes et idoneos et fideles ponere et instituere; ac etiam destituere, et destitutorum loco alios subrogare quando et quoties eis videbitur expedire, a quibus etiam idem maior Poenitentiarius recipiet iuramentum iuxta formam, quae inferius continetur. Hi autem duo clerici pro ducendis aliquibus clericis defectum seu maculam in membro aliquo patientibus ad praesentiam aliquorum cardinalium sanctae Romanae Ecclesiae pro inspectione et consideratione defectus seu maculae praedictorum, vel etiam pro aliis personis ducendis ad alias ecclesias civitatis, seu loci, in qua Romana Curia residebit, non recipient a singulis ultra taxationes per nos super hoc ordinatas: ubi vero essent notabiliter pauperes, nihil recipiatur ab eis in casibus supradictis.

De distributore petitionum.

§ 19. Rursus statuimus et ordinamus, quod scriptores dictae Poenitentiariae distributorem petitionum, et etiam literarum, quem duxerint eligendum, ante quam aliquid distribuat, faciant per correctores praedictos, vel saltem unum ex eis praedicto maiori Poenitentiario praesentari: a quo etiam idem maior Poenitentiarius corporale recipiat iuramentum iuxta formam inferius annotatam. Quilibet autem dictorum scriptorum in bono et sufficienti pergameno et forma decenti literas eiusdem officii sibi distributas de bona et non cursoria litera, sine omni suspecta rasura, celeriter scribere procurabit, et nihilominus iuramentum prae-

stabit iuxta formam, quae inferius continetur.

Leges nonnullae a scriptoribus servandae.

§ 20. Statuimus quoque et etiam ordinamus, quod literae dictae officii, declarationem seu dispensationem aliquam continentes, et consimiles habeant a parte superiori, et aliis duobus lateribus spatium chartae non scriptae latitudinis trium digitorum, vel circa, et a parte inferiori huiusmodi spatium duplicatum. Literae vero confessionales in maiori seu minori forma a parte superiori et ab utroque latere habeant spatium saltem duorum digitorum, vel circa; ex parte vero inferiori trium digitorum debeant continere; alioquin per distributorem petitionum et literarum ipsius officii huiusmodi literae non signentur, neque taxentur, nec etiam sigillentur; sed per eosdem scriptores, qui eas scripserint, gratis et celeriter cum praedictis spatiis debitis rescribantur: et nisi hoc fecerint, vel si tardaverint infra unius diei naturalis spatium ipsas rescribere, iusto impedimento cessante, illi vel illis, quorum erunt praefatae literae rescribendae, necessarias expensas ministrent usque ad expeditionem, earumdem literarum si recipere velint eas. Quilibet autem dictorum scriptorum literas sibi distributas cito expediat nihil ultra taxationem pro celeri expeditione ipsarum, vel alias quomodolibet recepturus: iidemque scriptores illos, quorum sunt literae, vel alios, non exasperent, neque per se vel per alium seu alios comminentur eisdem, neque verbo vel facto ipsos offendant; sed benigne et favorabiliter tractent eos, supplicationes, super quibus literas ipsas fecerint, ut fraus committi nequeat, eisdem literis alligando. Caeterum, quae literae sub nomine etiam minorum Poenitentiariorum transibunt, similiter in bonis pergameno, forma et litera absque omni suspecta rasura et fraude vel dolo cito scribantur per scriptores eosdem, et diligenter per correctorem videantur, et etiam corrigantur; et literae apertae in cordulis de filis quemadmodum fit de literis dicti officii, quae fiunt sub nomine maioris Poenitentiarii, per deputatos ad id clericos sigillentur. Insuper dicti scriptores ad ecclesiam seu locum ad hoc deputatum bene mane se conferant, hora videlicet, qua praefati Poenitentiarii accedunt ad eamdem ecclesiam sive locum. Quilibet autem dictorum scriptorum petitiones sibi distributas secundum formam debitam in literis redigat atque scribat: recurrentibus ad eum pro ipsis literis scribendis non ironice vel derisive respondeat, nullaque opprobria dicat eis, sed benigne et charitative tractet eosdem; nec dicti scriptores unus cum alio verba iniuriosa vel improperativa, maxime in dicta ecclesia, praesumant sibi dicere vel habere. Quod si contrarium fecerint, iuxta maioris Poenitentiarii arbitrium punientur. Praefati etiam scriptores distributori literarum dicti officii in dicta Ecclesia, quoad scriptores earum, et in aliis, quae ad suum spectant officium, pareant et intendant; contrarium vero facientes absque causa legitima, emolumento illius diei, quo taliter excesserint, alias sibi debito, sine gratia remissionis priventur, aliis conscriptoribus suis aequaliter applicando. Dicti etiam scriptores extra Romanam Curiam profecturi, antequam de Curia ipsa recedant, id distributori notificent supradicto; et sive cum licentia sive sine licentia de dicta Curia se absentent, nihil pro eo tempore, quo absentes fuerint, recipiant ratione officii memorati, nec etiam post regressum ad dictam Curiam aliquid pro tempore absentiae recompensetur eisdem.

Distributoris munia.

§ 21. Praefatus etiam distributor petitiones pauperum singulariter et per ordinem per scriptores singulos distribuat nominatim, nec ponat in ipsis petitionibus *Recipit quivis gratis pro Deo*; sed nomine proprio scriptores, quibus illas distribuit, nuncupando compellat eosdem, ut eas scribant et praeponant aliis petitionibus, ex quibus emolumentum eis

provenit in scribendo, quia melius est servire Deo pro pauperibus, quam hominibus propter lucrum: et huiusmodi distributionibus pauperum singulis dictis scriptoribus per ordinem faciat, quoties fuerit opportunum; et si quis forte recusaverit huiusmodi literas gratis et celeriter scribere, emolumento officii illius diei privetur. Quilibet autem dictorum scriptorum literas sibi distributas teneatur scribere ac expedire infra unam diem naturalem ab hora receptionis sibi factae distributionis huiusmodi computandam, legitimo impedimento cessante, nisi contingat quod ipse, cuius erunt literae, aut procurator ipsius, dilationem scriptori indulserit ampliorem, vel nisi tot haberet literas, quod unius diei spatium sibi non sufficeret ad scribendum easdem; vel nisi forte litera declaratoria vel alias difficilis sive gravis, quam scribere nihilominus, quam cito poterit, teneatur; quod vel quae impedimenta seu causas distributori dicere teneatur. Si qui vero dictorum scriptorum huiusmodi literas post receptionem distributionis huiusmodi scribere omiserit sine causa rationabili, ut praefertur, distributor ipse per alium scriptorem dicti officii celeriter faciat eas scribi, eum, qui omiserit, vel recusaverit, absque causa legitima eas scribere, ab emolumento ipsius diei totaliter excludendo.

Scriptores honeste vivant.

§ 22. Nullus quoque scriptor dicti officii teneat concubinam vel aliam mulierem in domo sua, nisi forsan matrem vel sororem; sed eorum quilibet, prout decet, caste et honeste vivat, cum honesto habitu incedendo; nec cum armis vel suspectis personis, praesertim nocturno tempore, legitima causa cessante, praesumat incedere: qui vero contrarium fecerit, si monitus a correctore vel distributore; ac etiam si dictus corrector vel distributor in talibus excesserit vel deliquerit, si monitus a doctore praedicto, cui caeteri scriptores, qui hoc sciverint, id habeant intimare, infra octo dies post huiusmodi monitiones immediate sequentes se non emendaverint a talibus insolentiis penitus desistendo, distributione ac emolumento praefati officii ex tunc in antea careant eo ipso, usque ad arbitrium et voluntatem maioris Poenitentiarii supradicti; correctione tamen et emendatione vice debita praecedente.

De procuratoribus.

§ 23. Praeterea statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli procuratores in eodem officio Poenitentiariae in petitionibus faciendis, et in literis Poenitentiariae procurandis seu impetrandis, fideliter studeant se habere, nullam in praedictis fraudem, dolum vel malitiam committendo; iidemque procuratores nihil ultra taxationes, per nos super hoc factas, pro petitionibus faciendis et procurandis, seu impetrandis literis dictae Poenitentiariae ratione salarii seu laboris, vel alias exigere vel recipere quoquomodo praesumant. Contrarium vero facere praesumentes ad restitutionem dupli illis, a quibus ultra receperint, per doctorem praefatum confestim arctius compellantur. Quod si ii, quibus esset huiusmodi restitutio facienda, reperti non fuerint, duplum huiusmodi per dictum doctorem pauperibus erogetur. Quod si dicti procuratores, vel aliquis eorum bis vel ter in hoc reperti fuerint culpabiles, per dictum maiorem Poenitentiarium, vel per deputandos ab eo, officium procurationis huiusmodi interdicatur iisdem. Dicti quoque procuratores sua nomina et cognomina, cuiusve dioecesis et loci existant, coram dicto maiori Poenitentiario, vel alio, cui idem maior Poenitentiarius id duxerit committendum, proprio iuramento fateri et recognoscere teneantur; quae etiam in domo dicti maioris Poenitentiarii redigantur in scriptis, alioquin nulla petitio recipiatur, vel litera ad eorum instantiam scribatur vel distribuatur aut sigilletur, nullumque salarium eis detur. Per haec autem, quae super dictis procuratoribus et eorum officio sunt statuta, nullum quibusvis personis

impedimentum praestetur, quominus ii, qui voluerint, possint pro se ac pro consanguineis et amicis suis huiusmodi literas impetrare.

Forma iuramenti ab officialibus praestandi: iuramentum doctoris.

§ 24. Formae autem iuramentorum, secundum quas praefati officiales, qui nunc sunt, et qui pro tempore fuerint, iurabunt in praesentia maioris Poenitentiarii, sunt haec, videlicet: Ego.... doctor ad examinandum petitiones et literas Poenitentiariae a maiori Poenitentiario domini Papae deputatus, iuro, quod huiusmodi officium mihi commissum fideliter et diligenter exercebo: et quod per me vel alium seu alios, occasione dicti officii, nihil omnino, quantumcumque gratis oblatum vel donatum, etiam sub mutui specie, vel alio quolibet colore quaesito, recipiam a quocumque, sed gratis, sine pravitate et cum omni puritate meum officium exercebo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Deputati ad recipiendas petitiones:

§ 25. Persona quoque ad recipiendum petitiones per dictum maiorem Poenitentiarium deputata praestabit simile iuramentum, videlicet: Ego ....... ad recipiendum petitiones Poenitentiariae a maiori Poenitentiario domini Papae deputatus, iuro, quod huiusmodi officium mihi commissum fideliter et diligenter exercebo: et per me vel alium seu alios, occasione praedicti officii, nihil omnino quantumcumque gratis oblatum vel donatum, etiam sub mutui specie, vel alio quolibet colore quaesito, recipiam a quocumque; sed gratis, sine pravitate et cum omni puritate meum officium exercebo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Correctorum:

§ 26. Correctores etiam sic iurabunt, videlicet: Ego ....... ad corrigendum literas Poenitentiariae a maiori Poenitentiario domini Papae deputatus, iuro, quod huiusmodi officium mihi commissum fideliter et diligenter exercebo: et quod per me, vel alium, seu alios, occasione praedicti officii, nihil omnino quantumcumque gratis oblatum vel donatum, etiam sub mutui specie, vel alio quolibet colore quaesito, recipiam a quocumque; sed gratis, sine pravitate et cum omni puritate meum officium exercebo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Sigillatoris:

§ 27. Forma iuramenti sigillatoris: Ego ..... ad sigillandum literas Poenitentiariae sigillo maioris Poenitentiarii deputatus, iuro, quod huiusmodi officium mihi commissum fideliter et diligenter exercebo: et quod nullas literas dictae Poenitentiariae sigillabo, nisi correctoris literarum et distributoris petitionum eiusdem Poenitentiariae consuetis signis prius fuerint consignatae: et quod etiam declaratorias seu alias literas iuris dubia continentes nullatenus sigillabo, nisi signo doctoris ad examinandum et corrigendum huiusmodi literas deputati signatae fuerint, et per eumdem doctorem vel nuncium suum iuratum mihi fuerint assignatae, vel quas praefatus maior Poenitentiarius mandabit mihi specialiter sigillari. Literas autem per me sigillatas tradam distributori eiusdem officii, vel ponam in archa ad harum literarum custodiam deputata. Pro praedictis vero literis sigillandis, vel alias pro iis, quae spectant ad dictum officium Poenitentiariae, nihil omnino recipiam a quocumque, nisi dumtaxat a scriptoribus dicti officii, a quibus pro cera ultra taxationes per dominum Benedictum Papam XII ordinatas; pro literis vero, quae gratis scribuntur, nihil omnino recipiam, sed gratis eas sigillabo; nec eas inter alias computabo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Poenitentiariorum minorum:

§ 28. Poenitentiarii vero minores iurabunt sub hac forma: Ego ....... Poenitentiarius domini Papae ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro, sanctaeque Romanae Ecclesiae, et domino meo domino Papae, eiusque successoribus canonice intrantibus: neque ero in facto, consilio vel consensu, quod vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala

captione. Consilium, quod per se, vel nuncium suum, seu literas mihi credituri sunt, signo, verbo vel nutu, me sciente, ad eorum damnum seu praeiudicium nulli pandam. Si damnum eorum tractari scivero, pro posse meo impediam ne fiat; quod si per me impedire non possem, per nuncium aut literas eis significare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Papatum romanum, et regalia beati Petri, et omnia iura Romanae Ecclesiae, quae habet ubique, manutenebo totis viribus, et defendam: adiutor ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem: res quoque ipsius domini Papae, et Ecclesiae Romanae, quae meæ custodiae committentur, diligenter custodiam et fideliter resignabo. Ambassiatas etiam, et quaecumque alia negotia mihi commissa fuerint, portabo fideliter et referam sine fraude; et quod pro confessionibus audiendis, vel absolutionibus faciendis, seu aliis, quae spectant ad meum officium, nihil omnino per me vel alium exigam vel petam, aut recipiam etiam sub titulo vel specie eleemosynae, vel encenii seu mutui, vel alio quovis modo: et quod non absolvam vel dispensabo scienter in aliquo casu mihi non permisso: nec quemquam scienter absolvam a peccato vel peccatis aliquibus in aliquo casu ambiguo: nec etiam in huiusmodi casu ambiguo scienter cum aliquo dispensabo, nisi de speciali mandato Romani Pontificis, vel Poenitentiarii maioris, cui exprimam dictum casum sine alicuius revelatione vel expressione personae: et quod non iniungam poenitentias pecuniarias expresse mihi vel alicui certae personae, vel ordini meo, vel alteri applicandas: super restitutionibus vero iniungendis et faciendis servabo, prout per dominum Benedictum Papam XII est ordinatum: et supradicta omnia et singula promitto et iuro attendere et observare sine omni dolo et fraude ac malitia. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Clericorum ad custodiam sigillorum deputatorum:

§ 29. Clerici vero ad tenendum et conservandum sigilla minorum Poenitentiariorum deputati, praestabunt huiusmodi iuramentum, videlicet: Ego ..... clericus sigilla minorum Poenitentiariorum una cum ..... clerico ad hoc mecum deputato, fideliter custodiam; et cum eis, videlicet cum sigillo cuiusvis Poenitentiarii literas per ipsum Poenitentiarium concessas et concedendas, scriptas tamen per veros scriptores dicti officii, seu aliquem eorumdem, et per distributorem deputatum correctas, eiusque signo signatas, et non alias literas sine morosa dilatione sigillabo, et sigillatas restituam eis, quorum erunt, seu procuratoribus eorumdem: et quod ultra taxationes per dominum Benedictum Papam XII factas, pro literis sigillandis et reddendis non recipiam a quocumque; pro literis vero, quae gratis scribuntur, nihil omnino recipiam, sed gratis eas sigillabo: et quod a clericis defectum seu maculam in membro aliquo patientibus conducendis ad praesentiam aliquorum dominorum cardinalium pro inspectione et consideratione defectus seu maculae praedictorum, vel etiam pro aliis personis ducendis ad alias Ecclesias civitatis seu loci, in qua Romana Curia residebit, non recipiam ultra taxationes per dictum dominum Benedictum Papam factas: a pauperibus vero, non valentibus solvere, nil recipiam omnino. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Distributoris:

§ 30. Distributor autem praestabit iuramentum sub hac forma: Ego ...... distributor iuro, quod officium meum fideliter exercebo, ac petitiones mihi traditas spectantes ad dictum officium, quantum potero, aequaliter scriptoribus distribuam: ac literas de dictis petitionibus confectas secundum taxationes per dominum Benedictum Papam duodecimum ordinatas fideliter taxabo, dictas taxationes scienter

nullatenus excedendo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Scriptorum: § 31. Quilibet autem scriptorum dictae Poenitentiariae praestabit iuramentum sub hac forma: Ego ........ scriptor Poenitentiariae domini Papae, iuro, quod officium meum fideliter exercebo, et quod ultra taxationes per dominum Benedictum Papam duodecimum ordinatas nil exigam vel recipiam per me vel per alium; nec super hoc committam fraudem aliquam sive dolum: et quod earumdem literarum quas scribam, vel aliarum ipsius officii, per me vel alium seu alios procurator pro pecunia vel aliquo munere non ero. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Procuratorum: § 32. Quilibet vero procuratorum literarum dictae Poenitentiariae praestabit iuramentum sub hac forma: Ego .... procurator literarum Poenitentiariae domini Papae, iuro, quod fideliter et absque omni dolo et fraude huiusmodi procuratoris officium exercebo: et quod diligenter ac fideliter negotium, super quo habebo formare petitionem, inquiram, et dictabo vel dictari faciam, prout per illos, quorum erit negotium, vel per procuratores eorum informabor, nil addendo in facti substantia, vel etiam subtrahendo vel mutando: et quod pro petitionibus ordinandis et procurandis huiusmodi literis nihil omnino recipiam ultra taxationes per dominum Benedictum Papam duodecimum ordinatas. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum, ordinationum, inhibitionum, intentionis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Avinioni sexto idus aprilis, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 8 aprilis 1338, pontif. anno IV.

## XIII.

*Constitutio totius Ordinis canonicorum regularium Ordinis S. Augustini.*

SUMMARIUM

Prooemium. — Causae sanciendae constitutionis. — 1. Canonicorum recipiendorum forma. — 2. Probationis modus et locus. — 3. Canonicorum creatio ad quem spectet. — 4. Professio quomodo facienda. 5. Clericus saecularis ad praebendam ullam non admittendus. — 6. Prioris claustralis electio quibus in monasteriis, et quomodo facienda. — 7. De capitulo singulorum conventuum. — 8. De capitulo annuo. — Praeside eiusdem: — Iis, qui eidem debent interesse: — Expensis eiusdem: — De tractandis in capitulo eodem. — 9. Capitulum provinciale quolibet quadriennio cogendum. — Qui eidem interesse debeant. — 10. Huiusmodi capituli legibus qui obstringantur. — 11. Capitulorum expensae a quibus subministrandae. — 12. Quid sit agendum si tempore huiusmodi capituli cathedrales Ecclesiae suis careant pastoribus: — 13. Quadriennium pro capitulo celebrando quomodo intelligatur. — 14. Huiusmodi capitulum ubi celebrandum. — 15. Quae in eodem sint statuenda pro futuro capitulo. — 16. De numero venientium ad capitulum et evectionum. — 17. Excommunicatio contra impedientes huiusmodi capitula, vel visitationis officium. — 18. Quieti et indemnitati monasteriorum consulitur. — 19. Distinctio provinciarum pro dictis capitulis celebrandis. — 20. De visitatorum muniis. — Munus nullum recipiant. — Expensae quales eis subministrandae. — De secretis. — 21. Quibus de causis imponendae sint collectae, et quomodo. — 22. De studiis et magistris. — 23. De mittendis ad studia generalia. — Quibus e monasteriis seligendi. — Electio mittendorum a quibus, et quomodo facienda. — 24. Pensiones magistris, scholaribus, aliisque assignandae. — Poenae contra dictas pensiones non solventes, vel aliis usibus applicantes. — 25. Pensiones huiusmodi unde sint educendae. — 26. De divisione librorum et promotione studentium. — 27. Regimen studentium

cui demandandum. — Illius facultates quales. — 28. Praesidentium munus quoad studentes. — 29. Quae per assumendos ad gradus servari debeant. — 30. Socius a quolibet canonico beneficiato habendus. — 31. Regulari disciplinae consulitur. — 32. Beneficiati subditi suis superioribus declarantur. — 33. De cura infirmorum. — 34. De congruo canonicorum numero in quolibet monasterio alendo. — 35. De servitoribus monasteriorum, Ecclesiarum, *etc.* — 36. Cavetur ne lauta convivia, immoderatique fiant sumptus. — 37. Quilibet religiosus cum socio incedat. — 38. De supradictis statutis observandis. — 39. De promovendis ad sacros ordines, — Et aetate competenti ad obtinenda beneficia. — 40. Vestes quales esse debeant. — 41. De licentia petenda ante egressum e monasteriis. — 42. De non alienando absque licentia Sedis Apostolicae. — 43. Ficti contractus prohibentur. — 44. Mutua quomodo recipienda. — 45. Locationes quibus de causis, et quo pacto faciendae. — 46. De registris et archiviis conficiendis. — 47. Alimentorum subministrationes non differendae. — 48. Ab esu carnium quando abstinendum. — 49. De accubitu in dormitoriis. — 50. Privilegia, literae, instrumenta, aliaque mobilia et immobilia suo non movenda loco. — 51. De frequentia celebrationis missarum per sacerdotes: — 52. Et sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae per alios. — 53. De recitatione horarum canonicarum. — 54. De ornamentis et vasis sacris. — 55. Religionis huius canonici ad publica tribunalia non trahendi in criminalibus. — 56. Venationi vel aucupationi non incumbant. — 57. Arma intra Ecclesiarum septa, non teneant. — 58. Canonici suos superiores accusantes quo pacto audiendi. — 59. Disciplina regularis, ubi fuerit collapsa, quomodo reparanda. — 60. Contra peculium et proprietarios. — 61. Contra conspirationes et coniurationes facientes. — 62. De fugitivis et eiectis. — 63. Per praemissa ordinariorum iuri non derogatur. — 64. Haec statuta quomodo publicanda.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Ad decorem Ecclesiae sponsae Dei, et sanctarum religionum fundatarum in ea, quae, licet diversis distinctae sint gradibus, in unius tamen verae fidei propositum coeuntes, eamdem Ecclesiam venustant variis floribus meritorum, pro iniunctae nobis apostolicae servitutis officio summis vigiliis et indefessis studiis intendentes, ad ea, quae pro divini nominis laude, religionum ipsarum statum, puritatem, honestatem morum, regularis observantiae disciplinam, et sacrarum peritiam scripturarum respiciunt, labores nostros libenter impendimus, et opportunae solicitudinis diligentiam adhibemus. Ideoque inter religiones alias in agro eiusdem plantatas Ecclesiae, ad religionem canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, ab Christi gloriosis Discipulis in primitiva Ecclesia sacris institutionibus stabilitam, gerentes praecipuae caritatis affectum; ac nolentes, quae in eadem religione reformanda cognovimus, absque reformationis remedio praeterire: omnia quae in religione praedicta, tam a prima ipsius institutione, quam a sacris canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes; nonnulla, quae experientia deesse probavit, et supplenda dictae religionis utilitas, quinimo necessitas, persuadet, statuenda providimus, in ea perpetuis futuris temporibus observanda.

Causae sanciendae constitutionis.

Canonicorum recipiendorum forma.

§ 1. Statuimus igitur, ut quando in Ecclesia cathedrali, monasterio, seu loco alio religionis eiusdem, canonicorum creatio fuerit facienda, nullus recipiatur vel induatur in canonicum, nisi persona idonea, vel de cuius idoneitate spes verisimilis habeatur, et talis, quae inibi in divinis vel aliis Deo possit et velit debite impendere obsequia opportuna; eo quod huiusmodi creatio et habitus traditio fiant publice infra ecclesiam monasterii, seu alium locum conventualem religionis eiusdem, nisi causa rationabilis eas alibi fieri suaderet, nullisque promissionibus seu obligationibus, cum iuramento vel sine, cuiquam faciendis. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur;

quodque huiusmodi creatio seu habitus traditio non nisi personae seu personis religionis eiusdem, quae tunc etiam in Ecclesia, loco, seu monasterio praedictis fieri debeat, aliquatenus committatur.

Probationis modus et locus.

§ 2. Ii vero, qui creati fuerint in canonicos, infra probationis tempus, in loco, in quo saltem septem canonici resideant, necessario habeant residere; eisque idoneus et fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in divinis officiis et observantia regulari.

Canonicorum creatio ad quem spectet.

§ 3. Caeterum si canonicorum creatio fuerit facienda, eaque pertineat ad praelatum, una cum capitulo vel conventu, vel cum consensu fieri debeat eorumdem. Si capitulum seu conventus, vel eorum maior pars, pure ad eam non procederent, vel creationi faciendae sine causa rationabili renuerent consentire, praelatus, ex quo sibi evidenter expediens vel necessarium apparebit, huiusmodi canonicorum creationem fieri debere, vel per praelatum et capitulum seu conventum, aut per illum seu illos, ad quem seu quos pertinuerit, concorditer deliberatum et definitum fuerit fore creationem huiusmodi faciendam; tunc praelatus moneat capitulum seu conventum, et in virtute obedientiae eis iniungat, ut pure ac secundum Deum, infra unius mensis spacium, ad dictam creationem cum eo in primo casu procedant, vel in secundo creationi faciendae suum praestent consensum. Quod si praefati capitulum seu conventus monitioni vel iniunctioni huiusmodi parere neglexerint vel recusaverint, creatio ipsa ea vice libere pertineat ad praelatum, dummodo per eum nil in praemissis factum fuerit fraudulenter. In casu autem devolutionis huiusmodi, praelatus faciendi eamdem creationem cum consilio seniorum eorumdem capituli vel conventus, eligendorum per ipsum praelatum, tertiam partem numero ad minus facientium eorumdem capituli vel conventus, de personis idoneis, liberam habeat facultatem; ita tamen, quod tunc per dictum praelatum tot et non plures creentur, quot, attentis facultatibus, a statu antiquo et debito locorum creandi seu creati rationabiliter fuissent, si praelatus et capitulum seu conventus in creatione huiusmodi concorditer convenissent. Rursus eorum arbitrium, qui ad privata suorum commoda reciprocantes affectum, faciendae creationi canonicorum huiusmodi nolunt aliter consentire, nisi concedatur eisdem, quod unus vel plures, quos maluerint seu nominaverint in canonicos creentur: penitus detestantes hoc deinceps omnino fieri prohibemus, decernentes concessiones huiusmodi (si quae eis factae fuerint) fore nullas; quodque nulli ex receptione seu creatione ex ea vel ob eam secuta, ius aliquod in loco, in quo seu ad quem fuerit, aliquatenus acquiratur. Insuper praemissis adiicimus, quod capitulum vel conventus religionis eiusdem in novitate sui praelati nequeant eidem praelato vel alteri occasione ipsius facere gratiam super receptione vel creatione canonicorum plurium quam duorum, nec ad huiusmodi pro duobus gratiam faciendam, eos, nisi de libera eorum voluntate processerint, intendimus obligare.

Professio quomodo facienda.

§ 4. Praesenti quoque statuimus sanctione, quod singuli canonici religionis eiusdem professionem expressam faciant, non clandestine, sed patenter, et si commode fieri poterit, in Ecclesia et cum Missa; quod si forte praelatus, ad quem spectabit professionem ipsam recipere, tempore probationis elapso, per canonicum profiteri volentem, congruo loco et tempore humiliter requisitus, professionem eamdem recipere, sine rationabili causa, renuerit, vel ultra debitum forte distulerit, dictus canonicus ex tunc in dicta Ecclesia vel monasterio ac membris ipsius, ad omnia idoneus censeatur, ad quae censeretur, si foret expresse professus. Teneatur tamen, quum ad hoc opportunitas se obtulerit, expresse nihilominus profiteri. Alioquin ex tunc ad praemissa, donec expresse fuerit professus, minus idoneus

habeatur: ac nihilominus possit per proprium praelatum ad profitendum expresse compelli. Praelatus quoque, qui professionem ab eo recipere renuerit aut distulerit, ut praefertur, ad ipsius professionem admittendam expresse per suum immediatum superiorem religionis eiusdem, seu per eum, ad quem pertinuerit, compellatur.

Clericus saecularis ad praebendam nullam non admittendus.

§ 5. Prohibemus insuper, ne in Ecclesia cathedrali seu monasterio, vel loco alio religionis eiusdem, quivis clericus saecularis vel laicus recipiatur ad praebendam, seu etiam portionem, nisi eidem Ecclesiae seu monasterio vel loco dederit primitus se et sua: nec huiusmodi praebenda seu portio ad vitam vel ad tempus vendatur, detur, seu alias concedatur eidem. Quicquid autem contra prohibitionem huiusmodi attentatum fuerit, omnino decernimus irritum et inane: ac nihilominus recipientes, vendentes, dantes et concedentes huiusmodi, ultra poenas a iure statutas, superiorum suorum arbitrio puniantur. Per praemissa vero non intendimus circa officia vel ministeria, aut alia obsequia opportuna, inibi consueta per saeculares clericos vel laicos exerceri, aliquid immutare.

Prioris claustralis electio quibus in monasteriis, et quomodo facienda.

§ 6. Ut autem dicta religio salubriter in omnibus dirigatur, in Ecclesia seu monasterio, locove alio collegiato seu conventuali religionis eiusdem superiorem dictae religionis non habente, ac etiam in quolibet collegiato seu conventuali loco duodecim vel maiorem numerum habente canonicorum (etiam si superiorem in ipsa religione habeat), necnon in alio loco etiam minorem duodecim numerum habente, in quo prior claustralis esse consueverit, constituatur huiusmodi prior claustralis, dictaque prioris constitutio fiat per illum seu illos, ad quem vel ad quos pertinuerit, cum consilio aliquorum seniorum illius loci, in quo constituetur; attentius providendo, quod persona, quae zelum religionis ordinatum habeat, quaeve existat idonea ad exercendum prioris claustralis officium in loco, in quo constituta fuerit, assumatur. Dictus vero prior, quum eum abesse, vel sic impediri contigerit, quod incumbens sibi officium per se nequeat exercere, teneatur aliquem ex canonicis dicti loci ad hoc idoneum deputare, qui, huiusmodi absentia vel impedimento durante, vices ipsius gerat; nisi alicui ex privilegio seu statuto vel consuetudine, ratione dignitatis, personatus, vel alterius beneficii, in praemissis casibus gerere vices huiusmodi competere nosceretur; vel nisi dicti prioris superior aliquem ad hoc pro ipso priore duxerit deputandum. In loco autem, in quo secundum praemissa prior claustralis minime fuerit statuendus, praesidens tali loco, quum ipsum impediri vel abesse contigerit, ut de priore claustrali praemittitur, teneatur aliquem loco sui, quoad ea, quae ad officium prioris claustralis pertinent, deputare. Per hoc autem, quod volumus constitutionem dicti prioris fieri de consilio seniorum, non intendimus circa admonitionem ipsius de pristina observantia aliquod immutare.

De capitulo singulorum conventuum.

§ 7. Pro regulari disciplina attentius observanda in Ecclesia cathedrali, monasterio, locove alio conventuali religionis eiusdem, diebus singulis; in aliis vero locis, in quibus quatuor aut plures canonici fuerint deputati, saltem semel in septimana, et etiam saepius in eisdem (si in ipsis saepius, ac in quibusvis locis aliis non conventualibus totiens et quando est in eis fieri consuetum) regulare capitulum teneatur, in quo antequam ad tractanda alia procedatur, canonicorum excessus, transgressiones et negligentiae corrigantur, ac de disciplina et confirmatione regulari tractetur salubriter et agatur, nullo ibidem proterve aut clamose seu irreverenter se habere quomodolibet praesumente.

De capitulo annuo:

§ 8. In singulis quoque Ecclesiis cathedralibus, monasteriis atque locis collegiatis seu conventualibus religionis præfatae principalibus, non ab aliis depen-

dentibus (etiamsi in eis alias non fuerit consuetum), et in singulis aliis locis religionis eiusdem habentibus membra sibi subiecta, aut si inibi solitum est capitulum celebrari, annis singulis capitulum celebretur, die videlicet ad hoc statuto, vel per ipsum capitulum annis singulis statuendo, in loco scilicet principali et non alibi, nisi evidens necessitas suaderet huiusmodi capitulum alibi celebrandum.

Praeside eiusdem:

Praelatus autem loci principalis in loco, in quo celebrabitur ipsum capitulum, eidem capitulo omnino studeat personaliter interesse, cui etiam præesse debebit. Quod si eum tunc ab eodem capitulo abesse contigerit, teneatur alicui idoneo loci et religionis eiusdem committere vices suas, qui intersit et praesit capitulo memorato, nisi ex privilegio, statuto vel consuetudine alteri hoc competere nosceretur.

Iis, qui eidem debent interesse.

Ad huiusmodi autem capitulum abbates, praepositi, priores et administratores eidem loco principali immediate subiecti, necnon ubi fuerit consuetum, etiam canonici administrationem non habentes, extra Ecclesias, monasteria et loca praedicta morantes, personaliter convenire, impedimento cessante legitimo, aut impedimento huiusmodi subsistente, abbates, praepositi, priores et administratores praefati procuratorem idoneum sufficienter instructum, cum mandato legitimo causam seu causas impedimenti huiusmodi, et expresse iurandi in animas ipsorum constituentium causas huiusmodi fore veras, et reddendi rationem infrascriptam, et illa faciendi, quae facere possent, si essent praesentes, potestatem continentem, ad ipsum capitulum dirigere teneantur. Is vero, qui tunc præerit dicto capitulo, cum quatuor senioribus per ipsum capitulum aut maiorem partem ipsius eligendis, an causæ huiusmodi sufficientes fuerint, arbitrabitur, vel eis non venientibus aut nullum talem procuratorem mittentibus, vel causas minus sufficientes praetendentibus, de poena condigna ob hoc talibus infligenda habeat extimare; quam ipse solus praesidens infligendi, et alias contra ipsos absentes, si opus fuerit, auctoritate apostolica, prout iustitia et regularia instituta suaserint, procedendi habeat facultatem.

Expensis eiusdem:

Convenientes ad dictum capitulum vitam ducant communem, et faciant proportionaliter simul omnes expensas, nisi forte ex consuetudine vel statuto aut alia ordinatione rationabili incumberet alii seu aliis onus expensas huiusmodi faciendi, quos tamen si ex hoc, quod singulis annis fieri volumus capitulum memoratum, vel ex aliis supra vel infra statutis, ampliores expensas fieri contigerit, nolumus in expensis publicis plus solito onerari, sed tunc huiusmodi ampliores expensae fiant per omnes simul proportionabiliter, ut praefertur. Quod si forsan aliquis ex locis praedictis, in quibus, ut praefertur, debet dictum capitulum celebrari, membra habeat adeo sibi remota, quod administratores principales dictorum membrorum nequeant annis singulis ad ipsum capitulum absque notabili dispendio convenire; tunc dictum capitulum teneatur ordinare, quando dicti administratores ad capitulum huiusmodi debeant convenire.

De tractandis in capitulo eodem.

In huiusmodi autem capitulo tractetur praecipue de reformatione morum et observantia regulari, ac corrigantur et reformentur in eo, quae super spiritualibus et temporalibus religionis eiusdem corrigenda fuerint et etiam reformanda, ipsoque capitulo perdurante, abbates, priores, præpositi ac archidiaconi caeterique administrationem habentes in religione praedicta, quovis nomine censeantur, de suis administrationibus eidem capitulo teneantur afferre et in scriptis tradere rationem, declarando videlicet si administrationes ipsae aliquibus, et quantis, et ex quibus causis, quibusque personis, et qualibus obligationibus, et an sub usuris sint debitis obligatae, et an ipsa debita possint de rebus extantibus mobilibus persolvi, aliaque onera sibi, suisque administrationibus incumbentia supportari, sine debitorum augmento, et generaliter, an ad-

ministrationes ipsae in casu desolationis, et quare, vel in statu prosperitatis existant. Huiusmodi autem rationum scripturae, continentes administrationum ipsarum tam onera, quam augmenta, in loco principali, cuius tenetur capitulum, sub fida custodia fideliter conserventur, eorum, a quibus ratio reddita fuerit, propriis subscriptionibus communitae. Volumus autem, quod ubi abbatibus, prioribus, praepositis, archidiaconis et aliis administrationem habentibus minime videretur expediens, sed periculosum esse revelare in dicto capitulo commoda seu augmenta, quae de administratione huiusmodi superessent, quatuor eligendis de dicto capitulo, duobus per ipsum abbatem seu praepositum vel priorem seu archidiaconum vel quemvis alium administrationem habentem, et duobus aliis per capitulum vel maiorem partem ipsius, qui quatuor huiusmodi officium in virtutê obedientiae recipere teneantur, revelare praedicta, quae supersint in quibuscumque rebus consistunt, fidelius teneatur eisdem quatuor sic electis, iuramentis in praesentia dicti capituli præstitis, quod non revelabunt praedicta, nisi cedentibus vel decedentibus iis qui reddiderint rationem, vel alia causa rationabili exigente: et tunc de licentia superioris sui, vel illius, qui dictam reddidit rationem.

Capitulum provinciale quolibet quadriennio cogendum.

§ 9. Constitutionem insuper concilii generalis de communi capitulo abbatum atque priorum abbates proprios non habentium, in singulis regnis sive provinciis faciendo, volentes exacta diligentia observari, statuimus quod in religione praedicta, in singulis provinciis per nos designatis inferius et distinctis, fiat in loco, qui ad hoc fuerit deputatus, de quadriennio in quadriennium (salvo iure Dioecesan.) commune seu provinciale capitulum abbatum, praepositorum, priorum, caeterorumque praelatorum abbates seu alios praelatos superiores eiusdem religionis non habentium; nec non praepositorum, priorum, vel aliorum maiorum in Ecclesiis cathedralibus post antistites existentium, ac post antistites ipsos regularem curam canonicorum habentium, quocumque nomine censeantur aut nuncupentur, sive praenominati exempti sive non exempti existant: ad quod universi conveniant impedimentum canonicum non habentes, dictam constitutionem circa praefatum provinciale capitulum, et alia in ea tam provide, quam salubriter instituta in religione praefata irrefragabiliter observantes.

Qui eidem interesse debeant.

Qui vero ad praefatum capitulum personaliter venire nequiverint legitime impediti, ad allegandam causam impedimenti huiusmodi, et probandam, necnon ad videndum ordinationes seu statuta atque mandata in dicto capitulo facienda, ac si idem taliter impeditus personaliter praesens esset, concanonicum suum eiusdem Ecclesiae, monasterii seu loci, si commode fieri possit, alioquin aliam personam idoneam cum sufficienti mandato causam impedimenti huiusmodi continente, et etiam potestatem in animam constituentis eumdem iurandi causam huiusmodi veram esse, ad dictum capitulum mittere teneantur. Personae vero, quae praefuerint huiusmodi provincialibus capitulis celebrandis ( quarum potestatem de uno provinciali ad aliud provinciale volumus perdurare), arbitrentur et decernant an excusationum causae dictorum non venientium ad capitulum sufficientes vel insufficientes existant, a quarum arbitrio seu decreto super hoc nulli appellare liceat, vel etiam reclamare. Non venientes autem ad dictum capitulum, legitimo impedimento cessante, aut quum subest impedimentum, procuratorem ad illud cum sufficienti mandato, ut praemittitur, non mittentes, teneantur expensas, quas fecerint in veniendo ad dictum capitulum, morando, et redeundo facturi (1) iuxta præsidentium dicto capitulo, seu maioris partis eorum arbitrium extimandas in termino per ipsos praesidentes statuendo, de bonis suae administrationis persolvere,

(1) Leg. forsan *: expensas quas fecissent in veniendo ....., morando et redeundo, iuxta* etc.

in utilitatem ipsius provincialis capituli convertendas, super quibus nulli in totum vel in partem gratia fieri valeat vel remissio indulgeri. Possint etiam dicti praesidentes eosdem ad earum solutionem per censuram ecclesiasticam auctoritate apostolica coercere, suosque processus et sententias publicare seu facere publicari in locis dictæ religionis, provinciae tamen eiusdem. Et nihilominus alias contra non venientes praefatos (maxime si ut correctionem evitent, sive ut nesciatur status Ecclesiæ vel monasterii eorumdem, vel alias maliliose se subtrahant), prout dictis praesidentibus, seu maiori parti ipsorum visum fuerit, procedatur. Circa praesidentes vero, ac visitatores in eisdem capitulis deputandos, et alia quaeque eis exequenda, illa serventur, quae in eiusdem generalis concilii, et felicis recordationis Honorii Papae III praedecessoris nostri constitutionibus expressius continentur, prout statui et religioni congruit eorumdem, servatis tamen statutis, ordinationibus et adiectionibus nostris, supra et etiam infra scriptis.

Huiusmodi capituli legibus qui obstringantur.

§ 10. Ad haec, decernimus abbates, praepositos, priores ac maiores praefatos, capitula, conventus, cunctosque canonicos Ecclesiarum et monasteriorum eiusdem religionis, etiam si in ipsis Ecclesiis vel monasteriis sive extra ea, ubicumque prioratus, officia vel administrationes habuerint seu moram traxerint, tam exemptos, quam non exemptos, dictorum capitulorum provincialium districtionibus, correctionibus et ordinationibus subiici et ipsis adstringi, eosque ad observationem illarum fore per praesidentes seu alios, ad quos pertinuerit, compellendos.

Capitulorum expensae a quibus subministrandae.

§ 11. Decernimus etiam quosque dictarum Ecclesiarum et monasteriorum vel aliorum locorum eiusdem canonicos (1) beneficia obtinentes ad contribuendum in expensis moderatis et rationabilibus per capitulum annale religionis eiusdem immediate praecedens taxandis, secundum suarum exigentiam facultatum, quas dicti convenientes facient ad illa capitula eundo, morando et redeundo imposita, tam dictis conventibus secundum suarum exigentiam facultatum, de dictis expensis congrua fore portione, per eosdem convenientes auctoritate apostolica per remedia opportuna, sublato appellationis obstaculo, compellendos. Ordinariis locorum exemptis et non exemptis districtius iniungentes, quod nullum praedictis impedimentum apponant vel apponi permittant, sed legitime requisiti ea faciant executioni mandari et inviolabiliter observari.

Quid sit agendum si tempore huiusmodi capituli cathedrales Ecclesiae suis careant pastoribus.

§ 12. Quod si forte tempore, quo imminebit provinciale capitulum celebrandum, contigerit Ecclesias cathedrales religionis eiusdem carere maioribus praelibatis, vel monasteria seu loca religionis eiusdem suis vacare seu carere pastoribus, qui si adessent, adstricti forent ad conveniendum in provinciali capitulo memorato, capitula Ecclesiarum et conventus monasteriorum aliorumque locorum conventualium praedictorum teneantur personam sufficientem de gremio eorumdem (si commode fieri possit), alioquin aliunde transmittere ad huiusmodi capitulum celebrandum, ad faciendum et implendum omnia iuxta arbitrium praesidentium, quae facere possent et tenerentur prelati seu maiores praefati si venirent ad dictum capitulum, et in eo personaliter interessent.

Quadriennium pro capitulo celebrando quomodo intelligatur.

§ 13. Quod autem praemittitur de provinciali capitulo de quadriennio in quadriennium celebrando, ad cuiuslibet haesitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus, ut scilicet, si provinciale capitulum fuerit celebratum, duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstineri, eo in alio anno immediate sequenti omnimode celebrando.

Huiusmodi capitulum ubi celebrandum.

§ 14. Huiusmodi vero commune seu provinciale capitulum apud unum de monasteriis religionis eiusdem ad hoc aptum, si in eadem existat provincia debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo et securo, de quo a die primi capituli celebrandi, et aliis ad hoc facien-

(1) Deest aliquid, forsan *ordinis*.

tibus opportune providebunt illi, qui super hoc per Sedem Apostolicam deputati fuerint prima vice.

Quae in eodem sint statuenda pro futuro capitulo.

§ 15. Et ut super eodem capitulo et per illud ex tunc in posterum rationabilis ordinatio habeatur, in dicto primitus celebrando, et in aliis etiam per successiones temporum similiter celebrandis, praesidentes eisdem seu pars maior eorum provideant et ordinare procurent, per quem in sequenti capitulo sermo fieri, missaque debeat celebrari. Eligant quoque tam locum, in quo alia vice proxima huiusmodi capitulum fuerit celebrandum, quam eos, qui praesidentes esse debeant in eodem. Provideant etiam, qui abbates, quive praepositi seu alii ex eis, qui ad ipsum capitulum venire tenentur, qui et quot et quotiens Ecclesias cathedrales, monasteria et alia loca religionis eiusdem debeant usque ad aliud proximum sequens provinciale capitulum visitare.

De numero venientium ad capitulum et evectionum.

§ 16. Caeterum prohibemus, ne venientes ad provincialia seu annualia capitula secum ducant vel duci faciant, seu permittant evectiones seu familiares numero superfluos seu quomodolibet excessivos, aut tales, de quibus praesumi valeat, quod alicui ad ipsa capitula venienti, aut in eis moranti, vel de illis redeunti, aut Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, vel aliis locis eorum inferant per se vel alios, in personis vel rebus, iniuriam vel offensam; vel quod in aliquo de dicto capitulo aut in Ecclesia vel monasterio sive loco, quibus illa contigerit celebrari, scandalum suscitare, vel turbationem facere, seu discordiam vel contentionem movere verisimiliter praesumatur, sed numero evectionum et familiarium statui cuiuslibet eorum congruo sint contenti. Si quis autem eorum scienter et ex proposito duxerit vel tenuerit aliquem vel aliquos ad inferendum iniuriam vel offensam huiusmodi ut turbetur vel impediatur imminens capitulum, vel aliquem seu aliquos ad hoc convocaverit, et ob hoc turbatio seu impedimentum sequuta fuerit vel sequutum, necnon quicumque alius de personis religionis eiusdem consentiens in praemissis extiterit, praestando auxilium vel favorem, scienter et ex proposito, ut praemissum est, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

Censurae intentantur contra impedientes huiusmodi capitula, vel visitationis officium.

§ 17. Eamdem quoque excommunicationis sententiam quicumque religionis praefatae per se vel alium impediverit malitiose, scienter et ex proposito quominus dicta capitula, provinciale videlicet et annuale, et eorum quodlibet valeant celebrari, aut propterea praesumpserit euntes ad illa, vel aliquod eorumdem, vel in eis morantes, seu de ipsis redeuntes, capere seu capi facere, seu captos detinere aut impedire, vel eis aut eorum familiaribus in personis vel rebus inferre damna, iniurias vel offensas, necnon quicumque ipsius religionis, qui ad hoc ne fiat aut impediatur visitatio malitiose et ex proposito praedicta vel eorum aliquod per se vel alium commiserit in personas abbatum, priorum vel aliorum proprios subiectos visitantium, vel in personas visitatorum, qui in provincialibus capitulis aut per abbates seu praelatos alios fuerint deputati, vel familiarium eorumdem, aut in bonis eorum, dum tamen propter hoc visitatio huiusmodi fuerit impedita, ipso facto incurrat. Praesidentes autem provincialibus et annualibus capitulis praelibatis, et eorum quilibet, postquam simpliciter et de plano eis constiterit, aliquem ex praedictis praefatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum excommunicatum per omnia eiusdem religionis loca, de quibus eis videbitur, tamdiu solemniter publicent et faciant ab aliis auctoritate apostolica publicari, eos ad hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, donec excommunicatus huiusmodi condignam super hoc satisfactionem impenderit, et absolutionis beneficium meruerit obtinere. Possint autem ab huiusmodi excommunicationis sententia, congrua satisfactione praemissa, absolvi per

praesidentes praedictos provincialibus capitulis, et quemlibet eorumdem, quorum offensa concernet eorum provinciale capitulum, aut per visitatores deputandos ab eo; illi quorum offensa respiciet annuale capitulum, per praelatos qui huiusmodi annali seu annalibus capitulis praefuerint, aut per ipsos praelatos visitantes, seu per visitatores deputatos ab eis, congrua satisfactione praemissa, absolvi valeant, nisi forsan offensa adeo gravis existeret, quod super ea Sedes Apostolica foret merito consulenda.

Quieti et indemnitati monasterior. consulitur.

§ 18. Ut autem professores religionis eiusdem quietius et liberius valeant Domino famulari, districte praecipimus tam Dioecesanis, quam personis, quae provincialibus capitulis praesidebunt, ut advocatos, patronos, magnates, rectores, vicedominos, consules, milites et quoscumque alios per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant, ne cathedrales Ecclesias, monasteria aut loca religionis eiusdem praesumant offendere in personis aut rebus eorum, eosque, si forte eisdem offensas intulerint, ad satisfacendum eis compellere non omittant.

Distinctio provinciarum pro dictis capitulis celebrandis.

§ 19. Ut autem de provinciis, in quibus dicta provincialia capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum haesitetur, quamlibet provinciam quoad huiusmodi provincialia tenenda et celebranda capitula, prout sequitur, limitamus. In primis urbs Romana cum episcopatibus nobis immediate subiectis, in nostra speciali provincia constitutis, cum toto regno Siciliae pro una provincia computatur. Provincia Thebana, Cretensis, Atheniensis, Patracensis, Corinthiensis et Neopatensis, cum toto patriarchatu Constantinopolitano pro una. Regnum Cypri pro una. Regnum Corsicae et Sardiniae pro una. Provincia Pisana, Ianuensis, Mediolanensis et Ravennas, cum episcopatibus Placentinensi, Ferrariensi et Ariminensi pro una. Patriarchatus Aquileiensis et Gradensis, cum provinciis Iadrensi, Spalatensi, Ragusinensi et Antibarensi pro una. Provincia Strigoniensis, Colocensis ac Gnesnensis cum episcopatu Caminensi pro una. Rigiensis pro una. Salseburgensis, Magdeburgensis et Bremensis pro una. Coloniensis, Maguntiensis et Treverensis cum episcopatu Bambergensi pro una. Ebredunensis, Viennensis, Aquensis, Arelatensis pro una. Lugdunensis, Tharantasiensis et Bisuntina pro una. Remensis et Senonensis pro una. Rothomagensis et Turonensis pro una. Burdegalensis et Bituricensis cum episcopatu Aniciensi pro una. Narbonensis, Tholosana et Ausitana pro una. Tarraconensis et Caesaraugustana cum episcopatu Maioricensi pro una. Toletanensis, Hispalensis, Compostellanensis et Braccarensis pro una. Cantuariensis et Eboracensis pro una. Tota Ibernia pro una. Regnum Scotiae pro una. Regna Daniae, Norvegiae et Svetiae pro una provincia deputantur. Si qui vero episcopatus vel monasteria aut loca alia dictae religionis existant, quae in aliqua dictarum provinciarum minime includantur, quoad dicta capitula provincialia intelligantur esse de illa provincia, cui viciniora existere dignoscuntur.

De visitatorum muniis.

§ 20. Visitatores siquidem, qui secundum constitutionem dicti generalis concilii fuerint in provincialibus capitulis deputati, sint soliciti circa huiusmodi visitationis officium exequendum, et quantum statui et religioni eorum convenit, observare studeant, quae in dictis constitutionibus praefatorum concilii et Honorii sunt statuta. Quod si omiserint illa exequi negligenter, a praesidentibus provincialibus capitulis, quum eis huiusmodi negligentia nota fuerit, graviter arguantur, et per eos, prout qualitas culpae ipsorum exegerit, puniantur. Ut autem dictorum visitatorum officium cum omni sinceritate procedat, districtius inhibemus, ne quis visitator (1) sibi deputati eodem anno esse valeat visitator. Dicti autem visitatores et familiares eorum in Ecclesia cathedrali seu monasterio vel alio loco religionis ad

(1) Forsan *visitatoris*.

quem visitationis causa duxerint declinandum, ultra duos dies nequaquam remaneant, nisi evidens necessitas foret, vel magna utilitas Ecclesiae, monasterii seu loci huiusmodi ampliorem moram visitatorum vel familiarium exigeret eorumdem: quo casu possint ulterius remanere, ita tamen quod id faciant de consilio seniorum dictae Ecclesiae seu monasterii sive loci. Dicti quoque visitatores vel familiares eorum, Ecclesiae, monasterio sive loco, cui officium visitationis impendunt, onerosi nequaquam existant, nec sumptuosas epulas quaerant, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste et competenter eis fuerit ministratum. Caveant insuper, ne quisquam ipsorum, aut familiares eorum per se vel per interpositam personam aliquam pecuniam huiusmodi, vel alia occasione quacumque, nisi pro expensis dumtaxat, et tunc secundum infrascriptum modum exigant, aut etiam a volente recipiant, necque aliquod munus quodcumque sit, vel qualitercumque, ut non quae sua sunt videantur quaerere, sed quae Christi: quod si fuerit contra praesumptum, duplum eius, quod receperint, Ecclesiae, monasterio sive loco, a qua vel quo id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur; alioquin duplum ipsum eis ultra dictum tempus restituere differentes, tamdiu sint ab officio beneficioque suspensi, quousque gravatis Ecclesiis, monasteriis sive locis de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant, nullis in hoc dantium liberalitate, remissione vel gratia valituris. Et nihilominus iidem visitatores, si opus fuerit, per praesidentes dictis capitulis provincialibus et eorum quemlibet, ad restitutionem praefati dupli, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia compellantur. Concedimus tamen, ut praesidentes dictis capitulis, vel pars maior eorum, ordinare possint, prout et quando eis visum fuerit expedire, quod dicti visitatores expensas recipiant in pecunia, et eo casu, quo hoc duxerint ordinandum, dictas expensas, omni odio et favore remotis, moderari habeant et taxare; proviso tamen quod summa in constitutione, quam super moderatione procurationum edidimus, quae incipit: *Vas electionis*, nullatenus excedatur. Iidem etiam praesidentes discrete provideant, ut, quum inter loca visitata et visitanda magna fuerit distantia, quantum quilibet eorumdem locorum, visitatus scilicet et etiam visitandus solvere habeant visitatori pro suis sumptibus moderatis. Si tamen monasteria visitanda in facultatibus sint collapsa, tunc de expensis, quas dicti visitatores facturi erunt occasione visitationis locorum huiusmodi collapsorum, provideatur eisdem de communi contributione in provinciale capitulo facienda. Ut autem via scandalis praecludatur, inhibemus visitatoribus memoratis, ne illos seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus revelaverint, praesumant aliis revelare, sed tunc demum dicti visitatores procedant super dictis revelatis, prout secundum canonica et regularia instituta fuerit procedendum. Quod si dicti visitatores contra inhibitionem huiusmodi revelaverint, seu eorum nomina detexerint, prout facti qualitas exiget, per praesidentes vel eorum quemlibet puniantur.

Munus nullum recipiant.

Expensae quales eis subministrandae.

De secretis.

§ 21. Quum in provinciali et annali capitulis et aliis negociis expensae necessariae requirantur, ut onus divisum in partes levius supportetur, statuimus, quod in eisdem capitulis, cuiusquam contradictione vel absentia non obstante, pro communibus libertatibus defendendis, necnon necessitatibus, utilitatibus et aliis plerumque occurrentibus necessariis oneribus et expensis auctoritate apostolica imponantur collectae, subventiones seu contributiones, videlicet in capitulo provinciali, pro tangentibus ipsum capitulum, secundum arbitrium ipsius provincialis capituli, vel maioris partis eiusdem; in annuali vero capitulo, pro tangentibus ipsum annale capitulum, vel locum prin-

Quibus de causis imponendae sint collectae, et quomodo?

cipalem, ubi debet ipsum capitulum celebrari, secundum arbitrium praelati praesidentis ipsi annali capitulo, et definitorum, ubi definitores fuerint, et ubi non fuerint, secundum arbitrium ipsius capituli seu maioris partis eiusdem. Volumus tamen, quod libertates, necessitates seu utilitates, et alia, pro quibus huiusmodi collectae, subventiones seu contributiones fuerint imponendae, in eisdem capitulis provincialibus et annalibus clare et explicite ponantur, et aliter quam, ut praemittitur, imponi non possint, et si secus actum fuerit, impositio et processus, ac sententiae occasione huiusmodi impositionis facti, et latae, omni careant roboris firmitate, ac nihilominus restituatur eisdem quicquid occasione huiusmodi ab ipsis exactum fuerit et receptum. De dictis autem subventionibus, contributionibus seu collectis possit membris necessitatem patientibus subveniri, prout expositis prius dictis necessitatibus annali capitulo, praedicti, quorum arbitrio subventiones, contributiones seu collectae huiusmodi imponi debuerint, in ipso annuali capitulo fuerint arbitrati, proviso tamen quod administratores dictorum membrorum necessitatem patientium expendere habeant pro dictis necessitatibus quantum membra ipsa poterint substinere. Ut autem in conservatione collectarum, subventionum seu contributionum huiusmodi adhibeatur cautela diligens et etiam opportuna, praecipimus, ut illae, quae impositae fuerint in capitulo provinciali, per tres bonos et fideles de illis, qui ad ipsum capitulum provinciale venire tenentur, in aliqua Ecclesia, monasterio seu alio loco convenienti et securo serventur; quae vero impositae fuerint in annali, per tres fideles canonicos loci, in quo imponentur (quorum unum ponat ille, qui praefuerit ipsi capitulo annali, alium vero priores et administratores, et tertium capitulum Ecclesiae seu conventus monasterii sive loci, ubi huiusmodi annale capitulum fieri debet), in una arca secreta tribus diversis seris et clavibus fideliter custodiantur, et in usus dumtaxat, pro quibus impositae fuerint, convertantur. Pro iis autem collectis et subventionibus seu contributionibus fideliter conservandis, et ut praemittitur expendendis, dicti tres, qui ad hoc fuerint in provinciale capitulo deputati, praestent in praesidentium ipsius capituli, et alii praefati tres canonici in praelati, praesidentis et capituli seu conventus loci principalis, cuius annuale capitulum celebrabitur, praesentia, corporaliter iuramentum, nec imponi valeat alia contributio, quamdiu aliquid de prima contributione, quod sufficiat, contigerit superesse. Habeant autem praesidentes, et eorum quilibet, quoad huiusmodi provincialia capitula, similiter quoque praelati, seu alii, qui praeerint dictis annalibus capitulis, quoad ipsa annalia capitula, auctoritate apostolica supradicta, exigendi, colligendi et levandi collectas, subventiones et contributiones praedictas, et contradictores et rebelles quoslibet eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam, vel alia iuris, et ipsius religionis remedia, remoto cuiuslibet appellationis obstaculo, compellendi, et etiam puniendi, et exequendi libere suos processus et sententias super praemissis habitos, et praelatos in Ecclesiis cathedralibus, aliisve locis religionis eiusdem, quando et quotiens eis visum fuerit expedire, necnon etiam absolvendi (congrua tamen satisfactione praemissa) a dictis sententiis, et relaxandi atque tollendi omnes processus et sententias eorumdem, et cum eis, qui dictis ligati sententiis per simplicitatem et iuris ignorantiam, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel se ingerendo eisdem, irregularitatem incurrerint, super irregularitate huiusmodi dispensandi liberam potestatem.

*De studiis et magistris.*

§ 22. Quoniam per exercitium lectionis studentes literarum scientiis imbuuntur, nos cupientes, ut viri religionis eiusdem in primitivis, et deinde in divini et ca-

nonici iuris scientiis instruantur, statuimus quod in qualibet Ecclesia cathedrali, monasterio, locove alio conventuali seu collegiato dictae religionis, cui ad hoc suppetent facultates, habeatur magister, qui canonicos doceat infra septa locorum in scientiis, videlicet, grammatica, logica et philosophia, proviso attentius, ut saeculares instruendi cum ipsis canonicis, docendive in eisdem monasteriis sive locis nullatenus admittantur. In Ecclesiis tamen cathedralibus religionis eiusdem iura super hoc edita observentur. Provideatur autem quotidie praefato magistro, si alius quam canonicus eiusdem loci fuerit, sufficienter in pane, vino et pitantia, per illos qui talia tenentur in eadem Ecclesia, monasterio sive loco, canonicis ministrare. Eidem quoque magistro pro vestimentis et calceamentis ac salario congrua pensio annua assignetur, supra summam viginti librarum turonensium parvorum nequaquam excedens, quae de infrascripta communi contributione solvatur, donec pro ea certi et perpetui redditus fuerint assignati. Si vero in locis praedictis fuerit canonicus ad huiusmodi instructionem idoneus, per superiorem suum, ad quem hoc pertinuerit, deputetur instructor, et ad hoc, si necesse fuerit, compellatur, cui siquidem instructori canonico, ultra victum et vestitum, pro libris emendis et aliis necessitatibus suis, iuxta dispositionem superioris sui, decem librae parvorum turonensium assignentur. Praelati vero, seu alii, ad quos spectaverit, canonicos instruendos dociles tam de capite, quam de membris, cum consilio seniorum eligere, et de ipsorum certo numero ac de locis et temporibus, quibus lectionibus quibusve divinis officiis, seu obsequiis aliis opportunis intendant, ordinare pure et provide teneantur. Si tamen dicti canonici instruendi teneri et instrui commode in loco principali nequiverint, et propter hoc fuerit hactenus consuetum, ipsos instruendos in aliquo de membris ipsius loci teneri atque instrui, non intendimus circa hoc, dummodo ibidem vigeat observantia regularis, aliquid immutare. Possint autem praefatus magister seu instructor et instruendi cum consilio seniorum, prout expediens visum fuerit eis, ad quos pertinuerit, removeri, et per eos loco eorum, qui remoti fuerint, alii subrogari. Praecipimus insuper cunctis visitatoribus in provincialibus capitulis deputatis, quod ea, quae sunt de magistro seu instructore et personis instruendis, et aliis circa haec superius ordinata, faciant auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia, appellatione remota, firmiter observari. Et nihilominus, ea quae super praedictis fecerint et invenerint, praesidentibus capitulo provinciali referant, qui etiam auctoritate apostolica si eis, vel maiori parti ipsorum visum fuerit, contra negligentes vel rebelles in praemissis procedat, sicut videbitur expedire.

*De mittendis ad Studia generalia.*

§ 23. Quia vero expedire dignoscitur, ut iidem canonici, postquam in scientiis primitivis fuerint eruditi, ad sacrae theologiae vel canonum transeant facultatem, statuimus ut Ecclesia cathedralis, monasterium, prioratus vel locus alius religionis eiusdem, cum membris inferius declarandis, de quolibet vicenario numero canonicorum unum aptum canonicum huiusmodi scientiis acquirendis ad generalia seu solemnia Studia mittere, et cuilibet mittendorum ipsorum teneantur de infrascripta annua pensione providere. Huiusmodi autem vicenarium numerum sic volumus computari, ut videlicet illi dumtaxat canonici numerum ipsum efficiant in hoc casu, qui fuerint in Ecclesia, monasterio vel loco alio principali et in loco alio ei subiecto habente octo vel plures canonicos, praeter priorem seu administratorem loci subiecti et ipsorum, cum canonicis eiusdem Ecclesiae seu monasterii et loci alterius principalis in computatione ac missione huiusmodi coniungantur. Quod si forsan ultra dictum numerum vicenarium aliqui superessent, qui tamen vicenarium alium

*Quibus e monasteriis eligendi.*

non complerent, non propter hoc arctentur aliquem mittere ad Studia praelibata. Ubi autem huiusmodi Ecclesia, monasterium, sive locus ad mittendum plures ad praedicta Studia, quam praemittitur, adstringeretur, ad consuetudinem vel ordinationem aliam seu statutum, non intendimus consuetudini, ordinationi seu statuto huiusmodi per praemissa aliquatenus derogare. Si vero in huiusmodi Ecclesia, monasterio vel loco alio principali vicenarius canonicorum numerus non existat, numerus tamen maior senario sit ibidem, teneantur visitatores, per provinciale capitulum deputati, quum in ea vel eo visitationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus et oneribus huiusmodi Ecclesiae, monasterii sive loci, et si, huiusmodi oneribus supportatis, inveniant facultates sufficere pro uno vel pluribus canonicis ad dicta Studia destinandis, relationem de hoc faciant in provinciali capitulo subsequenti, in quo praesidentes cum consilio et assensu maioris partis capituli ordinent auctoritate apostolica iuxta huiusmodi suppetentiam facultatum, de uno vel pluribus canonicis ad eadem Studia destinandis. Eligantur autem ipsi canonici mittendi, prout ad scientias theologiae vel iuris canonici, seu magis ad unam quam ad alteram aptiores poterint inveniri, sic tamen quod (si tot apte reperiantur pro ipsius theologiae studio) ad minus medietas mittendorum, pro ipsius theologiae studio destinetur, et qui electus fuerit ad unam de iis scientiis, ad aliam proprio arbitrio nequeat se transferre: quod si fecerit, de Studio revocetur. Ut autem ad electionem canonicorum ad praedicta Studia mittendorum sincere et celeritate congrua procedatur, capitulum Ecclesiae cathedralis religionis eiusdem, septem; abbas vero, prior et quivis alius praelatus monasterii seu prioratus et loci conventualis religionis eiusdem, habentis vicenarium aut maiorem numerum canonicorum, quinque; habentis vero numerum minorem vicenario, tres canonicos seniores, qui dictam electionem facere habeant infra quinque dies post festum B. Mariae Magdalenae, quod primitus a publicatione huiusmodi nostrae constitutionis in eorum capitulis annalibus facta occurrerit, et deinde singulis annis in perpetuum, quotiens electio de canonicis, ut praemittitur, mittendis extiterit facienda, infra idem tempus eligere teneatur. Seniores autem ipsi antequam ad huiusmodi electionem procedant, iuramentum praestent (ad quod praestandum per superiores suos, si opus fuerit, eos volumus coarctari) quod, timore, amore, odio, pretio seu favore reiectis, illos ex canonicis in scientiis primitivis et regularibus observantiis informatis, ac vita et moribus commendandis, eligant ad Studia supradicta, quos magis dociles et aptiores esse crediderint ad alterutram, ex theologiae et iuris canonici scientiis, ad quam fuerint destinandi. Quum vero dicti seniores praestiterint huiusmodi iuramentum, teneantur infra tres dies cum consilio instructoris, si canonicus extiterit, iuramento simili adstringendi, coram Ecclesiae cathedralis capitulo vel abbate vel priore vel alio praelato praedictis, mittendos praefatos eligere. Electione autem facta per seniores eosdem vel maiorem partem numeri eorumdem, cum consilio, ut praemittitur, instructoris, is ad quem pertinuerit, licentiam eundi ad Studia supradicta infra sex dies, post habitam de dicta electione notitiam, eis concedere sit adstrictus. Iidemque electi mittendi ad Parisiense Studium, illuc in Exaltatione S. Crucis, alii vero ad alia Studia destinandi, illuc in S. Lucae diebus festis, vel circa, adesse procurent. Quod si forsan dictum capitulum infra praedictos quinque dies praefatos septem seniores non elegerit; aut si, ipsis septem ab eodem capitulo, vel dictis quinque seu tribus senioribus a praefato abbate seu priore vel alio praelato, ut praefertur, electis, iidem seniores vel eorum pars in casu quolibet praedictorum infra dictos tres dies huiusmodi

Electio mittendorum a quibus, et quomodo facienda.

canonicos mittendos non duxerint eligendos; ex tunc in Ecclesia cathedrali, ad illum, qui præest in regularibus disciplinis post antistitem, in monasterio vero, seu prioratu, locove alio, ad abbatem seu priorem vel alium praelatum, eo ipso huiusmodi electio devolvatur. Ille vero, ad quem ipsa electio fuerit devoluta, electionem dictorum mittendorum, infra triduum post notitiam devolutionis huiusmodi, cum consilio quatuor canonicorum districtorum suae Ecclesiae seu monasterii aut loci vel prioratus huiusmodi, quos ad hoc elegerit, et simili adstrinxerit iuramento, facere teneatur. Qui vero in praemissis repertus fuerit deliquisse, prout delicti qualitas exegerit, puniatur; nihilominus iis, quae circa haec negligenter omissa vel dolose commissa fuerint, supplendis quantocius, et etiam reformandis.

Pensiones magistris, scholaribus, aliisque assignandae.

§ 24. Quoniam insistentes literarum studiis diversa subire oportet onera expensarum, praedictis canonicis, qui mittentur ad Studia generalia, magistris et baccalariis legentibus ac scolaribus studentibus, in subsequentibus quantitatibus pro expensis huiusmodi, fore decernimus pensiones annis singulis ministrandas; videlicet in theologia, magistro sexaginta, baccalario quadraginta, ac scholari similiter quadraginta. In iure vero canonico, doctori quinquaginta, baccalario vero ac scholari, cuilibet eorum videlicet, triginta quinque libras turonensium parvorum vel earum valorem in alia moneta, tam pro victualibus et vestimentis, quam pro libris et quibuscumque necessitatibus aliis eorumdem. Si autem in aliqua Ecclesia, monasterio sive loco est taxatum sive ordinatum, quod et quantum assignari debeat canonico in Studio existenti, illud detur et assignetur loco pensionis praedictae, etiam si eamdem excedat, ei qui, ut praemissum est, ad Studium transmittetur. Ubi vero huiusmodi taxatio vel ordinatio non est facta, volumus, quod ii, qui tenentur canonicis residentibus in suis Ecclesiis, monasteriis seu locis, de victualibus et vestibus providere, provisionem huiusmodi iis, qui mittentur ad huiusmodi Studia (etiam si taxationem dictarum pensionum excedat), loco pensionum huiusmodi, integraliter facere teneantur. Quod si huiusmodi taxatio, ordinatio sive provisio ad summam dictarum non ascendent pensionum, de infrascripta communi contributione, id quod ei defuerit, suppleatur. Et si forte taxatio, ordinatio seu provisio praefatae, non in pecunia, sed in aliis rebus ipsis canonicis consueverint assignari, ne super alienatione earum posset altercatio suboriri, in primo annali capitulo Ecclesiae, monasterii sive loci eorum, qui mittentur ad Studia, tres probi viri per ipsum capitulum vel maiorem partem ipsius deputentur, qui in pecunia valorem provisionis eiusdem computando, ea, quae computanda fuerint de bono et aequo, et compensando unum annum cum alio, debeant aestimare; quae quidem promissiones, pensiones seu alia, quae loco earum fuerint assignanda, per eos, qui ad eorum solutionem tenebuntur, in festo Assumptionis B. Mariae anno quolibet, collectoribus ad eorum collectionem deputatis, integraliter persolvantur, et per eos illis videlicet, qui ad Studium Parisiense in festo Exaltationis S. Crucis, vel circa illud: eis vero, qui ad alia Studia generalia vel solemnia fuerint deputati, in festo B. Lucae, vel circa, singulis annis infallibiliter transmittantur. Si quis vero abbas, praepositus, prior vel administrator vel quicumque alius, qui ad praedicta solvenda tenebuntur, illud quod ipsorum quilibet pro rata contingente in termino ad hoc statuto solvere dictis collectoribus non curarent, teneantur ex tunc ultra quantitatem ad quam erunt, ut praemittitur, obligati, quintam partem eiusdem quantitatis nomine poenae solvere dictis collectoribus infra mensem. Quod si non fecerint, sit eis eo ipso tamdiu Ecclesiae interdictus ingressus, donec tam principalem quantitatem, quam huiusmodi quin-

Poenae contra dictas pensiones non solventes, vel aliis usibus applicantes.

tam partem duxerint persolvendas. Et si ex tunc per quatuor menses pertinaciter huiusmodi substinuerint interdictum, sint ipso facto tamdiu a divinis suspensi, donec utramque duxerint persolvendam, nulla sibi permissione praemissorum quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi poenae nomine, ut praemittitur, exsolvenda, in acquisitione librorum utilium et profectus alios dictorum studentium, iuxta superioris eorum arbitrium, convertatur. Quod si priores, propositi vel alii administratores quicumque, qui non praesunt collegio, nec habent per electionem assumi, abbatibus tamen seu praelatis aliis religionis eiusdem subiecti, huiusmodi summas solvere contempserint, et praenominatas poenas per alios quatuor menses immediate sequentes substinuerint animis induratis, excommunicationis incurrant sententiam eo ipso: a qua, satisfactione praemissa, possint absolvi, tam per dioecesanum locorum, quam per praesidentes deputatos in capitulis provincialibus illius provinciae cuius erunt, vel alterum eorumdem. Quod si huiusmodi sententiam per annum animis pertinacibus substinuerint, eo ipso quibuscumque obtentis beneficiis sint privati, per illos, ad quorum collationem vel aliam dispositionem pertinuerint, libere personis aliis conferendis. Nullus autem cuiuscumque conditionis, dignitatis aut status, sive collector pensionum huiusmodi, seu reddituum assignandorum, pro ipsis aliquid sibi vel alteri seu usui cuicumque de praefatis pensionibus vel fructibus, redditibus seu proventibus, qui assignabuntur pro pensionibus ipsis, quomodolibet applicare vel alienare praesumat, in diminutionem pensionum, seu praeiudicium studentium praedictorum. Si quis autem collector vel quivis alius adversus hoc aliquid applicaverit vel alienaverit, nec non collector, qui dictas pensiones in supradictis terminis eisdem studentibus mittere non curaverit, prout culpae qualitas exegerit, per illos ad quos pertinuerit, puniatur, et nihilominus si solvendo fuerit, de damnis et interesse satisfacere compellatur.

*Pensiones huiusmodi unde sint educendae.*

§ 25. Ut autem onus pensionum huiusmodi levius supportetur, contributiones, quae pro pensionibus studentium et instructorum praedictorum fuerint faciendae, solvantur per capitulum Ecclesiae cathedralis, et per abbatem, priorem, praepositum seu conventum et quemvis alium administratorem monasterii, prioratus, locive alterius religionis eiusdem, necnon beneficiatos quorumlibet beneficiorum canonicalium ad Ecclesiam, monasterium, prioratum vel locum alium, beneficiumque vel dependentium ab eodem, iuxta divisionem inter eos omnes, secundum taxationem vel extimationem decimae in taxatis, in non taxatis vero beneficiis secundum taxationem proportionaliter et rationabiliter iuxta valorem ipsorum, in primo cuiuslibet Ecclesiae cathedralis, monasterii sive prioratus vel alterius loci ipsius religionis annali capitulo, faciendam per illum, qui eidem capitulo praeerit, et per ipsum capitulum seu maiorem partem ipsius: quam, si forte in huiusmodi annali capitulo illius provinciae et quilibet ipsorum praesidentium, ac visitatores per dictum provinciale capitulum deputati, et eorum quilibet, ipsos auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia, ad illam faciendam (appellatione cessante) compellere teneantur; donec ea, quae per communem contributionem in supplementum huiusmodi dari debent studentibus et instructoribus praefatis, certis et perpetuis redditibus de novo pro his acquisitis fuerint assignata. Si qui vero ex praedictis beneficiatis proventus habeant adeo tenues et exiles, quod secundum communem extimationem non sufficiant supportandis eius necessariis oneribus ad vitam contributionis huiusmodi, ad eamdem contributionem minime teneantur. Ad haec prohibemus, ne ulli canonico quodcumque beneficium, quantumcumque mo-

dicum, vel aliam pensionem habenti, nisi illo vel illa omnino dimissa vel dimisso, aliqua de dictis pensionibus studentium assignetur: quod si secus actum fuerit, nullius penitus sit momenti. Si vero ipsi canonico huiusmodi pensionem studentium obtinenti, beneficium aliquod quantumcumque modicum conferatur, volumus, quod adepta possessione ipsius, cesset ipsa pensio ipso facto, eaque privatus existat, studenti alteri assignanda, ut non desit studens de numero instituto, nec per literas a Sede Apostolica vel legatis ipsius super provisione canonicorum aut quorumlibet aliorum obtentas, de pensione aliqua studentium praedictorum cuiquam valeat provideri; nec possit alicui alteri, nisi fuerit de studentibus, ipsa pensio per aliquem assignari, alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure, et tam assignans, quam recipiens, ad restitutionem eorum, quae inde recepta fuerint, teneantur, quae in libris vel aliis necessitatibus dictorum studentium convertantur, alienatione quoque librorum, qui dictis studentibus fuerint deputati, seu distractione vel etiam obligatione ipsorum penitus interdictis, nisi studens huiusmodi utiliores libros emat, et etiam id faciat licentia sui immediate superioris obtenta, volentes quod libri praedicti, defunctis eisdem studentibus, ad Ecclesias, monasteria et loca, ad quae pertinuerint, libere revertantur.

De divisione librorum et promotione studentium.

§ 26. Volumus etiam quod si in ecclesia, monasterio et loco alio religionis eiusdem libri multiplicati fuerint, libris necessariis in ecclesiis, monasteriis et locis aliis remanentibus, caeterorum librorum per antistitem, abbatem seu alium ad quem pertinuerit, de consilio sui capituli seu conventus, vel maioris partis ipsorum, fiat conveniens distributio inter studentes eosdem; fiatque prius de personis studentium, quibus dicti libri tradentur, et librorum nominibus praedictorum memorialis scriptura, quae in ecclesia, monasterio seu loco huiusmodi conservetur: proviso tamen quod pulchriores et utiliores in eisdem ecclesia, monasterio sive loco debeant remanere. Si quis vero de studentibus ipsis per se vel per alium, librum seu libros huiusmodi, qui sic pervenerint ad eumdem, contra hoc distraxerit aut obligaverit, eo ipso sit inhabilis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum, et nihilominus de Studio revocetur et loco suo alius subrogetur, et etiam per suum superiorem, prout facti qualitas exegerit, puniatur. Possit tamen dictus super inhabilitate huiusmodi dispensari, si superiori visum fuerit expedire. Ubi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vitae laudabilis, et alias idoneus ac discretus, et ad baccalariatum vel magisterium dispositus vel habilis, de cuius fructu scientiae acquirendae possit verisimilis spes haberi, prior dictorum studentium, qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum studentium eorumdem proborum scribat praesidentibus antedictis, ut proprio praelato ipsius mandent et ordinent cum eodem quod talem de Studio non revocet, sed eum in scientia proficere, et ad statum baccalariatus et honorem magisterii pervenire, lecturamque continuare permittat; ipsumque et alios similes, quos in scientia laudabiliter proficere noverit, dignis attollat laudibus, honoribus et promotionibus efferat opportunis. Provideant quoque praesidentes et alii praelati convenientes in ipso capitulo provinciali, quod canonici ad dicta Studia transmittendi, prout convenientius et commodius fieri poterit, insimul commorentur, saltem quinque vel quatuor ad minus; et quatuor vel quinque huiusmodi duobus servitoribus sint contenti.

Regimen studentium cui demandandum.

§ 27. Praecavere nempe volentes et etiam providere ut dictis scholaribus in dictis Studiis pro tempore morantibus regularis non desit salubre gubernaculum disciplinae, ordinamus quod in capitulis provinciarum, in quibus erunt huiusmodi studia, praesidentes unum de iis qui debent ad provinciale capitulum convenire, vicinum

loco ubi Studium erit (quem, quotiens eis placuerit, ponere valeant et mutare), deputent et assignent qui ex dictis studentibus unum inibi priorem studentium constituat, per annum solummodo duraturum, quem tamen priorem, tam ipse, quam etiam praesidentes et quilibet eorumdem, mutare valeant infra annum, si et quotiens eis videbitur expedire. Constituatur autem ipse prior talis, qui sit potens in opere et sermone, ut canonicos studentes pensionarios et alios etiam beneficiatos in bono instruat, et a malo studeat revocare; ipsosque, quotiens sibi videbitur expedire, convocet ad alium locum competentem, eisque quoad regularem praesideat disciplinam. Et potestatem habeat illos corrigendi, puniendi et absolvendi, et cum eis dispensandi, quamdiu in ipsis Studiis moram traxerint, ab omnibus, a quibus et super quibus, et prout posset superior post antistitem, vel abbas seu praelatus alius eorum proprius in Ecclesia, monasterio vel alio loco unde claustrales existunt; ipsosque informandi et instruendi et tenendi sub regularibus disciplinis, et illos etiam coercendi, ne vagentur, vel actibus seu operibus vacent illicitis, sed studeant et proficiant, sicut decet, vivantque laudabiliter et honeste. Provideat insuper idem prior studentium quod dicti canonici pensionarii studentes expensas faciant moderatas, non superfluas, nec aliquatenus excessivas, eosque cogat ad reddendum de receptis et expensis in fine mensis cuiuslibet, et prout alias sibi videbitur, rationem illi vel illis providis et discretis quos idem prior ad id duxerit deputandos, et quando ipsorum studentium conditio seu demerita suaserint eos a Studio revocandos, idem prior teneatur id (consulte tamen et caute) antistiti, abbati vel alii praelato eorum proprio per suas literas intimare: iidemque antistites, abbas seu praelatus proprius eos revocare debeat, et in locis eorum totidem canonicos subrogare per modum suprascriptum, appellatione, contradictione vel reclamatione reiectis. Concedimus quoque praedicto priori canonicos studentes pensionarios et alios etiam beneficiatos, quamdiu fuerint in ipsis Studiis, ab excommunicationis, suspensionum et interdictorum sententiis, per statuta provincialia seu cuiusvis Ecclesiae, monasterii sive loci dictae religionis, vel per dioecesanum contra studentes in locis ubi erunt Studia generaliter promulgatis, congrua satisfactione praemissa, iuxta formam Ecclesiae auctoritate apostolica absolvendi, et cum eis super irregularitate, quam sic ligati celebrando divina seu alias se ingerendo eisdem per simplicitatem et iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clavium) incurrerint, dispensandi auctoritate praedicta liberam potestatem. Per hoc vero dictos canonicos studentes a potestate antistitis vel aliorum ordinariorum suorum vel alterius praelati sui, nolumus aliquatenus eximere vel etiam liberare. Quilibet autem dictorum canonicorum religionis eiusdem, huiusmodi Studiis insistens, pensionarius et alius etiam beneficiatus, praefato eorum priori de quinque solidis turonensium parvorum vel eorum valore in alia moneta providere annis singulis teneatur, ad quorum solutionem idem prior possit eosdem per censuram ecclesiasticam et alia ipsius religionis remedia, auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, coercere. Idem tamen prior sumptus nunciorum subeat, quos pro praemissis duxerit transmittendos.

*Illius facultates quales.*

§ 28. Dicti quoque praesidentes in singulis eorum provincialibus capitulis deputent aliquem de illis qui debent ad dictum provinciale capitulum convenire, idoneum ac vicinum Studio, in quo studentes huiusmodi morabuntur: et tam huiusmodi deputatus, quam etiam visitatores in provinciali capitulo ordinati diligenter ac fideliter se informent an ea, quae per eos de studentibus et eorum pensionibus et aliis circa haec statuta et ordinata existunt, fuerint effectui mancipata: et siqua invenerint non completa,

*Praesidentium munus quoad studentes.*

eorum plenam relationem et etiam informationem, qualiter compleri possint, faciant in proximo provinciali capitulo eorumdem, in quo ordinari debeat quod efficaciter compleantur. Habeant insuper praesidentes praefati et quilibet eorumdem faciendi compleri et inviolabiliter observari, auctoritate apostolica, omnia et singula supradicta, necnon contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et per alia iuris seu ipsius ordinis remedia, sublato appellationis obstaculo, compellendi, et processus et sententias eorum in locis religionis eiusdem solemniter publicandi, et illos, qui sententias eorum incurrerint, congrua satisfactione praemissa, iuxta formam Ecclesiae absolvendi; et cum illis qui huiusmodi ligati sententiis per simplicitatem et iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clavium) divina celebrarint officia, vel ingesserint se eisdem, super irregularitate per eos exinde contracta, auctoritate praedicta dispensandi liberam facultatem.

Quae per assumendos ad gradus servari debeant.

§ 29. Rursus statuimus et etiam ordinamus quod nullus religionis eiusdem ad recipiendum magistratus seu doctoratus honorem de caetero assumatur, non praestito per eum primitus iuramento in praesentia dicti prioris studentium ac sex proborum et discretorum ex studentibus antedictis, quod in assumptione ipsius honoris, vel ante vel post, eius occasione, circa cibos, vestes vel alia non expendet per se vel alium, undecumque habuerit vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit, a quibusvis aliis expendi permittet ultra valorem duorum millium turonensium argenti. Illi etiam qui ad baccalariatum fuerint assumendi, iuramentum praestare similiter teneantur in praesentia prioris studentium et quatuor proborum et discretorum de studentibus memoratis, quod huiusmodi sui baccalariatus praetextu ipsa die qua baccalarii erunt, vel ante seu post, nullum festum seu convivium facient, per se vel alios, aut quantum in eis fuerit fieri permittent a quibuscumque aliis, etiam eorum consanguineis vel amicis. Ad hoc statuimus et etiam ordinamus quod quilibet ipsius religionis, qui in dicto Parisiensi vel in aliquo alio generali Studio per sex annos in theologia studuerint, in aliis primitivis scientiis prius sufficienter instructi, et alias sufficientes ad hoc et idonei reperti, possint in ipso Parisiensi Studio cursus Bibliae facere consuetos; qui vero per octo annos in theologia studuerint, librum Sententiarum legere valeant (si ad hoc sufficientes fuerint) in Parisiensi Studio praelibato, et quod in eodem Parisiensi et alio quocumque Studio, in quo ad magisterium in theologia licentia dari poterit seu consueverit, quum digni ad hoc reperti extiterint, ad magisterium et doctoratum in theologia libere admittantur. Illi vero religionis eiusdem, qui in ipso Parisiensi Studio vel quovis alio Studio generali audiverint iura canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audiverint Decretum (dummodo sufficientes et idonei fuerint), possint ad baccalariatum et lecturam iuris canonici sive Decretorum in eodem Parisiensi vel in alio generali Studio in cappa ipsi facultati congruenti assumi. Qui vero per quinque annos in Parisiensi vel in alio generali Studio iura canonica ut baccalarii legerint, et de hoc primo fidem fecerint per eorum proprium iuramentum et duorum aliorum testimonium, iurantium, se credere eos recte iurasse, possint, si voluerint, in cappa similiter eidem facultati congruenti, ad magisterium in Decretis vel ad lecturam Decretorum in eodem Parisiensi et quolibet alio Studio generali, dilatione et difficultate malitiosa et impedimento quibuscumque sublatis, sicut ibidem consueverunt, assumi caeteri clerici sæculares. Et per cancellarium Ecclesiae Parisiensis Studii vel per illum ad quem pertinuerit, ad huiusmodi magisterium seu doctoratus honorem promoveantur libere, et etiam admittantur: non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus Ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum

religionis eiusdem; necnon Parisiensis et aliorum quorumcumque Studiorum contrariis iuramentis, confirmationibus apostolicis et quibusvis firmitatibus aliis roboratis; et illis praesertim quibus in eodem Parisiensi Studio caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum Bibliae, nisi ibidem studuerit septem annis; nec permittatur legere Sententias, nisi ibidem studuerit decem annis, quodque nullus canonicus vel religiosus alius legat ibidem iura canonica, vel ad baccalariatus gradum aut magisterii honorem in iure canonico permittatur assumi, seu quod nullus regularis rubea cappa Decretum legat seu legere permittatur ibidem, aut nullus ibi legere valeat iura canonica vel ad baccalariatum assumi, seu ut baccalarius legere Decretales, aut ad magisterium ascendere in Decretis, sive doctor fieri Decretorum, aut ad lecturam in Decretis assumi seu ipsam continuare, nisi ibidem vel in aliquo Studio generali audiverit iura canonica per quinque, vel alibi iura civilia per tres annos, aut alibi, iura civilia per quinque, et ibi vel in alio generali Studio iura canonica per tres annos; prout sic vel aliter in statutis ipsius Parisiensis Studii dicitur contineri, vel de consuetudine observari; et aliis consuetudinibus vel statutis eiusdem Parisiensis Studii quibuscumque et sub quacumque forma vel expressione verborum in contrarium editis vel edendis, necnon quibuslibet privilegiis et indultis generalibus aut specialibus, et literis apostolicis contrariis, ordinibus, Ecclesiis, monasteriis, locis et Studiis quibuscumque sive Universitatibus magistrorum vel scholarium eorumdem, seu personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, cuiuscumque sint præeminentiae, dignitatis, conditionis aut status, sub quavis forma vel expressione verborum concessis, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus huiusmodi statutorum, ordinationum et singulorum contentorum in eisdem impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus plena et expressa ac de verbo ad verbum in illis vel aliis nostris literis fieri mentionem, quibus non intendimus quoad alia in aliquo derogare.

*Socius a quolibet canonico beneficiato habendus.*

§ 30. Ut cultus augeatur divinus, et religiosis vagandi materia praecludatur, statuimus, quod canonici religionis eiusdem, extra Ecclesias, monasteria sive loca alia principalia, obtinentes prioratus seu quaevis alia beneficia, quibus ad hoc suppetant facultates, in ipsis beneficiis residere, et socium vel socios sui ordinis secum habere iuxta ipsorum facultatum suppetentiam teneantur, statutis et consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque, quodque socium vel socios huiusmodi praelatus, seu is, ad quem hoc pertinuerit, prout locis congruere noverit et personis, et cum consilio et assensu sui capituli seu conventus, vocatis his, qui dicta beneficia obtinebunt, huiusmodi suppetentiam arbitrando assignet eisdem. Quod si huiusmodi priores seu administratores quibus fuerint canonici in socios assignati, cessante causa rationabili arbitrio assignantis, recusent admittere sibi assignatos, vel eis sufficienter et decenter in necessariis providere, cogantur ad haec per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia opportune, et nihilominus de huiusmodi inobedientia puniantur. Qui autem in Ecclesiis cathedralibus seu monasteriis dignitates, personatus, officia seu administrationes alias habuerint, et in eisdem Ecclesiis seu monasteriis consueverint residere, cogantur officium incumbens eis tam in divinis quam in aliis debite exercere, familiamque excessivam praesertim infra claustra non teneant, aut talem, per quam verisimiliter praesumatur in ipsis Ecclesiis seu monasteriis scandalum generari. Et quia secundum praemissa nonnulli de canonicis regularibus, qui in Ecclesiis seu monasteriis consueverant residere, habebunt extra in suis prioratibus seu beneficiis aliis residentiam facere, in

capitulo annali cuiuslibet Ecclesiae et monasterii, per praelatum et capitulum, vel maiorem partem ipsius, scito et cognito diligenter, quot mittentur extra pro residentia in dictis capitulis et beneficiis facienda, proinde ordinetur, quot loco eorum, qui extra mittentur, in ipsis Ecclesiis seu monasteriis fuerint subrogandi. Obtinentes autem beneficia simplicia, quibus cura non imminet animarum, quorum ad tenendum socium non sufficiunt facultates; si propinqua sint Ecclesiis vel monasteriis, a quibus illa dependent, in dictis Ecclesiis vel monasteriis residentiam facere compellantur, et habeant de proventibus dictorum suorum beneficiorum expensas, quas in victualibus in ipsis Ecclesiis vel monasteriis residendo faciant illi vel illis exsolvi, qui in dictis Ecclesiis seu monasteriis victualia canonicis ministrare tenerentur, dummodo ad hoc redditus beneficii huiusmodi obtinentis sufficere dignoscantur. Quod si huiusmodi beneficia simplicia longe distent ab Ecclesiis seu monasteriis, quibus subsunt, et in prioratibus et administrationibus canonici residere consueverint, quae sint propinqua, modo praemisso, cum satisfactione simili expensarum, obtinentes huiusmodi beneficia seu administrationes eorum ad residendum in dictis prioratibus seu administrationibus deputentur; nisi per fundatores huiusmodi beneficiorum aliter fuerit ordinatum, cui ordinationi per hoc non intendimus derogare. Super distantia vero seu propinquitate beneficiorum huiusmodi stetur arbitrio annalis capituli, eiusque in hoc deliberatio observetur. Quod si dicta beneficia simplicia tam ab Ecclesiis, quam monasteriis, vel ab eorum prioratibus seu administrationibus sint remota, per dictum annale capitulum ordinetur, ubi tales debeant residere, proviso tamen quod divinus cultus exerceatur debite in beneficiis memoratis.

Regulari disciplinae consulitur.

§ 31. Canonici autem in huiusmodi prioratibus seu administrationibus commorantes, in ecclesia horis congruis cum dictis prioribus seu administratoribus simul intersint, canonicas horas dicant, in missis celebrandis suas hebdomadas ordinate teneant, et in loco ubi duodecim fuerint, vel plures, una per eos missa ad minus cum nota, die qualibet, celebretur, et horae canonicae cum nota dicantur. Dicti quoque canonici prioratuum et administrationum praedictorum in una domo communi regulariter iaceant, camerulis et cellulis eis penitus interdictis. In una etiam domo vescantur prior insuper et administrator et canonici; nisi infirmitas vel alia evidens ratio interdum aliud suaserint faciendum: in vestitu etiam, et clausura, a communi Ecclesiae, monasterii sive loci, cui subiiciuntur, institutione vel debita observantia non recedant, ac suo proprio priori vel administratori, iuxta ordinationem praelati sui, vel superioris, obediant humiliter et devote. Et si aliquando dictos canonicos in prioratibus seu administrationibus mori aut fugitivos fieri forsan continget, priores seu administratores praedicti diem mortis aut fugae seu recessus ipsorum praelatis aut eorum superioribus, ut in Ecclesiis seu monasteriis eorum principalibus, pro defunctis eorum consueta fiant suffragia, seu fugitivos revocare, vel in prioratibus seu administrationibus alios loco eorum subrogare valeant, quam citius commode poterunt, intimare per suas literas teneantur. Quod si priores seu administratores praedicti diem obitus aut fugae sive recessus huiusmodi praelatis suis vel superioribus significare distulerint, tertiam partem illorum, quae canonicus expendisset, si non fuisset mortuus vel in fuga, pro pitantia capituli vel conventus Ecclesiæ, monasterii vel loci principalis solvere teneantur. Insuper canonici praedicti, non soli, sed honeste associati et cum habitu decenti incedant, nec in villis, in quibus prioratus, seu administrationes huiusmodi fuerint, comedere vel bibere aut ingredi domos praesumant, nisi cum honestis personis, et tunc de

sui prioris seu administratoris licentia speciali. Qui vero contrarium fecerint, regulari subiaceant disciplinae. Ut autem haec efficacius observentur, antistites, abbates, et caeteri eorumdem canonicorum superiores, necnon alii, qui ad visitandum per eos fuerint deputati, quum prioratus et administrationes huiusmodi visitabunt, circa illa servanda, et non servata corrigenda, curam habeant diligentem.

Beneficiati subditi suis superioribus declarantur.

§ 32. Praecipimus, quod canonicis religionis praefatae, qualiacumque in ipsa religione auctoritate Sedis Apostolicae, vel legatorum ipsius beneficia obtinentes, obediant superioribus suis religionis eiusdem, ipsorumque subsint correctionibus, ordinationibus, punitionibus et statutis ac beneficiis huiusmodi ex causis rationabilibus privari, et ab illis amoveri possint, quemadmodum possent, si foret per superiores suos de ipsis beneficiis provisum.

De cura infirmorum.

§ 33. Quum expediat infirmis de domo seu loco congruo provideri, statuimus, quod in Ecclesiis, monasteriis et locis aliis conventualibus religionis eiusdem, in quibus certa domus seu locus deputata vel deputatus non fuerit pro infirmis, ii, ad quos id pertinuerit, quibus ad hoc suppetent facultates, domum seu locum huiusmodi sufficientem iuxta statum et facultates locorum, quantocius commode fieri poterit, deputare seu construere teneantur, eisdem infirmis sufficienter de lectis, victualibus, servitore, medicis et rebus medicinalibus et aliis quibuslibet necessariis providendo, ad quae peragenda et complenda per superiores suos immediatos, et per praesidentes ac visitatores et eorum quemlibet auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia compellantur. Ubi autem administratores eorum, qui ad praemissa tenentur, sufficientes ad ea peragenda non habuerint facultates, in annali capitulo, vel per maiorem partem ipsius auctoritate apostolica ordinetur, quod administratores huiusmodi sufficientes ad hoc reddantur per assignationes pensionum, prout infra in alio casu sub rubrica *De victualibus et aliis ministrandis.*

De congruo canonicorum numero in quolibet monasterio alendo.

§ 34. Quum sit consonum rationi, ut obtinentes beneficia, ipsorum onera debeant supportare, statuimus, quod in monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis quibuscumque religionis eiusdem, personis quibuscumque extra praefatam religionem cuiuscumque sint dignitatis, gradus seu præeminentiae (etiamsi fuerint sanctae Romanae Ecclesiae cardinales) collatis seu commendatis, vel de caetero conferendis seu commendandis, tot canonici teneantur, quot in eis tenerentur si per canonicos regulares monasteria, prioratus et beneficia huiusmodi regerentur. Et quod nihilominus canonico in eisdem monasteriis, prioratibus et beneficiis committatur id, quod supra vel circa alios canonicos inibi residentes haberet exercere administrator canonicus, si præesset eisdem, quantum ad ea, quae pertinent ad regulam seu disciplinam vel observantiam regularem: et quod quilibet praedictorum, huiusmodi monasteria, prioratus et beneficia quomodolibet obtinentes, ad procurationes et alia quaelibet onera, ipsis monasteriis, prioratibus et beneficiis incumbentia, supportanda, persolvenda et reddenda integre sint adstricti: quodque ad haec et alia supradicta auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alias compelli valeant per capitulorum provincialium praesidentes, et quemlibet eorumdem, prout per superiores suos possent et deberent compelli canonici regulares, si præessent monasteriis, prioratibus et beneficiis memoratis, nisi fuerint S. R. E. cardinales, quos nolumus talium compulsionibus subiacere.

De servitoribus monasteriorum, Ecclesiarum, etc.

§ 35. Prohibemus, ne canonici regulares in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis seu locis aliis conventualibus religionis eiusdem teneant aut nutriant equos seu alias evectiones, neve familiares seu servitores habeant saeculares, nisi ratione dignitatum, officiorum vel administrationum suarum, quae gesserint,

id eis permissum fore noscatur. In infirmitorio tamen et coquina monasterii seu prioratus, et aliis officiis atque servitiis aliis communibus, possint tenere saeculares servitores honestos; si et prout in Ecclesiis seu monasteriis et aliis locis praedictis fuerit hactenus rationabiliter observatum, non in excessivo, sed moderato numero, iuxta arbitrium praelati immediati. Servitores autem saeculares huiusmodi, quanto minus fieri poterit cum canonicis conversentur; neque cum eis in communi comedant neque bibant, etiam si presbyteri fuerint, vel clerici saeculares, nisi forte tales forent presbyteri vel alii in sacris ordinibus constituti, qui essent inibi perpetui, et cum canonicis etiam in refectorio comedere assueti, et tunc a canonicis sedeant segregati cum habitu consueto et etiam honesto, se eisdem canonicis in silentio et observantiis aliis honestis, quamdiu cum eis fuerint, conformantes, quibus provideatur iuxta morem inibi rationabiliter observatum. Et si presbyteri seu saeculares clerici praedicti perpetui infra Ecclesiarum seu monasteriorum septa deliquerint, seu excesserint in levibus, per ademptionem partis pitantiae seu portionis, quam fuissent alias percepturi, per immediatum praelatum regularem loci, unde sumunt praedicta, vel per illum, qui inibi præerit, regularibus disciplinis possint corrigi acpuniri.

Cavetur ne lauta convivia, immoderatique fiant sumptus.

§ 36. Caveant insuper abbates, praepositi, priores et caeteri quicumque ipsius religionis, ne lautis conviviis et comessationibus occupentur, nec in iis sumptus immoderatos faciant; vel alias etiam excessivos a familiarium quoquam, servitorum aut servientium fieri permittant, necnon a rerum seu vestium multitudine indecenti et excessiva ubique diligenter studeant abstinere, et honeste ac laudabiliter conservari.

Quilibet religiosus cum socio incedat.

§ 37. Dicti quoque abbates, necnon praepositi, priores, caeterique administratores et professores alii religionis eiusdem extra loca sua proficiscentes, associati incedant, prout ipsorum congruit honestati, et ubi canonicorum numerus sufficiens fuerit, et ad hoc etiamsuppetent facultates, abbates et alii praelati saltem religionis suae duos socios secum ducant.

De supradictis statutis observandis.

§ 38. Praesidentes autem capitulis provincialibus, ac visitatores per ipsa capitula deputati, necnon praelati alii religionis eiusdem quoad suos subditos attente provideant, quod praemissa diligentius observentur, transgressores arguendo, et prout expediens fuerit, puniendo.

De promovendis ad sacros ordines:

§ 39. Praesentium auctoritate statuimus, quod canonici beneficia simplicia obtinentes, et alii beneficiati religionis eiusdem, ad mandatum praelati sui, infra terminum per eum praefigendum eisdem, se faciant ad ordines quoslibet promoveri, nisi eos causa rationabilis, quam ipsi praelato infra dictum terminum exponere habeant, excusaret; quod si non fecerint, beneficiati eo ipso ab obtentis beneficiis suspensi; non beneficiati vero ad beneficia obtinenda sint et remaneant inhabiles, donec promoti fuerint ad ordines supradictos: quodque prioratus curam animarum habentes, et alia beneficia curata, quorum prioratuum et beneficiorum cura per perpetuos vicarios exercetur, committi nequeant vel conferri, nisi eis, qui vigesimum annum compleverint, qui intra annum computandum a tempore collationis seu commissionis sibi factae de eis, et possessionis adeptae, vel infra vigesimum quintum aetatis suae annum (si ante annum ipsum prioratus seu beneficia huiusmodi eis collata fuerint seu commissa) se faciant ad sacerdotium promoveri; prioratus quoque conventuales, dignitates, personatus, officia seu administrationes, videlicet sacristia, thesauraria, eleemosynaria, operaria, cameraria et similia, quae in Ecclesiis et aliis locis conventualibus seu collegiatis dictae religionis, officia seu administrationes et beneficia fuerint; etiamsi eisdem officiis seu administrationibus animarum cura nullatenus sit annexa, alicui,

Et aetate competenti ad obtinenda beneficia.

nisi vigesimumquintum annum attigerit, conferri nequeant aut committi. Et qui prioratus, dignitates, personatus, officia seu administrationes huiusmodi obtinuerint, infra tempus collationis seu commissionis eis factae de ipsis et adeptae possessionis eorum se faciant ad sacerdotium promoveri vel saltem ad ordinem, quem dignitates, officia vel administrationes obtenta requirent de iure, consuetudine seu statuto: nec contra a quoquam valeat dispensari. Nos insuper commissiones seu collationes factas contra praemissa decernimus fore irritas et inanes. Hi quoque, qui iuxta praemissa, cessante causa rationabili, ad ordines promoti non fuerint, sint prioratibus, dignitatibus, officiis, administrationibus et beneficiis praedictis eo ipso privati, quae ipsis iterum ea vice nullatenus conferantur. Nostrae vero intentionis existit quod praesens constitutio, quantum ad ea, quae de recipiendis ordinibus per priores et alios beneficiatos praemisimus, illos etiam post duos menses a die publicationis praesentium constitutionum in eorum annali capitulo factae constringat. et eos etiam, qui in praesenti talia beneficia obtinent, vel dictae publicationis tempore obtinebunt, dummodo aetatis legitimae sint effecti. Alioquin, quum ad aetatem legitimam pervenerint, ad recipiendum secundum praemissa dictos ordines sint adstricti, nisi impedimentum canonicum eos ab huiusmodi susceptione ordinum excusaret.

Vestes quales esse debeant.

§ 40. Dignum fore censentes, ut canonici religionis praefatae non solum morum et vitae, sed etiam habitus et vestimentorum refulgeant honestate, districtius inhibemus, ne dicti canonici extra septa Ecclesiarum, monasteriorum seu locorum suorum proficiscentes, portent alias vestes super habitum, quam cappas seu mantellos honestos, vel redondellos, seu elochias (1) talares vel circa, iuxta usum vel consuetudinem laudabilem Ecclesiarum, monasteriorum et locorum suorum; usum seu verius abusum manticarum seu tabardorum, necnon redondellorum, vel elochiarum notabilem habentium brevitatem eisdem canonicis penitus prohibentes. Praecipimus quoque, quod in Ecclesiis, monasteriis et aliis locis religionis praefatae, in quibus canonici cappas a parte anteriori apertas de panno laneo consuevere deferre, quae in quibusdam locis cappae de coro seu cappella vulgariter nuncupantur, ipsas honestas non nimia longitudine vel brevitate notandas portare debeant, locis et temporibus consuetis. Deferant etiam cappas huiusmodi a festo Omnium Sanctorum usque ad festum Paschae infra septa quarumcumque cathedralium Ecclesiarum religionis eiusdem ac monasteriorum et aliorum locorum immediatos superiores ipsius religionis non habentium: in quibus monasteriis sive locis fuerit duodenarius canonicorum numerus, licet hactenus ipsas ibidem non consueverint deportare. Sane infra Ecclesias, claustrum, capitulum, refectorium ac dormitorium, non caputiis, sed almutiis honestis utantur. Caputia vero, si ea per ipsos extra loca praedicta deferri contigerit, sint honesta, et illa, quae cum cappis, mantellis, elochiis seu redondellis portaverint, unius cum eis et eiusdem coloris existant, nisi ex privilegio aut institutione laudabili caputia certi coloris aut formae essent consueti portare. Almutiae autem si de panno fuerint, illius, cuius cappae esse debent, coloris existant. Per hoc autem non liceat portare caputia vel redondellos seu elochias eis, quibus alias portare licitum non existit. Prohibemus etiam, ne dicti canonici de caetero ferant forcaturas de

(1) *Almucium*, amiculum, seu amictus, quo canonici caput humerosque tegunt. — *Blavus color*, caeruleus, gall. *bleu*, german. *blau*. — *Forcatura*, *forratura*, pellitium, gall. *fourrure*. — *Redondellum*, *rondellum*, capa sine caputio, vestis species in orbem desinens, a gallico vocab. *rond* (rotundus). — *Squirolus*, sciurus, gall. *écureuil*, ital. *scoiattolo*. — *Tabardus*, *tabardum*, tunica, seu sagum, Anglis *tabard*, Hisp. *tavardo*, Italis *tabarro*. — *Vares*, *varii*, murium ponticarum species quaedam, unde *pelles variae*, *vestes variae*, etc., gall. *vair*, italice *vaio*. Ex Du Cangii *Gloss.*

ventribus variorum, aut squirolorum cum dorsis permixtis, sed sint de civilibus simplicibus, vel albis vel nigris aut griseis. Praecipimus etiam, quod canonici dictae religionis infra Ecclesias et claustra locorum cathedralium, aliorumque conventualium seu collegiatorum ipsius religionis, et alibi conventualiter incedentes, portent superpellicia magna et ampla, iuxta cuiuslibet Ecclesiae consuetudinem rationabilem, quae in longitudine manicarum ultra manum quatuor digitis transversalibus, vel circa, et ultra mediam tibiam vel circa in sui longitudine protendantur. Extra Ecclesias vero, claustra et loca praedicta, et ubique sub cappis, redondellis seu elochiis vel mantellis in locis debitis uti possint superpelliceis, quorum manicae usque ad palmum in latitudine vel circa, et eorum longitudo usque ad mediam tibiam vel circa protendantur. Per hoc autem nolumus derogare consuetudini quorumdam locorum, quae ab antiquo, vel ab institutione habent usum superpelliceorum ad formam rochetorum seu camisiarum romanarum, proviso tamen quod minoris longitudinis superpellicea huiusmodi non existant, et adeo manicas longas habeant, quod eis brachia usque ad pugnum valeant cooperiri. Per formas autem huiusmodi superpelliceorum alias formas longiores et honestiores superpelliceorum et habituum non intendimus prohibere, nec circa eas aliquid innovare. Statuimus insuper, quod canonici dictae religionis cappis et vestibus albi, blavi, nigri seu quasi nigri coloris dumtaxat utantur, quodque illi, qui altero tantum de dictis coloribus uti consueverunt seu tenentur, non possint ad alium portandum seu assumendum aliquatenus se transferre, nisi ad album dumtaxat. Vestis quoque superior habitui proxima sit rotunda per circuitum, et non fissa, nec longitudine nimia aut brevitate notanda. Ab eisdem quoque canonicis in eorum vestibus ligatae manicae non portentur, nec in apparenti consuticiae, vel quomodolibet botonatae. In cathedralibus autem Ecclesiis, antistites seu praepositi, priores seu alii maiores in illis post ipsos antistites existentes; ac in monasteriis abbates, praepositi, priores seu alii non habentes superiores religionis eiusdem, sic aliam formam honestam vestium et calceamentorum ordinent et disponant, quod sit in colore saltem omnibus canonicis eiusdem Ecclesiae seu monasterii tam extrinsecus, quam intrinsecus uniformis; ipsamque tam abbates, quam praepositi, priores et administratores ac caeteri quicumque canonici et alii per proprios eorum antistites vel abbates seu alios; abbates vero et caeteri praelati, superiores proprios eiusdem religionis non habentes, per praesidentes provincialibus capitulis, seu per quemlibet eorum, ac per visitatores in ipsis capitulis deputandos, tenere et servare cogantur. Qui vero vestem vel habitum contra ordinationem praesentis constitutionis deferre praesumpserit, per dictos superiores vel per praesidentes sive per visitatores seu eorum quemlibet sic debite puniatur, quod caeteri a similibus arceantur, et nihilominus ab eo auferatur vestis prohibita pauperibus eroganda. Et si infra spacium quindecim dierum, a tempore monitionis seu praecepti sibi facti computandum, vestem vel habitum huiusmodi non dimiserit cum effectu, vel ablationi praedictae restiterit, si beneficiatus fuerit, per quatuor mensium spatium ab administratione temporalium sit suspensus; non beneficiatus vero dicto tempore sit inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum quodcumque. Qui autem exhibens se in publico, habitum (superindumenta scilicet linea) temere occultaverit, si monitus emendare noluerit, iuxta praemissam personarum distinctionem, dictas suspensionis et inhabilitatis poenas per idem tempus incurrat. Iniungimus insuper praesidentibus, visitatoribus et praelatis aliis religionis praedictae, ut contra transgres-

sores eorum, quae circa honestatem vestium et habitus superius sunt statuta, prout ad eos et eorum quemlibet pertinuerit, monitionem praedictam (quum transgressio eis nota fuerit) facere non omittant. Et nihilominus praesidentes et visitatores praedicti monere teneantur abbates, praepositos et alios ad quos id pertinuerit, religionis praedictae, ut praemissa, quae, ut praedictum est, circa honestatem vestium et habitus sunt statuta, servent et faciant ab aliis sub dictis poenis diligentius observari.

De licentia petenda ante egressum e monasteriis.

§ 41. Ut in religione praedicta vitetur dissolutio, et obedientia teneatur, districtius inhibemus, ne quivis canonicus dictæ religionis de Ecclesia, monasterio vel loco suo conventuali exeat, nisi primitus obtenta licentia ab illo, qui eam valeat impartire, quavis consuetudine contraria non obstante, quodque causam sui exitus veraciter et absque fictione exponat ei a quo erit licentia obtinenda. Qui vero huiusmodi licentiam concesserit canonicis claustralibus nullam administrationem vel beneficium obtinentibus, terminum redeundi, quanto convenientius poterit, breviorem assignet. Sane administratoribus et beneficiatis, qui habent residere in claustro, possit dari licentia sine praefixione termini, si hoc concedenti visum fuerit expedire. Siquis autem exiverit extra ecclesiam, monasterium seu locum alium conventualem sine licentia, vel in termino assignato, iusta causa cessante, non redierit, poena, quae in tali casu per statuta vel consuetudines eiusdem Ecclesiae vel monasterii seu alterius loci infligenda fuerit, infligatur eidem. Et si super hoc statutum vel consuetudo aliqua non existit, poena, quae sequitur, infligatur, videlicet quod ille qui infra novem dies post exitum seu terminum praedictos redierit, ultimus stet in choro, et secunda, quarta et sexta feriis eiusdem septimanae in pane et aqua ieiunet. Illis vero, qui infra huiusmodi novem dies non redierint, poena quae sequitur imponatur, videlicet, quod a porta regulari, parlatorio, seu alio loco decenti per claustrum, cum magistro novitiorum vel alio ad hoc deputato, ad capitulum veniant, camisiam, femoralia et caligas tantum habentes, superpelliceum in brachiis, ac ferulam seu virgam in manibus suis ferentes, cum quibus in dicto capitulo, venia prius recepta, et recognita culpa sua, coram omnibus verberentur, et nihilominus alia poenitentia sive poena pro qualitate demeriti imponatur eisdem secundum arbitrium imponentis. Quod si sine scandalo huiusmodi poena imponi non posset, in poenam aliam secundum sui praelati arbitrium, de proborum et seniorum conventus consilio commutetur, quam in dicti conventus praesentia facere teneantur, proviso attentius, quod mensuram peccati correctionis inflictio non excedat. Simili quoque vel alia condigna poena puniantur canonici in prioratibus seu administrationibus aliis externis assignati, qui sine licentia priorum seu administratorum eorumdem, de ipsis prioratibus seu administrationibus recedentes fuerint evagati, vel in termino non redierint assignato. Si autem de dictis prioratibus seu administrationibus ad claustrum seu praelatum suum a suis prioribus seu administratoribus, licentia non petita, vel petita et non non obtenta, veniunt, eidem praelato seu superiori suo causam sui adventus statim exponant, qui praelatus seu superior, an causa huiusmodi rationabilis et vera fuerit, arbitretur, et si causam minus rationabilem seu falsam esse repererit, vel si huiusmodi venientes nullam causam ei exposuerint aut licentiam non petierint, per praelatum aut superiorem, prout eis visum fuerit expediens, puniantur. Nullus quoque canonicus pernoctaturus extra ecclesiam, monasterium vel alium locum suum abire sine breviario permittatur, in quo pensum servitutis suae dicendo horas canonicas possit solvere Creatori.

§ 42. Perpetuo prohibemus edicto, ne civitas, castrum, villa vel feudum nota-

De non alienando absque licentia Sedis Apostolicae.

bile, iurisdictio alicuius ipsorum, vel grangia seu locus, territorium, sive magnus possessionum vel terrarum numerus, vendi vel etiam principaliter et expresse obligari, vel monasterium seu prioratus, aut Ecclesia religionis praefatae in alium transferri valeant per quoscumque etiam in casu alias a iure concesso, absque licentia Sedis Apostolicae speciali, omnem venditionem, obligationem, translationem de praemissis et contra haec factam irritam decernendo; ac nihilominus quilibet capitulis provincialibus praesidentium ac visitatorum, alienationes huiusmodi easdem (1), ac consentientes eisdem Sedi Apostolicae, si exempti fuerint, alioquin ordinariis seu dioecesanis ipsorum intimare per scripturam authenticam, vel literas eorum sigillis munitas, quamcitius commode poterunt, teneantur.

Ficti contractus prohibentur.

§ 43. Multis fraudibus atque dolis, quae per nonnullos religionis eiusdem, in damnum et praeiudicium Ecclesiarum, prioratuum et aliorum locorum, prout experientia docuit, committuntur, opportunis obviare remediis, quantum cum Deo possumus, salubriter cupientes, hoc consulto edicto prohibemus, ne abbates, præpositi ac priores, vel quivis administratores et alii canonici seu conversi religionis eiusdem, praetextu religionum vel negociorum, quae gerunt, fraudulentos vel dolosos aut simulatos vel fictos contractus inire, vel mutua simulata vel ficta suscipere, sive proprio sive fideiussorio, vel quovis alio nomine alieno, neve etiam confiteri in instrumentis publicis vel authenticis, aliisve scripturis, se a patre, fratre, nepote vel consanguineo, seu quolibet alio coniuncto, affine, familiari, servo, amico seu mercatore recepisse mutuo vel alias pecuniam, pannos, bladum, vinum, equos, boves, sive animalia alia, vel res seu alia bona, eaque in utilitatem locorum quibus praesident, vel administrationum quas gerunt fuisse conversa, neque tamen pro se seu locis eorum neque pro administrationibus suis ipsa receperint, quoquomodo praesumant. Similiter prohibemus, ne fingant seu ponant vel scribant se fore principales debitores, neve ut tales se obligent, ubi revera non principales sed fideiussores existunt, neve in talibus contractibus, ut praefertur, simulate conceptis, se ac alios suo nomine, locaque ipsa, possessiones, redditus, proventus, bona et iura locorum obligent vel submittant, neque in fraudem seu dolose confiteantur, vel alios praesertim debitores eorum faciant confiteri seu etiam obligari, vel super iis instrumenta vel authenticas seu alias scripturas in fraudem confici continentia, quod iura, redditus, possessiones, animalia, blada, pecuniam seu alia bona ad ipsos, vel monasteria seu quævis alia bona ipsius religionis pertinentia seu debita, fuerunt, sunt vel esse debent patris, matris seu fratris eorum, vel aliarum personarum praedictarum, et ad ipsas personas pertinere vel debita eis fore, vel alios quoscumque contractus similes fraudulenter et dolose confici faciant vel fieri procurent, per quos Ecclesiae, monasteria et alia loca religionis ipsius, quibus præsunt, ac iura, redditus et possessiones seu alia loca ipsorum damnificari, gravari, obligari vel alias impediri seu deperire valeant quovis modo. Nos autem omnes praenominatos, in grave et enorme præiudicium administrationum suarum talia committentes, vel fieri facientes, aut eis consentientes, praeter alias poenas iuris (nisi infra duorum mensium spatium a tempore contractus seu commissi huiusmodi numerandum), ea, quantum eis possibile fuerit, tolli fecerint, et Ecclesias, monasteria, prioratus, administrationes et loca praedicta reddiderint seu reddi fecerint indemnia, seu a talibus dispendiis liberarint, excommunicationis sententiae eo ipso decernimus subiacere. Quod si forte praemissa effectualiter non poterint revocare, teneantur infra alios duos menses, illos duos immediate sequentes, ea suis superioribus revelare: quod si non fece-

(1) Legendum f. *alienationes huiusmodi facientes, ac consentientes eisdem, Sedi* etc.

rint, sententiam excommunicationis incurrant, et alias pro dictis excessibus debite puniantur, taliter quod cedat caeteris in exemplum. Possint autem praesidentes ac visitatores in provincialibus capitulis deputati, et eorum quilibet, abbates aliosque quoscumque praelatos ac administrationes non habentes superiores religionis eiusdem, qui huiusmodi sententiam excommunicationis incurrerint, satisfactione praemissa, absolvere, et secum super irregularitate si per simplicitatem et iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clavium) divina celebraverint, vel se ingesserint eisdem, inde contracta misericorditer dispensare, caeteros vero consimiliter absolvere, et cum eis in similibus casibus dispensare valeant immediati superiores eorum.

Mutua quomodo recipienda.

§ 44. Monasteriorum et locorum religionis eiusdem dispendiis, quae ex mutuorum contractu plerumque proveniunt, praecavere consultius intendentes, statuimus, quod abbas, praepositus, prior seu quivis alius (etiam Apostolicae Sedis notarius) religionis eiusdem, quum per ipsum fuerit mutuum suscipiendum, ultra summam communi providentia per annale capitulum seu maiorem partem ipsius taxandam, infrascriptam solemnitatem observet, videlicet ut quilibet de praedictis superiorem eiusdem religionis non habens, qui habebit recipere mutuum supradictum, tractatum ad minus et consilium duorum dierum non continuatorum seu interpellatorum cum capitulo seu conventu suo diligentem habeat et maturum. Et nihilominus de consensu sui capituli vel conventus mutuum huiusmodi recipiatur ab eo. In monasterio vero, prioratu et administratione, conventuali vel non conventuali, superiorem immediatum in eadem religione habente, in conventuali videlicet cum conventu ipsius, in non conventuali, cum conventu superioris Ecclesiae, monasterii sive loci tractatus huiusmodi habeatur. Et nihilominus in utroque licentia seu auctoritas interveniat dicti superioris quocumque nomine censeatur, eo plene certificato in quantum commode fieri poterit, de omnibus, quae intervenire debent in tractatu praefato, in quo quidem agatur, et clare liqueat, ob quam causam cuiusve summae, et si fieri potest, a quibus creditoribus et sub quibus conditionibus et obligationibus, quibusve terminis solvendum suscipiatur mutuum saepedictum, de iis nihilominus authentica conficienda scriptura, in qua ea omnia ac nomina illorum, qui interfuerint in tractatu, ac etiam consentientium et auctorizantium exprimantur, et ipsorum auctorizantium sigilla scripturae huiusmodi apponantur. Prohibemus insuper, ne praetextu alicuius procurae generalis, etiam si contineatur in ea, quod procurator mutuum possit recipere aut obligare Ecclesiam, monasterium vel alium locum, mutuum recipere valeat Ecclesia, monasterium vel locus alius obligari, nisi prius praedicta omnia fuerint observata. Volumus autem, quod pecunia quae taliter, ut praemittitur, mutuo recipietur, non remaneat in solius antistitis seu abbatis vel prioris aut alterius administratoris huiusmodi contractum ineuntis principaliter potestate, sed, si commode fieri potest, tradatur tribus seu pluribus aut paucioribus viris, prout expediens videbitur providis et discretis, qui dictum mutuum ad illas utilitates seu necessitates convertant, ob quas noscitur fuisse contractum, qui super hoc fideliter exequendo iuramenti vinculo adstringantur, districtius inhibentes, ne eorum, quae debentur Ecclesiis, monasteriis seu locis aliis religionis eiusdem, remissio fraudulosa et notabiliter damnosa a quoquam valeat attentari. Permittimus tamen, quod si antistes vel abbas aut alii quicumque administratores religionis eiusdem, a locis aliis dictae religionis eiusdem, quibus subsunt, sint multum remoti, et casus aliquis evidenter utilis seu necessarius occurrat, cui succurri non valeat, nisi ultra dictam summam communi providentia taxatam mutuum contrahatur, licitum sit eisdem,

absque solemnitate huiusmodi et poenis infrascriptis, ut tali casu valeat provideri, tantam absque fraude qualibet summam recipere mutuo, quanta necessaria fuerit pro casu praefato. Recipientes autem mutuum in casu huiusmodi, si superiores eiusdem religionis non habuerint in conventibus propriis; si vero superiores tales habuerint, eisdem superioribus, et nihilominus suis conventibus, si conventum habeant, infra octo dies, postquam eorum praesentiam habere commode poterunt, id exponere, et de iis qui in ipso contractu intervenerunt, eos certiores reddere teneantur, et conficiatur inde scriptura, si ipsis superioribus vel conventibus visum fuerit expedire. Prælatus autem seu quivis administrator, qui semel recepit, sive particulariter sive simul, summam praedictam, communi providentia, ut praemittitur, praetaxatam, quodcumque mutuum recipiat ultra eam, nisi esset modicum, quod tamen quartam partem eiusdem summae non excedat, teneatur sub infrascriptis poenis solemnitatem secundam plenarie observare. Quod si abbas, praepositus, prior vel administrator alius dictae religionis, quocumque nomine censeatur, contra praemissa faciens, mutuum ultra dictam summam communi providentia taxatam absque dicta solemnitate recipiendo, locum sibi commissum, aut iura, redditus seu possessiones ipsius expresse obligaverit, vel literas vel instrumenta concessionis vel recognitionis super hoc concesserit seu alias submiserit (nisi infra sex menses immediate sequentes, obligationes et submissiones huiusmodi cessare fecerit), sit ei ex tunc, donec ea compleverit, Ecclesiae interdictus ingressus, et insuper praepositi, priores et alii administratores superiorem eiusdem religionis, non tamen conventum, habentes, si praefatum interdictum per alios sex menses praefatos sex immediate sequentes pertinaciter substinuerint, sint ex tunc a suis administrationibus suspensi, donec obligationes praedictae tollantur, et eorum administrationes redditae fuerint indemnes. Suspensione autem huiusmodi durante, superiores immediati taliter suspensorum administrationes eorum recipiant, easque per se vel alios fideliter gerere, et imdemnes pro posse reddere studeant, ac nihilominus suspensos eosdem aliter punire, prout culpae qualitas exegerit, non omittant. Si quis autem taliter suspensorum superioribus ipsis in praedictis de facto contradicere praesumpserit, et in contradictione huiusmodi per octo dies pertinaciter perseveraverit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, quam si substinuerit pertinaci animo per sex menses, dignitate, officio, administratione seu beneficio per eum obtenta seu obtento privetur.

*Locationes quibus de causis, et quo pacto faciendae.*

§ 45. Quoniam ex minus provida locatione locorum religionis eiusdem, seu concessione ipsorum ad firmam, proventuum locorum ipsorum plurima pertulit hactenus dicta religio detrimenta, salubri prohibemus edicto, ne abbates, priores, praepositi aut caeteri administratores religionis ipsius, sine causa necessaria vel utili, loca suae administrationi commissa, vel proventus ipsorum locorum, ad firmam tradere seu locare praesumant. Quod si ex causa huiusmodi id facere voluerint, et capitulum seu conventum habuerint, non tamen superiorem religionis eiusdem, debeant cum eodem capitulo seu conventu praemittere tractatum de causa huiusmodi, et de quantitate pretii, et sub quibus obligationibus, et de persona illius, cui firma seu obligatio huiusmodi fuerit facienda, ipsasque facere cum consilio ipsius capituli seu conventus vel maioris partis eiusdem. Si vero capitulum seu conventum proprium, et nihilominus superiorem eiusdem religionis habuerint, non solum cum ipso capitulo seu conventu, sed etiam cum eodem superiore dictum tractatum praehabeant, et cum consilio capituli seu conventus ipsorum, vel maioris partis, ac de dicti superioris licentia, et non aliter ad eas procedant. Si autem priores vel prae-

positi, aut alii administratores extiterint, non habentes conventum, sed antistitem, abbatem vel alium superiorem religionis eiusdem, tractatum praedictum cum eodem superiore praemittant, et cum ipsius licentia, et non aliter faciant firmam seu locationem praefatam. Per hoc autem non intendimus prohibere, quominus redditus et proventus administrationum suarum locare seu vendere valeant absque solemnitate praemissa ad tempus modicum, iuxta morem in regione, in qua erunt, solitum observari, statutis Ecclesiarum, monasteriorum vel aliorum locorum religionis eiusdem (si qua super hoc fuerint) rationabilibus observatis. Si tamen ex huiusmodi locatione seu venditione proventuum ad tempus modicum, ut praemittitur, faciendis, contingeret infra unum annum recipi pecuniam, vel aliud quodcumque pretium, proventum rei locatae unius anni excedens, tunc solemnitates praemissas volumus observari. Simili modo etiam prohibemus, ne aliquo casu firmae seu locationes seu venditiones huiusmodi fiant per eosdem personis suspectis, neve quibusvis firmariis, seu conductoribus sive emptoribus liber originalis censuum, aut instrumenta seu monumenta originalia super iuribus Ecclesiarum vel administrationum confecta tradantur, neve iurisdictiones per se, aut cum universitates seu civitates, vel villae, vel insignia loca, seu castra vel fortalicia locentur, seu ad firmam tradantur, sive sub locatione vel firma includantur. Redditus tamem seu proventus civitatum dicti ordinis, villarum, locorum, castrorum et fortaliciorum huiusmodi, prout superius praemittitur, vendi valeant seu locari. Ubi autem occasione firmarum aut locationum seu venditionum huiusmodi continget personas vel bona ecclesiastica ipsius religionis obligari vel submitti, obligationes et submissiones huiusmodi fieri volumus ecclesiasticae iurisdictioni, et coerctioni dumtaxat, et per ecclesiasticam iurisdictionem et coerctionem executioni mandari. Firmas autem seu locationes aut venditiones praedictas, locorumque traditiones contra praemissa facta, instrumenta quoque et quaelibet documenta super eis confecta, iustitia carere decernimus, et nullius existere firmitatis. Et nihilominus abbates, priores, praepositi et caeteri administratores superiorem religionis eiusdem non habentes, qui contrafecerint, per praesidentes capitulis, vel per visitatores deputandos eis, corrigantur. Caeteri vero per antistites, abbates seu alios immediatos superiores eorum, si eis visum fuerit, in quinta parte pretii locationis sive firmae, fabricae seu ornamentis Ecclesiae, monasterii sive loci, cui immediate suberunt, applicanda, et alias debite puniantur.

*De registris et archiviis conficiendis.*

§ 46. Ut Ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum religionis eiusdem bona et iura salubriter conserventur, statuimus quod praesidentes Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus et administrationibus aliis quibuscumque dictae religionis, quamprimum commode poterunt, conficiant seu confici faciant registra in quibus possessiones, census, iura et caetera bona immobilia quaecumque et qualitercumque fuerint, ad eorum administrationem spectantia, singillatim et specifice describantur. Fiant etiam per eosdem registra de ornamentis ecclesiasticis, vasis, lectis, animalibus et aliis rebus mobilibus et se moventibus pro agricultura et alia instructione locorum necessariis vel utilibus, et huiusmodi registra in locis subiectis aliis superioribus religionis eiusdem duplicentur; quorum unum in loco superiori, et reliquum in subiecto serventur. Visitatores quoque in provincialibus capitulis deputati, cum visitabunt loca suae visitationi commissa, praelati etiam et alii superiores, cum fuerit opportunum, diligenter inquirant, an res et bona praedicta necessaria pro instructione locorum teneantur in locis eisdem, et provideant quod perpetuo teneantur in eis, aliterque reperta faciant emendari, et secundum quod culpa exe-

gerit, puniant delinquentes. Insuper praesidentes praefati, cum possessiones administrationum suarum fuerint assecuti, inventaria de bonis mobilibus et se moventibus repertis in administrationibus ipsis conficiant. Ii vero qui habent superiores religionis eiusdem huiusmodi inventaria faciant duplicata, quorum unum in loco subiecto servetur, et superiori reliquum assignetur, ut per ea, in quo statu administrationes ipsas receperint, valeat apparere. Fiant autem huiusmodi inventaria et registra per tabellionem, vel saltem in aliarum publicarum praesentia personarum. Adiicimus etiam, quod praesidentes Ecclesiis cathedralibus, monasteriis et locis aliis dictae religionis, qui bona mobilia prioratuum, administrationum et beneficiorum quorumlibet religionis eiusdem sibi subiectorum vacantium in eis, tempore huiusmodi vacationis inventa, seu illa durante obvenientia ex privilegio vel consuetudine, seu alia causa rationabili ad se asserunt pertinere, vasa, vestimenta seu alia ornamenta divino cultui deputata, animalia etiam tam pro agricultura, quam pro aliis ipsorum locorum necessitatibus teneri inibi consueta, vasa vinaria et coquinaria, lectos etiam et alia suppellectilia necessaria seu vasa (nisi forte aurea vel argentea fuerint) nullatenus occupare, vel exinde asportare, aut sibi appropriare praesumant. In apprehendendis quoque bonis aliis constitutionem felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri super hoc editam, quae incipit *Praesenti*, diligenter observent. Qui vero secus fecerint, iuxta qualitatem delinquentium personarum, poenas incurrant, quae per constitutionem eamdem eius trangressoribus imponuntur.

Alimentorum subministrationes non differendae.

§ 47. Quum sit rationi consonum, illos non debere onera recusare, qui rerum commoda complectuntur, statuimus, quod antistites, abbates, praepositi, archidiaconi, priores et administratores caeteri religionis praefatae, qui census, redditus, pensiones, seu quaecumque similia debent vel debebunt in posterum pro alimentis quotidianis, vel pro vestiariis in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, praeposituris, prioratibus, officiis et administrationibus, seu aliis locis religionis eiusdem, sive in blado, vino, carnibus, oleo, piscibus, pecunia, seu rebus aliis quibuscumque consistant, illa eis in terminis consuetis vel praefixis seu in antea praefigendis integre solvere non omittant. Quod si priores, praepositi, archidiaconi ac caeteri administratores eiusdem religionis ea in ipsis terminis, vel saltem infra mensem non solverint requisiti, quantum ascendit quarta pars illius debiti, ultra ipsum debitum, nomine poenae, solvere teneantur. Et si infra alium mensem immediate sequentem non solverint, tam poenam, quam etiam ipsum debitum principale, eo ipso sint (donec de praedictis fuerit integraliter satisfactum) a temporalium administratione suspensi, et praelatus, durante suspensione praedicta, ministret per alium temporalia beneficia illius, qui suspensionem incurrerit supradictam, et satisfaciat de praedictis. Antistites vero, si post lapsum terminum requisiti, infra duorum mensium spatium a die requisitionis huiusmodi computandum, satisfacere contempserint, poenam tertiae partis debiti incurrant irremissibiliter eo ipso. Abbates autem et alii praelati religionis eiusdem, si post requisitionem consimilem infra mensem satisfacere contempserint, incurrant poenam consimilem ipso facto. Et si abbates et alii praelati huiusmodi per alium mensem sequentem solvere non curaverint, a stallo chori et loco capituli deputatis eisdem, sint ipso facto, et tamdiu remaneant, suspensi, donec integraliter de debito et poena satisfecerint memoratis, nulla remissione profutura eisdem. In praedictis tamen casibus, de principali debito satisfacto, antistites, abbates et alii praelati libere, inferiores vero de suorum licentia praela-

torum remittere valeant poenas praefatas ab aliis, quam a praefatis antistitibus, abbatibus et praelatis sibi debitas pro praedictis. Institutionibus regularibus inhaerentes, statuimus, ut canonici in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis sive locis aliis collegiatis seu conventualibus d. religionis constituti, consuetudine seu usu (quinimo abusu, contrario non obstante, in refectorio comedant in communi, nisi in casibus, in quibus et prout eisdem licitum est seu permissum extra refectorium comedere secundum regularia et canonica instituta, proviso quod illi, quibus incumbit onus providendi de victu canonicis eisdem, provideant sufficienter et decenter, non in pecunia, sed in victualibus, prout cuilibet opus erit: de qua sufficientia et decentia victualium tractetur, et si expedierit, ordinetur in capitulo annali; decernentes, quod siqui redditus vel pensiones alicui ex canonicis singulariter hactenus pro victualibus fuerint assignati, nullatenus dimittantur eidem. Nos et assignationes huiusmodi revocamus, et pro revocatis haberi volumus, et eas fieri deinceps prohibemus. Illi quoque, quibus incumbit onus de vestimentis, calceamentis et aliis corporis indumentis necessariis dictis canonicis providendi, eisdem provideant sufficienter et decenter, et tempore congruo iuxta suppetentiam facultatum et conditionem seu qualitatem regionis: et illud quod dandum erit singulis pro vestimentis et aliis praedictis, ordinent et taxent, si opus fuerit, in annali capitulo memorato. Ad haec subiungimus, quod illi, qui praedicta administrare tenentur, ad ea, omni excusatione cessante, ut praemittitur, ministranda per superiores suos, aut in defectum eorum, per visitatores vel praesidentes in capitulo provinciali deputatos et eorum quemlibet compellantur. Nec audiantur, si dicant privilegium, statutum, ordinationem vel consuetudinem contraria se habere, aut pro suis personis, eorumque statu personarum et officiorum decentia substentandis, se asserant indigere, nulla quoque super hoc appellatio, nullave supplicatio eis prosit. Et si tertio moniti, per aliqua dierum competentia intervalla monentis arbitrio relinquenda, praemissis efficaciter parere contempserint, removeantur a suis administrationibus vel officiis, ipsaque aliis personis idoneis praedicta complere valentibus committantur. Abbates vero, praepositi, priores ac caeteri, etiam Apostolicae Sedis notarii non habentes superiores religionis eiusdem vel habentes, si praesint collegiis seu conventibus, qui de praedictis providere teneantur, non habentes quidem superiores, a praesidentibus ac visitatoribus et eorum quolibet, caeteri vero tam ab eisdem, quam etiam a dictis superioribus per censuram ecclesiasticam, aliisque remediis ad hoc congruentibus ad id omnino cogantur, eisdem superioribus nisi suos subditos, necnon dictis praesidentibus ac visitatoribus, nisi abbates, priores et alios supradictos efficaciter ad praemissa compulerint, in capitulis provincialibus graviter arguendis et taliter corrigendis, quod cedat caeteris in exemplum. Caeterum si redditus et proventus dignitatum, officiorum seu administrationum, quibus onus praedictum incumbit, aut dicta victualia, vestimenta seu alia pro victu seu vestitu necessario canonicis ministrando non suffecerint, possit praelatus in suo annali capitulo, cum consilio et assensu eiusdem capituli vel maioris partis ipsius, auctoritate apostolica, prioratibus, administrationibus et aliis beneficiis per canonicos dictae religionis solitis gubernari, quibus eorum supportatis oneribus ad hoc suffecerint facultates (vocatis tamen ad hoc prioribus vel administratoribus et aliis beneficiatis, qui eisdem praefuerint) pensiones perpetuas imponere, pro sufficienti supplemento defectus victualium et vestimentorum et aliorum necessariorum, pro habitu corporis dumtaxat, quas quidem pensiones ex tunc, tam illi qui eisdem prioratibus, administrationibus et beneficiis aliis

tempore huiusmodi impositionis praefuerint, quam successores eorum solvere teneantur.

Ab esu carnium quando abstinendum.

§ 48. Ut salutis Auctori purius serviatur, statuimus quod universi canonici religionis praefatae ab esu carnium diebus veneris, sabbati et per totum Adventum Domini studeant abstinere, non obstantibus statutis vel contrariis quibuscumque. Super abstinentia vero ab esu huiusmodi carnium in quarta feria et septuagesima, praelati seu alii, ad quos spectaverit, consuetudines et statuta, antiqua et nova honesta et rationabilia suorum locorum servent, et faciant observari. Illis tamen qui ad maiorem abstinentiam sunt adstricti, per hoc esum carnium non intendimus indulgere.

De accubitu in dormitoriis

§ 49. Rursus praecipimus, quod canonici religionis eiusdem residentes in claustris, omnes simul, vel si multitudo eorum non sinit, saltem quanto plures ex ipsis commode poterunt, in una domo dormiant et quiescant, iuxta regularia instituta canonica, non habentes separatas cameras sive cellas, exceptis iis, qui propter senectutem . valetudines corporales, aut propter administrationes seu officia, quae gesserint, vel ex aliis causis iuxta dispositionem sui superioris rationabiliter excusantur. Statuimus etiam quod in dormitoriis cellas non habentibus, cellae de caetero nullae fiant. Permittimus tamen, quod in eis, ubi sunt cellae iam factae, remaneant; sed a parte anteriori debeant aperiri, ita quod a transeuntibus, hi qui intra fuerint, conspici valeant et videri, et quod per praelatos locorum infra sex menses a tempore, quo praesentes constitutiones fuerint publicatae, vel ipsis negligentibus seu non valentibus, per visitatores in provincialibus capitulis deputatos, in prima visitatione, quam impenderint, omnes tales cellae ab anteriori parte debeant aperiri; et si super hoc fuerint aliqui resistentes vel impedimentum praestantes seu praestari procurantes, vel ad id dantes auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, vel huiusmodi cellas de novo facere praesumentes, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. Quos etiam ipsi praelati et visitatores praefati per alia iuris et ipsius religionis remedia valeant super his auctoritate apostolica coercere. Ab huiusmodi autem excommunicatione, si ipsam incurrerint, possint absolvi per visitatores praefatos vel per praelatos immediatos eorum, et cum eis super irregularitate, si quam forsan contraxerint, per simplicitatem et iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clavium) celebrando divina vel se ingerendo eisdem, per eosdem valeant dispensari.

Privilegia, literas, instrumenta, aliaque mobilia et immobilia suo non movenda loco.

§ 50. Religionis eiusdem consulere commodis et praecavere dispendiis cupientes, statuimus ut siquis Ecclesiae cathedrali, monasterio, prioratui, praepositurae seu administrationi cuivis dictae religionis praesidens, aut simplex canonicus seu conversus religionis eiusdem, privilegia, literas vel instrumenta concessa seu confecta super libertatibus, possessionibus, rebus seu iuribus eorumdem, aut vasa aurea seu argentea divino cultui dedicata, necnon reliquias, ornamenta ecclesiastica, libros aut res alias notabiles vel pretiosas ipsorum, extra Ecclesiam, monasterium, prioratum seu administrationem huiusmodi, in damnum ipsorum, apud suos consanguineos vel propinquos seu quoscumque alios fraudulenter transportare seu tenere praesumpserit (nisi infra duorum mensium spatium, prout possibile fuerit ei, ad loca ipsa reduxerit, vel eadem loca seu administrationes infra idem spatium indemnia reddiderit), ex tunc possidens ipsa, tamdiu, donec praemissa, ut praefertur, emendaverit, ab administratione temporalium sit suspensus; simplex vero canonicus vel conversus, ad beneficia seu officia quaelibet religionis ipsius obtinenda, sit eo ipso tamdiu inhabilis, quousque per immediatum superiorem ipsius, satisfactione praemissa, cum eis

fuerit misericorditer dispensatum. Et si praesidentis eiusdem, qui tamen antistes non fuerit, culpa extiterit manifesta, per praesidentes in provinciali capitulo, vel visitatores per idem capitulum deputatos, poenae graviori subdatur.

De frequentia celebrat. missarum per sacerdotes.

§ 51. Hortamur praepositos, priores et administratores, singulosque canonicos dictae religionis in sacerdotio constitutos, in Ecclesiis, monasteriis et aliis eorum locis conventualibus residentes, ut (si non frequentius) saltem bis in septimana, residentes autem in prioratibus vel aliis locis conventualibus, saltem semel in hebdomada, in scholis vero vel alibi commorantes, infra quindecim dies saltem semel, salva honestate et debita devotione, missas studeant celebrare.

Et sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae per alios.

§ 52. Alii vero canonici non sacerdotes ubilibet constituti, in qualibet quindena saltem semel confiteantur et quolibet mense reverenter suscipiant Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii confessoris consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione eorum aliquis duxerit abstinendum. Per hoc autem, statutis, consuetudinibus, ordinationibus seu observantiis Ecclesiarum, monasteriorum seu locorum praedictorum, quibus frequentius pro certis diebus confiteri, communicare vel celebrare debeant, vel saepius celebrando locorum onera supportare, in aliquo non intendimus derogare: adiicientes quod abbates, praepositi seu priores caeteri locis conventualibus praesidentes, die qualibet, rationabili causa cessante, missam celebrent vel audiant, et nihilominus in solemnibus festis in suis monasteriis sive locis missas solemnes studeant celebrare.

De recitatione horarum canonicarum

§ 53. Hortamur etiam, quod in Ecclesiis, monasteriis sive locis aliis conventualibus, cum modestia, humiliter et devote horis nocturnis et diurnis ad divina officia universi et singuli canonici studeant convenire; ipsaque non transcurrendo aut syncopando, sed tractim et distincte psallant, et celebrent devote. Sane in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis et locis aliis conventualibus religionis eiusdem, missa maior per canonicum celebretur. Et si inibi magnus et ad hoc sufficiens fuerit canonicorum numerus, in officiis diaconatus et subdiaconatus ministrent huiusmodi celebranti, et qui hebdomadarius fuerit missae maioris, cessante impedimento legitimo, horas canonicas incipiat et collectas orationes dicat. Transgressores vero praemissorum debitae subiaceant disciplinae.

De ornamentis et vasis sacris.

§ 54. Denique soliciti sint antistites, abbates, praepositi, priores, sacristae et administratores alii religionis praefatae, quocumque nomine censeantur, quibus incumbit Ecclesias, oratoria, altaria, reliquias, vasa, corporalia, vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et nitida conservare, et facere ab aliis conservari; de breviariis quoque, missalibus, aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis, iuxta facultates et exigentiam locorum suorum, Ecclesiis et locis eisdem omnino provideant, seu faciant provideri: quod si praemissa pro posse adimplere neglexerint, ad ea complenda competentibus remediis compellantur, et si opus fuerit, pars proventuum beneficiorum eorum per superiores recipiatur eosdem, et in praedictorum provisionem per aliquem idoneum convertatur.

Religionis huius canonici ad publica tribunalia non trahendi in criminalibus.

§ 55. In favorem religionis praefatae prohibemus, ne antistites et alii ecclesiastici iudices trahant professores religionis eiusdem in causis criminalibus ad eorum consistorium seu iudiciale tribunal, ubi causae communiter audiuntur; sed alibi audiant dictas causas; nisi forte criminis manifesti enormitas aliud suaserit faciendum.

Venationi vel aucupationi non incumbant;

§ 56. Porro a venationibus et aucupationibus canonici dictae religionis abstineant, nec eis interesse, aut canes ad opus venandi vel aures (1) venaticas per se vel alios tenere praesumant, nec a familiaribus secum morantibus teneri permit-

(1) Forsan *aves*.

tant; nisi saltus, vivaria vel garenas propria vel ius venandi in alienis haberent, quo casu hoc eis permittitur, dum tamen infra monasterium seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi praesentiam exhibeant personalem. Siqui vero eorum venationi aut aucupationi clamosae vel alias, cum canibus vel avibus ex proposito interfuerint; siquidem abbas fuerit vel prior seu praepositus aut Apostolicae Sedis notarius quicumque non habens superiorem eiusdem religionis, per annum se noverit a beneficiorum collatione suspensum, quo casu ius collationis huiusmodi, eo modo quo sibi competebat, ad priorem claustralem cum consilio et assensu conventus vel maioris partis ipsius, durante suspensione huiusmodi, devolvatur. Si vero alius fuerit, ab administratione quam obtinet, sit per annum suspensus: quod si nullam administrationem habet, eo ipso per annum reddatur inhabilis ad administrationem seu aliud ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Arma intra Ecclesiarum septa non teneant.

§ 57. Dicti quoque canonici infra septa suarum ecclesiarum seu monasteriorum arma nullatenus teneant sine suorum licentia praelatorum. Tenentes vero absque dicta licentia, per superiorem suum taliter puniantur, quod ipsorum poena cedat aliis in exemplum. Super inhabilitate tamen et suspensione praedictis, praesidentes et eorum quilibet cum praelatis, et praelati cum eorum subditis possint, si eis expediens visum fuerit, dispensare, iniuncta transgressoribus poenitentia salutari.

Canonici suos superiores accusantes quo pacto audiendi.

§ 58. Quia nonnulli canonici dictae religionis contra praelatos vel superiores suos frequenter multa proponunt, non ut omnia per eos proposita probent, quia nec facere possent, sed ut infament omnibus, et probatis forsan illorum aliquibus, finem consequantur optatum, districtius inhibemus, ne quivis canonicus religionis eiusdem contra suum praelatum vel superiorem super crimine vel criminibus deinceps quomodolibet admittatur, nisi prius se obligaverit ad poenam congruam, si in probatione propositorum vel alicuius ipsorum defecerit, per eum irremissibiliter subeundam.

Disciplina regularis ubi fuerit collapsa quomodo reparanda.

§ 59. Si aliqua Ecclesia cathedralis, monasterium seu alius locus religionis eiusdem in religione vel regulari observantia adeo sint collapsa, quod per antistitem, abbatem vel alium praelatum seu administratorem vel canonicos proprios verisimiliter nequeat reparari, statuimus quod per praesidentes provinciales et quemlibet eorumdem, ad requisitionem seu relationem visitatorum, prout eidem capitulo super hoc consulendo videbitur expedire; vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum capitulum periculum immineret, auctoritate apostolica de alia Ecclesia, monasterio seu loco, in qua seu quo eiusdem religionis noscitur observantia reflorere, canonici assumantur idonei, et ad dictam Ecclesiam, monasterium sive locum collapsam seu collapsum mittantur, ut ibidem, quamdiu expediens fuerit, morentur, per quos Ecclesia, monasterium seu locus huiusmodi reparetur. Illi vero canonici, ob quorum culpam eiusdem Ecclesiae, monasterii sive loci huiusmodi lapsus seu deformatio noscitur contigisse, in Ecclesia seu monasterio vel loco, de qua vel quo assumpti fuerint ii, qui ad Ecclesiam vel monasterium seu locum collapsam vel collapsum, ut praemittitur, transmittentur, vel in loco alio, in quo eadem religio vigeat, per praesidentes eosdem et eorum quemlibet, prout expediens fuerit, auctoritate apostolica collocentur, ubi eorum mores valeant reformari: districtius inhibentes ne monasteria seu alia loca collegiata seu conventualia religionis eiusdem, Ecclesiis, monasteriis seu locis religiosorum quorumcumque alterius habitus uniantur, vel etiam submittantur, sine licentia Sedis Apostolicae speciali, si secus actum fuerit, decernentes irritum et inane.

Contra peculium et proprietarios

§ 60. Licet contra religiosos proprietarios sit provisum per canonicas sanctiones, tamen specialius providere volentes contra illos canonicos et conversos dictae religionis, qui, suae salutis obliti, contra regulares et canonicas institutiones pecuniam congregant, iura, possessiones, redditus seu census annuos et alia bona emunt seu emi faciunt, aliquando proprio et saepe nomine alieno, multis super iis figmentis adhibitis, aliisque tradunt animalia nutrienda et cum augmento vel lucro, sibi vel alteri reddenda eorum nomine seu pro ipsis; et alios multos contractus diversimode tamquam negociatores exercent; necnon appetentes et sectantes lucra turpia, peculium occultant et illicite detinent in suarum periculum animarum: decernimus omnia praemissa (quae tamen restitutioni non subiaceant aliorum) nedum post obitum, sed etiam in vita ipsorum canonicorum et conversorum, fore administrationi ad quam pertinuerint applicanda, quacumque consuetudine contraria non obstante, quodque nulli canonico vel converso talia faciendi licentia a quoquam valeat indulgeri, et quod praefati canonici et conversi praedicta committentes, et quaecumque religionis eiusdem supradicta retinentes, aut sibi ipsis appropriantes vel applicationi huiusmodi resistentes, vel impedimentum publice vel occulte eidem praestantes seu praestare procurantes, vel dictum peculium habentes et non revelantes praelatis propriis, si per eosdem praelatos specialiter et nominatim moniti, infra mensem post monitionem huiusmodi immediate sequentem, a praedictis non destiterint, vel peculium non revelaverint et restituerint, si restituendi facultatem habuerint, sint eo ipso inhabiles ad prioratus officium, administrationes et beneficia quaelibet in religione huiusmodi obtinenda. Concedimus tamen quod cum talibus canonicis seu conversis antistites, abbates, praepositi et alii praelati eorum immediati possint super inhabilitate huiusmodi dispensare, quando eis videbitur expedire, dummodo a praedictis destiterint, et peculium et alia supradicta revelaverint et restituerint, ut praefertur. Teneantur insuper praelati et superiores praefati, in suis annalibus capitulis, monere generaliter annuatim omnes proprietarios, ut ab omnibus supradictis desistant excessibus, et peculium, si quod habent, revelent et restituere non postponant.

Contra conspirationes et coniurationes facientes.

§ 61. Quum ex conspirationis et coniurationis crimine (si forte transeat impunitum) multa mala et scandala possint exoriri, statuimus quod conspiratores et coniuratores, siqui religionis eiusdem de crimine huiusmodi legitime convicti fuerint vel confessi, praeter alias poenas talibus a iure vel aliquo quovis modo inflictas, eo ipso beneficiis et administrationibus quibuslibet, quae obtinuerint, sint privati. Si vero beneficiati non fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad quaevis beneficia seu administrationes ecclesiasticas quomodolibet obtinenda. Contra conspiratores autem et coniuratores occultos, quorum notitia non habetur, per superiorem aut visitatores etiam poenae aliae, prout expedire videbitur, generaliter statuantur. Si vero aliquis de praedictis ad cor reductus, illi vel illis, qui tanguntur ex eis, ipsas patefecerit tali tempore, quod possint huiusmodi factionibus obviare, dignus absolutione et venia habeatur.

De fugitivis e eiectis

§ 62. Ne canonici religionis praefatae vagandi occasionem habentes, salutis propriae detrimentum incurrant, statuimus ut praesidentes provincialibus capitulis, necnon abbates, praepositi, priores et alii ad quos id pertinuerit, fugitivos et eiectos de ordine suo requirant solicite annuatim, qui, si in Ecclesiis seu monasteriis suis recipi poterunt, secundum ordinem regularem recipiantur, salva ordinis disciplina: quod si indisciplinati et incorrigibiles apparuerint, auctoritate nostra provideant praesidentes et alii praedicti ut

apud easdem Ecclesias seu monasteria, in locis competentibus a communi fratrum consortio segregati, ponantur ad agendum poenitentiam, ibique vitae necessaria ministrentur eisdem, nec pateat aliis fratribus aut cuiquam alteri accessus ad eos, nisi prius a superiore petita licentia super hoc et obtenta. Si vero huiusmodi fugitivos vel eiectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, et tamdiu faciant ab Ecclesiarum praelatis excommunicatos pronunciari publice, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur. Insuper statuimus quod praelati et alii ad quos pertinuerit in ipsa religione correctiones facere regulares, quotiens et quando pro gravioribus culpis debebunt poenitentias iniungere, hoc faciant cum aliquorum proborum consilio, et tractatu praehabito cum eisdem.

Per praemissa ordinarior. iuri non derogatur.

§ 63. Per praemissa vero iurisdictioni ordinariorum non intendimus derogare.

Haec statuta quomodo publicanda.

§ 64. Ut autem statuta huiusmodi, quae religionis eiusdem salutem sapiunt et profectum, ad cunctorum professorum eiusdem Ordinis notitiam deducantur, ac inviolabiliter et fideliter observentur ab eis, auctoritate apostolica praesentium tenore praecipimus quod statuta praedicta in primis provincialibus capitulis eorumdem a principio usque ad finem publice legantur et solemniter publicentur, eorumque singulae copiae singulis Ecclesiis, monasteriis atque locis religionis eiusdem habentibus capitula, collegia seu conventus per praesidentes dictis capitulis, eorum sigillata sigillis, tradantur et etiam assignentur, expensis tamen capitulorum seu conventuum, quibus huiusmodi dandae fuerint copiae, conscribenda, quodque in singulis Ecclesiis, monasteriis atque locis dicti ordinis statuta praefata bis in anno legantur: statutis et consuetudinibus dicti Ordinis et privilegiis quibuscumque, siqua forsan huiusmodi statutis per nos editis obviarent, omni quoad hoc deinceps robore cariturls. Nulli ergo, *etc.*

Si quis, *etc.*

Dat. Avenione, idibus maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 15 maii 1339, pontif. anno v.

---

## XIV.

*Institutio Studii generalis in civitate Veronensi* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Institutio (*de qua in rubrica*). — Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Dum solicitae considerationis indagine perscrutamur quam sit donum sapientiae pretiosum *etc.* (*Caetera prout in constitutione* XXVIII *Ioannis XXI, pag. 294 tomi huius*).

Institutio (de qua in rubrica)

§ 1. Cum igitur civitas Veronensis, propter ipsius commoditates et conditiones quamplurimas, apta non modicum generali Studio censeatur, nos profectibus publicis multipliciter expedire credentes ut in civitate praedicta cultores sapientiae inserantur, fructum uberem, largiente Domino, in tempore perducturi, apostolica auctoritate concedimus, et tenore praesentium indulgemus, ut in civitate praefata sit deinceps in iure canonico et civili et in medicina et artibus perpetuum Studium generale, in quo magistri doceant, et scholares libere studeant et audiant in facultatibus praelibatis, et in eisdem facultatibus magisterii titulo valeant idonei decorari.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, *etc.*

Datum Avenione, decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 22 septembris 1339, pont. anno v.

(1) Ex Regest. Vatic., unde transcriptum hoc diploma edidit Ughell., Ital. Sac., ubi de Ecclesia Veronensi.

## XV.

*De Studio generali in civitate Gratianopolitana erecto, nonnullisque eiusdem legibus* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Studium generale Gratianopoli se erexisse ait. — 2. Licentiandi ius episcopo assertum. — 3. Licentiati huiusmodi ubique terrarum legere possunt. — 4. Iuramentum a magistris praestandum.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Ioanni episcopo Gratianopolitan., eiusque successoribus canonice substituendis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Inter cuncta desideria, quae grata nostris occurrunt affectibus, illud praecipue menti nostrae inhaerere dignoscitur, ut catholicae fidei professores, expulsis ignorantiae tenebris, gloriosa literarum scientia imbuantur, et laudabilibus sapientiae studiis eruditi, suos actus et opera disponant et ordinent in lumine veritatis: quodque literarum studia, in quibus margarita scientiae reperitur, laudanda ubilibet incrementa suscipiant, et propensius invalescant in illis praesertim locis, quae ad multiplicanda doctrinae semina et germina salutaria producenda idonea et accommoda existere dignoscuntur.

Studium generale Gratianopoli se erexisse ait.

§ 1. Sane dudum diligentius attendentes quod civitas Gratianopolitana, propter ipsius commoditates et conditiones quamplurimas, erat apta non modicum Studio generali, nos profectibus publicis multipliciter expedire credentes ut in civitate praedicta cultores sapientiae inserantur, fructum uberem, largiente Domino, in tempore producturi, tum ob praemissa, tum etiam ob sincerae fidei puritatem et eximiae devotionis affectum, quos dilectus filius nobilis vir Humbertus Delphinus Vienn. ad nos et Apostolicam Sedem gerit, qui super iis nobis humiliter supplicavit, auctoritate apostolica concessimus, et per nostras literas duximus indulgendum ut in civitate praefata ex tunc foret, in iure videlicet canonico et in civili et in medicina et artibus, perpetuum Studium generale, in quo magistri doceant, et scholares libere studeant et audiant in facultatibus praelibatis, et in eisdem facultatibus magisterii titulo valeant idonei decorari.

Licentiandi ius episcopo assertum.

§ 2. Ut autem concessio et indulgentia huiusmodi ad profectum et utilitatem studentium et ad dictum Studium confluentium efficaciter impleantur, tibi, frater episcope, tuisque successoribus episcopis Gratianopolitan., qui erunt pro tempore, in perpetuum, impertiendi personis ad hoc idoneis docendi licentiam, iuxta infrascriptum modum, liberam concedimus auctoritate apostolica facultatem, auctoritate praedicta tenore praesentium statuentes, ut si qui processu temporis fuerint, qui sibi in dicto Studio docendi licentiam, ut alios decentius erudire valeant, petierint impartiri, in iure canonico et civili, et medicina et artibus examinari possint ibidem, et in eisdem facultatibus magisterii titulo insigniri: ita tamen ut quotiens aliqui fuerint promovendi, praesententur Gratianopolitan. episcopo, qui erit pro tempore, vel ei, quem ad hoc idem episcopus duxerit deputandum, qui magistros facultatis illius, in qua examinatio fuerit facienda, in eodem Studio praesentibus et vocatis, eos gratis, et difficultate quacumque sublata, de scientia, facundia, modo legendi, et aliis, quae in promovendis ad doctoratus seu magistratus officium requiruntur, examinare studeat diligenter: et illos, quos idoneos repererit, petito secreto magistrorum eorumdem consilio, quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium vel iacturam revelari quomodolibet, sub divinae maledictionis interminatione, districtissime prohibemus, approbet et admittat, eisque petitam licentiam largiatur, alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio vel favore.

§ 3. Illi autem, qui in civitate prae-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Licentiati huiusmodi ubique terrarum legere possunt.

fata examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum, ex tunc, absque examinatione vel approbatione alia, legendi et docendi ubique terrarum plenam et liberam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi.

Iuramentum a magistris praestandum.

§ 4. Sane, ut rite in praefatis examinationibus procedatur, praecipimus, ut magistri legere in eodem Studio cupientes, antequam incipiant, praestent publice iuramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem, venient, nisi fuerint legitime impediti, et gratis sine difficultate, odio et favore postpositis, dabunt examinationi fidele consilium, qui de examinatis, velut digni approbari debeant, aut indigni merito reprobari. Qui vero iuramentum huiusmodi praestare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem, nec etiam ad aliqua Universitatis ipsius studii commoda vel beneficia ullatenus admittantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, prohibitionis et praecepti infringere *etc.*

Datum Avenione secundo kalendas octobris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 30 septembris 1339, pont. anno v.

---

## XVI.

*Revocatio vectigalium et pedagiorum a populo Romano, absque Sedis Apostolicae licentia, impositorum* (1).

SUMMARIUM

Ius imponendi vectigalia ad quos spectet. — 1. Quamdam gabellam, ab officialibus Romanis impositam, — 2. Revocat, exigique vetat.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Ius imponendi vectigalia ad quos spectet.

Consulto provida decrevit antiquitas per novorum impositiones vectigalium, quae sine principali auctoritate institui non possunt, non fore aliquid exigendum: quinimo pedagiorum seu vectigalium huiusmodi exactiones, tam iure canonico, quam civili, regulariter et merito sunt damnatae: vetusto etiam more sanctorum Patrum est in sancta Romana Ecclesia introductum, quod Romani Pontifices, in certis et praecipuis Ecclesiae praefatae solemnitatibus, eos, qui novas pedagiorum exactiones statuere vel imponere praesumunt, nisi sint legitima auctoritate suffulti, sententia excommunicationis involvunt.

Quamdam gabellam, ab officialibus Romanis impositam

§ 1. Sane nuper, sicut accepimus, officiales seu populus Urbis non attendentes praemissa, absque nostra licentia, de novo gabellam seu gabellas ac nova vectigalia in dicta Urbe instituere temere praesumpserunt in magnum reipublicae ac libertatis civium romanorum, nec non Ecclesiarum, clericorum et peregrinorum praeiudicium et gravamen, proponentes de dicta gabella tenere certam militiam equitum, et de eiusdem gabellae proventibus stipendia solvere equitibus memoratis.

Revocat, exigique vetat.

§ 2. Nos igitur attendentes, quod eiusdem gabellae seu vectigalium institutio eidem reipublicae ac libertati ecclesiasticae, et immunitati dictorum civium, nec non clericorum et peregrinorum plurimum praeiudicialis existit, et quod ex praedicta militia eorumdem civium et aliorum plurimum oppressiones et alia mala quamplurima possent sequi, ac volentes propterea perniciosae huiusmodi novitati congruis remediis obviare, praedictas gabellas noviter praesumptione temeraria institutas, quatenus processerunt de facto, auctoritate apostolica revocamus et annullamus omnino, exactionem earumdem fieri districtius inhibentes, eos, qui contra inhibitiones huiusmodi, post praesentium obtentam notitiam, praedictas gabellas de novo institutas exigere, vel similes absque nostra licentia speciali de novo instituere, nec non illos, qui super iis praestare eis consilium, auxilium vel

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

favorem praesumpserint, decernentes ipso facto excommunicationis sententiae subiacere.

Nulli ergo *etc.*

Datum Avenione kalendis decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 1 decembris 1339, pont. anno v.

---

## XVII.

*Contra eos, qui loco sui alios supponunt examini pro consequendis beneficiis ecclesiasticis, vel se pro aliis dicto examini supponunt.*

SUMMARIUM

Causae edendae constitutionis. — 1. Constitutio cum appositione poenarum.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Causae edendae constitutionis

Quoniam nonnulli, sicut accepimus, honestati nequitiam, et morum saluti temporalia commoda praeferentes, ad subeundum examen, quod hi, qui ad ecclesiastica beneficia ex provisionis nostrae gratia fuerint promovendi, in literatura examen subire tenentur, se minus idoneos sentientes, ad illud supponunt alios loco sui, qui se dictorum minus idoneorum habere nomina et cognomina, et esse de civitate seu dioecesi eorumdem mendaciter confingentes, examen subeunt pro eisdem, sicque praefati minus idonei, nullum subeuntes examen, per fraudem, huiusmodi beneficia ecclesiastica consequuntur.

Constitutio cum appositione poenarum.

§ 1. Nos volentes huiusmodi fraudi poenis debitis percellendae salubriter obviare, omnes huiusmodi, qui alios supponunt examini loco sui; necnon eos qui, aliorum mentitis nominibus, huiusmodi examen subeunt pro eisdem, excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere, ac literas nostras per huiusmodi fraudem obtentas, et in posterum obtinendas, omnesque processus ipsarum praetextu habitos vel habendos, fore cassos, vacuos, irritos et inanes, et nullius penitus existere firmitatis. Praedicti insuper, qui sibi falsa nomina imponentes, pro aliis examen subeunt, ut praefertur, omnibus beneficiis ecclesiasticis, siqua habent, sint eo ipso privati. Si vero nulla beneficia ecclesiastica obtineant, eo ipso efficiantur inhabiles ad beneficia ecclesiastica.

Nulli ergo *etc.*

Datum Avenione 19 decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 19 decembris 1339, pont. anno v.

---

## XVIII.

*Declaratio super certis capitulis contentis in constitutione edita super statu ordinis monachorum Nigrorum* (1).

SUMMARIUM

Nonnulla dubia ex constitutionibus huiusce Ordinis exorta. — 1. De visitatoribus. — 2. De expensis subministrandis venientibus ad annuale capitulum. — 3. De vita communi venientium ad capitula. — 4. De studentibus ad generalia Studia transmittendis. — 5. De pensionibus studentium. 6. De mutuis. — 7. De forma iuramenti a praelatis praestandi. — 8. De locis non tradendis ad firmam. — 9. Ne mulieres habitent in locis monachorum. — 10. De creatione monachorum. — 11. De licentiis eundi extra monasteria. — 12. De poenis quae a constitutionibus intentantur contra transgressores. — Clausulae.

**Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Nonnulla dubia ex constitutionibus huiusce Ordinis exorta.

Dudum pro bono et salubri statu religionis seu Ordinis monachorum Nigrorum nonnulla statuta et ordinationes certis distincta capitulis, adhibitis nobis nonnullis ex fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, et pluribus praelatis eiusdem Ordinis Decretorum docto-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.; legitur quoque apud Baluzium, Miscellan., tom. VII, pag. 142.

Adv. *Charta ista adiicienda est ad calcem tomi* IV *h. n. edit. et refertur ad pag.* 462 b *illius tomi.*

## XVIII[1]

*Reformatio advocatorum et procuratorum curiae Romanae*[2]

**Benedictus Episcopus**
**Servus Servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium

Decens et necessarium existimamus, ut patroni causarum, qui in Romanâ curiâ officium advocationis assumunt, deinceps discreto et optimo ordine dirigantur.

Patroni causarum moderatiam servent.

§ 1. Sit ergo causae patronus in proponendo efficax, pertinentia dumtaxat ad negotium de quo agitur recitans, superflua et impertinentia non admittens, nec ultra quam causae exposcit utilitas in licentiam conviciandi et maledicendi temeritatem prorumpat.

Pauperum causas gratis agant.

§ 2. Caveant tamen advocati, ne de causis pauperum (quas per illos qui eas proponere volunt gratis proponi volumus) quicquam omnino recipiant, etiam de ipsorum pauperum prompta instantia liberalitatis oblatum. Qui autem ab eis aliquid receperint, nequaquam dominium eius acquirant, sed ad restitutionem dupli eius quod receperint sic eis teneri volumus et adstringi, ut nihil per dictos pauperes remitti possit eisdem, ad quam quidem restitutionem per vicecancellarium S. R. E., qui erit pro tempore, per censuram ecclesiasticam compellantur.

Causarum multitudinem quibus sufficienter intendere non possunt non suscipiant.

§ 3. Ne vero (quod absit) cupiditatis ardor incitet advocatum, pro immoderato lucro captando, ad suscipiendum causarum multitudinem, ad quarum patrocinium non sufficit, non absque ipsarum detrimento causarum et clientulorum suorum irreparabili praeiudicio et iacturâ, omnibus advocatis eiusdem Romanae Curiae praesentibus et futuris districtius inhibemus, ne quisquam eorum tot causas suscipiat, quod eis opportunitatem necessarii studii et solertiam debitam in prosequendis seu dirigendis eisdem nequeant exhibere; cum melius sit bene pauca attendere, quam multa suscipere periculose: quod si forte contra inhibitionem huiusmodi tot causas receperint, ut eisdem singulis non possint debitum studium et necessitatem solitam adhibere, et ob hoc dictas causas vel earum aliquam perire vel nimis dispendiose differri contingat, ad restaurationem expensarum, damnorum et interesse partis, si talis sit causa, quae aestimationem recipiat, vel de cuius interesse partis possit satisfieri, integraliter teneantur, alioquin, ultra expensas easdem, pro eiusdem vicecancellarii in causis consistorialibus, in causis vero aliis, quas apud Se-

1 Constitutionem hanc Benedicti XII, quae ex oblivione in Romana Main. editione omissa fuit, desumimus ex Cherubinio, apud quem sub n. II refertur (R. T.).

2 Alias eorumdem, necnon et notariorum eiusdem curiae reformationes quamplures, pro temporum conditione, multi pontifices ediderunt, sed hanc ipse uti antiquiorem, et alteram Pauli V tamquam novissimam, et cuncta plenissime continentem, infra in sua Const. LXXI et sequenti (in h. n. edit. CXCIV et CXCV, quas vide in tom. XII, pag. 58 et 111 hoc opere inserere contentus fui, una cum adnotationibus ibi in apostillis sigillatim appositis (CHERUB.).

dem Apostolicam agitari contigerit, pro auditorum ipsarum causarum, sive auditores ipsi sint S. R. E. cardinales, sive alii qui apud Sedem praedictam huiusmodi causas audierint, arbitrio puniantur.

Causas suscipiendas examinent, et iniustas dimittant.

§ 4. Rursus, quilibet advocatus, antequam causam proponendam et dirigendam suscipiat, factum clientuli cuius erit negotium cum principali si poterit, vel cum procuratore seu promotore causae ipsius, et quae munimenta, qualesque probationes super dicto negotio clientulus habeat et haberi poterit, examinet diligenter. Et si ex informatione huiusmodi reperiat iustam, rationabilem et probabilem eius causam (quoniam[1] informationem in scriptis redactam sibi faciat exhiberi) causam assumere poterit suo patrocinio adiuvandam. Si vero iniustam et improbam ex dictâ informatione repererit, eam non assumat, sed a patrocinio suo repellat, partique repulsae consulat quod dictam causam dimittat, nec in prosecutione ipsius se et alteram partem vexet laboribus et expensis.

Pacta quote litis non ineant.

§ 5. Caveant autem quod, ultra conventum salarium, nihil omnino lite pendente recipiant quantumcumque gratis oblatum, nec clientulis vel aliis pro ipsis ineant, nec aliquam faciant pactionem, alioquin ad restitutionem dupli illius quod receperint, ultra dictam conventionem, teneantur, nullâ remissione partis in hoc profuturâ. Et contractus huiusmodi iuribus non subsistant, et aliàs per eumdem vicecancellarium in causis consistorialibus, in aliis vero causis per auditores earum, prout visum fuerit, puniantur.

Infideles vel negligentes in agendis causis, coërceantur.

§ 6. Praemissis quoque adiiciendo providemus, ut, si dicti advocati vel procuratores minus fideliter vel negligenter causas assumptas duxisse vel direxisse vel scienter malam causam vel improbam assumpsisse inventi fuerint, per praefatos vicecancellarium in causis consistorii, et per auditores in causis quas audient, ad emendationem damnorum et expensarum, quae et quas ad hoc[1] partes incurrent, omni appellatione cessante, censurâ simili adstrigantur. Et si eisdem vicecancellario vel auditoribus forsitan videatur ex qualitate vel frequentiâ dictorum excessuum vel defectuum dictos advocatos vel procuratores fore gravius puniendos, possint ad tempus vel in perpetuum eis interdicere officia praelibata.

Indigentibus de idoneis causarum patronis provideatur.

§ 7. Denique, quia periculosum posset esse partibus, si patroni causarum, quos aut meritum peritiores fecerit aut vetustas, pro unâ parte consistant, sicque partem aliam necesse sit a rudibus atque tironibus sustineri, statuimus ut, si partes hoc petierint, causidicorum distributio prout melius fieri poterit fiat, et singulorum exequetur partibus auxilium, ac huiusmodi aequa divisio in causis quae tractantur in consistorio, per vicecancellarium, in aliis vero per auditores ipsarum causarum fiat, ac duobus advocatis dumtaxat pars quaelibet sit contenta, nec plures valeat obtinere.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, statutorum, reformationum, mandatorum, prohibitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, VII kalendas novembris MCCCXL, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 octobris 1340, pontif. an. VI.

1 Forsan legendum *quorum* vel *quam* (R. T.).

1 Nescio an legendum *ob* pro *ad*.

ribus, consulta deliberatione, in religione ipsa vigilanter edidimus, in nonnullis ipsorum capitulorum adiicentes poenas quas transgressores seu contemptores vel non observatores ipsorum incurrere voluimus ipso facto, ex quibus apud provincialia capitula secundum dicta statuta postmodum celebrata, et conventus quamplurium monasteriorum insignes difficultates et infrascripta dubia sunt exorta. Quibus ad audientiam nostram deductis, nos ad eorum supplicationis instantiam, quaedam ex eis moderanda et mitiganda, aliqua vero mutanda et declaranda duximus, sicut, suadente aequitate, et pro fragilitatis humanae, et multorum supplicum, qui in culpas interdum per iuris ignorantiam faciliter prolabuntur, cognovimus expedire.

De visitatoribus

§ 1. In primis siquidem quia in capitulo posito sub rubrica *De visitatoribus* sub ipsius capituli principium continetur, quod si visitatores ea, quae in generalis concilii et Honorii Papae tertii praedecessoris nostri constitutionibus statuta existere dignoscuntur, exequi omiserint negligenter, illas poenas ipso facto incurrant ii, qui non veniunt ad capitulum provinciale praepeditionem canonicam non habentes; nos ex rationabilibus causis inducti, eos dumtaxat puniri volumus in expensis, quas receperint a locis visitatis per eos, in quibus secundum arbitrium provincialis capituli se habuerint negligenter, præfato capitulo applicandis.

De expensis subministrandis venientibus ad annuale capitulum.

§ 2. Rursus statuto posito sub rubrica *De capitulis generalibus celebrandis*, ubi circa eius principium dicitur, quod in singulis Ecclesiis cathedralibus et monasteriis annis singulis generale capitulum celebretur, in quo cum praelatis eorum alii abbates, priores, praelati et administratores eisdem immediate subiecti studeant convenire, adiicendum fore providimus, ut si forsan aliquis ex locis praedictis, in quibus debet dictum capitulum celebrari, membra habeat adeo sibi remota, quod administratores principales dictorum membrorum nequeant annis singulis ad dictum capitulum absque notabili dispendio convenire, tunc teneatur dictum capitulum ordinare, quando administratores huiusmodi sic distantes convenire ad dictum capitulum teneantur. Illud vero quod in dicto statuto subnectitur, quod illi qui venire tenentur ad provinciale capitulum de triennio in triennium, et ad cuiuslibet Ecclesiae vel monasterii capitula annuatim vivant cum aliis ipsius loci monachis in communi, et familiaribus suis clericis et laicis, et etiam evectionibus extra Ecclesias et monasteria et loca ipsa de suis propriis redditibus providere in necessariis teneantur, quavis constitutione vel consuetudine contrariis non obstantibus, suadentibus rationabilibus causis, per modum intelligi volumus infra scriptum, ut si forte, ex consuetudine vel statuto aut alia ordinatione rationabili incumberet alii seu aliis onus expensarum huiusmodi faciendi, consuetudini, statuto seu ordinationi huiusmodi per dictas constitutiones seu ordinationes nostras nullatenus derogetur. Eos tamen quibus huiusmodi expensarum onus incumbit, si ex hoc illis annis, quibus fieri volumus capitulum memoratum, vel ex aliis supra vel infra statutis ipsos ampliores expensas facere contigerit, nolumus in expensis plus solito praegravari, sed tunc huiusmodi expensae in quantum ultra solitum fuerint ampliores, fiant per omnes simul proportionabiliter, ut praefertur.

De vita communi venientium ad capitula.

§ 3. Super eo vero, quod in eodem statuto dicitur, quod convenientes ad dicta capitula vitam ducant communem, et faciant proportionaliter simul omnes expensas, id intelligi volumus, quoad provincialia capitula, si hoc commode fieri possit.

De studentibus ad generalia studia transmittendis.

§ 4. Caeterum illud, quod in capitulo posito sub rubrica *De studentibus ad generalia Studia transmittendis* circa eius principium continetur: videlicet quod loca habentia octo monachos aliis principalibus

locis subiecta in computatione vicenarii numeri, ac missione cum eisdem locis principalibus, quibus subsunt, coniungantur; intelligi volumus de locis subiectis, in quibus fuerint octo monachi, etiam illo, qui præest eisdem, in huiusmodi mumero computato. Adiicimus etiam, quod si huiusmodi loca subiecta viginti monachos vel plures habuerint, per se faciant huiusmodi studentium missionem, nec quantum ad hoc cum locis principalibus coniungantur. Quinimo si alia loca eis subiecta octo monachos habuerint, cum immediatis superioribus, quantum ad missionem huiusmodi, coniungantur. Si vero fuerit Ecclesia, monasterium vel alius locus principalis, in quo vicenarius monachorum numerus non existat, si tamen ibi numerus maior senario, teneantur visitatores per capitulum provinciale deputati, cum in eis visitationis officium exercebunt, inquirere de facultatibus et oneribus eorumdem, et si, huiusmodi oneribus supportatis, invenerint facultates sufficere pro uno vel pluribus monachis ad dicta Studia destinandis, relationem de hoc faciant in provinciali capitulo subsequenti, in quo praesidentes cum consilio et assensu maioris partis capituli ordinent auctoritate apostolica, iuxta huiusmodi suppetentiam facultatum, de uno vel pluribus monachis ad eadem Studia destinandis. Volumus insuper quod in quocumque loco, a quo de consuetudine vel ordinatione, seu statuto, quae decrevimus inviolabiliter observanda, plures ad huiusmodi Studia mittendi fuerint, quam sit in constitutionibus nostris huiusmodi ordinatum, serventur deinceps, circa nominandas, eligendas et licentiandas personas huiusmodi mittendorum, ea, quae per nos circa alios mittendos ad Studia in eisdem constitutionibus continentur.

De pensionibus studentium.

§ 5. Praeterea illud, quod in capitulo posito sub rubrica de pensionibus studentium continetur, videlicet, quod nullus aliquid de huiusmodi pensionibus seu fructibus, redditibus vel proventibus, quae vel qui assignabuntur pro pensionibus ipsis, dare seu commutare aut quomodolibet alienare praesumat, intelligimus vel intelligi volumus in dimissionem scilicet pensionum, seu praeiudicium studentium praedictorum; volumus tamen quod in casu, in quo fieret huiusmodi commutatio, ad hoc ut studentibus praeiudicium nullum fiat, fructus, redditus et proventus, seu loca, quae fuerint subrogata seu successerint in locum priorum, sicut illa pro dictis pensionibus perpetuo remaneant obligata. Inter alia etiam ordinavimus in eodem capitulo, quod pensiones studentium de communi contributione inter caput et membra ipsum caput pertinentia facienda solverentur, quousque certi perpetui redditus pro ipsis pensionibus existerent assignati, pro praedictis quoque pensionibus beneficiorum uniones et pensionum impositiones sub certa forma fieri volumus, prout in eodem capitulo continetur. Cum autem, sicut ex quorumdam relatione percepimus, ex unionibus et impositionibus huiusmodi difficultates et nonnulla dispendia sint secuta, et plura et maiora sequi in posterum formidentur; nos in hac parte mederi praeteritis et praecavere futuris dispendiis cupientes, uniones et pensionum impositiones quascumque auctoritate nostra propterea iam factas omnino cassantes, et potestatem super iis per nos quibuscumque concessam totaliter revocantes, per modum, qui sequitur, circa pensiones dictorum studentium providimus, videlicet, quod ubi mittendi ad Studia fuerint in Ecclesia, monasterio sive loco unde mittentur, tantum vel amplius in victualibus et vestiario percepturi, quantum summae praetaxatarum pensionum ascendunt, valorem eorum habeant in pecunia pro huiusmodi pensione in Studio residendo. Valorem autem huiusmodi solvere teneantur temporibus pro pensionibus solvendis statutis, ii qui victualia et vestiarium ministrabunt, et in primo capitulo generali per tres bonos viros per

ipsum capitulum, vel maiorem partem ipsius deputandos fiat aestimatio praedictorum in pecuniam fideliter, unum annum cum alio compensando, ac illa in aestimatione huiusmodi computando, quae ex bono et aequo viderint computanda. Si vero ea, quae recepturi forent, seu valores eorum ad summam dictarum pensionum forsitan non ascendant, de communi contributione facienda per modum in eodem capitulo de pensionibus studentium positum, id quod defuerit, suppleatur, donec de perpetuis et certis redditibus pro iis de novo acquisitis fieri valeat huiusmodi supplementum: si autem in aliqua Ecclesia, monasterio sive loco religionis eiusdem taxatum seu ordinatum existit, quid et quantum pro victu et vestitu monacho in Studio existenti oporteret in pecunia vel rebus aliis assignari; illud detur et assignetur loco victus et vestitus per eos, qui ad eorum solutionem tenebuntur, ei qui, ut praemissum est, ad Studia transmittetur, et in eo casu, quo non pecunia, sed res aliae consueverunt ipsis studentibus assignari, fiat earum rerum aestimatio per deputatos praedictos. Et si huiusmodi pecunia vel res summas dictarum pensionum studentium praedictorum excedunt, id quod plus recipi consuevit, non diminuatur: si vero ad summas huiusmodi non ascendant, id quod deerit de communi contributione, ut praemittitur, suppleatur, quousque ea, quae per communem contributionem huiusmodi in supplementum praedictum dari debent studentibus, instructoribus praelibatis in certis et perpetuis redditibus pro iis de novo acquisitis fuerint assignata. Illud quoque, quod in eodem capitulo continetur, videlicet, ne de studentium pensione alia praedictorum cuiquam valeat provideri, nisi ipse electus et licentiatus fuerit, prout est in dicto capitulo ordinatum, alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure, nec per eam ius alicui acquiratur, et tam assignans, quam accipiens teneantur ad restitutionem omnium, quae exinde recepta fuerint, faciendam, et nihilominus poenis subiaceant superius in eodem capitulo designatis; id intelligi volumus, cum scienter peccatum fuerit in modo vel forma electionis vel nominationis praedictae. Quia vero in eo capitulo continetur, quod praesidentes et alii convenientes ad provinciale capitulum provideant, ut monachi ad dicta Studia transmittendi insimul commorentur saltem deni ad minus; concedimus quod dicti praesidentes possint in provinciali capitulo, si eis expediens visum fuerit, ordinare, quod monachi numero pauciores, usque ad senarium numerum, simul morari valeant in Studiis supradictis. Quod autem in dicto capitulo, in paragrafo: *Rursus statuimus etc.*, inter alia continetur, quod illi qui ad baccalaureatum, et ad legendum Decretales in Parisiensi Studio assumi voluerint et in ipso Parisiensi, vel quovis alio generali Studio, audiverint iura canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audierint decretum, necnon illi, qui ad magisterium in Decretis, vel ad lecturam Decretorum assumi voluerint in praefato Parisiensi Studio, et ibi vel in alio generali Studio iura canonica ut baccalaurei legerint per quinque annos, et de hoc primo fidem fecerint per eorum proprium et duorum aliorum iuramentum; intelligi volumus, quod duo praefati, addito eis tertio, solum iurare debeant se credere huiusmodi ad baccalaureatum assumendos vel magistrandos, seu etiam ad lecturam Decretorum assumendos verum iurasse.

De mutuis.

§ 6. Verba autem illa, quae in capitulo posito sub rubrica *De mutuis*, in paragrafo: *Volentes itaque*, continentur, scilicet obligando seu submittendo *etc.*, ad omnem ambiguitatem tollendam intelligi volumus de obligatione et submissione speciali et expressa.

De forma iuramenti a praelatis praestandi.

§ 7. Rursus illud quod in capitulo posito sub rubrica *De forma iuramenti a praelatis praestandi* in paragrafo, qui incipit: *Decernimus*, continetur, videlicet,

quod cum civitas, castrum *etc.*, vendenda vel obliganda extiterint, quoad obligationem huiusmodi intelligi volumus, si obligatio ipsa fiat principaliter, specialiter et expresse.

De locis non tradendis ad firmam

§ 8. Porro ad capitulum positum sub rubrica *De locis non tradendis ad firmam*, adiicimus, quod per contenta in eo non intendimus prohibere, quominus antistites, abbates, priores et administratores alii redditus et proventus administrationum suarum locare seu vendere valeant, absque solemnitate in capitulo ipso apposita, ad tempus modicum, quod triennium non excedat iuxta morem in regione, in qua erunt, solitum observari, statutis etiam rationabilibus Ecclesiarum vel monasteriorum, vel aliorum locorum religionis eiusdem, si qua super hoc fuerint, observatis. Si vero talis traditio vel concessio ad firmam tempus triennii forsan excedat, volumus quod omnes solemnitates in ipso capitulo positae debeant observari. Volumus etiam quod decimae et primitiae nonnisi usque ad annum tradi possint ad firmam, et quod per hoc in casibus aliis non praeiudicetur contentis in ordinationibus praelibatis. Si tamen ex huiusmodi locatione seu venditione proventuum ad tempus modicum, ut praemittitur, facienda contingeret infra unum annum recipi pecuniam, vel aliud, quod pretium proventuum unius anni rei venditae seu locatae excederet, tunc servari volumus solemnitates contentas in capitulo memorato.

Ne mulieres habitent in locis monachorum.

§ 9. Quod autem in capitulo posito sub rubrica, *Ne mulieres habitent in locis monachorum*, prohibetur expresse, ne antistites, abbates, priores et caeteri administratores in Ecclesiis, monasteriis seu locis aliis Ordinis et religionis eiusdem, aut infra septa ipsorum mulieres tenere praesumant, declaramus de illis domibus, locis et septis religionis eiusdem debere intelligi, in quibus debent monachi residere.

De creatione monachorum.

§ 10. Illud siquidem quod in capitulo posito sub rubrica *De creatione monachorum* circa eius principium continetur, videlicet quod induantur monachi cum proborum consilio Ecclesiae, monasterii, prioratus, decanatus aut loci, cui ii, ad quos pertinet creatio eorumdem, praefuerint; intelligi volumus in locis dumtaxat, in quibus de consuetudine, privilegio vel statuto requiri debet proborum consilium praedictorum.

De licentiis eundi extra monasteria.

§ 11. Caeterum illud, quod continetur in capitulo posito sub rubrica *De licentiis eundi extra monasteria*, vel alia loca, in versiculo, qui incipit: *Si quis vero monachus contrarium fecerit;* intelligi volumus cum monacus de monasterio et loco conventuali, a superiore suo non petita licentia, nec obtenta, exire praesumpserit, vel cum, obtenta dicta licentia, exiverit, et cessante impedimento legitimo, in praefixo sibi termino non duxerit redeundum.

De poenis quae a constitutionibus intentantur contra transgressores.

§ 12. Denique quia in eisdem constitutionibus nonnulla capitula continentur, per quae poenae seu sententiae excommunicationis, suspensionis et interdicti ac etiam inhabilitatis in personas dictae religionis interdum, sine aliqua moderatione temporis, proferuntur, quas siquidem poenas seu sententias nonnulli per inadvertentiam, simplicitatem seu ignorantiam, seu etiam propter ambiguitatem dictorum capitulorum forsitan incurrerunt, nos ad eorum supplicationis instantiam pro animarum ipsorum salute praefatis personis dictae religionis, cuiuscumque status seu conditionis existant, quae praedictas poenas vel sententias incurrerint, providere salubriter intendentes, volumus, et tenore praesentium concedimus hac vice, quod personae in dicta religione superiores non habentes, quae praedictas poenas vel sententias incurrerint, ab aliquo praesidentium, caeterae vero personae per suos immediate superiores possint, si humiliter petierint, a praedictis sententiis iuxta Ecclesiae

formam absolvi, et ab eis tam super irregularitate, si quam forsan praedictis ligatae sententiis celebrando divina, vel se ingerendo eisdem, contraxerunt, quam super inhabilitate, praemissorum occasione contracta, dispensationis et habilitationis gratiam obtinere, iniunctis eis super iis quae de iure fuerint iniungenda. Poenas vero temporales, quas per constitutiones easdem personae praedictae forsan incurrerunt, de quibus per eas nondum extitit satisfactum, volentes hac vice misericorditer agere cum eisdem, apostolica auctoritate remittimus de gratia speciali.

Clausulae

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum, adiectionum, constitutionum, cassationum, revocationis, declarationis et remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, nonis decembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 5 decembris 1340, pont. anno VI.

---

# CLEMENS VI

## PAPA CXCVIII

*Anno Domini MCCCXLII.*

Die septima mensis maii anno 1342 electus est in Romanum Pontificem, et Clemens VI voluit appellari, Petrus Rogerius presbyter cardinalis Ss. Nerei et Achillei tituli Fasciolae, qui solemniter coronatus est Avenione die 19 eiusdem mensis in die Pentecostes. Sedit in pontificatu annis X, mensibus fere septem, a die electionis eius computandis: a die vero coronationis annis X, mensibus VI, diebus XVIII, imperantibus in Oriente Ioanne Palaeologo imperatore, in Occidente vero Carolo IV rege Romanorum. Obiit die 6 decembris 1352, et corpus eius depositum est Avenione in Ecclesia B. Mariae, indeque translatum ad monasterium Casae-Dei in Alvernia. Vacavit sedes dies XII.

---

## I.

*Insignium sacerdotiorum atque ecclesiasticarum dignitatum provisio in Siciliae regno Sedi Apostolicae reservatur ad tempus* (1).

SUMMARIUM

Miserum Siciliae statum deplorat. — 1. Causae huiusmodi reservationis faciendae. — Reservatio (*de qua in rubrica*). — Clausulæ.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Miserum Siciliae statum deplorat

Dum statum miserabilem insulae Siciliae, quae propter inobedientias et excessus nefandos varios contra Romanam Ecclesiam commissos ibidem, interdicto ecclesiastico subiacere, ac diu subiacuisse noscitur, mentis oculis intuemur, eidem more paterno compatimur, piis desideriis affectantes, quod per veram obedientiam et satisfactionem debitam a suis relevari periculosis opprobriis, et ad statum dirigi prosperum mereatur.

Causae huiusmodi reservationis faciendæ.

§ 1. Cum autem propter haec et alia circa praemissa diligentius attendenda opportunum admodum existimetur, quod in Ecclesiis praesertim cathedralibus et aliis locis ecclesiasticis eiusdem insulae praecipuis, praelati et rectores praeficiantur idonei, per quorum fidelitatem et circumspectam industriam Ecclesiarum et locorum praedictorum posse provideri utilitatibus, et salubriter consuli statui supradicto, speretur; nos, his et aliis causis honestis et rationabilibus animum nostrum ad id moventibus, nonnullorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigiis inhaerentes,

(1) Ext. apud Raynald. ad annum 1343, § 83.

Reservatio (de qua in rubrica).

provisiones et dispositiones omnium et singularum archiepiscopalium, episcopalium, collegiatarum Ecclesiarum, necnon abbatiarum, monasteriorum et prioratuum conventualium regularium et saecularium, exemptorum et non exemptorum, nunc vacantium et in antea vacaturorum, infra dictam insulam consistentium, in quibus praelati seu rectores consueverunt per electionem assumi, si, cum et quotiens casus vacationis emerserit, usque ad biennium a prima die iunii proximo instantis, quo terminabitur tempus reservationis per felicis recordationis Benedictum Papam XII praedecessorem nostrum olim de illis factae in antea computandum, nobis et Sedi Apostolicae auctoritate apostolica reservamus; universis Ecclesiarum, abbatiarum, monasteriorum et prioratuum praedictorum capitulis, collegiis et conventibus ac personis districtius inhibentes, ne in eis, huiusmodi reservatione durante, ad electionem, postulationem vel provisionem aliquam praesumant procedere aliquo modo, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super ipsis, per quosvis alios, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Caeterum volumus, et nostrae intentionis existit, quod reservatio, inhibitio et decretum huiusmodi, ad monasteria monialium et aliarum religiosarum mulierum, et ad Ecclesias vel prioratus non conventuales, seu quorum fructus, redditus et proventus annui summam quinquaginta florenorum auri secundum communem aestimationem non excedunt, nullatenus extendantur.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, inhibitionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, tertio nonas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 maii 1343, pontif. anno I.

## II.

*Declaratio, quod rege Siciliae minore, regni procuratio spectat ad Sedem Apostolicam* (1).

### SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Qui fuerint a Roberto rege constituti procuratores regni. — Ioanna stare eorum administrationi promisit. — Ad quem regni administratio spectet. — Ioannae gesta iure non fulta. — 2. Decretum pontificium circa regni procurationem. — 3. Ioannae gesta rescissa. — 4. Irritata etiam quae fieri continget in futurum. — 5. Procuratores a Roberto instituti exauctorati. — 6, 7. Aymericus tit. S. Martini in Montibus legatus regno administrando praeficitur. — Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Ex ore sedentis in apostolicae Solio dignitatis debet adinstar Illius, cuius vices gerit, gladius procedere bis acutus, ut aequo libramine cuncta ad examen ipsius deducta prudenter appendens, ius suum unicuique tribuat, et in iustitia nulli parcat: quem tunc bene agere nos cognoscimus cum tam nostris, quam subditorum, non declinando ad dextram vel sinistram, invigilamus remediis, futuris occurrimus periculis, ac iniuste et improvide attentata, quae partus forsitan se deteriores haberent, si ipsorum inefficacia in publicum, praecone iustitia, non iusti censura iudicii reformamus. Tuncque cum maiora timentur provenire dispendia, promptiori et uberiori cautela sinepersonarum acceptione provisionis nostrae remedio, subvenimus.

Qui fuerint a Roberto rege constituti procuratores regni.

§ 1. Sane ad apostolatus nostri notitiam pridem deducto, quod clarae memoriae Robertus rex Siciliae in ultimo testamento suo inter caetera ordinaverat et mandaverat, quod venerabilis frater noster Philippus episcopus Cavalicensis et charissima in Christo filia nostra Sancia

(1) Ext. apud Raynald. ad annum 1343, § 75.

regina Siciliae illustris, ac dilecti filii nobiles viri Philippus de Sanguinero Altifluminis, Gaufridus de Marsano Squilacii comites, ac Carolus Artus, essent et esse deberent gubernatores, dispensatores, rectores et administratores vel quocumque alio modo et nomine melius poterant de iure censeri, charissimae in Christo filiae nostrae Ioannae reginae Siciliae illustris neptis suae ex unico filio primogenitae, eidem regi in regno Siciliae et terris citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiae (excepta civitate Beneventana cum eius territorio ad Romanam Ecclesiam pertinente) iuxta conventiones inter ipsam Romanam Ecclesiam et clarae memoriae Carolum primum regem Siciliae, ipsius Roberti avum, initas succedentis, volens et mandans, quod praefata Ioanna, donec complevisset vigesimum quintum annum, nihil deberet vel posset quomodocumque et qualitercumque agere seu facere in iudicium vel extra iudicium contrahendo, dando et alienando seu alias quemcumque actum legitimum faciendo sine expressa conscientia et assensu principaliter dictae Sanciae et aliorum praedictorum quos gubernatores, dispensatores, rectores et administratores dictorum reginae et regni statuebat, et quod si ante lapsum praedicti temporis dicta Ioanna secus forte faceret, quod non credebat, nec intendebat ipse rex, ut dicebat, ipso iure, esse nullum, et prorsus vacuum et inane, quam ordinationem et voluntatem dicta Ioanna se inviolabiliter promiserat servaturam; intellecto quoque, quod episcopus, Sancia et alii supradicti, post mortem dicti regis, virtute ordinationis praedictae multa gesserant et administraverant, gerebant et administrabant, et dictae Ioannae gubernanti et regenti in contractibus, iudiciis et aliis diversis agendis auctoritatem et consensum praestiterant et praestabant; ipsa enim Ioanna interdum cum praedictorum et aliquorum ex ipsis auctoritate et assensu, et interdum per se vel aliquorum ex eis non interveniente consensu

Ioanna stare eorum administrationi promisit.

gerebat, disponebat et administrabat in regno et terris praedictis donando, investiendo feuda, dignitates, administrationes et officia perpetua et temporalia concedendo et aliter contrahendo, et alios actus iudicialiter et extraiudicialiter exercendo; nos considerantes, quod dicta Ioanna regina adhuc talis est aetatis, quod ipsa ad administrationem regni et terrarum praedictorum propter defectum aetatis huiusmodi minus idonea existit, et quod propterea ad nos, qui eiusdem Ioannae immediati superiores existimus, et totius regni et terrarum praedictorum directum et altum dominium obtinemus, cura, administratio, defensio, gubernatio et bailia regni et terrarum praedictorum gerenda per nos vel alium seu alios idoneos, quos ad hoc duxerimus deputandos, sic plene et in solidum de iure et diversorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum observantia pacifica istis dignoscitur temporibus pertinere, quod nec praedictus rex, gubernatores, rectores et administratores huiusmodi, pro tempore, quo gubernatio, administratio per bailia huiusmodi ad nos, ut praemittitur, pertinet, dictis Ioannae et regno nullo modo poterat deputare, et propterea praedicti episcopus, Sancia, Philippus, Gaufridus et Carolus, tamquam dati et deputati administratores et gubernatores ab illo, cui ius dandi, saltem pro dicto tempore, minime competebat, administrare, gubernare et regere, seu praedictae Ioannae in agendis auctoritatem et consensum seu assensum, praetextu vel virtute ordinationis praedictae praestare nullatenus potuerunt, nec dicta Ioanna cum auctoritate seu consensu ipsorum, nec etiam per se ipsam, sive illis huiusmodi tempore de dispositione et gubernatione regni et terrarum praedictorum, vendendo, dando feuda, dignitates et officia perpetua vel temporalia concedendo, investituras faciendo, seu quosvis alios actus legitimos in iudiciis vel extraiudicialibus exercendo se poterant intromittere quoquomodo, sive

Ad quem regni administratio spectet.

Ioannae gesta iure non fulta.

quae ex gestis per eam cum dictorum episcopi, Sanciae et aliorum vel aliquorum ex eis auctoritate seu consensu, vel per se ipsam, eorum non interveniente consensu, seu per ipsos episcopum, Sanciam et alios supradictos, qui nullum habuerunt, nec habent dispensationis, gubernationis huiusmodi potestatem, decipiuntur subditi et alii, cum dicta Ioanna seu cum episcopo, Sancia et aliis saepefatis, vel eorum auctoritate vel assensu contrahentes, seu quaevis alia negotia exercentes et officia, dignitates, administrationes, investituras vel quaecumque alia ipsis intervenientibus obtinentes, cum ex administratione, gestione et gubernatione talium umbra quaedam solum ostendatur in opere, nulla autem subsit realis veritas in effectu; ac volentes, sicut tenemur, damnis et periculis, quibus regni et terrarum praedictorum incolae nostri quidem et Ecclesiae Romanae homines principaliter vassalli subiici propterea possint, occurrere, ac indemnitati praedictae Romanae Ecclesiae, cui ex praedictis magnum, nisi sic praesumptis obviaretur conatibus, praeiudicium pararetur, quantum cum Deo possumus, providere, deliberavimus cum fratribus nostris tam periculoso errori, ne eum approbare tacite videamur, resistere et male incohatis occurrere, ne tractu temporis invalescant per tolerantiam et eisdem vires dissimulatio subministret.

*Decretum pontificium circa regni procurationem.*

§ 2. Ideoque de eorumdem fratrum consilio praesentis sanctionis oraculo decrevimus, et ex certa scientia declaramus praedictum regem non debuisse nec potuisse praenominatos episcopum, Sanciam, et alios gubernatores, dispensatores, rectores, administratores dictorum Ioannae reginae et regni pro istis saltem temporibus, quibus gubernatio, bailia et administratio (1), ut praemittitur, pertinet, sicut nec quosvis alios dare, ordinare, vel quomodolibet deputare, nec ipsos episcopum, Sanciam et alios debuisse nec potuisse ex ordinatione ipsius regis administrationem et gubernationem ipsorum Ioannae et regni recipere, vel ad ipsam administrationem et gubernationem sive per se ipsos, sive dictae Ioannae auctoritatem, consensum vel assensum in iudicio vel extra iudicium, seu alias qualitercumque praestando se ingerere, vel ipsi administrationi directe vel indirecte virtute ordinationis praedictae quomodolibet immiscere, nec dictam Ioannam cum auctoritate seu consensu ipsorum, neque etiam per se ipsam, praedictorum non interveniente consensu, de gubernatione et administratione praedictorum regni et terrarum se intromittere aliquomodo istis temporibus, ut praemittitur, potuisse, nec debuisse.

*Ioannae gesta rescissa.*

§ 3. Declaramus insuper omnia gesta, acta et administrata qualitercumque virtute ordinationis huiusmodi per nominatos episcopum, Sanciam et alios communiter vel divisim, et per praefatam Ioannam cum auctoritate et assensu (1) ipsorum auctoritate vel consensu, sive sint venditiones, donationes feudorum, officiorum et dignitatum perpetuorum vel temporalium concessiones, investiturae, seu quaevis alia iudicialia et extraiudicialia quocumque nomine appellentur, cassa omnino esse et irrita, nullumque debuisse vel debere sortiri effectum, nec alicuius existere firmitatis.

*Irritata etiam quae fieri continget in futurum.*

§ 4. Et nihilominus huiusmodi acta, gesta, disposita et administrata, ut praemittitur, per praedictam Ioannam, quoquomodo, seu per alios supradictos, vel ipsorum aut aliquorum ex ipsis, auctoritate, consensu seu assensu, quatenus processerunt de facto, et quae pro tempore, quo ad nos administratio, ut praemittitur, pertinebat, per ipsam Ioannam, vel praedictos, vel eorum auctoritate vel consensu, modo et forma praemissis fieri, geri et administrari contingeret in futurum, non obstante iuramento per saepefatam Ioannam praestito, cassamus, irritamus, et cassa et irrita nuntiamus.

(1) Add. forsan *ad nos*.

(1) Legendum forsan *ipsorum, vel sine*, etc.

Procuratores a Roberto instituti exauctorati.

§ 5. Inhibemus quoque praefatis episcopo, Ioannae, Sanciae, Philippo, Gaufrido et Carolo sub poena excommunicationis, quam ipsos et eorum singulos non parentes huiusmodi nostris prohibitionibus et mandatis, non obstantibus quibuscumq. privilegiis, incurrere volumus ipso facto, ne post habitam praesentis decreti, declarationis, ordinationis et inhibitionis notitiam, praedicta Ioanna, durante dicto tempore, de dispositione, administratione et gubernatione dictorum regni et terrarum, cum, seu sine auctoritate vel consensu praedict. episcopi, Sanciae et aliorum, nec etiam ipsi episcopus, Sancia et alii, sive per se gerendo et administrando, sive ipsi Ioannae auctoritatem seu consensum virtute praedictae ordinationis ipsius Roberti regis, ut praemittitur, præstando, directe vel indirecte seu aliqualiter intromittant, nec se administratores seu gubernatores regni seu reginae, vel quovis alio nomine, occasione ordinationis praedicti regis, nullatenus verbo vel scriptura nominent vel faciant ab aliis nominari.

Aymericus tit. S. Martini in Montibus legatus regno administrando præficitur.

§ 6. Caeterum, ut incolae dicti regni, quos in visceribus gerimus charitatis, vel quivis alii cum dictis episcopo, Sancia, Philippo, Gaufrido et Carolo tamquam cum administratoribus et gubernatoribus praedictorum regni seu reginae, vel cum dicta Ioanna, de auctoritate, consensu vel assensu ipsorum communiter vel divisim, vel eorum non interveniente consensu, quomodolibet contraxerunt, vel ab ipsa Ioanna feuda, investituras, dignitates, officia seu administrationes aliquas receperunt, vel qui cum ea, seu praedictis, vel iudicibus, seu officialibus aliis deputatis ab ipsis in iudicio vel extra quovis modo aliqua gerere vel agere habuerunt bonam fidem habentes, ex ignorantia se laesos non lugeant seu deceptos; nos eisdem providere paterna pietate volentes, dilecto filio nostro Aymerico tituli Sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, Apostolicae Sedis legato per nos in dictis regno et terris administratore, gubernatore et baiulo deputato committimus per praesentes, quod ea, quae per praefatos episcopum, Sanciam et alios, vel per praedictam Ioannam, cum etiam, vel sine auctoritate, consensu vel assensu eorum seu aliquorum ex ipsis gesta et administrata repererit utiliter, et alias rite, et non in Romanae Ecclesiae seu regni praeiudicium processisse, de patientia toleret, vel, prout sibi videbitur, auctoritate nostra approbet et confirmet.

§ 7. Per praedicta autem non intendimus quin ea, quae praefati episcopus, Sancia, Philippus, Gaufridus et Carolus ab ipso Roberto executores etiam deputati, tamquam executores ex virtute executionis dumtaxat, ac prout, et in quantum executorum potestas et ministerium legitime se extendit, gesserunt et administraverunt, seu eos gerere et administrare contigerit in futurum, plenam et perfectam, ac per praesentem constitutionem et ordinationem in nullo diminutam obtineant roboris firmitatem.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, recisionis, prohibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis *etc.*

Datum Avenione quarto kalendas decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 28 novembris 1343, pont. anno II.

---

## III.

*Facultas abbati congregationis monacorum B. Mariae Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, retinendi et acquirendi nova loca et monasteria, ibique ecclesiastica sacramenta ministrandi (1).*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Multa bona his monachis a fidelibus collata. — 2. Facultas eis concessa haec recipiendi bona: aliaque con-

(1) Hanc congregationem approbavit Ioannes XXII, constitutione XXXVI, pag. 310, *Cum a nobis*.

dendi monasteria, oratoria, *etc.* — 3. Ibique ecclesiastica ministrandi sacramenta.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Mariae de Monte Oliveti in Accona, Ordinis S. Benedicti, Aretinae dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Solicitudinis pastoralis officium, quod super omnes orbis Ecclesias et monasteria, dispositione divina, licet immeriti, gerimus, pulsat et excitat mentem nostram, ut cunctorum fidelium, et praesertim regularium personarum, quae, mundanis relegatis illecebris, sub arctioris vitae observantia se perpetuo divinis obsequiis emanciparunt, commodis intendamus, ac in iis, quae divini cultus animarum salutem et religionis augmentum concernunt, eos apostolici favoris praesidio foveamus.

Multa bona his monachis a fidelibus collata.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper vestra petitio continebat, quod nonnulli Christi fideles, gerentes ad vestrum monasterium specialis devotionis affectum, ac cupientes, ut monasterium ipsum ad divini laudem Nominis amplietur, pro animarum ipsorum salute, nonnullas domos, terras, possessiones, loca et alia bona ad eos spectantia, vobis ac vestro monasterio liberalitate provida donaverunt, et ea intentione contulerunt, ut in eisdem domibus, terris, possessionibus et locis, prioratus et oratoria cum officinis necessariis ad opus personarum dicti monasterii construantur et de novo fundentur; ipsaque constructa et fundata, dicto vestro monasterio tamquam membra capiti sint subiecta, et in eis sic constructis et fundatis instituantur, ponantur et deputentur priores, monachi et conversi ac familiares, per te, fili abbas, et successores tuos abbates, qui erunt pro tempore, monasterii supradicti, quodque quamplurimi alii Christi fideles similes donationes et concessiones vobis libenter facerent ad similes usus, ut creditis, si vos super his a Sede Apostolica haberetis auctoritatem, licentiam et etiam facultatem. Quare nobis humiliter supplicastis, ut vos in hac parte, praerogativa Sedis Apostolicae gratia prosequendo, consueta ipsius clementia, dignaremur.

Facultas eis concessa haec recipiendi bona: aliaque condendi monasteria, oratoria, etc.

§ 2. Nos igitur, qui sumus almifici confessoris Benedicti Ordinis professores, cupientes Ordinem ipsum, ad Dei laudem et gloriam, ipsiusque Confessoris memoriam celebrem dilatari, ac cultum augeri divini Nominis, et animarum salutem etiam procurari, et propterea huiusmodi pia desideria devotorum volentes favoribus apostolicis confovere, vestris supplicationibus inclinati, recipiendi huiusmodi domos, terras, possessiones, loca et omnia bona praedicta vobis iam concessa et donata, et ea etiam quae in posterum vobis donabuntur et concedentur ad usus praedictos, et in eisdem domibus, terris, possessionibus, locis donatis et concessis, ac donandis et concedendis, prout domorum, terrarum, possessionum, locorum huiusmodi magnitudo seu quantitas et eorum etiam facultates exposcent, prioratus vestri ordinis et oratoria cum officinis necessariis construere et fundare in partibus dumtaxat Italiae, ac in eis priores, monacos, conversos et familiares iuxta dictarum facultatum exigentiam instruere, qui, secundum eiusdem B. Benedicti regulam, et instituta dicti vestri monasterii, devotum impendant perpetuo Altissimo famulatum. Et quod eisdem prioribus, monacis et conversis liceat in eisdem prioratibus et oratoriis habere altaria, campanilia cum campanis, caemeteria pro sepultura personarum in illis degentium, ac in oratoriis ipsis missas et alia divina officia celebrare. Quodque prior cuiuslibet loci sic construendi possit monachorum et conversorum prioratus seu loci sui confessiones audire, ipsosque absolvere, ac eis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem, dummodo talia non fuerint propter quae foret Sedes Apostolica merito consulenda.

Ibique ecclesiastica ministrandi sacramenta.

§ 3. Necnon eisdem cuncta sacramenta ecclesiastica ministrare, et quod in prioratibus et oratoriis ipsis erectionem et consecrationem altarium, et caemeteriorum benedictionem a quocumque malueritis catholico antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente (si prioratuum et locorum ipsorum dioecesani eas vobis et ipsis prioribus ac monachis gratis et sine pravitate exhibere noluerint) recipere libere valeatis; vobis et eisdem prioribus et monachis prioratuum et locorum huiusmodi sine parochialium Ecclesiarum et cuiuslibet alterius iuris alieni praeiudicio, auctoritate apostolica licentiam et facultatem liberam, tenore praesentium, de gratia concedimus speciali.

Nulli ergo, *etc.*

Dat. Avenione, 12 kalendas februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 21 ianuarii 1344, pont. anno II.

---

## IV.

### *Pragensis Ecclesiae erectio in archiepiscopatum* (1).

SUMMARIUM

Pragensis Ecclesiae dignitas. — 1. In archiepiscopatum erecta. — 2. Dies ad pallii usum designati. — 3. Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Pragensis Ecclesiae dignitas.

Attendentes Pragensem Ecclesiam magnae titulo dignitatis inter alias partium (2) Ecclesias praefulgere dignitate, rationale fore conspicimus ut ipsam Pragensem Ecclesiam et archiepiscopos qui pro tempore inibi praefuerint, spiritualibus gratiarum largitionibus in eis potissime, quae ad suum decus et decorem ex ipsius Ecclesiae excellentia dignitatis pertinent, honoremus.

In archiepiscopatum erecta.

§ 1. Nuper siquidem, suadentibus rationabilibus causis, eandem Pragensem Ecclesiam, olim suffraganeam Ecclesiae Moguntinensis, ac tunc de provincia Moguntina existentem, et venerabili fratri nostro Arnesto, episcopo olim Pragensi, in archiepiscopum Pragensem electo, regimini eiusdem *etc.*, Pragensis Ecclesiae praesidente, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, in archiepiscopalem et metropolitanam ereximus, et honoribus ac insigniis sedis metropoliticae duximus decorandam. Et attendentes quod ipse Arnestus in eiusdem Ecclesiae regimine, dum episcopalis existebat, hactenus se gessit fideliter et prudenter, et quod illud in posterum attentius gereret, praefatum Arnestum ipsi Ecclesiae Pragensi in archiepiscopum praefecimus, et pastoralem curam et administrationem ipsius eidem Arnesto in spiritualibus et temporalibus committendo, sibique deinde pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis, a nobis ex parte sua humiliter postulatum, duximus concedendum.

Dies ad pallii usum designati.

§ 2. Ut autem idem Arnestus et eius successores archiepiscopi Pragenses, qui erunt pro tempore, eo licentius pallio uti possint, quo specialiori Apostolicae Sedis super hoc fuerint privilegio communiti, ipsius Arnesti supplicationibus inclinati, eidem Arnesto et successoribus suis praefatis, ut in ipsa Pragensi et aliis suae Pragensis provinciae Ecclesiis, videlicet in Nativitate Domini et Ioannis Evangelistae, Sancti Stephani et Circumcisionis ac Epiphaniae Domini, Ramis Palmarum et Coenae Domini, Sabbato Sancto, tribus diebus Resurrectionis, necnon in Ascensionis Domini, Pentecostes, Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, et omnium Apostolorum, et quatuor Beatae Mariae Virginis, in commemoratione omnium Sanctorum, et Sancti Michaelis Archangeli, et Ecclesiarum dedicationibus ac in principalibus ipsius Pragensis Ecclesiae festivitatibus, et die anniversario consecrationis ipsius Arnesti et Ecclesiarum provinciae Pragensis

(1) Ex Raynaldo ad annum 1344, § 64. (2) Forsan *aliarum partium* vel *alias harum partium*.

praedictae, ubi ipsum Arnestum vel successores eius praedictos interesse et missarum solemnia celebrare contigerit principalibus festis, ac etiam in consecrationibus episcoporum et ordinationibus clericorum, in abbatum et abbatissarum ac monialium benedictionibus, pallio alias eis rite concesso et etiam assignato uti licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Villamnovam Avenionensis dioecesis, VIII kalendas septembris, pont. anno tertio.

Dat. die 25 augusti 1344, pont. anno III.

---

## V.

### *Ludovicus de Hispania Fortunatarum Insul. rex constituitur* (1).

SUMMARIUM

Fortunatarum Insularum status. — 1. Ludovico de Hispania concessae cum mero et mixto imperio. — Traditum eidem sceptrum aureum: concessumque ius condendarum Ecclesiarum. — 2. Data tamen omnimoda libertas Ecclesiis et monasteriis, postquam fuerint erectae. — 3. Corona aurea Ludovico imposita. — Addita conditio praestandi homagium Sedi Apostolicae. — 4. Imperatus census quadringentorum aureorum. — 5. Poenae excommunicationis et privationis promulgatae. — 6. Praescripta Ludovico sacramenti formula. — 7. Huiusmodi iuramentum repetendum a successoribus Ludovici. — Leges aliae impositae. — 8. Item et aliae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Ludovico de Hispania Principi Fortuniae.**

Fortunatarum insularum status.

Sicut exhibitae nobis tuae petitionis series continebat, in mari Oceano, inter meridiem et occidentem sunt quaedam insulae, quarum aliquae habitatae, aliquae vero inhabitatae fore noscuntur, quae, in communi, nominantur Insulae Fortunatae, quamquam earum quaelibet proprio vocabulo, ut sequitur inferius, sint distinctae, quarum aliquae insulae eisdem adiacent, quaedam vero alia est in mari Mediterraneo situata. Quarum omnium prima Canaria, alia Ningaria, tertia Pluviaria, quarta Capraria, quinta Iunonia, sexta Embronea, septima Athlantia, octava Hesperidum, nona Cernent, decima Gorgones, et illa quae est in mari Mediterraneo Galeta vulgariter nuncupantur: omnesque praedictae insulae sunt a Christi fide et christianorum dominio alienae: ex quo tu, pro exaltatione fidei, ad honorem nominis christiani, desideras in huiusmodi acquisitione omnium praedictarum insularum exponere te et tua; dum tamen a nobis in eisdem titulus et authoritas, pro quibus nobis humiliter supplicasti, tibi tuisque haeredibus et successoribus tam masculis quam foeminis concedatur.

Ludovico de Hispania concessae cum mero et mixto imperio

§ 1. Nos igitur pium et laudabile propositum, quod te in his habere asseris, plurimum in Domino commendantes, et cupientes ut in eisdem insulis orthodoxa fides propagetur et vigeat, cultusque divinus inibi observetur, et quod per tuum ministerium Christianitatis termini dilatentur; tuis supplicationibus inclinati, ad honorem Dei, tuaeque salutis et status augumentum, omnes praedictas insulas et earum quamlibet, dummodo in eis non sit alicui christiano specialiter ius quaesitum in omnibus iuribus et pertinentiis suis, ac merum et mixtum imperium et iurisdictionem omnimodam temporalem in eisdem auctoritate apostolica ac nomine nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum et ipsius Ecclesiae Romanae, tibi et haeredibus tuis et successoribus catholicis ac legitimis et in devotione ipsius Romanae Ecclesiae persistentibus, tam masculis quam foeminis, in feudum perpetuum, de fratrum nostro-

(1) Ex eodem Raynaldo ad annum 1344, § 39.

rum consilio et assensu, ac apostolicae plenitudine potestatis, sub modo, forma, tenore, conditionibus et conventionibus contentis praesentibus concedimus et donamus, teque praedicto feudo per sceptrum aureum praesentialiter investimus, dantes nihilominus tibi, haeredibus et successoribus supradictis plenam et liberam potestatem easdem insulas, absque tamen iuris alterius praeiudicio, ut praemittitur, acquirendi ac perpetuo possidendi, monetam seu monetas fabricandi, et alia iura regalia, salva superioritate Romani Pontificis, in eisdem insulis exercendi, ac licentiam in eis et earum qualibet ecclesias et monasteria construendi, eisque dotes congruas assignandi, ius patronatus tibi et haeredibus ac successoribus tuis, prout instituta concedunt canonica, reservando.

Traditum eidem sceptrum aureum: concessumque ius condend. Ecclesiarum.

§ 2. Postquam vero in eisdem insulis, Deo concedente, per te vel haeredes aut successores tuos praedictos, ecclesiae ac monasteria constructa seu fundata fuerint, et in eisdem de praelatis et personis ecclesiasticis saecularibus seu regularibus canonice ordinatum extiterit, praelati et personae, ac Ecclesiae, sive cathedrales, sive collegiatae, saeculares aut regulares, et monasteria supradicta cum locis et bonis suis in electionibus, provisionibus et omnibus aliis plena libertate gaudebunt: quam libertatem tu et haeredes et successores semper manutenebitis eisdem et conservabitis, et manuteneri et conservari facietis ab omnibus subditis vestris: dictaque Ecclesiae et monasteria ac personae utentur libere omnibus bonis et iuribus eorumdem.

Data tamen omnimoda libertas Ecclesiis et monasteriis, postquam fuerint erectae.

§ 3. Et ut per concessionem nostram huiusmodi potioris dignitatis titulo reddaris insignis, auctoritate praedicta, de ipsorum fratrum consilio et assensu, dictarum insularum, quas de caetero fore decernimus principatum, ipsumque Fortuniae nuncupari, principem constituimus, coronam auream in signum adepti dicti principatus, tuique honoris augmentum, tuo capiti nostris manibus imponendo, volentes ut tu et illorum quilibet, qui tum erit in eodem principatu haeres atque successor, princeps Fortuniae debeatis de caetero nominari, ita quod tu nobis per te et iidem haeredes et successores tui in dicto principatu nobis et ipsis singulis successoribus nostris Romanis Pontificibus per vos vel procuratores vestros ad hoc legitime constitutos recognitionem et homagium ligium facere, et plenum vassallagium et fidelitatis iuramentum praestare tenebimini iuxta formam inferius annotatam. Caeterum si forte, deficientibus masculis, contigerit foeminam innuptam in dicto principatu succedere, illa maritabitur viro catholico et Ecclesiae Romanae devoto; Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito.

Corona aurea Ludovico imposita.

Addita conditio praestandi homagium Sedi Apostolicae.

§ 4. Et insuper tam tu quam haeredum quilibet et successorum tuorum in dicto principatu, et pro ipso censum quadringentorum florenorum boni et puri auri, ac conii et ponderis florentini, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et Ecclesiae Romanae, vel ipsi Ecclesiae, ubi ipsa fuerit, Sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, et pro portione collegium ipsius Ecclesiae contingente in festo Beatorum Petri et Pauli annis singulis integraliter persolvetis: ad quem censum, ut praemittitur, persolvendum, tam tu, quam quilibet haeredum et successorum tuorum in dicto principatu tenebimini et sitis astricti. Si vero tu vel quicumque haeredum seu successorum tuorum in dicto principatu statuto termino non solveritis integre, ut praemittitur, censum, et expectati per quatuor menses, terminum ipsum primum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra subsequentes quatuor alios menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totus principatus

Imperatus census quadringentorum aureorum.

praedictus erit ecclesiastico suppositus interdicto. Si vero nec in tertio termino et infra alios quatuor menses primos per plenam satisfactionem eiusdem census tu et haeredes vel successores tui vobis duxeritis consulendum, ita quod, transactis eodem tertio termino et subsequentibus mensibus, non sit de huiusmodi censu primi termini ipsi Ecclesiae satisfactum, ab eodem principatu ipso iure cadatis ex toto, et principatus ipse ad Romanam Ecclesiam, eiusque dispositionem integre et libere revertatur; nihilominus pro singulis quadringentis florenis singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaveritis, vel illam non solveritis, tu et quivis haeredum et successorum tuorum in dicto principatu poenas similes incurratis, salvis aliis poenis, processibus et sententiis, quae vel qui de iure inferri vel haberi seu proferri poterunt per Romanum Pontificem vel Sedem Apostolicam specialiter in hoc casu: sed ad censum ipsum persolvendum eidem Ecclesiae tunc, et non ante, teneamini cum effectu, cum tu vel haeredes aut successores tui in dicto principatu, eiusdem principatus, vel maioris partis ipsius fueritis possessionem adepti. Nostrae nihilominus intentionis existit, quod Romana Ecclesia, occasione concessionis huiusmodi, ad impendendum tibi vel eisdem haeredibus aut successoribus aliquod subsidium in acquisitione seu retentione dicti principatus ex debito nullatenus astringatur.

Poenae excommunicationis et privationis promulgatae.

§ 5. Et quia in quibusdam articulis supradictis expressius continetur, quod in certis casibus tu et tui in eodem principatu haeredes et successores excommunicationis sententiam incurratis, et dictus principatus sit ecclesiastico suppositus interdicto, quodque tam tu, quam haeredes et successores ipsi cadatis a principatu, seu sitis ipso principatu privati; nos ex nunc huiusmodi sententias, videlicet excommunicationis in te ac eosdem haeredes et successores, interdicti in eumdem principatum, et privationis principatus eiusdem, si tua vel ipsorum culpa huiusmodi casus emerserit, de dictorum fratrum consilio, auctoritate apostolica promulgamus. Forma vero recognitionis homagii ligii, vassallagii et iuramenti fidelitatis, quae praestari et fieri volumus a te et haeredibus et successoribus tuis in eodem principatu iuxta tenorem, formam et conditionem praesentis concessionis, verbis competenter mutandis, talis est.

Praescripta Ludovico sacramenti formula.

§ 6. Ego Ludovicus de Hispania, princeps Fortuniae, fateor et recognosco me infrascriptas insulas, videlicet Canariam, Nigrariam, Pluviariam, Caprariam, Iunoniam, Embroneam, Athlantiam, Hesperidum, Cernent, Gorgonidem et Galetam, cum omnibus iuribus et pertinentiis, a vobis domino meo domino Clemente divina providentia Papa VI, nomine vestro et successorum vestrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Romanae Ecclesiae mihi, meisque haeredibus et successoribus catholicis atque legitimis, et in devotione ipsius Romanae Ecclesiæ existentibus, tam masculis, quam foeminis, in feudum perpetuum fuisse concessas, ipsasque me recepisse et tenere sub annuo censu quadringentorum florenorum boni et puri auri ac ponderis et conii florentini vobis domino meo domino Clementi Papae Sexto, vestrisque successoribus ac Romanae Ecclesiae annis singulis in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli persolvendo. Pro quibus insulis faciens plenum vassallagium vobis, vestrisque successoribus canonice intrantibus, ac sacrosanctae Romanae Ecclesiae praedictae, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro, et vobis domino meo domino Clementi Papae Sexto, vestrisque successoribus canonice intrantibus ac sacrosanctae Romanae Ecclesiae. Non ero in consilio, auxilio aut consensu vel facto, ut vitam perdatis aut membrum, vel capiamini mala captione. Consilium, quod mihi

mandaturi estis per vos vel nuntios vestros, sive per literas, ad vestrum damnum scienter nemini pandam, et si scivero fieri vel procurari sive tractari aliquid, quod sit in vestrum damnum, illud pro posse impediam, et si impedire non possem, illud vobis significare curabo. Papatum Romanum et regalia sancti Petri tam in praedictis insulis, quam etiam alibi existentia, adiutor vobis ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum, et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Insuper modum, formam seu conditiones, et omnia et singula, quae continentur in literis apostolicis super huiusmodi concessione confectis, plenarie adimplebo et inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra ea. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Me obligo, et praedictos haeredes et successores meos ac principatum praedictum, iura et bona nobis competentia et competitura in eo.

Huiusmodi iuramentum repetendum a successoribus Ludovici.

§ 7. Similem autem recognitionem, vassallagium, homagium ligium et iuramentum renovabis, facies et praestabis unicuique Romano Pontifici et dictae Ecclesiae infra biennium a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum: et similia praestabit et faciet, et similiter renovabit, et facere praestare et renovare tenebitur unusquisque haeredum et successorum tuorum in dicto principatu nobis infra biennium, ex quo ipse haeres tuus in huiusmodi principatu fuerit, et unicuique alii Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et ipsi Romanae Ecclesiae secundum praescriptam formam, nomen Romani Pontificis, qui tunc erit, suum proprium exprimendo. Sed postquam tu per te nobis huiusmodi recognitionem, homagium, vassallagium feceris, ac fidelitatis iuramentum praestiteris, secundum formam praedictam, haeredes et successores tui, in dicto principatu nobis, tuque, et ipsi, successoribus nostris Romanis Pontificibus illa facere vel praestare personaliter non astringamini, dummodo infra dictum biennium secundum eandem formam per idoneum vel idoneos subditum vel subditos ad hoc plenum mandatum habentes, recognitionem, homagium, vassallagium feceritis, ac iuramentum praestiteritis supradicta, et si plus placuerit Romano Pontifici vel Romanae Ecclesiae, recognitionem, homagium, vassallagium et iuramentum praedicta facietis, praestabitis tu et haeredes vel successores tui praedicti nomine Summi Pontificis et Romanae Ecclesiae illi vel illis, quem vel quos ad hoc specialiter ipse Romanus Pontifex vel Sedes eadem deputabit. Quandocumque vero tu vel haeredes tui in dicto principatu praedictam recognitionem, obligationem, homagium, vassallagium ac fidelitatis iuramentum facietis atque praestabitis per vos vel alium, seu alios, ut superius continetur, dabitis infra mensem post Romano Pontifici, et eidem Ecclesiae patentes literas vestro sigillo sigillatas, in quibus fatebimini et recognoscetis expresse dictum principatum a nobis et Romana Ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conventionibus, modo et forma ac tenore, quae praesentibus nostris litteris continentur.

Leges aliae impositae.

Item et aliae.

§ 8. Praeterea tu vel haeredes aut successores tui praedicti nullam confoederationem seu pactionem, societatem aut ligam scienter contra Romanam Ecclesiam facietis, et si eam forte feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Romani Pontificis seu Romanae Ecclesiae penitus revocare. Omnium autem praedictorum praesentibus litteris nostris contentorum declaratio et interpretatio, quoties opus fuerit faciendae, ad Romanum Pontificem seu Romanam Ecclesiam pertinebit: quoties super his, vel eorum aliquo vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubii oriri continget, cuius Romani Pontificis vel Romanae Ecclesiae interpretationi et declarationi stabitur verbo

seu litteris, prout ipsi Romano Pontifici vel Ecclesiae placuerit faciendis.

Nulli ergo *etc.*

Datum Avenione XVII kal. decembris, anno tertio.

Dat. die 15 novembris 1344, pont. anno III.

## VI.

### *Confirmatio diplomatis a Ioanna regina in favorem Sanciae matris concessi.*

SUMMARIUM

Sanciae reginae elogium. — 1. Ioanna regina Sanciae dispositiones confirmat. — 2. Eas ab Apost. Sede validari petit Sancia: — 3. Quod concedit Pontifex. — 4. Ioannae reginae literae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Sanciae reginae elogium.

Eximiae devotionis sinceritas, quam in Christo filia Clara soror monasterii Sanctae Crucis Neapolitan., Ordinis sanctae Clarae, olim Sancia regina Siciliae, ad Sedem Apostolicam semper gessit, et ad nos et Sedem eamdem gerere dignoscitur, promeretur, ut petitionibus suis, illis praesertim, quae divini cultus augmentum et aliorum piorum operum executionem contingunt, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus.

Ioanna regina Sanciae dispositiones confirmat.

§ 1. Petitio siquidem eiusdem Clarae, olim Sanciae, nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ante ipsius Clarae religionis ingressum, et assumptum ipsius religionis habitum regularem, carissima in Christo filia Ioanna regina Siciliae illustris habens ad ipsam Claram, olim Sanciam reginam, benevolentiae specialis affectum, conformando vota sua super his dispositioni et beneplacito clarae memoriae Roberti Siciliae avi sui, et eiusdem olim Sanciae reginae viri, in suo ultimo per eum condito legitime testamento expressis, praefatae tunc Sanciae quascumque donationes et concessiones factas et indultas eidem, tam per ipsum Robertum regem avum suum, dum viveret, quam per eam, de quibuscumque terris, castris, casalibus et bonis feudalibus, tam de regni demanio ex certa ipsius Ioannae reginae scientia, ac lege, constitutione et ordinatione, quae alienationem demaniorum prohibet fieri, et quod demanio existant, non obstantibus quoquomodo, quas in ea parte de ipsa certa scientia sustulit, ac iuribus et efficacia vacuaverat, quam de ipsis Roberti regis avi sui, et suas manus suis vicibus rationabiliter devolutis, nec non de quibusvis terris, castris, casalibus ad manus regalis curiae, sive ipsius Ioannae reginae legitime devolvendis, sive in excambium dictarum terrarum demanii, sive in assecutionem provisionum, quas praefata olim Sancia habebat ab ipsa regali et eiusdem Ioannae reginae curia quocumque modo concessis, et insuper omnes et singulas provisiones et stabilitiones, iura et indulta concessionesque alias eidem Sanciae reginae factas, super quibuscumque causis, rebus atque negotiis, tam per ipsum Robertum regem dum viveret, quam per eandem Ioannam reginam postmodum sub quacumque forma et expressione verborum, ac literas, privilegia et indulta proinde concessa cuiuscumque continentiae seu tenoris existerent, eorumque substantiam et effectum, etiamsi foret expediens quod fieret de illis in suis litteris expressa mentio ac etiam specialis, per speciale privilegium, de certa ipsius Ioannae reginae scientia, motu libero, gratia speciali et dominica potestate, ac de consilio et assensu omnium gubernatorum et administratorum suorum ratificavit et approbavit, ac specialis confirmationis suae praesidio communivit, illaque rata et firma esse decrevit, et obtinere incommutabilem firmitatem, iuxta illorum mentem et seriem, de praedicta ipsius certa scientia declaravit, reservato per eandem reginam sibi, suisque haeredibus et successoribus specialiter et expresse, quod

dato prius praefatae Clarae, olim Sanciae reginae, pro illis ex praedictis castris, terris seu civitatibus, quae de mero demanio regio non existant, eidem Ioannae reginae, suisque haeredibus et successoribus antedictis sit licitum bona ipsa demanialia ad sui demanium revocare, prout haec et alia circa illa in quibusdam patentibus litteris exinde confectis, praefatae Ioannae reginae sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius et seriosius continetur.

Eas ab Apost. Sede validari petit Sancia:

§ 2. Quare praefata Clara, olim Sancia regina, nobis humiliter supplicavit, ut ratificationem, approbationem et confirmationem huiusmodi, ac aliis per eandem Ioannam reginam super his factis et contentis in litteris antedictis, apostolicae confirmationis robur adiicere de benignitate apostolica dignaremur.

Quod concedit Pontifex.

§ 3. Nos itaque ipsius Clarae, olim Sanciae, devotis in hac parte supplicationibus annuentes, ratificationem, approbationem et confirmationem huiusmodi, et alia in litteris praefatis contenta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem datarum litterarum talis est.

Ioannae reginae literae.

§ 4. Ioanna Dei gratia regina Hierusalem et Siciliae, ducatus Apuliae et principatus Capuae, Provinciae et Forqualquerii ac Pedemontis comitissa, universis praesens privilegium inspecturis tam praesentibus, quam futuris. Officium filialis reverentiae admonet, et charitatis affectus signanter inducit, ut inclitae dominae Sanciae Dei gratia Hierusalem et Siciliae reginæ reverendæ dominæ matris nostræ, potestatis nostrae praesidium commoda studiose promoveat, et eius augmenta cum solerti attentione producat. Hinc itaque considerationis instinctum, ac habentes ad ipsam reginam matrem nostram specialis benevolentiæ zelum; quo interne movemur eius compendia promovere, conformando in hac parte vota nostra dispositioni et beneplacitis clarae memoriae domini avi nostri Hierusalem et Siciliae regis illustris, in suo ultimo per eum condito legitime testamento, praefatae reginae matri nostrae quascumque donationes et concessiones factas et indultas sibi tam per ipsum dominum avum nostrum, dum viveret, quam per nos de quibuscumque terris, castris atque casalibus et bonis feudalibus tam de regni demanio, ex certa nostra scientia, ac lege, consuetudine et ordinatione, quae alienationem demaniorum fieri prohibet, et quod demanio existant, non obstantibus quoquomodo, quas in hac parte de ipsa certa scientia nostra tollimus, ac viribus et efficacia vacuamus, quam ad ipsius domini avi nostri, et nostras manus suis vicibus rationabiliter devolutis, necnon de quibusvis terris, castris atque casalibus, et bonis specialiter vel generaliter in suis casibus ad manus regalis curiae, seu nostras legitime devolvendis, sive in excambium ipsarum terrarum demanii, sive in assecutionem provisionum, quas habebat et habet ab ipsa regali curia, et nostra, seu aliter quocumque modo concessis, et insuper omnes et singulas provisiones ac stabilitiones, iura et indulta et concessiones alias factas ipsi dominae matri nostrae super quibuscumque causis, rebus atque negotiis tam per ipsum dominum avum nostrum, quas nos (1) postmodum sub quacumque forma et expressione verborum, eorumque litteras, privilegia et indulta proinde concessa, cuiuscumque sint continentiae seu tenoris, eorumque substantiam et effectum etiam si foret expediens, quod fieret de illis praesentibus expressa mentio, ac etiam specialis huiusmodi privilegii serie, de certa nostra scientia, motu libero, gratia speciali et dominica potestate, de consilio et assensu omnium gubernatorum et administratorum nostrorum ratificamus et approbamus, ac specialis nostrae confirmationis praesidio communimus, illaque

(1) Leg. f. *quam per nos.*

rata et firma esse decernimus, et obtinere incommutabilem firmitatem iuxta illorum mentem et seriem, de ipsa nostra certa scientia declaramus: volentes et de ipsa certa nostra scientia decernentes expresse, quod huiusmodi nostrae ratificatio, approbatio et confirmatio, ac decretum et declaratio eidem reginae matri nostrae perpetuo et efficaciter et incommutabiliter sint reales, illaque efficaciam, vigorem, effectum realem habeant ac etiam efficacem, ac si omnia ipsa donationes, concessiones et dationes, privilegia, indulta et literae essent de verbo ad verbum, ac specialiter et expresse contenta et declarata praesentibus et seriosius annotata, et ad eorum quodlibet accessisset nostra confirmatio specialis, et pro maiori efficacia et robore praemissorum volumus et sancimus expresse de eadem certa nostra scientia, ut iam dictis nostris confirmationi, ratificationi et approbationi, ac declarationi et decreto nulla in contrarium iuris fictio, interpretatio vel subtilitas quomodolibet admittatur, per quas ipsis donationibus, concessionibus, dationibus, privilegiis, indultis et literis, ac praesentibus nostris confirmationi, approbationi ac declarationi et decreto, seu eorum alicui, quocumque colore sive praetextu possit quomodolibet derogari, cum existat nostrae firmae concedentis (*sic*) intentio, a cuius mente non iuste receditur, quod ipsae donationes, concessiones, dationes, privilegia, indulta et literae, et praesentes nostrae confirmatio, ratificatio, approbatio ac declaratio et decretum valida rataque permaneant et successivis temporibus inconcussam obtineant roboris firmitatem, cuiusvis obviantis et turbinis repulsiva lege, capitulis, constitutione quibuscumque contrariis, quae in hoc casu de ipsa nostra scientia tollimus, et viribus et efficacia vacuamus, his non obstantibus aliquatenus in adversum, ut ex his erga dictam dominam matrem nostram in virtuosis actionibus nostrae sinceritatis affectio signanter vigeat, ac firmo laudabilique primordio praemissis omnibus praesidialis adiectio assistentis firmitatis accedat. Et quia inter praedicta bona feudalia concessa praedictae reginae aliqua castra, terrae, seu civitates, de mero nostro demanio esse censentur, sicque nobis, nostrisque haeredibus et successoribus reservamus specialiter et expresse, quod, dato prius reginae praefatae competenti et aequivalenti excambio de aliis bonis, quae de mero demanio non existunt, licitum sit nobis, nostrisque haeredibus et successoribus bona ipsa demanialia ad nostrum demanium revocare: in cuius rei fidem perpetuamque memoriam, et dictae reginae cautelam praesens privilegium exinde fieri et pendenti excellentiae nostrae sigillo iussimus communiri. Datum Neapoli per manus Arnulphi Cumani de Neapoli iuris civilis professoris, viceprotonotarii regni Siciliae, anno Domini MCCCXLIV, die XI ianuarii, duodecima indictione, regnorum nostrorum anno I.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione decimo nono kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 14 ianuarii 1345, pont. anno III.

---

## VII.

*Reformatio Ordinis fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis circa prioris generalis et aliorum priorum et definitorum munera et electiones, capitulorumque generalium et provincialium celebrationem.*

### SUMMARIUM

Procemium. — 1. Huius ordinis reformatio a Benedicto XII duobus S. R. E. cardinalibus commissa: — Ab iis nonnulla con-

fecta capitula; — 2. Et a Clemente PP. confirmata. — 3. De capitulo generali quolibet triennio celebrando: et vocalibus. — 4. De capitulis provincialibus. — 5. De priore generali eligendo vel confirmando. — 6. Qui eligi nequeant in priorem generalem. — 7. De definitoribus provinciarum eligendis. — 8. De priorum provincialium electione. — 9. De prioribus conventualibus eligendis et confirmandis. — 10. Prioris provincialis officium quolibet triennio expleatur. — 11. Definitores quando iterum eligi possint. — 12. Priorum conventualium officium quanto tempore duret. — 13. Iuramentum a priore generali, a definitoribus, aliisque prioribus emittendum. — 14. Munera nec danda, nec accipienda.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Regimini universalis Ecclesiae, quamquam immeriti, disponente Domino, praesidentes, curis continuis angimur et assidua meditatione pulsamur, ut religiosorum quorumlibet status, auctore Domino, salubriter dirigatur, et ne loca religiosorum eorumdem, eorumque personae propter altercationes, quas inter eos interdum suscitari contingit, subeant spiritualiter et temporaliter detrimenta, sed potius quorumlibet Ordinum professores in tranquillitate mentis et corporis, devotum et gratum, prout ad id se dedicarunt, impendant Domino famulatum, libenter nostrae provisionis remedium adhibentes.

Huius ordinis reformatio a Benedicto XII duobus S. R. E. cardinal. commissa.

§ 1. Dudum siquidem pro parte quorumdam fratrum Servorum Sanctae Mariae Ordinis sancti Augustini proposito in consistorio coram felicis recordationis Benedicto Papa XII, praedecessore nostro, quod quondam Petrus de Tuderto, prior generalis fratrum dictorum Servorum, in regimine et administratione sua male et partialiter se habebat, propter quod status praedictorum fratrum in spiritualibus et temporalibus reformatione non modica indigebat; praefatus praedecessor volens de his super quibus eorumdem fratrum status reformandus existeret plenius informari, praedictum Petrum et nonnullos alios priores et fratres eorumdem Servorum, de quibus visum sibi fuit expedire, pro reformatione huiusmodi facienda, ad Sedem Apostolicam fecit personaliter evocari, eisque venientibus ad Sedem antedictam, venerabilibus fratribus nostris Petro Praenestino et Bertrando Ostiensi episcopis commisit oraculo vivae vocis, ut partes ipsas super iis, quae ad reformationem praedictam spectarent, ad concordiam reducerent, et quaecumque super his facerent, eidem praedecessori postea fideliter referre curarent. Coram quibus Petro et Bertrando episcopis, praefatis Petro generali, et aliis prioribus ac fratribus, ut praemittitur, evocatis, personaliter comparentibus et exhibentibus nonnulla capitula, secundum quae statum dictorum fratrum Servorum reformatione indigere dicebant, super iis, quae coram ipsis super reformatione huiusmodi dicere et proponere voluerunt, dictoque praedecessore nostro postea, sicut Domino placuit, sublato de medio, nobiscum, divina favente clementia, ad apicem summi apostolatus assumptis, et praemissis pro parte dictorum Petri generalis et aliorum priorum et fratrum propositis coram nobis;

Ab iis nonnulla confecta capitula;

Et a Clemente PP. confirmata.

§ 2. Nos ad reformationem status dictorum fratrum sollicitis studiis intendentes, praefata capitula cum eisdem Petro et Bertrando episcopis examinavimus diligenter. Et tandem nonnulla, quae pro reformatione salubri status dictorum fratrum, suadente utilitate et necessitate urgente, expedire cognovimus, statuenda providimus, inter ac per eosdem fratres Servorum perpetuis futuris temporibus observanda.

De capitulo generali quolibet triennio celebrando, et vocalibus.

§ 3. Statuimus igitur, quod per eosdem fratres, per quos omni anno celebrare consuevit dictorum fratrum capitulum generale, ex nunc de triennio in triennium tantum generale capitulum celebretur, ad quod teneantur venire prior

generalis, qui est et pro tempore fuerit, et omnes priores provinciales, necnon et Studiorum generalium lectores in sacra theologia legentes, et etiam priores conventuales et discreti, prout pro commoditate ipsorum fratrum generale capitulum de ipsius conventualibus prioribus et personis discretis salubriter duxerit ordinandum.

De capitulis provincialibus.

§ 4. Praeterea statuimus, quod in qualibet provincia eorumdem fratrum provinciale capitulum anno quolibet celebretur, ad quod veniat prior provincialis et priores conventuales seu locales, lectoresque in quacumque facultate legentes, et duo fratres discreti de singulis conventibus sive locis illius provinciae, electi a maiori parte conventus, qui duodecim fratres tantum vel minus habebunt, unum fratrem discretum dumtaxat ad ipsa capitula provincialia mittere teneantur. In his autem provincialibus capitulis prior generalis interesse, vel suum generalem vicarium ad ea mittere valeat, sicut eidem priori visum fuerit expedire, et eisdem capitulis assistat idem prior vel vicarius in correctionibus aliis opportunis. In eisdem autem capitulis provincialibus eligantur studentes Parisiis quotiens fuerit opportunum.

De priore generali eligendo vel confirmando.

§ 5. Statuimus etiam, quod ex nunc prior generalis, qui erit pro tempore, in quolibet generali capitulo, de triennio in triennium, ut praemittitur, in posterum celebrando, sine requisitione aliqua, primo et ante omnia suo officio renunciare teneatur in manibus definitorum generalis capituli, quod si non fecerit, privatus sit eodem officio ipso facto. Postquam vero renunciaverit, possit pro ipsius meritis vel demeritis, definitorum ipsius generalis capituli arbitrio, in eodem generalis prioris officio dimitti, vel ab eo penitus amoveri, et in locum ipsius alius idoneus per dictum capitulum subrogari, et in casu, quo, ut praemittitur, amoveretur vel renunciare contemneret, per ipsum capitulum alius in priorem generalem sufficiens et idoneus eligatur. Eisdem fratribus auctoritate apostolica de speciali gratia concedentes, quod priores generales dictorum fratrum, qui erunt pro tempore, postquam, ut praemissum est, et alias iuxta morem hactenus inter eos observatum, electi fuerint, et per generale capitulum approbati, eo ipso veri priores generales dictorum fratrum sint effecti, et administrandi licentiam, curamque animarum habeant, ac in omnibus pro ipsorum fratrum prioribus generalibus perinde habeantur, ac si ab Apostolica Sede confirmationis literas habuissent.

Qui eligi nequeant in priorem generalem.

§ 6. Nullus tamen nisi expresse professus fuerit, et qui inter dictos fratres non steterit ad minus per viginti annos continuos, in priorem generalem eorumdem fratrum eligi valeat aut assumi.

De definitoribus provinciarum eligendis.

§ 7. Ordinamus insuper, ut amodo singularum provinciarum praedictarum fratres eligant unum fratrem providum et maturum in definitorem pro generali capitulo, et fiat huiusmodi electio in provinciali capitulo, quod immediate praecedet capitulum generale: definitores vero pro capitulis provincialibus eligantur a fratribus, in eisdem capitulis provincialibus congregatis.

De priorum provincialium electione.

§ 8. Statuimus etiam, quod fratres cuiuslibet provinciae post primum generale capitulum per ipsos celebrandum, quamcitius poterunt, in aliquo loco eiusdem provinciae ad hoc apto et idoneo, suum celebrent provinciale capitulum hac vice congregandum, prout in dicto generali capitulo fuerit ordinatum, in quo unum ex dictis fratribus sufficientem et idoneum, in suum provincialem priorem eligant, qui sic electus et constitutus, infra mensem, a tempore electionis et constitutionis huiusmodi, consentire, et confirmationem a dicto priori generali vel eius generali vicario petere humiliter non omittat: quam quidem electionem, si canonica fuerit, idem prior generalis vel eius generalis vicarius, quem idem prior genera-

lis iuxta modum infrascriptum deputare habebit, ultra mensem a die, qua petita fuerit, non differat confirmare. Quod si ex iusta et rationabili causa idem prior generalis seu eius vicarius munus confirmationis denegaverit, causam seu causas huiusmodi, suis publicis et authenticis literis teneatur expedire, et electoribus, qui eum elegerunt, intimare, et de alio sufficiente et idoneo cum consilio conventus loci, ubi dictus prior generalis vel eius generalis vicarius fuerit usque ad tunc immediate sequens capitulum utiliter providere. Circa confirmationes autem electionum priorum provincialium in posterum celebrandas, modus praedictus per omnia observetur. In primis vero provincialibus capitulis dictorum fratrum celebrandis provide ordinetur de locis, temporibus et definitoribus, necnon et aliis opportunis, pro subsequentibus provincialibus capitulis celebrandis.

De prioribus conventualibus eligendis et confirmandis.

§ 9. Statuimus insuper, quod in quolibet loco conventuali dictorum fratrum, ubi ad minus duodecim fratres fuerint, ipsi sibi eligant suum priorem conventualem, qui, infra quindecim dies post suam electionem immediate sequentes, confirmationem a priore suo provinciali devote petere debeat, et ipse prior provincialis, infra alios quindecim dies subsequentes, electionem eamdem, dum tamen ipsam canonicam reperierit, debeat confirmare, vel si ipsam minus canonicam invenerit, causam seu causas, propter quas eam confirmare omiserit, exprimat, intimet et una cum consilio discretorum loci, ubi fuerit, provideat, prout supra proxime de priore provinciali extitit ordinatum.

Prioris provincialis officium quolibet triennio expleatur.

§ 10. Volumus quoque quod priores provinciales postquam tribus annis continuis in provincialatus officio praefuerint, absolvantur seu removeantur penitus ab eodem, prohibentes, quod ad idem officium saltem in eadem provincia quovis modo per alios tres annos immediate sequentes nullatenus assumantur vel ad idem officium promoveantur.

Definitores quando iterum eligi possint.

§ 11. Similiter definitores generalis capituli non eligantur ad idem definitionis officium, nisi demum elapsis duobus generalibus capitulis immediate sequentibus; possint tamen alias licite in definitores provincialis capituli eligi pariter et assumi. Definitores etiam provincialis capituli ad idem officium, nisi duobus elapsis capitulis provincialibus, nullatenus assumantur.

Priorum conventualium officium quanto tempore duret.

§ 12. Priores etiam conventuales, anno vel ad longius biennio in suis prioratibus habeant praesidere.

Iuramentum a priore generali, a definitoribus, aliisque prioribus emittendum.

§ 13. Statuimus etiam quod prior generalis dictorum fratrum, qui erit pro tempore, in sui novitate, et antequam suum exequatur officium, in praesentia generalis capituli corporale ad sancta Dei Evangelia praestare debeat iuramentum, quod erit fidelis sanctae Romanae Ecclesiae, domino Papae, suisque successoribus, et in provisionibus, promotionibus, confirmationibus, repulsionibus, destitutionibus et maioribus correctionibus faciendis, sine acceptatione personarum, secundum Deum et rectam suam conscientiam et beati Augustini regulam, necnon et eorumdem fratrum statuta et consuetudines laudabiliter et fideliter se habebit, et suum officium exercebit. Priores quoque provinciales in suorum provincialium capitulorum, et priores conventuales in suorum conventualium, necnon et definitores generalium capitulorum in ipsorum capitulorum generalium, et definitores capitulorum provincialium in ipsorum capitulorum provincialium praesentia iurent, quod in provisionibus et caeteris superius expressis, quantum ad ipsorum officium pertinuerit, fideliter se habebunt.

Munera nec danda, nec accipienda.

§ 14. Hortamur insuper et monemus omnes et singulos fratres praedictos, ut nullus eorumdem munera seu donaria suis superioribus, per se vel per alium audeat quomodolibet impertiri, ipsique

superiores illa recipere non praesumant. Nulli ergo, *etc.*

Dat. Avenione, 10 kal. aprilis, pont. nostri anno IV.

Dat. die 23 martii 1346, pontif. anno IV.

---

## VIII.

***Prohibitio dandi vel acquirendi dominium aut iurisdictionem vel præeminentiam aut obligationem super locis et castris patrimonii S. Petri, aut quoquomodo ea occupandi (1).***

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Causae sanciendae legis. — 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — 3. Poenae contra inobedientes. — 4. Annullatio omnium huiusmodi contractuum, *etc.* — 5, 6. Ioannis XXII hac super re constitutionem roborat. — 7. Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Etsi solertem adhibere vigilantiam, ne quarumlibet Ecclesiarum iura depereant, ex debito nostri officii teneamur; in manutenendis tamen, defendendis, recuperandisque occupatis iuribus Ecclesiae Romanae, sponsae nostrae, quae, disponente Domino, caput omnium et magistra caeteris altiori dignitate praecellens, maioribus est iuvanda praesidiis et amplioribus honoribus attollenda, esse debemus soliciti et attenti.

Causae sanciendae legis.

§ 1. Ad obviandum igitur perversis illorum conatibus, qui sibi commoda, non se commodis Patrimonii B. Petri in Tuscia, quod iuris et proprietatis eiusdem Ecclesiae fore, ac eidem immediate subesse dignoscitur, applicantes temere civitates, castra et villas eiusdem Patrimonii ad eamdem Ecclesiam pertinentia, eorumque dominium, superioritatem, advocationem, capitaneatum et iurisdictionem, in ipsius Ecclesiae grave praeiudicium, contra constitutiones et ordinationes olim per fel. recor. Urbanum IV et Ioannem XXII, ac diversos alios Romanos Pontifices praedecessores nostros editas, non verentur diversis exquisitis coloribus occupare, et sibi in eisdem dominium, superioritatem et præeminentiam vendicare; hac perpetua constitutione sancimus:

Prohibitio (de qua in rubrica).

§ 2. Ut nulla civitas vel communitas, nullaque singularis persona, cuiuscumque conditionis vel status existat, deinceps in aliquibus civitatibus, castris seu villis ipsius Patrimonii ad praedictam Romanam Ecclesiam spectantibus, dominium, superioritatem, capitaneatum, advocationem iurisdictionis seu aliquam praesidentiam seu præeminentiam, praetextu cuiuscumque venditionis, submissionis, recommendationis, concessionis, recognitionis et obligationis, contractus vel pacti aut cuiusvis alterius commercii, absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali, recipere audeat, vel sibi dominium, praesidentiam, capitaneatum seu iurisdictionem in praedictis civitatibus, castris seu villis ex quavis occasione et causa quomodolibet vendicare: quodque civitates et singulares personae, submissiones, suppositiones et subiectiones quascumque iam in eas factas et receptas, seu de facto, cum de iure non teneant, quomodolibet attentas dimittere teneantur, nec civitates, castra seu loca alia, quae se eis, ut praemittitur, submiserunt vel quomodolibet subiecerunt, virtute submissionis et suppositionis alicuius vel cuiusvis contractus titulo, valeant retinere: nullaque universitas seu communitas civitatis, castri seu villae Ecclesiae Romanae subiecta, in terris Patrimonii constituta, alicui universitati seu communitati, vel privatae personae, cuiuscumque conditionis aut status existat, se subiicere, submittere seu supponere valeat, constituendo, recognoscendo seu profitendo, se subesse alicui universitati

(1) Ioannes XXII, Const. XXIX, super. pag. 297, alienationes, donationes, locationes, aliaque huius generis per rectores S. R. E. in Patrimonio, Thuscia, Sabinensi comitatu factas, voluit irritas.

vel privatae personae, seu ad eosdem super eos et in ipsis ac dictis civitatibus, castris et villis aliquam iurisdictionem, dominium, capitaneatum seu quamvis aliam præeminentiam pertinere.

Poenae contra nobedientes.

§ 3. Et si quae civitates, castra vel loca iam de facto ad submissionem et suppositionem aliquibus civitatibus vel privatis personis de se factam venditionis, donationis vel cuiusvis alterius contractus colore vel titulo processerunt, illa, quamvis de iure valeant, quatenus de facto processerunt, realiter et effectualiter studeant revocare, nec illis umquam utantur: nec virtute submissionum huiusmodi vel alias, illis quibus quovis titulo vel colore se submiserint, ullatenus obediant, pareant vel intendant: contrarium facientes directe vel indirecte, per se vel alios, tam illi et eorum singuli, qui in civitatibus, castris aut villis eiusdem Patrimonii vel eorum aliquo, huiusmodi dominium, superioritatem, capitaneatum, advocationem, iurisdictionem quamcumque, præeminentiam seu praesidentiam sine licentia Sedis Apostolicae speciali recipient in futurum; et qui iam ex quocumque contractu vel obligatione receperunt, seu quavis usurpatione quomodolibet occupaverunt, nisi sic recepta et occupata infra duorum mensium spatium, postquam praesens constitutio ad eorum notitiam pervenerit, vel per eos steterit, quominus valeat pervenire, dominium seu praesidentiam, superioritatem, capitaneatum, advocationem, iurisdictionem quamcumque seu præeminentiam huiusmodi realiter dimiserint cum effectu, illa nullo umquam tempore absque ipsius Sedis licentia resumpturi; quam illi, qui se submiserint, seu subiecerint, ut praefertur, simili modo cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant, singulares personae sententiam excommunicationis incurrant, ac terrae ipsorum, ubicumque fuerint, ecclesiastico interdicto subiaceant ipso facto. Civitates autem, castra et villae, quae in antea se submittent, supponent seu subiicient, et quae submissionem, suppositionem seu subiectionem huiusmodi recipient, seu quomodolibet occupabunt, civitates quoque, castra, et loca quaecumque, quae se iam quovis colore vel titulo, ut praemittitur, submiserunt et subiecerunt, ac civitates quae submissiones et subiectiones huiusmodi receperunt, nisi infra praedictum duorum mensium spatium ab omni effectu dictae submissionis et subiectionis realiter destiterint, ipsis ulterius non usuri, seu contra constitutionem et inhibitionem nostram venire directe vel indirecte, per se vel alium seu alios attentabunt, ecclesiastico subiacere decernimus interdicto. Et nihilominus omnibus indulgentiis, privilegiis ac gratiis, necnon feudis, bonis et honoribus et iuribus quibuscumque, quae ab eadem Romana et aliis Ecclesiis obtinent, privamus, et privatos et privata volumus esse ipso facto: non obstantibus si eis vel eorum aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod excommunicari, ipsorumque terrae et loca ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de huiusmodi ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem.

Annullatio omnium huiusmodi contractuum, etc.

§ 4. Nos insuper omnes submissiones et subiectiones et suppositiones super praedictis factas, et obligationes, pacta seu conventiones, sub titulo venditionis vel cuiusvis alterius contractus quomodolibet initas et habitas, et quascumque poenas adiectas et iuramenta praestita super illis, sub quibuscumque modis et forma vel expressione verborum (praesertim cum in praeiudicium eiusdem Ecclesiae redundent, ac iuramentum vinculum iniquitatis esse non debeat) decernimus fore nulla, vacua, irrita et inania, et nullius existere firmitatis, et quatenus ad illa de facto processum extitit, tollimus et revocamus omnino, et viribus vacuamus.

§ 5. Caeterum, cum praefatus Ioannes Papa XXII, praedecessor noster, dudum

Ioannis XXII hanc super re constitutionem roborat.

universis et singulis, tam clericis quam laicis, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, præeminentiae vel dignitatis existerent, etiam si pontificali vel imperiali seu regali, vel quavis alia dignitate fulgerent, ac omnibus principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus ac potestatibus, capitaneis et aliis officialibus quibuscumque, comitibus et populis civitatum, terrarum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum ubicumque consistentium, et omnibus aliis quibuscumque, auctoritate apostolica, inhibendum per suas literas vim constitutionis habentes duxerit, et mandandum ne per se vel alios, directe vel indirecte, Patrimonii, Romandiolae, Marchiae Anconitanae, ducatus Spoletani, Campaniae Maritimaeque ac Massae Trebariae provincias, Venaisini et Urbinatus, olim comitatus, ac Urbinatensis et Ravennatensis civitates, et alias terras, civitates, castra, villas et loca quaecumque ad eamdem Romanam Ecclesiam pertinentes, vel ipsorum aut alicuius eorum partem occupare, invadere aut turbare, seu fidelibus eorumdem iniurias, damna seu violentias irrogare, aut occupantibus, invadentibus, turbantibus, vel iniurias, damna seu violentias irrogantibus publice vel occulte assistere, aut auxilium, consilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, per se vel per alium seu alios praestare praesumerent quoquomodo in omnes et singulos, contra inhibitionem et mandatum huiusmodi venire aut attentare, per se vel per alios, praesumentes, tam clericos quam laicos, etiam si, ut praedicitur, pontificali aut imperiali seu regali vel alia quavis dignitate fulgerent, de fratrum suorum consilio, excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit, ipsorumque terras necnon quaslibet universitates, communitates et populos ipsorum, civitates, terras, castra, villas et loca in praemissis vel aliquo praemissorum culpabiles, ecclesiastico supposuit interdicto, et eos ac ipsorum quemlibet omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis et immunitatibus realibus et personalibus ab eadem Ecclesia et imperio Romano concessis eisdem, omnium etiam feudorum, bonorum, honorum, officiorum, iurium et iurisdictionum, quae ab Ecclesia et imperio praedictis obtinerent, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate privavit supradicta, ipsos ad illa et similia, et quaelibet alia, eorumque filios et nepotes ad quaelibet beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus et officia cum cura vel sine cura, quovis nomine censeantur, auctoritate qualibet obtinenda usque ad tertiam generationem exclusive reddendo inhabiles et indignos;

§ 6. Nos per praemissa vel quaecumque alia, inhibitioni, mandato, poenis et sententiis per ipsum praedecessorem factis et promulgatis, ut superius est expressum, aliisque contentis in literis supradictis, non intendimus in aliquo derogare, sed inhibitionem, mandatum, poenas et sententias, per praesentem constitutionem nostram, roboramus, et in sui vigoris efficacia volumus et decernimus permanere.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae privationis, admonitionis, revocationis, roborationis, voluntatum et constitutionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avenione, 16 kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 17 iulii 1346, pontif. anno v.

---

## IX.

### *Confirmatio actorum concilii Posoniensis* (1).

SUMMARIUM

Concilium hoc celebratum Posonii, legato Sedis Apost. praesidente. — Quae in eo san-

(1) Ex Raynaldo ad annum 1346, § 73.

cita sunt, ab eadem Sede confirmari petitum. — Quod concedit Clemens. — Acta concilii. — 1. Procemium. — 2. De non offendendis praelatis. — De cultu praelatis debito. — Eos offendentibus obiectum anathema. — 3. Ut nulla ecclesiastica persona praebeat auxilium, consilium vel favorem alicui laico contra Ecclesias, ecclesiasticasque personas. — 4. Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici. — 5. De non occupandis et restituendis bonis ecclesiasticis. — 6. De poena publicorum concubinariorum. — 7. De prohibita depraedatione. — 8. De his qui contumaciter sustinent excommunicationem. — 9. Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur. — 10. De observantia mandatorum Apostolicae Sedis, et legatorum ipsius. — 11. Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Concilium hoc celebratum Posonii, legato Sedis Apost. praesidente.

Petitio pro parte venerabilis fratris nostri Apetzconis episcopi Lubucensis nobis exhibita continebat, quod dudum bonae memoriae Gentilis tituli Sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno Hungariae ac provincia Poloniae, infra quam Ecclesia Lubucensis existit, ac quibuscumque aliis terris eidem regno adiacentibus, auctoritate Sedis Apostolicae, plenae legationis fungens officio, in concilio videlicet per eum apud Posonium Strigoniensis dioecesis constitutum, in dicto regno Hungariae celebrato, nonnullas constitutiones pro libertate ac utilitate Ecclesiarum ac earum praelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, infra fines legationis suae consistentium, edidit utiles et salubres inhibitiones, prohibitiones, decreta, interpositiones ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, et nonnullas poenas alias continentes, prout in literis praefati Cardinalis inde confectis, ipsius sigillo munitis, quarum quidem constitutionum certa capitula de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, continentur. Quare, pro parte dicti episcopi nobis extitit humiliter supplicatum ut capitula praedicta et omnia in eis contenta, cum praefatae literae timeantur vetustate consumi, fulcire apostolico munimine dignaremur; nos igitur Ecclesias et earum praelatos ac personas ecclesiasticas praedictos, in suis libertatibus ac utilitatibus, quantum cum Deo possumus, confovere volentes, ipsius episcopi supplicationibus inclinati, capitula praedicta rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus; tenores autem dictorum capitulorum tales sunt:

Quae in eo sancita sunt ab eadem Sede confirmari petitum.

Quod concedit Clemens.

Acta concilii.

In nomine Domini amen: anno eiusdem 1309, indictione VII, pontificatus domini Clementis Papae V anno sexto. Incipiunt constitutiones editae per reverendum dominum patrem Gentilem, Dei gratia tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, in regno Hungariae, Poloniae ac partibus illis conterminis Apostolicae Sedis legatum; et primo proœmium super statu regni: Frater Gentilis, miseratione divina, tituli Sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§ 1. Varietati morborum diversa medici medicamenta propinant, et ipsorum morborum qualitatibus, secundum artis peritiam, efficacibus remediis exquisitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibusdam ignem adiiciunt; aliis vero, qui levi possunt fomento sanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota subministrant; sic et Dominus noster Iesus Christus, sub figura Samaritani, medici formam assumens, vulneribus infudit vinum et oleum sauciati. Nos itaque ad regnum Hungariae, ab eo qui pacifici Regis et summi Medici locum tenet in terris, cum plenae legationis officio, licet immeriti, destinati, attendentes regnum ipsum infirmitatibus variis et gravibus laborare, ac propterea informati exemplo Domini Iesu medicorum praecipui, diversitati infirmitatum huiusmodi, etsi non omnibus, magis tamen lethalibus cupientes diversas

et congruas adhibere medelas, infrascriptas constitutiones, de praelatorum dicti regni ac per nos concilii congregati consilio et assensu, auctoritate qua fungimur, duximus promulgandas.

De non offendendis praelatis.

§ 2. Cum Apostolicam Sedem, in qua Christus catholicae fidei posuit fundamentum, christianorum matrem esse voluerit et magistram, non est dubium quin Christus ipse graviter offendatur, si matrem filius, et magistram discipulus dehonorat. Quia igitur ipsi Apostolicae Sedi non est possibile cunctos filios et devotos materno affectu et suo magisterio praesentialiter confovere, debitum apostolicae servitutis explere nititur per episcopos, immo per archiepiscopos nonnunquam et per legatos a latere suo missos, quos, quia eius privilegio gaudent cuius legatione funguntur, a cunctis Christi fidelibus, tamquam Apostolicam Sedem, immo Christum qui in eis se recipi et audiri, honorari convenit et foveri. Verumtamen fuerunt et sunt nonnulli, quos termini nostrae legationis includunt, sicut fide digna relatione percepimus, qui, licet glorientur nomine christiano, ad ipsum tamen Christum et Apostolicam Sedem debitam reverentiam non habentes, episcopos, archiepiscopos et legatos huiusmodi, doctores catholicae fidei et magistros, ipsius Christi vere vicarios et legatos, hostiliter insequi ausu sacrilego, capere et percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere non verentur. In quo, quantum Christi fidei devotio minoratur, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Proinde nos, qui, ex iniuncto nobis legationis officio, Sedem Apostolicam, licet immeriti, repraesentamus, cupientes omnes et singulos nostrae legationi commissos de tam nefandis excessibus coercere, praesenti decreto statuimus ut nullus de caetero, in Dei offensam, Apostolicae Sedis contemptum et catholicae fidei laesionem, praesumat tantum facinus attentare. Si quis autem, propriae inimicus salutis, reverentia religionis reiecta, divinis et humanis legibus in civili damnatione calcatis, praemissum scelus exercere praesumpserit, per se vel per alium, publice vel occulte, eum excommunicatum et a totius Christianitatis consortio separatum publice nunciantes, qua fungimur auctoritate, privamus omnibus privilegiis, indulgentiis, feudis, gratiis et beneficiis quibuscumque ei ab Ecclesia quacumque concessis; omnibus ad quos pertinet eorum ordinatio seu dispositio disponendi potestatem liberam concedentes, terram suam nihilominus et quamlibet aliam, quae sibi adhaerere praesumpserit, interdicto ecclesiastico supponentes. Et, ne minus vindictae quam excessus memoria prorogetur, decrevimus ut filii talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in domibus regularibus alicuius praelationis assequantur honorem, quod contra factum fuerit irritum decernentes, nisi cum eis per Apostolicam Sedem vel legatum de latere fuerit dispensatum. Et quia dignum est ut is qui tot praesumit offendere, poena multiplici castigetur, omnes eorum vassallos, castellanos, comites, iobagiones (1) et officiales alios quovis nomine censeantur, a fidelitate, homagio et qualibet alia praestatione qua eis tenebantur astricti, qua fungimur auctoritate, absolvimus, donec ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae humiliter redeuntes, absolutionis beneficium meruerint obtinere. Quod si eis in praedicta excommunicatione manentibus adhaerere forte praesumpserit, illos eadem cum ipsis poena statuimus excommunicationis involvi.

Eos offendentibus obiectum anathema.

De cultu praelatis debito.

Caeterum, ut dictorum sacrilegorum poena sit aliorum cautela, inhibemus venerabilibus in Christo archiepiscopis et episcopis et aliis Ecclesiarum praelatis, eorumque vicem gerentibus, et ecclesiasticis personi saecularibus et religiosis, necnon Ecclesiarum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Sancti Benedicti, Minorum, Prae-

(1) *Iobagiones*, militiae genus. Ducange.

dicatorum, Sancti Augustini et aliorum Ordinum, necnon magistris, praeceptoribus et fratribus Militiae Templi, Sancti Ioannis Hierosolymitani hospitalis et B. Mariae Theutonicorum sub nostra legatione manentibus, non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis et litteris eis vel eorum aliquibus aut ipsorum Ordinibus a praefata Sede concessis, ne ipsi vel eorum aliquis vel aliqui corpora illorum, qui sine digna et debita satisfactione decesserint, tumulare aut tumulationi eorum quoquomodo interesse praesumant. Si quis autem praedictorum contra praemissam inhibitionem nostram venire tentaverit, excommunicationis vinculo se noverit innodatum, maiori poena pro tanta inobedientia puniendum, et loca nihilominus, in quibus talia corpora sepulta fuerint, ecclesiastico supposita interdicto. Publicata Posonii, quarto idus novembris.

Ut nulla ecclesiastica persona praebeat auxilium, consilium vel favorem alicui laico contra Ecclesias, ecclesiasticasque personas.

§ 3. Illi procul dubio sunt maiori poena plectendi, qui nituntur offendere, quod totis suis viribus defendere tenebantur. Cum igitur personae ecclesiasticae singulariter teneantur tueri Ecclesiam, a qua suam tuitionem recipiunt, praesenti decreto statuimus, ut nulla ecclesiastica persona exempta vel non exempta cuiuscumque præeminentiae, status aut dignitatis existat, etiamsi pontificali fulgeat dignitate, praebeat alicui laico, cuiuscumque dignitatis aut conditionis existat, contra Ecclesias, ecclesiasticasve personas consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte. Si quis autem (1), hoc ecclesiastico honore postposito, contra tam salubre statutum venire praesumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Et nihilominus si inferior episcopo fuerit, episcopus suus contra eum ad privationem ecclesiastici commodi et honoris procedere: si vero episcopus metropolitanus, sui suffraganei excessum huiusmodi teneantur. quam cito commode poterunt, Sedi Apostolicae nunciare. Publicata Posonii IV idus novembris.

Ne quis recipiat ecclesiasticum beneficium de manu laici.

§ 4. Praesentis constitutionis auctoritate, sacro approbante concilio, inhibemus, ne quis archiepiscopatum, episcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, personatum, parochialem Ecclesiam cum cura, vel sine cura, beneficium aliquod ecclesiasticum, seu alicuius praedictorum administrationem vel detentionem, de manu laicali recipere, vel iam recepta retinere sub quovis colore praesumat. Si quis autem contra fecerit, vel sic receptum beneficium eo ipso, et nisi locum, quem sub crimine tantae inobedientiae tantaeque ambitionis taliter iam recepit, vel in futurum recipiet, resipiscendo deseruerit liberaliter infra duorum mensium spatium a publicatione constitutionis præsentis, quoad iam recepta, a receptionis vero tempore quoad ea, quae deinceps continget sic recipi, numerandum, ad quodlibet aliud inhabilis ipso facto reddatur, itaut ad dignitatem vel beneficium ecclesiasticum nullo unquam tempore, absque dispensatione Apostolicae Sedis vel nostra, eligi valeat vel assumi. Insuper, ut quantum excesserit, poena docente recognoscat; si quam dignitatem, personatum vel beneficium aliquod cum cura vel sine cura sic recipiens, vel detinens, et, ut praemittitur, non dimittens, canonice forsan obtineat, ea sit praesentis constitut. vigore ipso facto privatus: indignum enim fore censemus, ut ecclesiastico beneficio gaudeant, qui eam (*Ecclesiam?*) tam nefandis ausibus despectui habuerunt. Iniungimus quoque, et in virtute sanctae obedientiae, necnon sub excommunicationis poena præcipiendo mandamus omnibus et singulis, tam clericis, quam laicis, rusticis, iobagionibus, vassallis, castellanis, comitibus et officialibus aliis quocumque modo subiectionis astrictis dignitati, personatui vel beneficio taliter occupatis, quod occupatori vel detentori praedictis in nullo pareant vel intendant. Qui vero temere contrafecerit, si universitas fuerit, interdicti; si autem

(1) Leg. forsan, *Si quis autem, ecclesiastico honore postposito, contra hoc tam salubre*, etc.

singularis persona, excommunicationis sententiae se noverit subiacere. Publicata Posonii IV idus novembris.

De non occupandis et restituendis bonis ecclesiasticis.

§ 5. Cum multa providentia fuerit olim a felicis recordationis Benedicto Papa XI Apostolicae Sedis legato, dum in his partibus fungeretur legationis officio, constitutum, quod nullus invadere, occupare, illicite detinere praesumeret decimas, tributa, castra, villas, munitiones, possessiones et bona ad Ecclesias et pia religiosa loca, ac personas ecclesiasticas spectantia vel pertinentia quoquomodo, sententia excommunicationis prolata in huiusmodi invasores, occupatores et illicitos detentores: sed quia propter praesumptiones, et quorumdam cupiditates nullus fructus hactenus aut rarus ex praedicta constitutione provenit; nos tantis animarum periculis praecavere volentes, ne tam salubre statutum videatur in desuetudinem abiisse, et ab huiusmodi præsumptoribus eius ignorantia praetendatur, praedictum statutum duximus innovandum, et ipsum in suo robore permanere ac inviolabiliter observari volentes, adiicimus, ut quicumque propter invasionem, occupationem et illicitam detentionem dictarum rerum excommunicatione, auctoritate praedicti statuti, ligatur, infra trium mensium spatium invasa, spoliata, occupata et detenta huiusmodi non restituerit spoliatis, omnes eorum vassalli, iobagiones, castellanei, comites et officiales alii quocumque nomine censeantur, et quivis alii eis quoquomodo obnoxii a fidelitate, homagio et qualibet praestatione, qua eis iuramento, pacto, consuetudine vel qualibet alia firmitate vallata tenebantur astricti, sint absoluti et liberi praesentis auctoritate decreti, donec ad eos humiliter redeuntes, satisfactionem debitam impenderint de praemissis. Quod si perseverantibus in huiusmodi contumacia et contemptu adhaeserint, quia eis in peccatis favere satagunt, excommunicationis vinculo sint ligati, et terra quae eis medio tempore obediens fuerit, ecclesiastico supposita interdicto; quod interdictum omnes et singuli archiepiscopi, episcopi et alii Ecclesiarum praelati, capellae et conventus tam regulares, quam saeculares, exempti et non exempti, Cisterciensium, Praemonstratensium, Sancti Benedicti, ac Praedicatorum, et Minorum, Heremitarum Sancti Augustini, aliorumque approbatorum Ordinum, necnon magistri et praeceptores Militiae Templi et hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac B. Mariae Theuthonicorum in virtute s. obedientiae et sub excommunicationis poena servare inviolabiliter teneantur. Et nihilominus si sine debita satisfactione decesserint, prædictorum omnium corpora perpetuo ecclesiastica careant sepultura: non enim debet illi Ecclesiae beneficium subvenire, qui, dum viveret, Ecclesiam hostiliter impugnavit. Publicata Posonii IV idus novembris.

De poena publicorum concubinariorum.

§ 6. Almae matris Ecclesiae, quae plerumque rationabiliter ordinat et consulte, quae, suadente subiectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat aliquando, subtrahit, addit quandoque pariter, et commutat in melius, imitantes exempla, constitutionem bonae memoriae Philippi quondam Firmani episcopi in regno Ungariae, ac partibus aliis nostrae iurisdictioni subiectis, Apostolicae Sedis legati, contra publicos concubinarios editam, et a felicis recordationis Benedicto Papa XI, tunc in regno et partibus supradictis legato Sedis Apostolicae, confirmatam, quibusdam additis et subtractis iuxta infrascriptam modificationem in posterum observari praecipimus. Ad ipsius quidem temperandum rigorem animarum zelus, quas ex illius contemptu quasi continuo peccatorum sordibus foedari conspicimus, nos inducit, spes recuperationis hortatur. Confidimus enim, quod spirituali poena, excommunicationis videlicet, quae quamvis sine comparatione periculosior, minus tamen peccatis exigentibus formidatur, in temporalem mutata vindictam, subditorum mutabunt et mores. Decreto igitur praesenti statuimus, ut quicumque

clericus contra ipsius constitutionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicationis poena in ea contenta, propter causas praedictas, cessante, quartae partis redditumm beneficiorum suorum, praesentis constitutionis auctoritate, damnationi subiaceat. Quia vero nihil prodessent iura, nisi foret qui ea executioni mandaret, omnibus episcopis, eorumque superioribus, necnon singulis Ecclesiarum praelatis de iure vel antiqua consuetudine iurisdictionem habentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis poena, quam, si ad huiusmodi constitutionis observantiam negligentes fuerint vel remissi, ipso facto incurrant, districte præcipimus, quatenus a subditis suis, qui contra ipsam constitutionem excesserint, pœnam præfatam integraliter exigant, ipsius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum usus, seu Ecclesiae exigenti commissae commodum convertenda. Praedicta autem condemnatio tandiu cum exactione debita repetatur, quousque mores suos et vitam, quoad praemissa, curaverint emendare: ad quod etiam corporalis poena, si superior suus expedire crediderit, indicatur. Publicata Posonii, IV idus novembris.

De probibita depraedatione

§ 7. Cum Christus vera pax de summis coelorum descenderit, ut quam mundus dare non potest, suis fidelibus pacem daret: profecto non est membrum Christi, nec eius Ecclesiae, qui pacem suam non recipit, vel qui, ne alii recipiant, suis perversis actibus, causam præstat. Cum itaque in regno Ungariae olim in pulchritudine pacis aemulus et discordiae seminator diu procuraverit optatae pacis exilium, immittendo guerrarum discrimina, et depraedationes seu disturbationes per perversos homines membra sua inhumaniter exercendo, propter quæ pax et concordia extra dicti regni terminos diu, quod dolenter referimus, exulavit; nos, qui præfati regni et incolarum eius specialem curam suscepimus, ipsorum pacifico statui providere desiderabiliter affectantes, statuimus, sacro approbante concilio, ut omnes et singuli cuiuscumque dignitatis, conditionis aut status extiterint, qui in regno Ungariae praefato depraedationes seu disrobationes publicas, per quas pax et tranquillitas dicti regni, ut plurimum impeditur, per se vel per alium publice exercere, et qui aliter ipsius regni statum pacificum impedire praesumpserit, nisi per episcopum proprium monitus, ad quod ipse episcopus in virtute obedientiae teneatur, infra octo dies vitam suam melius consulte correxerit, et si clericus fuerit, exemptus vel non exemptus, beneficio privatus, ipso facto excommunicatione, qua Deus iratus animas percutit, sit ligatus. Publicata, ut supra, Posonii.

De his qui contumaciter sustinent excommunicationem.

§ 8. Cum peccata tanto gravius deprimant atque laboriosius extirpentur, quanto invaluerint consuetudine longiori, praesenti constitutione, sacro approbante concilio, duximus statuendum, quod si quis clericus vel laicus cuiuscumque status vel conditionis existat, aliquam de constitutionibus nostris transgrediens, quas contra recusantes dictum Carolum pro rege naturali Ungariae recipere et habere, vel alium advocantes vel nominantes, seu recusationi, advocationi vel nominationi huiusmodi consentientes seu faventes, ac etiam contra occupatores regalium, generalium vel ecclesiasticorum bonorum, contra eos quoque, qui in regem praedictum, archiepiscopos, episcopos vel legatos manus iniecerint violentas, necnon contra occupatores et detentores sacrae coronae, eorumque fautores edidimus, maioris excommunicationis sententiam in praefatis constitutionibus seu aliqua eorum contentam, quod absit, incurrerit, quam citius commode poterit, cum debita instantia illius absolutionem efficaciter obtinere procuret: qui vero, concepta malitia sive damnosa negligentia, excommunicationem huiusmodi per annum substinuerit animo indurato, contra eum per praelatum, ad quem de iure pertinere dignoscitur, seu per inquisitores haere-

ticae pravitatis, bonis pro facto (1) iure confiscatis ipsius, tamquam contra haereticum procedatur. Publicata Posonii, quarto idus novembris.

Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.

§ 9. Ut fides catholica, quae scissuram erroris cuiuslibet aspernatur, nullius schismatis vel fermento pravitatis haereticae maculetur, de consilio et assensu praesentis concilii perpetuo prohibemus edicto, ut nullus nostrae legationis subiectus, qui vult reputari et haberi catholicus, praesumat de caetero haeretico, Patareno, Lazaro, schismatico vel alteri fidei christianae contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Rasciis, Lituanis in errore manentibus, qui, sicut fide dignorum testimonia praestantur (2), in diminutionem catholicae fidei, opprobrium Iesu Christi et sacrosanctae Romanae Ecclesiae, quae est verae fidei fundamentum, non solum sacri Baptismatis reiterant sacramentum, verum alia catholicae Ecclesiae salutifera sacramenta damnabiliter contemnentes habent despectui, fidei veritatem, in qua fidelibus salus datur, abnegant, et eis diversis modis et variis iniuriam irrogare conantur, filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare, cum hoc sit in praedictae fidei christianae detrimentum non modicum et iacturam; nam, sicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholicae separati uxores suas quantumvis catholicas, instigante diabolo, ad infidelitatis errorem trahunt, potius quam trahantur. Qui vero contra inhibitionem praesentem filiam, neptem vel consanguineam suam praedictis pestiferis hominibus, qui quantum in eis est, catholicam fidem, sine qua nullus omnino salvatur, nituntur confundere, dederit vel danti consenserit, vel ex proposito vel scienter huiusmodi scelestis nuptiis astiterit (muliere etiam data, vel tradita, quae eisden consenserit), cum per hoc in christiana religione scissuram et maculam ponere satagat, ac per hoc haereticae pravitati favere, eo ipso excommunicationis mucrone percussum se noverit, et ecclesiastica sepultura privatum. Volumus autem et in virtute obedientiae districte praecipimus archiepiscopo vel episcopo, in cuius dioecesi contemptor huiusmodi moram trahit, quod eum excommunicatum denuntiet et ab omnibus evitandum: et si infra mensem corde contrito et humiliato non redierit ad Ecclesiae unitatem, de tanta iniuria irrogata nomini christiano et fidei orthodoxae condignam satisfactionem et debitam impensurus, ex tunc contra eum, tamquam contra fautores haereticorum et inimicos fidei christianae, procedatur iuxta sanctiones canonicas et civiles. Publicata Posonii, IV idus novembris.

De observantia mandatorum Apostolicae Sedis et legatorum ipsius.

§ 10. Cum Apostolica Sedes ad obedientiam omni singulari privilegio praeponatur, dolemus, quod quidam quos termini nostrae legationis includunt, bonum obedientiae pervertentes, ipsius Apostolicae Sedis vel etiam legatorum eius, qui in decreta sibi provincia, secundum in obedientia et reverentia locum tenent ipsius in obedientiae debito reverenter subtracto, mandatis, sive in recipiendis canonicis, sive in custodiendis sententiis, sive in quibusvis praeceptionibus observandis aliorum damnabiliter voluntatem praeponunt, et non attendentes, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere, poenae inobedientiae debitae se supponunt, quod in terra Poloniae maxime per nonnullos episcopos et capitula, quae praesertim pro aliquibus recipiendis canonicis nisi de suorum superiorum voluntate procedat, ab eadem Sede vel legato ipsius discretis literis obedire contemnunt, factum esse frequentius nostris auribus est relatum: proinde nostro commissos regimini in bono perfectae obedientiae, sine qua infidelis quisque convincitur, etiam si fidelis esse videatur, observari ferventi desiderio affectantes, monemus omnes et singulos ar-

(1) F. leg. *ipso facto.* (2) F. *testantur.*

chiepiscopos, episcopos, electos, abbates, priores, Ecclesiarum quoque capitula praedictae terrae Poloniae, ut non obstante suorum superiorum voluntate contraria dictae Sedis legatorum, quae ipsius mandata sic reverenter recipiant et obedienter adimpleant, quod meritum inobedientiae non amittant; sciturі, quod si mandata huiusmodi per inobedientiae vitium non duxerint adimplendum, eos taliter puniemus, quod poena docente cognoscent, quam grave sit eorum iussionibus contraire. Publicata ut supra. Datum Posonii quarto idus novembris, pontificatus domini Clementis Papae VI anno IV.

Clausulae.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire *etc.*

Datum Avenione quarto nonas septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 2 septembris 1346, pont. anno v.

## X.

*Confirmatio electionis marchionis Moraviae Romanorum regis in imperatorem electi.*

### SUMMARIUM

Procemium. — 1. Fridericus Austriae, et Ludovicus Bavariae duces in discordia electi. — Friderico, mortuo Ludovicus omni iure imperii a Ioanne Papa vacuatus. — 2. Quo pacto vacanti imperio consuluerit Clemens. — 3. Carolus Moraviae dux in regem Rom. electus. — 4. Petita ab eo per suos nuncios apostolica confirmatio. — 5. Ei concessa a Clemente. — 6. Praestitum per procuratores fidelitatis iuramentum. — 7. Praeceptis imbuitur a Clemente. — Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo regi Romanorum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Romanus Pontifex cui Rex aeternus et summus in persona beati Petri Apostoli aeternae vitae clavigeri, coelestis simul et terreni iura imperii et plenitudinem potestatis concessit, supra cunctos fideles suae curae commissos invigilans, et intendens circa ea, quae fidelibus ipsis ampliora pacis et iustitiae afferre commoda extimat, tanto diligentioribus se tenetur impendere studiis, quanto ad hoc iniunctae desuper apostolicae servitutis officium ipsum stimulat et perurget. Et quia regnantium recte ordinata regimina nutrire consueverunt iustitiam, et christiano populo pacem dare, Pontificis eiusdem auctoritas, cui dictum a Domino legimus per Prophetam: Ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas, disperdas et dissipes, aedifices et plantes; ad erigenda huiusmodi regimina, prout ad suam spectat solicitudinem, nequaquam debet tepescere, sed potius operosas apponere, cum expedire conspicit, manus suas.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Fridericus Austriae, et Ludovicus Bavariae duces in discordia electi.

§ 1. Sane dudum imperio Romano per obitum clarae memoriae Henrici ultimi Romanorum imperatoris vacante, duo, videlicet quondam Fridericus Austriae ac Ludovicus tunc Bavariae duces, in regem Romanum in discordia electi, ut dicitur, extiterunt. Deindeque, Friderico praedicto rebus humanis exempto, Ludovicus praedictus propter ipsius excessus, culpas, crimina et alia demerita detestanda, quasi totum divulgata per orbem, per felicis recordationis Ioannem Papam vigesimum secundum praedecessorem nostrum, de fratrum suorum consilio, extitit omni iure, si quod eidem Ludovico ad regnum vel imperium Romanum ex electione discordi praedicta vel alias competere poterat quoquomodo, iudicio iusto privatus, et subsequenter de haeresi et schismate sententialiter condemnatus.

Friderico mortuo, Ludovicus omni iure imperii a Ioanne Papa vacuatus.

Quo pacto vacanti imperio consuluerit Clemens.

§ 2. Nos autem postmodum, licet insufficientibus meritis, ad apicem summi apostolatus assumpti, attendentes, quod ex iis regnum et imperium praedicta diu vacaverant et vacabant, et ob hoc sancta Romana mater Ecclesia per longa tempora

suo caruerat et carebat speciali advocato et legitimo defensore in catholicae fidei et eiusdem Romanae ac aliarum Ecclesiarum, et libertatis ecclesiasticae reique publicae grande praeiudicium, multiplex detrimentum et multarum periculum animarum, ac huiusmodi dispendiis et periculis, quae tolerare salva conscientia non poteramus, ulterius occurrere paternae sollicitudinis studiis cupientes, principes tam ecclesiasticos quam saeculares, ad quos ius eligendi regem Romanum in imperatorem postmodum promovendum pertinebat, apostolica auctoritate monuimus, eis districtius iniungentes, ut pro electione regis Romani in imperatorem, ut praedicitur, promovendi, de persona idonea facienda convenirent invicem, et ad electionem huiusmodi procedere non differrent: alioquin Apostolica Sedes, a qua ius et potestas electionis huiusmodi ad principes pervenisse constat, eosdem super hoc de opportuno remedio provideret.

Carolus Moraviae dux in regem Rom. electus.

§ 3. Praefati vero principes salutaribus monitis nostris huiusmodi se devota promptitudine conformantes, ac certis die et loco pro electione huiusmodi celebranda, illi videlicet, qui debuerunt, potuerunt et voluerunt interesse, convenientes in unum, post diligentes deliberationem et tractatus, prout tanti magnitudo negocii requirebat, habitos inter eos, te, marchionem Moraviae, nunc etiam regem Bohemiae, in regem promovendum postmodum in imperatorem Romanum unanimiter et concorditer elegerunt, tuque, deliberatione habita super hoc, ad instantiam electorum praedictorum et aliorum multorum electioni huiusmodi consensisti.

Petita ab eo per suos nuncios apostolica confirmatio.

§ 4. Post haec autem venerabilis frater noster Arnestus archiepiscopus Pragen., et dilecti filii magistri Ioannes de Pistorio, decanus Sancti Ioannis Traiecten., et Nicolaus de Lucemburgo, praepositus Sarzen., Pragen. dioecesis, et Geraldus de Magnaco archidiaconus de Bautesio Constantien. Ecclesiarum, cappellani nostri, necnon nobilis vir Ademarus de Pictavia miles, procuratores et nuncii tui, ad nostram praesentiam super hoc destinati, habentes ad infrascripta omnia plenum, sufficiens et speciale mandatum, sicut per patentes literas tuo sigillo munitas nobis extitit facta fides, coram nobis et fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, in solemni et publico consistorio, praesente tam praelatorum et clericorum aliorum, quam laicorum multitudine copiosa fidelium, constituti, pro parte tua inter caetera proponere curaverunt electionem ad regnum Romanum de te, ad imperium postmodum promovendo, ab omnibus principibus tunc in electione huiusmodi vocem habentibus, qui, ut praefertur, debuerunt, potuerunt et voluerunt interesse, fuisse concorditer ac unanimiter celebratam, teque, ut praedicitur, electioni huiusmodi consensisse, filialem reverentiam et devotionem, quam tu ad nos et eandem Romanam Ecclesiam matrem tuam gessisti, gerebas et geris ac proponis gerere in futurum, sinceris affectibus exponentes, ac inter alia supplicantes, tibi nostros favores et gratias exhiberi, nec non inunctionem et consecrationem per manus nostras impendi, teque imperiali diademate coronari, offerentesque se paratos et promptos pro te et in animam tuam praestare debitae nobis et eidem Ecclesiae fidelitatis et cuiuslibet alterius generis iuramentum.

Ei concessa a Clemente.

§ 5. Tandem autem procuratoribus per se et una cum dilectis filiis nobilibus viris Henrico comite de Salmis, Gautero de Montilio, Gerardo de Uflix et Ioanne de Asperomonte, militibus Treveren., Valentin. et Virdunen. dioecesum, ac Radulpho dicto Losse officiali Treveren., procuratoribus et nunciis tuis, una cum eis per alias tuas literas similiter constitutis, haec omnia pluries petentibus, ac devote offerentibus coram nobis, nos, praemissis per eosdem procuratores et nuncios tuos propositis diligenter auditis, factaque nobis

de huiusmodi electione concordi et unanimi plena fide, eaque, necnon persona tua, in quantum patiebatur absentia, diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate ac conditionibus omnibus, quae requiruntur in illo, qui est electus ad imperialis culminis apicem sublimandus, cum pluribus praelatis et aliis magnae auctoritatis viris, qui tuos mores, conditiones et statum plenius noverant, inquisito, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beatae ac gloriosae semperque Virginis Dei Genitricis Mariae, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli, ac exaltationem et honorem Ecclesiae, et bonum et promotionem imperii praedicti et prosperum statum mundi, de fratrum eorumdem consilio te in specialem nostrum et Ecclesiae filium suscepimus, tibi nostros favorem et gratiam concedentes, personaque tua, cuius nos et iidem fratres nostri specialem prius notitiam habebamus, idonea reputata, te nominavimus, denunciavimus, declaravimus et assumpsimus in regem Romanum promovendum in imperatorem, eandem tuam approbantes personam ac sufficientem et habilem declarantes ad suscipiendam imperialis celsitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, consecrationem et coronationem imperialis diadematis tibi per manus nostras opportunis loco et tempore impendendas: supplentes quoque omnem defectum, si quis aut ratione formae seu tuae aut electorum praedictorum personarum, qui electioni tuae interfuerunt, seu ex quavis alia ratione sive causa in eadem electione intervenerit quovis modo ex certa scientia et apostolicae plenitudine potestatis: praecipientes etiam omnibus fidelibus et vassallis regni et imperii praedictorum, ut tibi tanquam regi Romanorum in imperatorem promovendo pareant efficaciter et intendant.

*Praestitum per procuratores fidelitatis iuramentum.*

§ 6. Et nihilominus ibidem a praedictis procuratoribus et nunciis tuis ad haec, ut praemittitur, plenum, sufficiens et speciale mandatum habentibus, prout ipsi nobis frequenter obtulerunt, fidelitatis recepimus iuramentum.

*Praeceptis imbuitur a Clemente.*

§ 7. Attende itaque, fili charissime, quaesumus, et intra praecordia tua diligenter revolve dona magnifica et multiplicia beneficia, quibus te Largitor bonorum omnium in suis benedictionibus dignatus est praevenire, illaque sibi devotione humili et operosis affectibus recognoscens mandata et beneplacita in omnibus te coapta, et vitare stude summopere, quae suae offenderent oculos maiestatis: pone gressus tuos semper in semitis mandatorum Ipsius, et Eius ministros condigna honorificentia prosequi non omittas: praefatam quoque Romanam Ecclesiam matrem tuam, quae internae charitatis officio et affectu de tui status et honoris augumento solicita redditur, filiali venerari reverentia semper stude, iustitiam dilige, veritatem ama, sectare pacem, aequitatem serva, et clementiam, quae amicos et devotos multiplicat, amplexare, ut inde laetentur coeli et exultet terra, et de tuis benignis et virtuosis actibus universae reipublicae populus nuncusque vehementer afflictus ilarescat, iugo tuae dominationis superbae mentes hostium comprimantur, contriti et depressi subditorum tuorum animi ope tuae misericordiae releventur, te virtus caelestis gratiae terribilem tuis inimicis faciat, pietas subditis benignum ostendat, tuisque felicibus temporibus in plenitudine pacis populus christianus sedeat, in fiduciae tabernaculis habitet et requiescat, tuque, his et aliis tuis bonis operibus in conspectu divinae maiestatis acceptus, post multorum annorum curricula, de terreno ac temporali regno ad caelestis et aeterni regni provehi gloriam merearis.

*Clausulae.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire, *etc.*

Datum Avenione, octavo idus novembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 6 novembris 1346, pont. anno v.

## XI.

*Pragensis Academia instituitur et archiepiscopo conferendae doctoratus laureæ ius adiudicatur (1).*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Academia Studiorum generalium instituta. — Praescripta conferendae laureæ ratio. — Conclusiones.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Considerantes eximiam devotionis et fidei puritatem, quam tam ipse Carolus et praedecessores sui Bohemiae reges, quam eiusdem regni incolae ad sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, ac ipse Carolus rex et incolae gerere dignoscitur, ferventi desiderio ducimur, ut regnum ipsum, quod divina bonitas multitudine populi, rerumque copia praedotavit, fiat literarum fertilitate fecundum, ac in eo quemadmodum auri et argenti fore dignoscitur, sic scientiarum praevalentium sit (2) ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi literalibus cupientes imbui documentis.

Academia Studiorum generalium instituta.

§ 1. His igitur omnibus, et praesertim amoenitatibus civitatis praefatæ diligenti (3) pensatis, ad huiusmodi universalem, non solum praemissorum eiusdem regni et regionum circumiacentium incolarum, sed etiam aliorum, qui de diversis mundi partibus ad eamdem confluent civitatem, commodum et profectum paternis affectibus anhelantes, dicti regis supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate statuimus, ut in dicta civitate Pragensi perpetuis futuris temporibus generale Studium vigeat in qualibet licita facultate, et quod legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis doctoribus legentibus et studentibus commorantibus in Studio generali gaudeant et utantur, quodque illi, qui processu temporis scientiae margaritam fuerint in alia facultate, in qua studuerint, assecuti, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac magisterii honorem seu titulum petierint impertiri per magistros seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, archiepiscopo Pragensi, qui est pro tempore, praesentetur. Idem quoque archiepiscopus doctoribus, magistris in eadem facultate inibi actu regentibus convocatis, illos in iis quae in promovendis ad doctoratus seu magisterii honorem requiruntur, per se vel alium iuxta modum et consuetudinem, quae super talibus in generalibus Studiis observantur, examinare studeat diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, ac honorem seu titulum conferat magistralem. Illi vero, qui in eodem Studio dictae civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem seu titulum magisterii obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine et approbatione alia regendi et docendi, tam in civitate praedicta, quam alibi ubicumque tam dictae civitatis, quam quorumlibet aliorum locorum seu generalium Studiorum, in quibus voluerint, regere vel docere, statutis, consuetudinibus contrariis apostolica vel alia quacumque firmitate vallatis nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem.

Præscripta conferendae laureæ ratio.

Conclusiones.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione, VII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 26 ianuarii 1347, pont. anno V.

(1) Ex Raynaldo ad annum 1347. (2) Abundantia. (3) Deest aliquid; forsan *examine*.

## XII.

*De canonizatione B. Ivonis presbyteri Trecorensis Galli, eiusque festivitatis celebratione sub die 19 mensis maii.*

SUMMARIUM

B. Ivonem a se canonizatum ait: — 1. Eiusque statutum festum diem. — 2. Miracula ad B. tumulum patrata. — 3. Laetari debet rex Franciae pro tanto patrono.

**Clemens Papa VI, charissimo in Christo filio Philippo regi Franciae illustri, salutem et apostolicam benedictionem.**

B. Ivonem a se canonizatum ait:

Ad spiritualis gaudii et consolationis augmentum patefieri regali excellentiae volumus per praesentes, quod nos super negocio canonizationis almi confessoris Domini Iesu Christi, Ivonis videlicet quondam presbyteri dioecesis Trecorensis, pro qua tua sublimitas instanter hactenus nos rogavit, in nomine Domini procedentes, die sextadecima praesentis mensis iunii examinatione diutina, prolixa providentia et matura, sicut exigit tanti negotii arduitas, praecedente, praefatum Sanctum, qui vitam sanctam piis exuberantem operibus, castigando et in servitutem redigendo carnem suam, spiritum non sine multis et magnis austeritatibus gessisse poenitentialibus, dum in humanis ageret, multorumque coruscatione miraculorum, tam in via, quam post felicem ipsius transitum claruisse, manifestis ipsius probationibus fuit repertus; praesente fidelis cleri et populi multitudine copiosa, observataque solemnitate, quae consuevit in talibus observari, ad laudem et gloriam divini Nominis, ac consolationem fidelium, et maxime regni tui, de quo traxisse noscitur originem, ac tui et eiusdem regni exaltationem honoris, de consilio fratrum nostrorum canonizavimus, et sanctorum cathalogo adscribendum mandavimus, et ut sanctum deinceps a fidelibus venerari.

Eiusque statutum festum diem.

§ 1. Festum ipsius die decimanona mensis maii, quo eius anima mole carnis exuta, coelos petens, cum scala gloriae caelitibus civibus est coniuncta, statuentes a fidelibus annis singulis celebrandum.

Miracula ad B. tumulum patrata.

§ 2. Ad ipsum quidem Sanctum ingentem devotionem gerit partium istarum populus, et iam multi ad ipsius suffragia devotis orationibus et emissis votis in humilitate spiritus recurrentes, exinde sanitatem et alia remedia super suis iustis petitionibus reportarunt, et reportare non desinunt incessanter.

Laetari debet rex Franciae pro tanto patrono.

§ 3. Ex his nempe tibi, fili carissime, adaugeri debet proculdubio magnae spiritualis laetitiae incrementum, et inde teneris Deo assurgere, ad gratiarum devotas et humiles actiones, qui tibi talem de regno tuo, in quo etiam corpus quiescit, eiusdem patronum et intercessorem in sua curia caelesti concessit, ad quem super tuis necessitatibus, ut divinam tibi propitiationem apud Regem aeternum, qui omnia palmo concludit, obtineat, recurrere poteris, sicut credimus, confidenter.

Dat. Avenione, 11 kal. iulii, pont. nostri anno VI.

Dat. die 21 iunii 1347, pontif. anno VI.

---

## XIII.

*Limitatio finium agri Beneventani* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. In concessione a Clemente IV Carolo Andegavensi facta exceptus comitatus Beneventanus de ipsius comitis consensu. — 2. Quare dilata usque adhuc eius finium distinctio. — Haec provincia pluribus Sedis Apost. legatis commissa. — 3. Beneventanorum finium decretoria descriptio. — 4. Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Urget nos apostolicae servitutis debitum, ut sic simus aliis in exhibitione iustitiae debitores, ut iura Romanae Ecclesiae, cui, licet immeriti, auctore Domino,

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

praesidemus, laedi per conniventiam, aut minui per periculosam tolerantiam nullatenus permittamus, quinimo iustitiam ipsius, quantum cum Deo possumus, prosequentes, eius indemnitatibus providere sine cuiuscumque iniuria studeamus.

In concessione a Clemente IV Carolo Andegavensi facta exceptus comitatus Beneventanus de ipsius comitis consensu.

§ 1. Sane in Christo carissimam filiam nostram Ioannam reginam Siciliae illustrem latere non potest, quod in praestatione iuramenti fidelitatis et homagii nostro et Ecclesiae praedictae nomine receptorum, ratione regni Siciliae per eam praestitorum, ipsa confessa est, prout praedecessores sui fecerant, recognoverat, et in illis partibus, tanquam in publicam deductum notitiam, notorium existit, quod felicis recordationis Clemens Quartus praedecessor noster in concessione per ipsum facta sub certis pactis, modis et conditionibus clarae memoriae Carolo comiti Provinciae et Andegaviae, de regno Siciliae et terris citra Farum usque ad confinia terrarum Romanae Ecclesiae supradictae expresse et nominatim excepit, et a praedicta concessione exclusit civitatem Beneventan., quam in signum directi et maioris dominii, regni et terrarum praedictarum sibi et praefatae Romanae Ecclesiae retinebat, cum toto eius tenimento, districtibus et pertinentiis suis, distinguendis et limitandis per Romanum Pontificem pro eius beneplacito voluntatis; cui distinctioni et limitationi semel bona fide faciendis ipse Carolus et successores sui stare deberent, absque contradictione et refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per apostolicas literas appareret: quam civitatem Beneventanam cum toto tenimento et districtu, ut praemittitur, distinguendo voluit solum et in solidum ad ius et proprietatem et in dominio et demanio Romanae Ecclesiae remanere, ut nec reges Siciliae nec quicumque alii in dicta civitate et ipsius territorio et pertinentiis possint sibi ius aliquod quomodolibet vendicare, acquirere, recipere vel habere seu etiam retinere, prout in literis apostolicis dictae concessionis super hoc confectis ac registratis, aurea bulla impressa Zipario communitis, dicti Caroli et omnium successorum suorum super receptione homagii, et praestatione iuramenti fidelitatis et vassallagii; in quibus tenor concessionis praedictae, cum suis pactis, modis et conditionibus inseritur, latius continetur.

Quare dilata usque adhuc eius finium distinctio.

§ 2. Licet autem Ecclesia Romana praedictam civitatem Beneventanam pleno iure ex tunc inconcusse possederit pacifice et quiete; attamen propter diversas occupationes, quae undique Romanis Pontificibus occurrentes non sinunt omnibus accommodae provisionis remedium adhiberi, et conditionem regni et terrarum praedictorum, quae diversis turbationibus saepius fluctuarunt, territorium seu tenimentum aut districtus huiusmodi per praedecessores nostros limitata non fuerunt neque distincta, quamvis ipsorum aliqui ad distinctionem et limitationem territorii seu tenimenti et districtus eorumdem procedere intendentes, informatione super limitibus huiusmodi rite recepta, morte praeventi, non potuerint coeptum negocium terminare; nosque olim attendentes quod ex omissione limitationis districtus et tenimenti seu territorii praedictorum multa Ecclesiae praefatae ac civibus seu incolis civitatis praedictae subditis nostris incommoda evenerunt, et dubitantur verisimiliter ampliora in posterum evenire si limitatio seu distinctio huiusmodi ulterius differretur, ac volentes, prout tenemur, periculis futuris occurrere, et Ecclesiae praedictae nostrae Sponsae indemnitatibus providere, venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Sabinen. tunc tituli Sancti Marci presbytero cardinali Apostolicae Sedis legato commisimus, ut de tenimento, territorio et districtu praedictis et eorum finibus praedictis diligentius se informare, et informatione recepta, fines territorii, tenimenti et districtus praedictorum, nomine et vice nostris, distingueret terminis

Haec provincia pluribus Sedis Apost. legatis commissa

evidentibus appositis in eisdem: et licet dictus episcopus se per testes idoneos omni exceptione maiores de tenimento, territoriis, districtibus et finibus praedictis diligenter informaverit, vocata ad hoc praedicta regina legitime, sed comparere per se vel procuratorem idoneum non curante; tamen ipse legatus, infirmitate et aliis legitime impeditus, praedictos fines distinguere non potuit, nec huiusmodi territorium terminare. Propter quod postmodum venerabili fratri nostro Hanibaldo, episcopo Tusculano, Apostolicae Sedis legato, commisimus, ut super praedictis informatione recepta, auctoritate apostolica et vice nostra, territorium, fines et districtus praedictos distinguere procuraret: qui, licet se diligenter informaverit, ad distinctionem et limitationem tamen huiusmodi procedere noluit, nobis super hoc inconsultis, sed informationes per eum super iis acceptas nobis destinare curavit; ac nos nolentes quod negotium praedictum tanto tempore periculose dilatum ulterius retardetur, informationes praedictas per aliquos ex fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus videri et examinari fecimus diligenter, nihilominus mandantes eisdem, ut ex superabundantia se per testes idoneos finium praedictorum habentes notitiam de praedictis informarent.

Beneventanorum finium decretoria descriptio.

§ 3. Facta itaque nobis per eos de praedictis informationibus relatione fideli, de fratrum nostrorum consilio ordinamus et declaramus, fines et limites, tenimentum et districtum seu territorium civitatis nostrae praedictae Beneventanae existere et esse debere, et ex certa scientia limitamus per modum et terminos infrascriptos: in primis castrum Pontis inhabitatum, et inde ascendendo castrum Casalbani, castrum Campi Lactarii, castrum Frangeti Monfortis, castrum Frangeti Abbatis, castrum Montis Leonis, castrum Sancti Severi, castrum Sancti Georgii Mocinarii, castrum Sancti Andreæ de Molinaria, castrum Petrae Maioris, castrum Padule cum suo suburbio sive casali Sancti Archangeli, castrum Montis Mari, casale Timplani, castrum Apicii cum casalibus, castrum Merroni, castrum Venticani, castrum Montis Fuscoli cum casalibus, castrum Zufi, castrum Petrae Sturmini, castrum Sancti Martini, castrum Cervinariae, castrum Montis Sarculi, castrum Totii cum casalibus, castrum Terluosii cum casali Papisi et aliis casalibus. Volumus itaque et apostolica auctoritate decernimus, quod omnia castra, casalia et loca supradicta cum suis territoriis et pertinentiis universis, ac etiam castra, casalia et loca omnia cum suis pertinentiis, et alia quaecumque, quae inter dicta castra, casalia et loca supradicta et eorum limites et pertinentias, dictamque civitatem Beneventanam includuntur seu continentur quomodolibet, vel existunt, de territorio, tenimento et districtu dictae civitatis Beneventanae esse perpetuo irrefragabiliter absque cuiusquam contradictione et impedimento, et infra dictum territorium existere censeantur. Quae castra, casalia et loca cum omnibus castris, casalibus et locis ac aliis supradictis ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere pleno iure, hoc salvo, quod si aliqui nobiles, aut alii in castris, casalibus, locis et aliis praedictis, vel intra ea et civitatem praedictam aliquas proprietates habeant acquisitas legitime, per hoc eis non intendamus derogare.

Clausulae.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum ordinationis, limitationis, voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Avenione septimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 26 maii 1350, pontif. anno IX.

## XIV.

*Episcopis Carpentoraten. et Uticen., ac abbati monasterii S. Rufi prope Valentiam committitur inquisitio super miraculis beati Elzearii comitis Ariananensis (1).*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Multa miracula ad tumulum B. Elzearii patrata. — Commissa de his inquisitio.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Carpentoraten. et Uticen. episcopis, ac dilecto filio abbati monasterii Sancti Rufi prope Valentiam.**

Procemium.

Grandis nobis adest laetitia, miraque nostra praecordia gaudiorum suavitate replentur, et a nobis magna gratiarum actionum ac laudum Deo debentur impendia, dum caelestis Rex ipse, sub cuius ditione cuncta subsistunt, sanctos suos per exemplaris vitae doctrinam et sanctitatis merita venerandos, de praesentis vitae carcere ad aeternam beatitudinem evocatos, crebris coruscare facit miraculis, per quae suos fideles et in fidei constantia perseverantes efficiat, et ad sanctorum ipsorum sectanda vestigia, lucidasque semitas incedendas, invitet apertius, quos de multitudine miserationum suarum ad eorum vult consortium pervenire.

Multa miracula ad tumulum B. Elzearii patrata.

§ 1. Sane pro parte venerabilium fratrum nostrorum Aquen. et Arelaten. archiepiscoporum et nonnullorum episcoporum Aquen. et Arelaten. provinciarum, et dilectorum filiorum praelatorum Ecclesiarum religiosorumque, et baronum et nobilium, ac universitatum earumdem provinciarum, et Provinciae ac Forqualquerii comitatum pridem in consistorio propositum extitit coram nobis, quod recolendae memoriae Elzearius de Sabrano, comes Ariani ac baroniae Ansiasii dominus, de dicta provincia Provinciae oriundus, generis nobilitate praeclarus, adeo in exemplari vita et castitate perfecta in huiusmodi peregrinatione saeculi, eius abiectis voluptatibus, carnisque illecebris procul pulsis, per castos mores virtutumque placitos actus Domino gratum famulatum impendere, eiusdem vitae merito sibi ipsi et aliis proficere studuit per exemplum quod omnipotens ipse Dominus virtutis suae in eodem Elzeario opera manifestans, per sancta sua merita in civitate Aptensi in loco fratrum Minorum, ubi corpus requiescit eiusdem, et alibi plures suscitavit mortuos, caecos illuminavit, mundavit leprosos, surdis auditum, mutis loquelam et paralyticis ac contractis restituit sanitatem, honorans in terris quem, ut pie creditur, coronavit in coelis. Quare nobis fuit pro parte praedictorum humiliter supplicatum, ut cum de praedictis, quae in dictis provinciis et comitatibus quasi notoria et manifesta fore dicuntur, posset fieri per fide dignos et solemnes viros, ac factorum evidentia, plena fides super iis per aliquos probos viros mandaremus inquiri, ut, veritate comperta et certitudine habita praemissorum, cum non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita et miracula sanctum monstrant, ipsum dignaremur sanctorum catalogo aggregare. Nos igitur, quos in certis festinos, et lentos convenit in dubiis inveniri, de praedictis notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae, de quorum circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo vestrum de vita et meritis dicti Elzearii ac eius miraculis et caeteris circumstantiis, circa interrogatoria, quae sub bulla nostra transmittimus interclusa, veritatem diligentius inquiratis, et nobis, quae super his inveneritis, scripta, sub vestris sigillis cum vestrarum litterarum harum seriem continentium testimonio intimare curetis.

Commissa de his inquisitio.

Datum Avenione kalendis septembris, anno x.

Dat. die 1 septembris 1351, pont. anno x.

(1) Ex Vaddingo, edit. an. 1738, tom. VIII, pag. 73.

## XV.

*De cibis, potuque ministrandis S. R. E. cardinalibus in conclavi, et numero inservientium eisdem.*

SUMMARIUM

Gregorius X cardinales in conclavi uno tantum conclavista uti voluit; — 1. Eique infra certum tempus panem, vinum et aquam dumtaxat ministrari. — 2. Duos servientes eis concedit Clemens. — 3. Ciborum pluritatem indulget. — 4. Cortinas pro lectis dat. — 5. Obstantibus derogat.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Gregorius X cardinales in conclavi uno tantum conclavista uti voluit:

Licet in constitutione a felicis recordationis Gregorio Papa decimo, praedecessore nostro, super electione Romani Pontificis edita in concilio Lugdunensi, inter caetera caveatur expresse, quod si eundem Pontificem in civitate, in qua cum sua Curia residebit, diem claudere contingat extremum, cardinales in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, omnes conveniant, et in eo singuli, singulis tantummodo, nisi illi, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, contenti servientibus, clericis vel laicis, prout elegerint, unum conclave, nullo intermedio pariete vel alio velamine, inhabitent in communi.

Eique infra certum tempus panem, vinum et aquam dumtaxat ministrari.

§ 1. Et quod diebus certis, non facta provisione de pastore, decursis, panis, vinum et aqua tantum eisdem cardinalibus, donec subsequetur provisio, ministretur.

Duos servientes eis concedit Clemens.

§ 2. Quia tamen, sicut frequenti multorum assertione et in cardinalatu constitutorum percepimus, nonnulli ex cardinalibus in observatione constitutionis ipsius gravati alias nimium extiterunt; multi quoque ex ipsis duos in dicto conclavi habuerint servientes, non absque scrupulo conscientiae, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet, quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in dicta constitutione, ut praemittitur, contentorum; nos providere super his cupientes, ex his et certis aliis causis rationabilibus, quae nostrum ad id animum induxerunt, rigorem constitutionis ipsius, et etiam ad fratrum nostrorum supplicationem, in his providimus temperandum, auctoritate apostolica statuentes, quod cardinales postquam conclave huiusmodi seu clausuram pro dicta electione celebranda intraverint, singuli duos servientes tantum, clericos vel laicos prout duxerint eligendos;

Ciborum pluritatem indulget.

§ 3. Ac etiam singulis praeter panem, vinum et aquam in prandio et in coena, unum dumtaxat ferculum, seu missum carnium unius speciei tantummodo, aut piscium seu ovorum cum uno potagio de carnibus vel piscibus principaliter non confectis et decentibus salsamentis habere valeant, ultra carnes salitas et herbas crudas, ac caseum, fructus sive electuaria. Ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit.

Cortinas pro lectis dat.

§ 4. Liceat etiam eis ex decentia honestatis habere in clausura huiusmodi, cum in lectis quiescendi causa vel dormiendi esse voluerint, dumtaxat intermedia seu velamina simplicium tantummodo cortinarum.

Obstantibus derogat.

§ 5. Praedictis et fel. mem. Clementis Papae V, praedecessoris nostri, et aliis constitutionibus apostolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo, *etc.*

Dat. Avenione 8 idus decemb., pont. nostri anno x.

Dat. die 6 decembris 1351, pont. anno x.

## XVI.

***Rectores provinciarum, civitatum, aliorumque locorum Rom. Ecclesiae immediate subiectorum a thesaurariis earumdem provinciarum ultra debitum aliquid per violentiam extorquentes vel alias quomodolibet exigentes, excommunicationis vinculo innodantur, suisque officiis privantur*** (1).

SUMMARIUM

Rectores huiusmodi provinciarum saepe thesaurariis infesti. — Quidquam a thesaurariis exigere eisdem vetatur sub poena excommunicationis. — Clausulae.

**Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Rectores huiusmodi provinciarum saepe thesaurariis infesti.

Molesta nobis multorum relatio ad nostrum perduxit auditum, quod nonnulli rectores provinciarum, civitatum atque terrarum ad Romanam Ecclesiam immediate spectantium fines suos, quibus non contenti sunt, excedentes, frequenter thesaurariis provinciarum ipsarum, ultra stipendia constituta eis, pecunias, quas de bonis ac iuribus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, ac alias ad Ecclesiam ipsam spectantes receperant, exigere ac extorquere per violentiam sunt conati: quodque thesaurarios ipsos, si eorumdem rectorum non satisfecerint circa id voluntati, multis affecerunt iniuriis et contumeliis, et interdum ulterius attentantes carceribus manciparunt non sine gravi contumelia et praeiudicio Ecclesiae memoratae.

Quidquam a thesaurariis exigere eisdem vetatur sub poena excommunicationis.

Huiusmodi igitur rectorum coercere in hac parte temeritatis audaciam intendentes, omnibus et singulis rectoribus ipsis praesentibus et futuris districtius inhibemus, ne per se vel alium, seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte talia de caetero attentare, aut thesaurariis ipsis, in quos nullam iurisdictionem habere certum est, eorumque familiaribus ex quibusvis causis seu occasionibus iniurias irrogare præsumant: contrarium vero præsumentes excommunicationis sententia innodamus, et officiis, quae exercent, privatos esse volumus eo ipso. Res enim perniciosi admodum est exempli, si hi, qui ad corrigenda vitia aliorum positi sunt, et in virtuosis operibus vivendi normam debent aliis demonstrare, inquinati vitiis, actionum suarum exemplo incentivum praebent aliis delinquendi.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis, innodationis ac voluntatis infringere *etc.*

Datum apud Villam Novam Avenionen. dioecesis octavo idus maii, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 8 maii 1352, pontif. anno x.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

---

# INNOCENTIUS VI

PAPA CXCIX

*Anno Domini MCCCLII.*

Stephanus Alberti, patria Lemovicensis, in loco de Monte dicto natus, primum episcopus Noviomensis, unde translatus est ad Ecclesiam Claromontensem, mox S. R. E. presbyter cardinalis tit. Ss. Ioannis et Pauli, ac postmodum Ostiensis episcopus, electus est Romanus Pontifex die 18 mensis decembris anni 1352, et Innocentius VI appellari voluit: coronatus autem est die 30 eiusdem mensis. Sedit in pontificatu annos IX, menses VIII, dies XXV, imperantibus in Oriente Ioanne Palæologo, et Ioanne Cantacuzeno, in Occidente vero Carolo IV. Obiit die 12 septembris anni 1362, et sepultus est Avenione in ecclesia Beatae Mariae de Donis. Vacavit sedes mensem unum, dies XVI.

I.

*Iurisdictio et facultates Ægidii S. R. E. cardinalis legati, et vicarii apostolici totius Status Ecclesiastici.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae legatos deputandi. — 2. Ægidius cardinalis talis deputatur in Statu Ecclesiae Romanae. — Facultates dantur eidem — 3. Causas omnes cognoscendi: — 4. Barones, aliosque puniendi: — 5. Omnesque deputandi officiales: — 6. Culpabiles puniendi: — 7. Dissidia componendi: — 8. Pactiones contra bonum initas cassandi: — 9. Occupata recuperandi: — 10. Cum delinquentibus componendi: — 11. Exercitus comparandi: — 12. Hostes compescendi: — 13. Aliaque huius generis opportuna faciendi. — 14. Obstantium derogatio. — 15. Tempus legationis indefinitum. — 16. Faciendis omnibus robur adiicitur. — 17. Per haec rectoribus aliisque officialibus Romanae Eccl. nullum vult inferri praeiudicium. — 18. Obedientia legato praestanda.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ægidio, tituli Sancti Clementis, presbytero cardinali, Apostolicae Sedis legato, ac in provincia Patrimonii Beati Petri in Thuscia, Ducatus Spoletani, Marchiae Anconae, ac Romandiolae, Campaniae et in Maritimae provinciis, ac in civitatibus et terris, et aliis omnibus Romanae Ecclesiae immediate subiectis et intra terminos tuae legationis constitutis, nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae in temporalibus vicario generali, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Cum onus universalis regiminis Dominici gregis superna dispositione iniunctum attendimus, et nostrum attente prospicimus imperfectum, videntes nullo modo per nos ipsos posse exolvere debitum apostolicae servitutis, nonnumquam fratres nostros S. R. E. cardinales, viros electos ex millibus scientia praeditos et virtute, in quibus timor Domini sanctus permanet, in solicitudinis partem assumimus, eosdemque in universas mundi provincias et partes, incumbentibus negociis designantes, ut ipsis vices nostras supplentibus in eisdem et ipsorum cooperatione laudabili nostri oneris alleviationem facientibus, nos ministerium nobis commissum, favente divina gratia, facilius et efficacius exequamur.

Causae legatos deputandi.

§ 1. Sane, licet ad cunctorum Christi fidelium curam et regimen, veluti ipsarum ovium pastor et rector, intente mentis nostrae aciem extendamus; provincias tamen et terras temporaliter Apostolicae Sedi subiectas, et ipsarum populos diversos ipsius Romanae Ecclesiae speciales filios et devotos praecordialius intuemur, et super eorum felici regimine et statu prospero et tranquillo specialius affectibus peculiaribus cupimus providere. Attendentes itaque quod tu, potens opere et sermone, quem in magnis expertum et arduis, probitate ac fidelitate probatum, gratiarum Dominus scientiae magnitudine, industriae claritate, maturitate consilii, morum elegantia, et aliis grandium virtutum titulis insignivit, in cuius affectu geritur, ut indubitanter tenemus, pacificare discordes, sedare fluctuationes et turbines, iustitiae terminos colere, et errantes ad viam rectam reducere veritatis, quod nos absentes, repugnante natura, non possumus assistere, commissam tibi curam, divina gratia, prudenter et fideliter exequeris, matura cum fratribus nostris deliberatione praehabita, de ipsorum communi consilio et assensu;

Ægidius cardinalis talis deputatur in statu Ecclesiae Romanae.

§ 2. Te in patrimonio B. Petri in Thuscia, ducatu Spoletano, Marchiae Anconæ, Romandiolae, Campaniae et Maritimae provinciis, ac omnibus et singulis civitatibus et terris eiusdem Romanae Ecclesiae temporaliter, mediate vel immediate subiectis, infra terminos legationis tuae, ut praemittitur, nostrum, et eiusdem Romanae Ecclesiae vicarium in temporalibus, reformatorem, ac pacis et provinciarum conservatorem constituimus generalem, circumspectioni tuae Patrimonium, ducatum Marchiae Anconae, provincias, civitates et terras praedictas, praefatae Romanae Ecclesiae nomine, prout et in

Facultates dantur eidem

quantum ad Romanam Ecclesiam pertinet, reformandi, regendi, gubernandi et administrandi, ac in eis iurisdictionem plenariam, prout et in quantum ad dictam Ecclesiam pertinet, vel pertinere poterit, exercendi.

Causas omnes cognoscendi:

§ 3. Civiles et criminales causas, per te vel alium seu alios audiendi, examinandi, discutiendi, et causarum cognitionem et decisionem, alii seu aliis, communiter vel divisim, generaliter vel specialiter committendi, et ad te, cum placuerit, revocandi.

Barones, aliosque puniendi:

§ 4. Omnesque et singulos cuiuscumque excellentiae, auctoritatis, nobilitatis, præeminentiae, conditionis aut status existant, quos, iustitia suadente, privandos videris, privandi eos statibus, dignitatibus, honoribus, principatibus, ducatibus, marchionatibus, comitatibus, baroniis, dominiis, terris, feudis, retrofeudis, iurisdictionibus, iuribus, rebus et bonis mobilibus quibuscumque, easque dictae Romanae Ecclesiae confiscandi et applicandi.

Omnesque deputandi officiales:

§ 5. Ac in Patrimonio, ducatu Marchiae Anconae, provinciis, civitatibus et terris eiusdem, rectores, potestates, capitaneos, vexilliferos et castellaneos, iudices et quoscumque officiales alios generales, temporales vel spirituales et officia praedicta et alia omnia et singula, generalia et specialia, quocumque nomine vel titulo fungantur vel nuncupentur, prout ad Romanam Ecclesiam pertinuerit, creandi, constituendi, instituendi, suspendendi, removendi, deponendi et destituendi.

Culpabiles puniendi:

§ 6. Et culpabiles civiliter et criminaliter per te vel alium seu alios puniendi et querelas contra ipsos per quoscumque propositas audiendi summarie et de plano iudicandi, et emendas et satisfactiones debitas fieri faciendi.

Dissidia componendi:

§ 7. Inter principes, duces, marchiones, comites, barones, dominos temporales, nobiles et personas alias, communitates et universitates ac populos et omnes alios et singulos discordes et dissidentes Patrimonii, ducatus Marchiae, provinciarum, civitatum et terrarum praedictarum pacem et concordiam reformandi et inter ipsos treguam indicendi, ipsosque ad eas earumque conservationem quibuscumque poenis et districtionibus ac sententiis, prout ad dictam Ecclesiam pertinuerit, concordes in caritatis aeternae vinculo confirmandi.

Pactiones contra bonum initas cassandi:

§ 8. Colligationes, confoederationes, pactiones, conventiones, societates et ligas contra Romanam Ecclesiam, vel contra bonum pacis et statum illarum partium pacificum, seu in praeiudicium seu damnum Patrimonii, ducatus Marchiae, provinciarum, civitatum et terrarum praedictarum initas ac etiam ineundas, cassandi et annullandi, et poenas super illis adiectas vel adiiciendas relaxandi.

Occupata recuperandi:

§ 9. Occupata iniuste ab occupatoribus et detentoribus quibusvis eripiendi et recuperandi, eiectos et expulsos a locis et rebus ac bonis suis quibuscumque inique privatos, ad loca et bona eorum propria reducendi, restituendi et reintegrandi.

Cum delinquentibus componendi:

§ 10. Et super quibuscumque delictis forte factis, rebellionibus per quascumque universitates vel singulares personas commissis, vel in posterum vicariatus tui tempore committendis, dispensandi, componendi, concordandi, et delinquentes ad Ecclesiae Romanae gratiam et obedientiam reducendi, et super inhabilitatibus et infamiis, quas propterea incurrerint, dispensandi, et universitates et personas huiusmodi ad statum pristinum in integrum reducendi.

Exercitus comparandi:

§ 11. Generales et particulares exercitus in auxilium et protectionem eiusdem Ecclesiae, status pacifici Patrimonii, ducatus Marchiae, provinciarum, civitatum et terrarum praedictarum, et contra rebelles et status pacifici turbatores et quoscumque, ex causis et aliis quibuscumque et quomodocumque videbitur, indicendi, faciendi, congregandi.

Hostes compescendi:

§ 12. Hostes, rebelles et contradictores quoslibet per admonitionis, privationis,

depositionis, relegationis, praescriptionis perpetuae vel temporalis sententias, prout ad ipsam Ecclesiam pertinuerit, sublato appellationis obstaculo, compescendi et coercendi. Et de causis appellationum ad Sedem Apostolicam cognoscendi, et eas fine debito terminandi ac finiendi, ordinandi et statuendi, et reali executioni mandandi.

Aliaque huius generis opportuna faciendi.

§ 13. Et omnia, quae ad huius pleni vicariatus in temporalibus et reformatoris officium pertinent, et quae necessaria vel utilia fuerint quocumque modo in praemissis, et ea tangentibus et quomodolibet eorumdem, et quae ad honorem et commodum eiusdem Romanae Ecclesiae, ad utilitatem et prosperum et tranquillum statum Patrimonii, ducatus Marchiae, provinciarum, civitatum et terrarum praedictarum cedere videris, et tibi visum fuerit expedire.

Obstantium derogatio.

§ 14. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis vel imperialibus, sub quorumcumque verborum expressione concessis, et contrariis, etiam Patrimonii, ducatus Marchiae, provinciarum, civitatum, terrarum praedictarum statutis, consuetudinibus observatis, per quae nullum cuique, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, excellentiae, conditionis aut status fuerit, in hac parte volumus adferri suffragium, concedentes liberam et plenariam facultatem.

Tempus legationis indefinitum.

§ 15. Vicariatus autem curam, regimen, gubernationem, administrationem, potestatem ac iurisdictionem huiusmodi, tamdiu volumus perdurare, donec per Sedem eamdem aliud contigerit ordinari.

Faciendis omnibus robur adiicitur.

§ 16. Nos insuper processus, sententias atque poenas, quos et quas proferri, ac etiam quae per te rite fieri contigerit, rata habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Per haec rectoribus aliisque officialibus Romanae Eccl. nullum vult inferri praeiudicium.

§ 17. Per haec autem rectoribus et officialibus in Patrimonio et ducatu Marchiae, provinciis, civitatibus et terris praedictis per Sedem Apostolicam constitutis, quominus iurisdictionem et potestatem eis concessam, quamdiu in suis officiis et administrationibus praesederint, exercere libere, sicut prius, valeant, non intendimus aliquod praeiudicium generari.

Obedientia legato praestanda

§ 18. Ut igitur praemissa omnia et singula melius, plenius et utilius exerceri possint, universis et singulis Patrimonii, ducatus Marchiae, provinciarum, civitatum et terrarum praedictarum rectoribus, vicerectoribus, potestatibus, capitaneis, officialibus et caeteris nostris et Ecclesiae subiectis, cuiuscumque status, præeminentiae, dignitatis ecclesiasticae vel mundanae, ordinis vel conditionis existant, damus districtius in mandatis, ut tibi efficaciter pareant et intendant. Nulli ergo, *etc.*

Datum apud Villam Novam Avenionensis dioecesis, 2 kalend. iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 maii 1353, pontif. anno I.

---

## II.

*Quod rectores provinciarum Rom. Ecclesiae processus a thesaurariis contra non solventes census eidem Ecclesiae debitos factos suspendere aut cassare, etc., eisdem thesaurariis inconsultis, non possint* (1).

SUMMARIUM

1. Causae ferendae huius legis. — 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Causae ferendae huius legis

§ 1. Multorum saepe relatio nostrum pulsavit auditum, quod rectores provinciarum, civitatum, castrorum, terrarum et aliorum locorum ad nos, et Ecclesiam Romanam immediate spectantium, dum pro recuperandis et exigendis censibus et aliis iuribus eidem Ecclesiae debitis, contra universitates seu communitates vel singulares personas civitatum, castrorum, terrarum aliorumque locorum subditorum

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

eisdem, aliquos spiritualiter seu temporaliter contigit haberi processus, rectores ipsi ad suspensionem seu relaxationem processuum huiusmodi non satisfacto de huiusmodi censibus et iuribus eidem Ecclesiae, sine consultatione et conscientia thesaurariorum provinciarum, civitatum, castrorum, terrarum et locorum ipsorum pro eadem Ecclesia, quorum intererat de iis habere notitiam, processerunt in grave praeiudicium Ecclesiae memoratae.

Prohibitio (de qua in rubrica).

§ 2. Volentes itaque indemnitati iurium in hac parte ipsius Ecclesiae providere, universis et singulis rectoribus provinciarum, civitatum, castrorum et locorum ipsius Ecclesiae praesentibus et futuris auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne processus aliquos spirituales vel temporales, per eos et quemlibet eorum habitos vel habendos pro exigendis et recolligendis ac recuperandis huiusmodi censibus et aliis quibuscumque iuribus Ecclesiae memoratae, absque speciali conscientia et consensu thesaurariorum, qui pro tempore fuerint, suspendere, relaxare, cassare aut annullare praesumant: suspensiones, relaxationes, cassationes et cancellationes (1), si quas contra inhibitionem nostram huiusmodi fieri contigerit, decernentes irritas et inanes.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, *etc.*

Datum apud Villam Novam Avenionen. dioecesis, kalendis iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 1 iunii 1353, pontif. anno I.

---

## III.

*Cassatio pactorum a S. R. E. cardinalibus ante electionem Summi Pontificis in praeiudicium auctoritatis eiusdem initorum (2).*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. In conclavi, Clemente VI mortuo, habito, cardinales nonnullas iniere pactiones, praestito ad observantiam sacramento. — 2. Huiusmodi pactiones prohibentur in constitutionibus Gregorii X et Clementis V. — Romani Pontificis laedunt potestatem. — Nullius esse momenti declaratur. — 3. Pactiones huiusmodi quæ fuerint. — 4. De creandis cardinalibus, eorumque numero. — 5. De consensu cardinalium ad id requirendo. — 6. De consensu fratrum in cardinalium punitione. — 7. De bonis cardinalium, quod non sint sub eius iure. — 8. De alienatione bonorum Ecclesiae non facienda, nisi de consensu cardinalium. — 9. De medietate fructuum Rom. Ecclesiae per eosdem percipienda. — 10. De institutione et destitutione officialium provinciarum, *etc.* — 11. De consanguineo Papae in maresciallum non eligendo. — 12. De decimis imponendis. — 13. De libertate cardinalium in consulendo. — 14. De observantia harum pactionum. — 15. De adhibendis ad consilium cardinalibus in rebus dubiis. — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Solicitudo pastoralis officii sicut exigit, ut prospiciamus, ne Ecclesiae in iuribus suis minorationis detrimentum suscipiant, sic profecto requirit, ut Ecclesiae Romanae, cui, auctore Domino, praesidemus, honores, libertates et iura solertioris diligentiae studio servemus a diminutione quaelibet illibata.

In conclavi, Clemente VI mortuo, habito, cardinales nonnullas iniere pactiones, praestito ad observantiam sacramento.

§ 1. Dudum siquidem per obitum felicis recordationis Clementis PP. VI, praedecessoris nostri, Apostolica Sede vacante, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, de quorum numero tunc eramus, ad tractandum de iis, quae circa electionem Romani Pontificis incumbebant, Avenione, in palatio apostolico, ubi praedecessor idem obierat, insimul congregati, in scriptura quadam, cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, concordarunt: et deinde quidam eorum simpliciter iuraverunt, ac nos et quidam alii sub hac conditione iuravimus: scilicet, si et in quantum scriptura huiusmodi

(1) Forsan *annullationes*. (2) Ex Reg. in Arch. Vat.

de iure procederet; quod ille ex eis, quem assumi contingeret ad papatum, omnia in eadem scriptura contenta inviolabiliter observaret, et quod eadem die, qua foret, ut praefertur, assumptus, profiteretur, ea omnia et singula se fideliter servaturum, rataque habiturum super eis praestita iuramenta.

Huiusmodi pactiones prohibentur in constitution. Gregorii X et Clementis V.

§ 2. Postmodum vero nos ad officium huiusmodi, licet insufficientibus meritis, divina dispositione vocati, praemissa omnia recensentes, et attendentes quod licet cardinales iidem ad ea faciendum habuerunt rectum zelum, et aliquibus etiam videretur, nos debere illa et praestita super eis, ut praemittitur, iuramenta servare; quia tamen dicti cardinales, prohibentibus constitutionibus felicis recordationis Gregorii X et Clementis V, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quibus cavetur, quod cardinales, eadem Sede vacante, de quibuscumque negociis, praeterquam de provisione Romanae Ecclesiae facienda, certis dumtaxat exceptis casibus, de quibus tamen aliquis contentus in scriptura huiusmodi non existit, se intromittere nequeant, ad ea procedere minime potuerunt: et considerantes attente quod scriptura ipsa in diminutionem et praeiudicium plenitudinis potestatis ex ore Dei collatae soli dumtaxat Romano Pontifici dignoscitur procul dubio redundare: cum per eamdem scripturam praefatae Sedi grande ac perpetuum praeiudicium immineat manifeste, dum potestas huiusmodi adimitur eidem Romano Pontifici, certisque regulis et limitibus sibi praefixis ab homine coarctatur: nec minus intuentes quod esset apud catholicos temerarium et insanum asserere vel sentire quod Romanus Pontifex successor Petri et vicarius Iesu Christi non sit vocatus et assumptus in plenitudinem potestatis: quae profecto apud ipsum non esset, si ex aliorum consensu vel arbitrio (1) amminiculo dependeret: quodque illa iuramenta non canonica, imo temeraria sunt censenda, quae non solum in Romanae, quinimo in cuiuslibet alterius Ecclesiae praeiudicium laesionemque praestantur; habita super iis et nonnullis aliis, quae nostrum ad id animum rationabiliter induxerunt, cum quibusdam ex eisdem etiam cardinalibus ac pluribus doctoribus et iurisperitis aliis, deliberatione matura, ad omne scrupulum et dubium in hac parte tollendum, auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus eosdem cardinales contenta in scriptura huiusmodi facere nullatenus potuisse, ac illa et omnem eorum effectum nullius fuisse ac esse penitus roboris vel momenti; nosque vel successores nostros Romanos Pontifices seu cardinales ipsos ad illorum et iuramentorum praedictorum observantiam non fuisse nec esse obligatos quomodolibet vel astrictos.

Romani Pontificis laedunt potestatem.

Nullius esse momenti declaratur.

Pactiones huiusmodi quae fuerint.

§ 3. Tenor vero dictae scripturae talis est infrascriptus.

De creandis cardinal., eorumque numero.

§ 4. Deliberatione plena habita pro bono publico concordant omnes domini cardinales, nemine discrepante, in primis quod Summus Pontifex, Domino providente, creandus, nullo unquam tempore, ex quavis causa, procedat ad creationem cardinalium, nisi secundum modum et formam inferius denotatos: videlicet quod non creet seu faciat aliquos cardinales, donec numerus cardinalium venerit ad numerum sexdecim cardinalium, aliis qui essent supra numerum sexdecim de medio iam sublatis, et tunc assumat, si ei videbitur, tot quot ascendant ad plus usque ad numerum viginti, et non ultra, praedictis sexdecim aut paucioribus, si forte tunc superessent, in viceno numero computatis.

De consensu cardinalium ad id requirendo.

§ 5. Quos quidem cardinales per Papam creandos, ipse creare et ordinare habeat de omnium cardinalium tunc superexistentium seu duarum partium eorumdem consilio et consensu: hoc tamen salvo, quod, extante numero qui nunc est, vel forsitan pauciore, assumat Papa, si voluerit, duos cardinales, de consilio omnium fratrum seu maioris partis eorum.

(1) Forsan *arbitrii*.

De consensu fratrum in cardinalium punitione

§ 6. Item quod Papa non procedat ad depositionem seu personae captionem alicuius cardinalis, sine consilio et consensu omnium fratrum, nemine discrepante, nec ad excommunicationem vel aliam censuram ecclesiasticam, seu suspensionem vocis vel concistorii, seu portationis cappelli, nec ad privationem, nec etiam ad suspensionem beneficiorum ipsorum cardinalium, sine consensu omnium fratrum aut duarum partium eorumdem.

De bonis cardinalium, quod non sint sub eius iure.

§ 7. Item quod Papa nullo modo ponat manum in bonis quorumcumque cardinalium, eis viventibus et defunctis.

De alienatione bonorum Ecclesiae non facienda, nisi de consensu cardinalium

§ 8. Item quod Papa provincias, civitates, castra aut terras alias Ecclesiae Romanae non alienet, aut in feudum vel emphyteusim, aut sub certo censu concedat: et ubi alienationem seu concessionem praedictas iusta et rationabili causa fieri expediret, de consilio et consensu omnium fratrum seu duarum partium eorum ad praedicta procedat.

De medietate fructuum Romanae Ecclesiae per eosdem percipienda.

§ 9. Item quod collegium cardinalium percipere et habere debeat iure suo medietatem omnium fructuum, reddituum, proventuum, mulctarum, condemnationum et censuum et omnium aliarum obventionum et emolumentorum ad Ecclesiam Romanam spectantium, in quibusvis provinciis ac terris et locis Romanae Ecclesiae, prout in privilegio felicis recordationis Nicolai Papae IV, super hoc concesso, plenius continetur.

De institutione et destitutione officialium provinciarum, etc.

§ 10. Item quod tam in Romana Curia, quam in terris et provinciis Romanae Ecclesiae officiales in temporalitate maiores, de consilio et consensu cardinalium omnium seu maioris partis ipsorum, instituantur seu destituantur, prout in praedicto privilegio seu constitutione praefati domini Nicolai Papae IV noscitur apparere.

De consanguineo Papae in maresciallum non eligendo.

§ 11. Item quod ad officium marescalli Romanae Curiae et rectorum terrarum seu provinciarum Romanae Ecclesiae nullus de consanguinitate vel affinitate Romani Pontificis assumatur.

De decimis imponendis.

§ 12. Item quod Summus Pontifex nulli regi vel principi seu cuivis alii in regnis, provinciis seu terris eorum concedet decimas nec tertias decimarum seu subsidia alia, nec etiam Camerae suae reservabit sine consilio et consensu omnium fratrum vel saltem duarum partium eorumdem, et tunc causa iusta et rationabili suadente.

De libertate cardinalium in consulendo.

§ 13. Item quod Papa non impediat, quin omnes et singuli cardinales in consulendo et consentiendo liberum habeant arbitrium in agendis.

De observantia harum pactionum.

§ 14. Item quod omnes domini cardinales, qui hodie supersunt, iurare habeant quod ille ex dictis cardinalibus, qui ad papatum, praestante Domino, assumetur, praedicta diligenter et inviolabiliter observabit: et nihilominus ille qui ad papatum assumetur, sive cardinalis sive alius assumptus fuerit, et a cardinalibus receptus, eadem die omnia et singula supradicta profiteatur fideliter observare, et ratum habeat praestitum iuramentum.

De adhibendis ad consilium cardinalibus in rebus dubiis.

§ 15. Item quod si aliquod dubium occurrerit vel inciderit, vel Papae videbitur in praedictis, dominus Papa cum consilio et consensu saltem duarum partium cardinalium habeat declarare.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis infringere *etc.*

Datum apud Villamnovam Avenionensis dioecesis, secundo nonis iulii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 iulii 1353, pont. anno I.

---

## IV.

*Quod in Statu Ecclesiastico homicidae ad pecuniariam compositionem non admittantur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae edendae legis. — 2. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 3. Contrariorum derogatio. — Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sicut facilitas veniae incentivum praebere assolet delinquendi, sic rigor terminum ponit excessibus et aditum interdicit errori.

Causae edendae legis.

§ 1. Sane ad audientiam nostram molesta nobis insinuatio fide digna perduxit quod in nonnullis terris Ecclesiae Romanae immediate subiectis, de consuetudine vel alias observatur quod homicidae quilibet, tum tamen cum interfecti consanguineis pacem habeant, et de pace huiusmodi per instrumentum facere fidem possint, per officiales ipsius Ecclesiae ad compositionem pecuniariam indifferenter, et passim, et frequenter pro quantitate valde modica admittuntur. Unde fit quod, dum homicidae iidem reatus sui poenam modici pretii venalitate mercantur, sumpta ex impunitate licentia, in culpam facile prolabuntur, et ex hoc malignandi exemplo in alios derivato, saevit malus frequenter in bonum, lacessit improbus probum, potens opprimit humilem, et gravat saepe noxius innocentem.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 2. Cum autem publicae utilitatis intersit ut maleficia non remaneant impunita, nos huic morbo, qui iam chronicus factus ferrum expetit, volentes congruam adhibere medelam, omnibus et singulis rectoribus et aliis quibuscumque officialibus quarumcumque provinciarum, terrarum, civitatum, castrorum et aliorum locorum ipsius Ecclesiae, praesentibus et futuris, auctoritate apostolica districtius inhibemus ne, pro reatu cuiuscumque homicidii aliquem ad compositionem pecuniariam praesumant admittere homicidam: compositiones, si quas contra inhibitionem nostram huiusmodi fieri contigerit, irritas et inanes, et homicidas ad compositiones admissos, admissione huiusmodi non obstante, sicut erant ante compositiones easdem, subditos esse legibus decernentes.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et statutis ac huiusmodi et aliis observantiis contrariis quibuscumque, quae omnia, quoad haec, iuribus vacuamus.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere *etc.*

Dat. apud Villamnovam Avenionensis dioecesis, idibus iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 15 iulii 1353, pontif. anno I.

---

## V.

*Alearum seu taxillorum ludi reprobatio, cum prohibitione ne quid a prostitutis mulieribus exigatur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Pravas consuetudines (*de quibus in rubrica*), et mala inde provenientia refert. — 2. Damnat, fierique prohibet. — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Quamvis omnes, quos regendos nobis bonitas divina commisit, irreprehensibiliter agere cupiamus; eorum tamen actus et mores, qui nobis et Ecclesiae Romanae noscuntur immediate subesse, tanto esse irreprehensibiliores appetimus, quanto de illis specialior imminet nobis cura.

Pravas consuetudines (de quibus in rubrica), et mala inde provenientia refert.

§ 1. Sane ad audientiam nostram pervenit quod in nonnullis provinciis et civitatibus nobis et eidem Ecclesiae immediate subiectis, ex quadam consuetudine, seu abusu potius, observatur, et in Romana Curia observatum est, quod in certis locis provinciarum ac terrarum et Curiae praedictarum, barattariae vulgariter nuncupatae, quae per certos officiales earumdem provinciarum, civitatum et Curiae aut alios venduntur ad tempus, licet et licuit quibuscumque ludum exercere publice taxillorum: ex quo, praeter morum deformationem quae inde resultat, frequenter

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

scandala oriuntur et brigae, et nonnunquam, quod molestius ferimus, nomen Domini blasphematur: quodque officiales ipsi, stipendiis propriis non contenti, quinimo lucris turpibus, non sine praeiudicio salutis et famae propriae, inhiantes, a prostitutis publice meretricibus, quae de infami propriorum corporum quaestu vivunt, septimanis singulis sine causa exigunt, et propriis commodis sine incommodis applicant unum grossum.

Damnat, fierique prohibet.

§ 2. Volentes igitur super his de illo remedio providere, per quod talia de caetero non contingant; baratterias huiusmodi in eisdem provinciis, civitatibus et Curia fieri et vendi de caetero districtius prohibemus, rectoribus provinciarum et civitatum ipsarum ac camerario Papae, praesentibus et futuris, omnibus et singulis districte praecipiendo mandantes ut quorumcumque officialium vel aliorum, contra prohibitionem nostram eamdem, baratterias huiusmodi ordinantium ac vendentium illas, aut ludentium quomodolibet in eisdem, ac exigentium a praefatis meretricibus prostitutis aliquid, temeritatis audaciam punient et castigent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, prohibitionis et mandati infringere *etc.*

Clausulae.

Dat. apud Villamnovam Avenionensis dioecesis, quarto kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 29 iulii 1353, pontif. anno I.

---

## VI.

*Literae processus Clem. V et Ioan. XXII contra invadentes, vel alias quomodolibet Siciliae regnum occupantes promulgatae, extenduntur ad Beneventanam civitatem* (1).

### SUMMARIUM

Procemium. — 1. Cautum a Clemente V ne utriusque Siciliae regnum invaderetur. — 2. Hoc firmans Ioannes XXII peculiares poenas adiecit contra molestiam ullam inferentes eorumdem regnorum incolis. — 3. Varia exponit Innocentius damna illata civibus Beneventanis occasione bellorum et potentiorum malitia: — 4. Dictasque praedecessorum constitutiones ad ducatum Beneventanum extendit. — 5. Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Debemus subiectis omnibus adversus insolentiam perversorum protectionis opportunae praesidium, sed eis maxime promptiori studio adesse nos convenit, qui Romanae immediate subiecti Ecclesiae, nullum agnoscunt, praeter Romanum Pontificem, defensorem, ut sicut eidem Ecclesiae specialiter subsunt, sic eius specialiter sentiant favorem propitium in opportunitatibus eorumdem.

Cautum a Clemente V ne utrumque Siciliae regnum invaderetur.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens Papa quintus, praedecessor noster, ex certis causis rationabilibus tunc expressis, universis et singulis clericis et laicis, cuiuscumque conditionis, status, ordinis vel præeminentiae forent, etiam si pontificali vel imperiali seu regali vel quavis alia dignitate fulgerent, universitatibus quoque et communitatibus quibuscumque auctoritate apostolica expresse prohibuit, ne regnum Siciliae vel terram citra Farum, seu partem vel aliqua loca ipsorum aut alterius eorumdem, quovis colore quaesito, invadere vel offendere, seu propter hoc recipere vel exhibere stipendia praesumerent, aut super iis praesumptoribus ipsis praestare publice vel occulte, directe vel indirecte consilium, auxilium vel favorem; in omnes et singulos qui contra inhibitionem huiusmodi venire praesumerent, etiamsi, ut praedicitur, pontificali aut imperiali seu regali vel quavis dignitate alia præeminerent, de fratrum suorum consilio excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit: ipsorumque terras et loca, aliasque civitates et communitates ac universitates contra praemissa

vel praemissorum aliquod attentates ecclesiastico interdicto subiecit.

Hoc firmans Ioannes XXII peculiares poenas adiecit contra molestiam ullam inferentes eorumdem regnorum incolis.

§ 2. Et deinde eodem praedecessore, sicut Domino placuit, sublato de medio, piae memoriae Ioannes Papa XXII dicti Clementis successor praedecessor noster ad apicem apostolicae dignitatis assumptus, omnibus et singulis tam clericis quam laicis, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, præeminentiae vel dignitatis existerent, etiamsi pontificali vel imperiali seu regali aut quacumque alia dignitate fulgerent, ac universitatibus, communitatibus et populis civitatum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum ubicumque consistentium similiter inhibuit, ne per se vel alios dicta regnum Siciliae seu terram citra Farum vel homines consistentes infra regnum et terram praedicta, sive aliquos ex eis seu partem ipsorum regni vel terrae, aut aliqua ipsorum vel alterius eorumdem loca impugnare, offendere, molestare, turbare vel invadere quovis modo, aut iniurias, damna, violentias, rapinas aut depraedationes seu spolia vel incendia, sive secando vel metendo seu conculcando aut comburendo segetes eorumdem, aut vineas seu quascumque fructiferas arbores incidendo, seu etiam devastando vel quocumque alio modo seu damnificationis genere damnificare praesumerent, sive praestare super iis praesumentibus ipsis per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte consilium, auxilium vel favorem, ac in omnes et singulos contra inhibitionem huiusmodi venire aut attentare per se vel alios praesumentes, tam clericos quam laicos, etiamsi, ut praedicitur, pontificali aut imperiali sive regali vel quavis dignitate alia praefulgerent, de fratrum suorum consilio, praeter poenas et sententias supradictas, excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgavit; ipsorumque terras et quaslibet universitates, communitates et populos ac civitates, castra et loca contra praemissa vel praemissorum aliquod attentantes ecclesiastico interdicto subiecit, et eos ac ipsorum singulos omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, gratiis et immunitatibus realibus et personalibus, quae ab eadem Ecclesia vel imperio Romano, cuius imperii gubernatio, administratio et cura tunc temporis, cum imperatoris careret regimine, ad eundem praedecessorem Ioannem plenarie pertinebat; concessis eisdem, nec non feudis, bonis, honoribus, officiis et iuribus, quae ab Ecclesia ipsa vel imperio praedictis obtinebant, de praedictorum fratrum consilio eadem auctoritate privavit, ac eos et illas et similia, ipsorumque filios et nepotes ad quaelibet ecclesiastica beneficia, dignitates, personatus et officia cum cura vel sine cura, auctoritate quorumcumque obtinenda usque ad tertiam generationem exclusive reddidit inhabiles et indignos: et decrevit idem praedecessor auctoritate praedicta, quod processus suus huiusmodi et in ipso contenta obtinerent plenam vim constitutionis, et ordinationis perpetuae firmitatem.

Varia exponit Innocent. damna illata civibus Benevent. occasione bellorum et potentiorum malitia:

§ 3. Nuper autem ad audientiam nostram molesta nobis multorum insinuatio fide digna perduxit, quod licet dilecti filii Commune civitatis Beneventanae ad nos et ipsam Ecclesiam nullo medio pertinentis a nonnullis nobilibus et potentibus ac aliis vicinis eorum, quorum inhiabat et inhiat illicitus appetitus, et qui eidem civitati admodum sunt infesti, multa dudum fuerint damna passi; a paucis tamen elapsis temporibus regno Siciliae, ac terra citra Farum, in qua quidem terra ipsa civitas sita est, gravium guerrarum agitatione commotis, et exsuscitatis in eisdem regno et terra huiusmodi guerrarum occasione turbinibus, oppressa iustitia paceque fugata, tot passi sunt et patiuntur iniurias, opprobria, violentias, gravamina, pressuras et damna, nunc animalibus eorum abductis in praedam, nunc segetibus et vineis ac fructiferis eorum arbo-

ribus aliis succisis, aut decaptis ignominiose tractatis, carcere afflictis aliter, nunc hominibus et mulieribus et ad importabiles redemptiones per varia tormenta compulsis (1), et nunc, quod gravius est, ipsorum saepe concivibus nequiter interemptis in gravem divinae maiestatis contumeliam et offensam, ac nostrum et Ecclesiae memoratae opprobrium, et ipsis ac nostrorum iurium detrimentum; quod nisi eis super iis de remedio fuerit oportuno provisum, vix adiicere poterunt ut resurgant.

Dictasque praedecess. constitutiones ad ducatum Beneventanum extendit.

§ 4. Nos igitur, huiusmodi eorumdem Communis iniuriis, opprobriis, violentiis, gravaminibus, pressuris et damnis pia consideratione pensatis, volentes de illo super hoc remedio providere, per quod nobilium, potentum et vicinorum eorumdem ac aliorum effraeni audacia et praesumptuosa temeritate repressis, Commune et ipsi ab iniuriis, violentiis, gravaminibus, pressuris et damnis huiusmodi praeservati, amoenitate pacis et quietis dulcedine perfruantur, ac ipsorum, nostrorum et Ecclesiae memoratae indemnitati iurium consulatur, huiusmodi processus dictorum praedecessorum Clementis et Ioannis ac omnia et singula in eis contenta ad civitatem Beneventanam eamdem ac territorium et districtum eius limitatum iam vel in antea limitandum et ad dictos Commune sive universitatem, necnon cives, incolas et habitatores civitatis et territorii ac districtum praedictorum, et morantes in eis, praesentes et posteros, omnes et singulos auctoritate apostolica extendimus ac etiam prorogamus.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere *etc.*

Datum Avenione duodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 21 ianuarii 1355, pont. anno III.

(1) Restituendus forsan ordo verborum ut sequitur: *Nunc segetibus et vineis ac fructiferis eorum arboribus succisis, nunc hominibus et mulieribus decaptis aut ignominiose tractatis, carcere afflictis, aliter ad importabiles redemptiones per varia tormenta compulsis*, etc.

## VII.

*Reformatio taxarum Curiae civitatis Beneventanae* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Abusus nonnullos in Curia Benevent. irreptos ait. — 2. Taxas itaque praescribit. — 3. Salaria notariis et iudicibus danda pro contractibus minutis. — 4. Pro testamentis. — 5, 6. Pro scriptione in protocollo. — 7. Pro abbreviatura. — 8. Executio huius constitutionis. — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Delectat nos omnium modestia subditorum et eos cupimus sub aequitatis iure temperantius vivere, qui publicis officiis deputantur, ut iusta pro laboribus mercede contenti, ab exactionibus indebitis se omnino cohibeant, et per intricata diffugia negociantes, ad redemptiones indebitas non compellant.

Abusus nonnullos in Curia Benevent. irreptos ait.

§ 1. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod iudices et notarii publici seu tabelliones civitatis Beneventan., quae ad nos et Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, propriis finibus non contenti, pro instrumentis, quae notarii seu tabelliones conficiunt et in quibus iidem iudices se subscribunt, frequenter a contrahentibus exigunt excessiva salaria, et saepe, interiectis praeiudicialibus dilationibus, contrahentes ipsos ad redemptiones illicitas invite coarctant.

Taxas itaque praescribit.

§ 2. Volentes igitur super hoc de opportuno remedio providere, huiusmodi iudicum et notariorum seu tabellionum ipsorum salaria auctoritate apostolica, praehabita moderatione debita, prout infra describitur, praesentium tenore taxamus.

Salaria notariis et iudicibus danda pro contractibus minutis.

§ 3. In primo siquidem salaria notariorum seu tabellionum ipsorum pro instrumentis emptionis vel donationis aut permutationis sive inventarii bonorum seu rerum, quae unam vel plures usque ad

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

decem inclusive in tribus, et quae plures usque ad triginta similiter inclusive in quatuor, quae autem plures usque ad quinquaginta etiam inclusive in sex, et quae plures usque ad octoginta uncias similiter inclusive in octo, quae ultra quantumcumque valuerint, in decem; pro instrumentis vero locationis, procurationis, quitationis, protestationis, taxationis alimentorum, dationis, transactionis, vel in solutum, aut tutelae vel mundualdi dationis ac omnium aliorum contractuum minutorum in quatuor carolenis argenti solvendis eisdem notariis, per eos quorum fuerint instrumenta: salarium vero iudicum pro tertia parte minus quam sit salarium notariorum seu tabellionum esse volumus praedictorum.

Pro testamentis.

§ 4. Pro salario vero instrumentorum, quae confici contigerit de testamentis et ultimis voluntatibus fidelium defunctorum, solvatur tam notariis seu tabellionibus, quam iudicibus ipsis pro tertia parte, plus quam solvatur eis pro instrumentis aliorum contractuum quorumcumque, habito tamen respectu ad valorem bonorum, quae in instrumentis testamentorum fuerint comprehensa, sicut de aliis instrumentis superius est expressum: nam cum sint maioris laboris et taedii, oportet esse illa mercedis etiam amplioris.

Pro scriptione in protocollo.

§ 5. Pro aliis vero scripturis, quae non sunt instrumenta, solvantur eisdem notariis seu tabellionibus eorum salaria, sicut consueverunt hactenus eis solvi.

Pro abbreviatura.

§ 6. Pro abbreviatura quoque quam ipse idem notarius in suo protocollo notavit, unum tantum, et pro illius quam antecessor suus notaverat inventione duos carolenos argenti volumus quaerenti et invenienti eam notario exhiberi.

§ 7. Pro scriptura etiam, quae abbreviatura dicitur, tam iudex quam notarius sive tabellio uno caroleno argenti tantummodo sint contenti.

Executio huius constitutionis.

§ 8. Decernimus igitur et iubemus, ut iudices et notarii seu tabelliones ipsi civitatis eiusdem praesentes et futuri in eorum salariis sic huiusmodi taxationibus contententur, ut ultra illas aliquid petere vel exigere de caetero non praesumant: ac ordinamus, quod notarii seu tabelliones infra quindecim dies, iudices vero infra quatuor dies ad tardius, postquam in eis secundum taxationes nostras huiusmodi fuerit de ipsorum salariis debite satisfactum, reddant completa et testata instrumenta eis, quorum fuerint contractus, nisi fuerint forsitan impedimento legitimo praepediti.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere *etc.*

Datum Avenione octavo idus februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 6 februarii 1355, pont. anno III.

---

## VIII.

*Extensio constitutionis contra occupantes iura et bona S. R. E. ad invasores terrarum, locorum, iuriumque quorumcumque Ecclesiae Avenionensis* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Facti series. — Extensio (*de qua in rubrica*). — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Licet, disponente Domino, Ecclesiarum omnium cura nobis immineat generalis, de Ecclesiae tamen Avenionen. statu dirigendo et conservando feliciter eo nobis est solicitudo propensior, quo ipsius administrationem in spiritualibus et temporalibus Sedes Apostolica sibi usque ad eius beneplacitum reservavit.

Facti series.

Cum itaque, mundo in maligno posito, nonnulli, a quorum oculis Dei timor abscessit, ad Ecclesiae praefatae bona et iura occupanda, sicut habet fide dignorum assertio, cogitatus erexerint, et occupatrices manus extendere moliantur; nos

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

cupientes eidem Ecclesiae adversus huiusmodi praesumptionis audaciam apostolicum adesse praesidium et favorem, ut eis, quos timor Dei a malo non revocat, malignandi licentiam poenarum asperitas interdicat, excommunicationis et anathematis ac alias omnes et singulas sententias et poenas spirituales et temporales contra invasores et impugnatores ac occupatores civitatum, terrarum, castrorum, locorum et iurium Ecclesiae Romanae, cui auctore Domino praesidemus, ac fautores, consiliatores, auxiliatores et adiutores eorum per nostros et quorumcumque aliorum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum processus promulgatas et inflictas ad invasores, impugnatores et occupatores castrorum, villarum, fortalitiorum, terrarum, locorum ac aliorum bonorum et iurium quorumcumque ad ipsam Ecclesiam Avenionen. immediate vel mediate spectantium omnium et singulorum, ac consiliatores, auxiliatores, fautores, adiutores et defensores eorum auctoritate apostolica extendimus ac etiam prorogamus, volentes extensionem et prorogationem huiusmodi durante administratione huiusmodi duraturas.

Extensio (de qua in rubrica).

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere *etc.*

Clausulae.

Datum Avenione undecimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 22 maii 1355, pontif. anno III.

## IX.

*Innovatio sententiarum Clementis PP. VI contra dantes vel acquirentes dominium aut iurisdictionem vel præeminentiam aut obligationem super castris et locis Patrimonii Beati Petri in Tuscia, aut quoquomodo ea occupantes, earumdemque extensio ad alias provincias Status Ecclesiastici* (1).

SUMMARIUM

Proœmium. — 1. A Clemente VI innovatae Pontificum constitutiones, quibus, ne quis dominium aut præeminentiam ullam in terris Patrimonii B. Petri sibi vindicet prohibetur. — Adiectae ab eodem poenae contra inobedientes. — 2. In contrarium acta viribus vacuata. — 3. Cautum quoque, ne quis terras easdem quolibet prætextu usurpare sibi, aut earum incolas molestare auderet, innovatis ad hoc Ioannis XXII literis. — 4. Laudatae constitutiones ad omnes terras, caeteraque Rom. Ecclesiae iura extenduntur. — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Ecclesiarum omnium, quarum, disponente Domino, curam gerimus, debemus invigilare profectibus et providere sollicite, ne suorum detrimenta iurium patiantur: sed Romanae Ecclesiae sponsae nostrae eo tenemur vigilantius intendere commodis et dispendiis obviare, quo Ecclesiae reliquae pastorum, quibus commissae sunt, in opportunitatibus earum muniuntur auxiliis: haec Romani. dumtaxat Pontificis praesidiis adiuvatur.

Proœmium.

§ 1. Dudum felicis recordationis Clemens Papa sextus praedecessor noster ad obviandum perversis illorum conatibus, qui provinciae Patrimonii Beati Petri in Tuscia, quae iuris et proprietatis Ecclesiae Romanae fore, ac eidem Ecclesiae immediate subesse dignoscitur, civitates, castra et villas, eorumque dominium, superioritatem, advocationem, capitaneatum et iurisdictionem in ipsius Ecclesiae grave praeiudicium, contra constitutiones et ordinationes olim per felicis recordationis Urbanum quartum, et Ioannem vigesimum secundum, ac diversos alios Romanos Pontifices praedecessores dicti Clementis

A Clemente VI innovatae Pontificum constitutiones, quibus, ne quis dominium aut præeminentiam ullam in terris Patrimonii B. Petri sibi vindicet prohibetur.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Laudatam hic Clementis Constitutionem legere est superius pag. 484.

et nostros editas, non verebantur diversis quaesitis coloribus tenere, occupare, sibique in eisdem dominium, superioritatem et præeminentiam vindicare, perpetua constitutione sancivit, ut nulla civitas vel communitas, nullaque singularis persona, cuiuscumque conditionis vel status existeret, deinceps in aliquibus civitatibus, castris seu villis ipsius Patrimonii ad praefatam Romanam Ecclesiam spectantibus dominium, superioritatem, capitaneatum, advocationem, iurisdictionem, seu aliquam praesidentiam seu præeminentiam, praetextu cuiuscumque venditionis, submissionis, recommendationis, concessionis, recognitionis, obligationis, contractus vel pacti aut cuiusvis alterius commercii, absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali, recipere auderet, vel sibi dominium, praesidentiam, capitaneatum seu iurisdictionem in praedictis civitatibus, castris et villis, ex quavis occasione seu causa quomodolibet vindicare; quodque civitates et singulares personae, submissiones, suppositiones et subiectiones quascumque tunc in eas factas et receptas, seu de facto, cum de iure non tenerent, quomodolibet attentatas, dimittere tenerentur, nec civitates, castra seu loca alia, quae se eis, ut praemittitur, submiserant, vel quomodolibet subiecerant, praetextu submissionis vel subiectionis alicuius vel cuiusvis contractus titulo valerent retinere: nullaque universitas seu communitas civitatis, castri seu villae Ecclesiae Romanae subiecta in terris Patrimonii constituta alicui universitati seu communitati vel privatae personae cuiuscumque conditionis aut status existeret, se subiicere, submittere seu supponere valeret, constituendo, recognoscendo seu profitendo se subesse alicui universitati vel privatae personae, seu ad eosdem super illis et in ipsis, ac in dictis civitatibus, castris et villis aliquam iurisdictionem, dominium, capitaneatum seu quamvis aliam præeminentiam pertinere: et si quae civitates, castra vel loca tunc de facto ad submissionem vel suppositionem aliquibus civitatibus vel privatis personis de se factam, venditionis, donationis vel cuiusvis alterius contractus colore vel titulo processerant, illa, quamvis de iure non valerent, quatenus de facto processerant, realiter et effectualiter revocare studerent, nec illis unquam uterentur, nec virtute submissionis huiusmodi vel alias illis, quibus quovis titulo vel colore se submiserant, nullatenus obedirent, parerent vel intenderent: contrarium vero facientes directe vel indirecte per se vel alios, tam illi et eorum singuli, qui in civitatibus, castris aut villis eiusdem Patrimonii vel eorum aliquo huiusmodi dominium, superioritatem, capitaneatum, advocationem, iurisdictionem, quamcumque præeminentiam seu praesidentiam sine licentia Sedis Apostolicae speciali reciperent in futurum, et qui tunc ex quocumque contractu vel obligatione receperant, seu quavis usurpatione quomodolibet occupaverant, nisi sic occupata et recepta infra duorum mensium spatium, postquam constitutio ipsa ad eorum notitiam pervenisset vel per eos staret quominus valeret pervenire, dominium seu praesidentiam, superioritatem, capitaneatum, iurisdictionem quamcumque seu præeminentiam huiusmodi realiter dimitterent cum effectu illa nullo unquam tempore absque ipsius Sedis licentia resumpturi, quam illi qui se submitterent, supponerent seu subiicerent, ut praefertur, simili modo, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existerent, singulares personae sententiam excommunicationis incurrerent, ac terrae ipsorum ubicumque forent, ipso facto interdicto ecclesiastico subiacerent, civitates aut castra et villae, quae ex tunc in antea se submitterent, supponerent seu subiacerent, et quae submissionem, suppositionem seu subiectionem huiusmodi reciperent seu quomodolibet occuparent, et quae se tunc quovis colore vel titulo, ut praemittitur, submiserant et subiecerant, ac civitates, quae submissiones et subie-

Adiectae ab eodem poenae contra inobedientes.

ctiones huiusmodi receperant, nisi infra praedictum duorum mensium spatium ab omni effectu dictae submissionis et subiectionis realiter desisterent, ipsis ulterius non usuri, seu contra constitutionem et inhibitionem praedictam venire directe vel indirecte per se vel alium seu alias attentarent, ecclesiastico interdicto subiacere decrevit: et nihilominus omnibus privilegiis ac gratiis, necnon feudis, bonis, honoribus et iuribus quibuscumque, quae ab eadem Romana et aliis Ecclesiis obtinebant, privavit, et privatos et privata voluit esse ipso facto: non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem esset Sede indultum, quod excommunicari, eorumque terrae et loca ecclesiastico interdicto supponi non possent per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem.

In contrarium acta viribus vacuata.

§ 2. Postmodum vero praedictus praedecessor Clemens omnes submissiones, subiectiones, suppositiones super praedictis factas, et obligationes, pacta seu conventiones sub titulo venditionis vel cuiusvis alterius contractus quomodolibet initas, habitas, et quascumque poenas adiectas et iuramenta praestita, super illis sub quibuscumque modis et formis vel expressione verborum, praesertim cum in praeiudicium eiusdem Ecclesiae redundarent, ac iuramentum vinculum iniquitatis esse non deberet, decrevit fore nulla, vacua, irrita et inania et nullius existere firmitatis, et quatenus ad illa de facto processum extiterat, sustulit et revocavit omnino et iuribus (*forsan* viribus?) vacuavit.

Cautum quoque, ne quis terras easdem quolibet praetextu usurpare sibi, aut earum incolas molestare auderet, innovatis ad hoc Ioannis XXII literis.

§ 3. Et cum idem praedecessor Ioannes dudum universis et singulis, tam clericis quam laicis, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, præeminentiae vel dignitatis existerent, etiamsi pontificali vel imperiali seu regali vel quavis alia dignitate fulgerent, ac omnibus principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et nobilibus ac potestatibus, capitaneis et aliis officialibus quibuscumque, communitatibus et populis civitatum, terrarum, castrorum et aliorum quorumcumque locorum ubicumque consistentium, et omnibus aliis quibuscumque, auctoritate apostolica inhibendum, per suas literas vim constitutionis habentes, duxerit et mandandum, per se vel alios directe vel indirecte, Patrimonii, Romandiolae, Marchiae Anconitanae, ducatus Spoletan., Campaniae Maritimaeque, ac Massae Trebariae provincias, Venaissini et Urbinatus olim Comitatus, ac Urbinaten. et Ravennaten. civitates, et alias terras, civitates, castra, villas et loca quaecumque ad eandem Romanam Ecclesiam pertinentia, vel ipsorum aut alicuius eorum partem occupare, invadere aut turbare, seu fidelibus eorumdem iniurias, damna seu violentias irrogare, aut occupantibus, invadentibus, turbantibus vel iniurias, damna seu violentias irrogantibus, publice vel occulte assistere aut auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte per se, vel alium, seu alios praestare praesumerent quoquomodo, in omnes et singulos contra inhibitionem et mandatum huiusmodi venire, aut attentare per se vel alios praesumentes tam clericos quam laicos, etiamsi, ut praedicebatur, pontificali aut imperiali seu regali vel alia quavis dignitate fulgerent, de fratrum suorum consilio excommunicationis, quam eo ipso incurrerent, sententiam promulgasset; nec non quaslibet universitates, communitates et populos, ipsorumque civitates, terras, castra, villas et loca in praemissis vel aliquo praemissorum culpabilem supposuisset ecclesiastico interdicto, et eos ac ipsorum quemlibet omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis et immunitatibus realibus et personalibus ab eadem Ecclesia et imperio Romano concessis eisdem, omnium etiam feudorum, bonorum, honorum, officiorum, iurium et iurisdictionum, quae ab

Ecclesia et imperio praedictis obtinerent, de ipsorum fratrum consilio, auctoritate privasset eadem, ipsos ad illa et similia et quaelibet alia, eorumque filios ac nepotes ad quaelibet beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus et officia cum cura vel sine cura quovis nomine censerentur, auctoritate qualibet obtinenda, usque ad tertiam generationem exclusive reddendo inhabiles et indignos, idem praedecessor Clemens per praemissa vel quaecumque alia inhibitioni, mandato, poenis et sententiis per ipsum Ioannem praedecessorem factis et promulgatis, ut superius est expressum, aliisque contentis in literis (1) Ioannis praedecessoris eiusdem, per constitutionem eandem roboravit, et in sui vigoris efficacia voluit et decrevit permanere, prout in ipsius praedecessoris literis plenius continetur.

Laudatae constitutiones ad omnes terras, caeteraque Romanae Ecclesiæ iura extenduntur.

§ 4. Cum itaque, temporum crescente malitia et abundante iniquitate multorum, non solum praedictae Patrimonii, sed aliarum provinciarum atque terrarum, quae praefatae Romanae immediate subsunt Ecclesiae, iura occupationibus pateant invasorum, et ob hoc provisionem circa ipsam Patrimonii provinciam particulariter adhibitam ad omnes alias provincias et terras easdem generaliter suadeat urgens necessitas prorogandam, constitutionem praedictam et omnia et singula in ea contenta ad Campaniae et Maritimae, ducatus Spoletan., Marchiae Anconitan., Massae Trebariae, terrae Sanctae Agathae et Romandiolae provincias, necnon ad Bretonorii et quondam Urbini ac Venaissini comitatus, et ad Beneventan., Ravennaten. et Bononien. ac alias civitates, terras, castra, villas, oppida, fortalitia, iura, iurisdictiones et bona omnia et singula ubilibet constituta, quae praedictae Romanae immediate subsunt, ut praefertur, Ecclesiae, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio extendimus ac etiam prorogamus.

(1) Hasce Ioannis literas lege superius pag. 297.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, *etc.*

Datum Avenione, secundo nonas octobris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 octobris 1355, pont. anno III.

## X.

### *Institutio cathedrae theologicae in Studio generali civitatis Bononiae.*

SUMMARIUM

Facultatis theologicae laus: — 1. Eius itaque dilatationi intentus Pontifex. — 2. Attentisque civitatis Bononien. conditionibus, — 3. Eam ibi instituit. — 4. Concessis studentibus et legentibus amplissimis privilegiis. — 5. Data facultas licentiandi. — 6. De forma licentiandi et laureandi per episcopum eiusdem civitatis. — 7. Doctorum facultates.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Facultatis theologicae laus:

Quasi lignum vitae in Paradiso Dei, et quasi lucerna fulgens in domo Domini est in Sancta Dei Ecclesia facultatis theologicae disciplina. Ipsa, velut foecunda eruditionis mater, ad irrigandam sterilem orbis faciem fluvios de pectore Salvatoris emittens, humanum genus originalis ignorantiae caecitate deforme, per infusionem veritatis, ad viam reducit iustitiae vitae, advivificat animas, easque ad exaltationem catholicae fidei et exterminium haereticae pravitatis et cunctorum infidelium, et adversus etiam invisibiles potestates, armis inexpugnabilibus munit, et fortissimas constituit bellatrices.

Eius itaque dilatationi intentus Pontifex:

§ 1. Haec frequenter intra cordis arcana solicita mente revolvimus, et intenta meditatione pensamus, tantoque propterea amplius ad illius dilatationem studia et labores libenter impendimus, quanto exinde maiora animarum lucra provenire et universalis Ecclesiae statum amplius cognoscimus augmentari.

Attentisque civitatis Bononien. conditionibus,

§ 2. Sane dum fructus uberes, quos Studium Bononiense, quod longissimis temporibus in seipso sicut praefulgida stella emicuit, et diffusa claritate longe lateque refulsit in iure canonico et civili, et liberalibus artibus, tamquam ager plenus, cui Dominus benedixit, copiosa fertilitate produxit hactenus et producit, cum delectatione animi recensemus, et exinde speramus ipsius theologiae palmites, si illius studium esset ibidem, amplius propagandum, dumque fidei puritatem et devotionem eximiam, quam dilecti filii, populus et Commune civitatis Bononiae, nostri et Romanae Ecclesiae fideles, ad nos et dictam Ecclesiam habuerunt hactenus et habere noscuntur, diligenter attendimus, dignum ducimus, et aequitati congruum existimamus, ut civitas ipsa, quam divina gratia magnis donis et gratiis illustravit, bonorum multiplicium foecunditate dotavit, et loci amoenitate non modica decoravit, huiusmodi scientiae theologicae facultatis muneribus amplietur.

Eam ibi instituit.

§ 3. Ideoque eorumdem populi et Communis devotis in hac parte supplicationibus benigne annuentes, auctoritate apostolica statuimus et ordinamus, quod in dicta civitate deinceps Studium generale in eadem theologica facultate existat et perpetuis futuris temporibus vigeat.

Concessis studentibus et legentibus amplissimis privilegiis.

§ 4. Ac docentes et studentes ibidem in facultate praedicta, omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis docentibus et scholaribus studentibus in illa in Studiis generalibus eiusdem facultatis commorantibus, gaudeant et utantur. Volumus tamen quod ad docendum et regendum in ipso Studio in huiusmodi facultate magistri et baccalarii, qui in Parisiensi, seu aliis famosis Studiis eiusdem facultatis honorem magisterii seu baccalariatus acceperint, et alias experti et idonei in huiusmodi Studii theologicae facultatis noviter assumantur, in quod civitas ipsa tanto insignita honore, dotibus fulgeat honori correspondentibus memorato.

Data facultas licentiandi.

§ 5. Insuper civitatem et Studium praefata, ob provectus publicos, quos proinde speramus, amplioribus honoribus prosequi intendentes, auctoritate ordinamus eadem, ut si qui in eodem Studio processu temporis eiusdem scientiae theologicae facultatis bravium asseculi, sibi docendi licentiam, ut alios erudire valeant petierint, impertiri possint, examinati diligenter ibidem et in eadem facultate theologica, titulo magisterii decorari.

De forma licentiandi et laureandi per episcopum eiusdem civitatis.

§ 6. Auctoritate apostolica statuentes, ut quoties aliqui in eadem theologica facultate in eodem Studio fuerint magistrandi, praesententur episcopo Bononiensi, qui pro tempore fuerit, vel eius, sufficienti tamen et idoneo, quem ad hoc idem episcopus duxerit specialiter deputandum, seu Ecclesia Bononiensi pastore carente, dilectorum filiorum capituli ipsius Ecclesiae, qui erit pro tempore, vicario generali, qui omnibus magistris dictae facultatis theologicae, in qua huiusmodi examinatio fuerit facienda in Studio ipso actu regentibus, praesentibus convocatis, eos gratis, pure et libere, ac omni dolo et fraude ac difficultate cessantibus, de scientia, facundia, modo legendi et aliis quae in promovendis ad magisterii honorem in facultate praedicta et eius officium requiruntur, examinare studeant diligenter, et illos, quos idoneos reperierit, petito secrete, pure ac bona fide eorumdem magistrorum consilio (quod utique consilium in ipsorum consulentium dispendium et iacturam, sub debito iuramento super hoc praestando, cum ab episcopo seu vicario ac singulis magistris huiusmodi revelari quomodolibet districtius prohibemus) approbet et admittat, eisque petitam licentiam largiatur, et alias, minus idoneis postpositis, gratia, odio vel favore nullatenus admittendo, super quibus episcopi, magistrorum et vicarii praedictorum conscientiam oneramus.

Doctorum facultates.

§ 7. Volentes quod illi, qui in praefato Studio magistrati fuerint in facultate praedicta, in eo et in aliis generalibus Studiis dictae facultatis legendi et docendi, absque approbatione alia, liberam habeant facultatem.

Nulli ergo, *etc.* Si quis autem, *etc.*

Datum apud Villam Novam Avinionensis dioecesis, XI kalend. iulii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 21 iunii 1360, pontif. anno VIII.

---

# URBANUS V

## PAPA CC

*Anno Domini MCCCLXII.*

Die 28 octobris, anno 1362, electus est in Summum Pontificem Guillelmus Grimoardi abbas S. Victoris Massiliensis, qui Urbanus V nuncupari voluit. Consecratus die 6 sequentis novembris, sedit in pontificatu a die coronationis annos VIII, mens. I, dies XIV, imperantibus in Oriente Ioanne Palaeologo, in Occidente vero Carolo IV imperatoribus. Obiit Avenione die 19 decembris 1370, et sepultus est in ecclesia maiori Avenionensi in capella Ioannis XXII. Vacavit sedes dies XI.

---

## I.

*Institutio Studii generalis in civitate Patavina etiam in facultate theologica* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Institutio (*de qua in rubrica*). — Scholarium magistrorumque privilegia.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Sane dum fructus uberes, quos Studium Paduanum, quod longis temporibus in se ipso sicut praefulgida stella emicuit, et diffusa claritate longe late refulsit, in iure canonico et civili et liberalibus artibus, tamquam ager plenus, cui Dominus benedixit, copiosa fertilitate produxit hactenus et producit, cum delectatione animi recensemus, et exinde speramus ipsius theologiae palmites, si illius studium esset ibidem, amplius prorogari. Dumque fidei puritatem, et devotionem eximiam, quam dilecti filii Universitas Studii Paduani, et cives civitatis eiusdem nostri, et Ecclesiæ Romanae devoti, ad nos et dictam Ecclesiam habuerunt hactenus et habere noscuntur, diligenter attendimus, dignum ducimus, et aequitati congruum existimamus, ut civitas et Universitas supradictae, quas divina gratia magnis donis et gratiis illustravit, ac bonorum multiplicium foecunditate dotavit, et loci amoenitate non modica decoravit, huiusmodi scientiae theologicae facultatis muneribus amplietur. Ideoque eorumdem studentium inibi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica statuimus et ordinamus, quod in dicta civitate deinceps Studium generale in eadem theologica facultate existat, et perpetuis futuris temporibus vigeat. Ac docentes et studentes ibidem in facultate praedicta omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis docentibus et scholaribus studentibus in Studiis generalibus eiusdem facultatis commorantibus, gaudeant et utantur. Volumus tamen, quod ad docendum et regendum in ipso Studio in huiusmodi facultate magistri et baccalaurei, qui in Parisien. seu aliis famosis Studiis eiusdem facultatis honorem magisterii seu baccalaureatus receperunt, et alias experti et idonei in huiusmodi studio theologicae facultatis noviter assumantur... (1).

Institutio (de qua in rubrica).

Scholarium magistrorumque privilegia.

Datum Avenione XVIII kalendas maii, pontif. nostri anno I.

Dat. die 14 aprilis 1363, pont. anno I.

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., Ital. Sac., ubi de Ecclesia Patavina.

(1) Caetera consulto omisi: eadem enim verbotenus sunt ac in Constitutione X Innocentii VI pro Universitate Bononiensi, pag. 517.

## II.

*Privilegium Ordinis Cartusianorum utendi altare portatili pro celebratione Missarum in locis ad Ordinem spectantibus.*

SUMMARIUM

Exordium. — Privilegium (*de quo in rubrica*). — Clausulae.

**Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori domus Cartusiae Gratianopolitanae dioecesis, ac prioribus prioratuum et domorum aliarum, caeterisque personis Cartusiensis Ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium. Sincerae devotionis affectus, quem ad nos et Romanam Ecclesiam geritis, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis praesertim, quas ex devotionis zelo prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Privilegium (de quo in rubrica). Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et successoribus vestris habere altaria portatilia cum debita reverentia et honore, super quibus in domibus ac grangiis et cellariis (1) et aliis locis congruentibus et honestis, ad domos seu prioratus vestros spectantibus, possitis Missam et alia divina officia celebrare, et in vestra praesentia facere celebrari, devotioni vestrae tenore praesentium indulgemus.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, voluntatum, inhibitionum, concessionum et mandatorum infringere *etc.*

Dat. Aven. VII kal. maii, pontif. nostri anno I.

Dat. die 25 aprilis 1363, pont. anno I.

(1) Hic pro *cella* vel *cubiculo*.

## III.

*Iurisdictio camerarii S. R. E. procedendi contra piratas nova pedagia imponentes eaque perpetrantes, quae in Bulla* In Coena Domini *vetantur.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Bonifacius VIII ab ecclesiasticis pedagia prohibuit exigi: — 2. Aliique Pontifices hic nominatos anathemati subiecere. — 3. Multos dicit Urbanus his non obedire, adiectis quoque poenis nullo in pretio habitis. — 4. Camerario itaque ut contra eos procedat iniungit. — 5. Obstantium derogatio.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Arnoldo archiepiscopo Auxitano camerario nostro, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium. Apostolatus officium, cui, quamquam immeriti, disponente Domino, præsidemus, exposcit, ut contra praesumptuosam malignorum turbam, Apostolicae Sedis sententias et canonicas non verentium sanctiones exequutores iustitiae optimos, quantum cum Deo possumus, studiose apponamus.

Bonifacius VIII ab ecclesiasticis pedagia prohibuit exigi: § 1. Olim siquidem felicis recordationis Bonifacius Papa VIII praedecessor noster, eos qui ab Ecclesiis vel personis ecclesiasticis pro eorum rebus propriis, quas non negociandi causa deferunt, aut deferri faciunt, vel transmittunt, pedagia seu guidacia, suo vel alieno nomine exigere vel extorquere, si persona existeret singularis, cuiuscumque foret dignitatis, conditionis, vel status, excommunicationis, si autem collegium vel universitas civitatis, castri, seu loci alterius cuiuscumque, interdicti sententias incurrere voluit ipso facto, et quod ab excommunicatione praedicta absolutionem vel interdicti relaxationem obtinere non possent, donec exacta plenarie restituerent, et de transgressione satisfacerent competenter.

Aliique Pontifices hic nominatos anathemati subiecere (1). § 2. Ac deinde per nonnullos Romanos Pontifices, praedecessores nostros, et postremo per nos, in omnes piratas, cursarios et latrunculos marinos, et omnes fautores, receptatores et defensores eorum, et insuper in omnes illos, qui in terris suis nova pedagia imponunt: ac etiam in illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita deferunt Saracenis, quibus christianos impugnant: praeterea in omnes illos, qui ad Sedem Apost. venien-

(1) Omnes hic expressi excommunicari solent in Bulla *In Coena Domini*.

tes vel recedentes ab ea, necnon illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, eos, qui in Romana Curia morantur, temeritate propria capere, detinere vel spoliare, aut ex proposito deliberato vulnerare atrociter vel interficere præsumunt, et qui victualia vel alia bona ad usum Romanae Curiae necessaria, impediunt, ne ad Sedem praedictam deferantur, et qui talia fieri faciunt sive mandant, ac alios qui scienter eis favent, vel receptant, aut defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiae et conditionis ac status, etiamsi pontificali vel quavis alia ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate. Et in illos, qui per se vel alium, seu alias quascumque personas ecclesiasticas et saeculares ad eamdem Curiam superiorum (*sic*) causis et negociis recurrentes, illaque in Romana Curia prosequentes, vel procuratores, gestores, advocatos, promotores ipsorum, seu etiam auditores, vel iudices, qui supradictis causis vel negociis deputantur, vel de eadem Romana Curia recedentes, occasione causarum vel negociorum huiusmodi verberent, mutilent vel occidant vel bonis spolient eorumdem, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status fuerint, etiam si pontificali vel quavis alia praefulgeant dignitate vel eorum aliquod committentes. Item in omnes illos, qui per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, civitates, castra, villas ac loca et iura quaelibet alia ipsius Ecclesiae Romanae, vel aliqua seu aliquas eorum, aut ipsorum vel aliquorum, seu alicuius ipsorum partem, videlicet, comitatum et civitatem Avenionen. et eius territorium ad ipsam Ecclesiam pertinentem et scienter occupant vel detinent occupata, excommunicationis et anathematizationis sententiae in certis anni solemnitatibus promulgatae fuerunt, prout in nostris, et ipsorum praedecessorum literis plenius continetur.

*Multos dicit Urbanus his legibus non obedire, adiectis quoque pœnis nullo in pretio habitis.*

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli, a quorum oculis Dei timor abscessit, praedictas sententias non verentes, a præmissis clericis et ecclesiasticis personis, huiusmodi pedagia, seu guidagia, pro huiusmodi eorum rebus propriis, quas non negociandi causa deferunt, aut deferri faciunt vel transmittunt, exegerunt et extorserunt hactenus, et exigere et extorquere quotidie moliuntur, et nonnulli pravitatem piraticam exercere: alii vero venientes ad praedictam Curiam et recedentes ab ea capere vel retinere vel spoliare; necnon victualia et alia ad usum Romanae Curiae necessaria, ne ad praefatam deferantur Curiam impedire, et nonnullos alios ex excessibus supradictis committere. Et insuper privilegia per Sedem Apostolicam clericis et personis ecclesiasticis, ac praedictam Curiam sequentibus concessa, et canones, constitutiones et consuetudines in ipsorum curialium favorem, praesertim officialium et familiarium nostrorum, præsertim in praedictis propriis eorum rebus ad praedictam Curiam deferendis diutius observatas violare temere præsumpserunt hactenus et praesumunt in animarum suarum periculum, Apostolicae Sedis contemptum et praeiudicium et scandalum plurimorum.

*Camerario itaque ut contra eos procedat iniungit.*

§ 4. Nos itaque contra praesumptiones huiusmodi, quas non decet nec expedit incorrectas dimitti, salubre apponere remedium cupientes, fraternitati tuae, de qua in his et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios, tam in Romana Curia quam alibi, ubicumque et quotiescumque tibi expedire videbitur, praedictas tam a iure, quam ab homine latas sententias, debitae exequutioni demandetis, easque necnon canones, privilegia et consuetudines supradictas, facientes ubique auctoritate nostra inviolabiliter observari, et ubi opus fuerit, publicari, ac declarationem publicam, nunciationem et citationem omnium et singulorum qui in prædictas sententias inciderunt, etiam per edictum publicum affigere de

mandato tuo in portis sacri palatii apostolici et valvis ecclesiae Avenionensis, et alias in ipsarum sententiarum exequutionem et aggravationem, et alia omnia et singula supradicta, tam generaliter quam specialiter, vel nominatim, eadem auctoritate procedas, etiam per informationem simplicem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, prout facti qualitas exegerit, et ubi secundum Deum et iustitiam videbitur faciendum; ac eorum, necnon fautorum, receptatorum et defensorum dictorum piratarum, cursariorum et latrunculorum marinorum civitates, terras, castra et loca supponas ecclesiastico interdicto. Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali, vel quavis alia ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis evocetur, seu quod iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dioecesium earumdem trahere praesumant, et de duabus dietis in concilio generali; quam aliis quibuscumque constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis edictis, quae tuae possent in hac parte iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu qui praefatis, vel quibusvis aliis cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali vel alia quavis dignitate praefulgeant, a dicta Sede indultum existat, quod extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut eorum Ecclesiae, monasteria, civitates, terræ, castra et loca ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi et earum personis et locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam tuae iurisdictionis in hac parte valeat quomodolibet effectum impedire, et de qua eiusque toto tenore habenda sit de verbo ad verbum in nostris literis mentio specialis, plenam et liberam eidem fraternitati tuae concedimus, tenore praesentium, facultatem. Volentes et decernentes, quod citationes, quas in praemissis per edictum, ut praemittitur, feceris, perinde valeant, ac citatos arctent, ac si eis personaliter insinuatae et intimatae fuissent, constitutione quacumque contraria non obstante.

Datum Avenione quarto idus octobris, pontif. nostri anno I.

Dat. die 12 octobris 1363, pont. anno I.

---

## IV.

*Iudaeos molestantes, seu alias ipsis iniurias quomodolibet inferentes, aut ad recipiendum Baptismum compellentes excommunicationis poena plectuntur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Nemini Iudaeo baptismus per vim inferatur. — 2. Nec vis ulla fiat aut damnum. — 3. Eorum coemeteria non inquietentur. — 4. Poenae inobedientium.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Siculi iudaeis non debet esse licentia in synagogis suis, ultra quam permissum est eis lege praesumere; ita in iis, quae concessa sunt ipsis, non debent praeiudicium sustinere.

Nemini iudaeo baptismus per vim inferatur.

§ 1. Licet igitur praefati iudaei in sua velint magis duritia perdurare, quam prophetarum verba et suarum scripturarum arcana cognoscere, atque ad christianae fidei et salutis notitiam pervenire; quia tamen christianae pietatis mansuetudinem interpellant; nos felicium recordationum Calixti, Eugenii, Alexandri, Coelestini, Innocentii, Gregorii, Nicolai, Honorii et Nicolai IV ac Clementis VI Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, ipsorum iudaeorum petitiones admittimus; statuentes, ut nullus christianus iudaeos eosdem invitos vel nolentes ad baptismum per violentiam pervenire compellat: sed si quis eorum sponte ad christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius patefacta fuerit, efficiatur absque aliqua calumnia christianus; veram quippe christianitatis fidem habere non creditur, qui ad christianorum baptisma non spontaneus, sed invitus cognoscitur pervenire.

Nec vis ulla fiat aut damnum.

§ 2. Nullus etiam christianus easdem iudaeorum personas sine iudicio domini regionis, civitatis seu terrae, in qua inhabitant, vulnerare aut occidere, vel suas illis pecunias auferre praesumat, nec fustibus, aut lapidibus, aut alias eos perturbet, nec ab eis aliquis coacta servitia exigat, nisi ea quae ipsi praeteritis temporibus consueverunt facere seu praestare.

Eorum coemeteria non inquietentur.

§ 3. Ad hoc malorum hominum pravitati et avaritiae obviantes decernimus, ut nemo coemeterium iudaeorum mutilare vel minuere audeat, sive obtentu aliquo effodere corpora iam humata.

Poenae inobedientium.

§ 4. Si quis autem, decreti huius tenore cognito, temere, quod absit, contraire temptaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit; illos autem iudaeos dumtaxat huiusmodi genere praesidio volumus communiri, qui nihil machinari praesumpserint in subversionem fidei memora (1).

Datum Avenione, nonis iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 7 iunii 1365, pontif. anno III.

---

## V.

### *Cassinensis Ecclesia olim in episcopalem erecta iterum abbatialis restituitur* (2).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae hanc Ecclesiam in abbatialem reducendi. — 2. Reductio (*de qua supra*). — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex beati Petri caelestis clavigeri successor et vicarius Iesu Christi, ex supernae providentia maiestatis, in supremae specula dignitatis constitutus, curam Ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum commodum, prout ex debito eidem incumbit pastoralis officii, diligenter prospicit et intendit, ac Ecclesiarum et locorum huiusmodi statum mutat, prout ipsius Ecclesiis atque locis conspicit expedire.

Causae hanc Ecclesiam in abbatialem reducendi.

§ 1. Sane considerantes, et infra nostri pectoris claustra meditatione sollicita revolventes, quod Cassinensis Ecclesia Ordinis sancti Benedicti, quam idem confessor almus gratia Benedictus et nomine prae fulgore dignitatis immensae multipliciter illustravit, monasterium, antequam in cathedralem erigeretur Ecclesiam, exi-

(1) Forsan *memoratae*. (2) Ex Margarin. Bullar. Cassin., par. II, pag. **281**.

stebat; et per abbatem dicti Ordinis regi consueverat, et quod si ad monasterium reduceretur et per abbatem regeretur, ipsi Ecclesiae, eiusque iuribus, magna proveniret utilitas.

Reductio (de qua supra).

§ 2. Super his, attenta meditatione intra nos ipsos praehabita, et matura deliberatione subsecuta, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis praefatam Ecclesiam ad monasterium et abbatialem dignitatem et ad illum statum in quo erat tempore quo in cathedralem erecta fuit, ut praefertur, auctoritate apostolica reducimus per praesentes.

Clausulae

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reductionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Montem Pessulanum Magalon. dioecesis, secundo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 31 martii 1367, pont. anno v.

---

## VI.

*Erectio Ecclesiae Montis Falisci in episcopatum, cui dioecesis termini assignantur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae huius faciendae erectionis. — Ecclesia Sanctae Margaritae in cathedralem, et Castrum Montis Flasconis in civitatem erigitur. — 2. Assignatur capitulum. — De servitio Ecclesiae Sancti Flaviani impendendo. — 3. Collatio canonicatuum et beneficiorum episcopo asserta. — 4. Redditus canonicis aliisque beneficiatis attributi. — 5. Redditus episcopo et capitulo. — Dioecesis novo episcopatui assignata. — 6. Alia concessa bona et beneficia unita Ecclesiae Montis-Flasconen. — 7. Dos capituli. — 8. Robur decreto huic additum. — 9. Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic. edidit etiam Ughell., Ital. Sac., tom. I.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Cum Illius, cuius perfecta sunt opera, vices, licet immeriti, geramus in terris, Eum pro viribus imitari nos convenit, ut ea, quae ad Ipsius laudem et gloriam pia dispensatione incoepimus, ad debitae consummationis exitum perducamus.

Causae huius faciendae erectionis.

§ 1. Sane dudum considerantes, et intra nostri pectoris claustra sollicita meditatione revolventes, quod dilecti filii commune Montis Flascon., quod tunc castrum Balneoren. dioecesis existebat, inter caeteros fideles Italiae ad nos et praedecessores nostros Romanos Pontifices ac Romanam Ecclesiam sponsam nostram semper gesserint, prout gerebant sincerae devotionis affectum, et quod eorum fidelitas meruerat, ut eos Sedes Apostolica favoribus et gratiis prosequeretur opportunis, quodque nos in castro ipso cum Romana Curia, seu maiori parti ipsius tunc residebamus, et propterea ipsorum devotionem multipliciter in Domino commendantes, ipsum castrum volentes apostolici favoris praesidio confovere, super his attenta meditatione intra nos ipsos, et etiam cum fratribus nostris diligenti tractatu praehabito, et matura deliberatione subsecuta, de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis ad divini Nominis laudem et gloriam, exaltationem Ecclesiae animarumque profectum, Ecclesiam Beatae Margaritae castri praedicti in cathedralem ereximus cum dignitatis episcopalis titulo decorantes, nec non ipsum castrum Montis Flascon. tamquam locum insignem, devotum, aptum et congruum civitatem constituimus, ac civitatis vocabulo insignivimus, eamque civitatem Montis Flasconis volumus perpetuis futuris temporibus vocari.

Ecclesia Sanctae Margaritae in cathedralem, et Castrum Montis Flasconis in civitatem erigitur.

Assignatur capitulum.

§ 2. Verum ut in eadem Ecclesia eo maiorum laudationum praeconiis laudetur Omnipotens, quo plurium ad hoc ministrorum ibidem numerus fuit demonstratus, ac pastor eidem cathedrali praesit Eccle-

siae, ut ipsius Ecclesiae ministri congruam sustentationem habeant, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et etiam ordinamus, quod in Ecclesia ipsa sic denuo erecta sint octo canonici praebendati capitulum facientes, quorum unus sit decanus, qui post episcopum aliis canonicis et personis dictae Ecclesiae praesit, quique primum locum et primam vocem in choro et capitulo et ecclesia obtineat, et alius sacrista, qui campanas pulsare, necnon vasa sacra, iocalia ac libros et alia utensilia dictae ecclesiae fideliter et reverenter debeat custodire, et secundam vocem in choro et capitulo ac ecclesia praedictis habeat. Alii vero canonici post ipsum decanum et sacristam, iuxta suarum provisionum ordinem, loca et voces obtineant, et nihilominus decanus decanatum, qui dignitatem curatam et sacristam (1) in eadem Ecclesia obtinebunt: et insuper quod propter huiusmodi capitulum sint in eadem Ecclesia sex cappellani perpetui et quatuor clerici etiam perpetui, quorum unus sit diaconus et alius subdiaconus, et alii duo chorarii seu ceroferarii nuncupentur, et eidem Ecclesiae in divinis deserviant: quodque idem decanus, sacrista, canonici et cappellani sint in sacerdotio constituti, vel infra annum a tempore, quo decanatum, sacristiam, canonicatus et praebendas ac cappellanias pacifice assequuntur, se faciant ad sacerdotium promoveri; duoque canonici et duo cappellani in sacerdotio constituti praefatae Ecclesiae Montis Flasconen. ecclesiae Sancti Flaviani prope dictam civitatem, quae parochialis existit, continuo deserviant, ita tamen, quod ad praefatam ecclesiam cathedralem in die eiusdem Sanctae Margaritae venire teneantur. Reliqui vero canonici et cappellani continuo in ipsa cathedrali ecclesia deserviant, alias puniantur et mulctentur, prout praefatis episcopo et capitulo videbitur faciendum.

*De servitio Ecclesiae Sancti Flaviani impendendo.*

(1) Ughellii lectionem hic restituimus: *et nihilominus decanus decanatum, quam dignitatem curatam, et sacrista sacristiam, quod officium fore censemus in eadem ecclesia* etc.

*Collatio canonicatuum et beneficiorum episcopo asserta.*

§ 3. Volumus autem, quod, vacante dicto decanatu, electio decani ad dictum capitulum, confirmatio vero ad dictum episcopum pertineat; collatio vero sacristiae, canonicatuum et praebendarum, cappellaniarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, saecularium et regularium, cum cura et sine cura, tam in ipsa Ecclesia, quam in civitate et dioecesi Montis Flasconen. consistentium, ad episcopum Montis Flasconen. cum sui capituli consilio pertineat.

*Redditus canonicis aliisque beneficiatis attributi.*

§ 4. Verum memoratus decanus pro decanatu suo et praebenda sexaginta quinque; sacrista vero pro sua sacristia et praebenda quinquaginta florenos annis singulis percipiant et habebunt. Alii autem residui sex canonici, videlicet singuli pro singulis praebendis eorum viginti quinque florenos, et quilibet dictorum cappellanorum quindecim, et uterque dictorum clericorum quatuor pro dimidio cappellano de bonis dicti capituli percipient annuatim: de oblationibus vero et aliis distributionibus, quae quotidie praedictas summas poterunt dividi; praedicti decanus et sacrista, quod officio divino praesentes erunt, duplicatam recipiant portionem.

*Redditus episcopo et capitulo:*

§ 5. Caeterum, cum de Ecclesiis et ecclesiasticis beneficiis, castris, villis, territoriis, terris, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus spiritualibus et temporalibus, aliisque redditibus, proventibus, terris, possessionibus et bonis tam ecclesiasticis quam aliis, in quibus propria dioecesis Montisflasconensis deputari et etiam limitari, et quingenti pro episcopo, et quadringenti quinquaginta floreni annui pro eiusdem Ecclesiae capituli portionibus, quos assignare proponimus, praedictorum redditaum, proventuum, terrarum, possessionum et aliorum bonorum assignari poterunt, per nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et alios, sufficientes et fide dignas personas, per quas, super his specialiter iniunctas, mandavimus, plenarie sumus informati; volentes illud,

Dioecesis novo episcopatui assignata.

quod tam utiliter incaepimus, ad debitum finem perducere, ac per hoc ad limitationem dictae dioecesis Montisflasconensis, ad assignationem specialem de huiusmodi redditibus, proventibus, terris, possessionibus et aliis bonis pro huiusmodi dotibus faciendis in Dei nomine procedentes, volumus et decernimus, auctoritate apostolica et ex certa scientia, ut castra, loca et territoria infrascripta, necnon monasteria, ecclesiae, mansiones et alia in ea consistentia, videlicet Vallem Laterem, Gradularum (1), Griptarum Sancti Laurentii, necnon Bisen. et Capitis Montis cum eorum territoriis, castra et insuper locum Insulae Martanae infra lacum de Bolseno consistentia, Martiae, quod etiam prope dictum locum consistit, Cornone et Fartelluneni (2), Celleni et Florentini castra cum eorum territoriis et tenimentis, ac insulae Bisentin., quae prope lacum de Bolseno consistit, et Sanctae Mariae de Sanguinorio, Sanctorum Ioannis et Victoris, Castri Araldi, Sanctae Mariae in Capita et Sanctae Mariae hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani mansiones, castrorum Urbevetan., Viterbien., Tuscanen. et Balneoregiensis dioecesis *etc.*, necnon quidquid de dioecesi Balneoregiensi praedicta inter Viterbium, Cellenium, Tuscanellam et Montemflasconem, in eorum tenimentis fuit et esse consuevit, de dioecesi Montisflasconensi in antea existat, eaque omnia in eadem dioecesi Montisflasconensi deputamus et assignamus, ac ipsam dioecesim sic limitatam a dominio et potestate venerabilium fratrum nostrorum Castren., Urbevetan., Viterbien., Tuscanen. et Balneoregien. episcoporum eximimus, et episcopo Montisflasconensi, qui est et pro tempore fuerit, dioecesano et ordinario iure subiicimus, volentes et decernentes ut quicquid præeminentiae, maioritatis, superioritatis, iurisdictionis et exercitii iuris spiritualis et temporalis in eadem dioecesi per nos taliter limitata praedictis Castren., Urbevetan., Tuscan. et Balneoregien. episcopis quomodolibet spectabat, ad episcopum Montisflasconen. pertineat antedictum.

(1) Ugh. legit *Gradulanum*. (2) *Cartelluneni*. Ugh.

Alia concessa bona et beneficia unita Ecclesiae Montis-Flasconen.

§ 6. Caeterum, unionem seu annexionem de parochiali Ecclesia Sancti Stephani in praedicta insula Martanae episcopo Viterbien. pro tempore existenti et eius mensae episcopali Viterbien. dudum factam, tenore praesentium dissolvimus, ac ipsam Ecclesiam Sancti Stephani et ruralem prioratum nuncupatum Sancti Benedicti de Paterno, et aliam de Pitigliano Balneoregiensis dioecesis Ecclesiam, quae quidem Sancti Benedicti Ecclesia ad praesens, per obitum quondam Petri Capiti de Amelia, vacare dignoscitur, cum omnibus iuribus et pertinentiis earumdem in quibuscumque locis existant, mensae episcopali Montis Flasconis annectimus, incorporamus et unimus per praesentes, ita quod liceat episcopo Montisflasconensi pro tempore existenti, Ecclesiarum ac iurium et pertinentiarum praedictarum, quarum valor centum octoginta florenorum esse dignoscitur, corporalem possessionem apprehendere, cuiuscumque licentia minime requisita: sic tamen quod in praedicta parochiali Ecclesia perpetuus vicarius deserviat in divinis, sicut ante unionis huiusmodi dissolutionem consueverat deservire. Et insuper fructus, redditus et proventus abbatiae seu monasterii Sancti Petri de Aliano, valoris quadraginta florenorum, in qua nullus est monacus, nec a longis citra temporibus fuit, et quae dudum per felicis recordationis Ioannem Papam XXII, praedecessorem nostrum, Camerae Patrimonii Beati Petri in Tuscia unita fuit, qui quidem fructus, redditus et proventus in terris, vineis, sylvis, pascuis, pratis et domibus in districtu et tenimento Castri Cannini et civitatis Tuscanensis positis, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis consistere dignoscuntur, ac etiam redditus et proventus quos Camera nostra in castro de Bulseno et in tenimento eius, ac in loco vocato Burgi ad Seretum (1) et in loco

(1) *Sextum*. Ughell.

vocato Quare Vallis Lacus, qui consitus videtur in castro de Bulseno, in domibus sitis iuxta plateam et macellum, et in quodam molendino de aqua ad macinandum de la Fontana et in quodam molendino de aqua ad macinandum bladum, vocatum molendinum Praetorii, positum iuxta portam dicti castri, redditusque dicti burgi ad Seretum, quorum fructus consistunt in pratis, terris et campis, positis in districtibus et tenimentis castrorum Bulsenae, Griptarum et Sancti Laurentii praedictorum, qui quidem redditus et emolumenta praemissorum quadragintaseptem florenorum annuatim valere noscuntur: necnon redditus et proventus quos dicta Camera nostra recipit in praedicta civitate Flasconensi de poderiis vocatis poderiis Dominae Advenentis et Ser. Bertoldi, quorum fructus et redditus, consistentes in domibus, vineis et campis, ultra quindecim florenos non valent annuatim; necnon quamdam domum in dicta civitate consistentem, ad nos et dictam Cameram pertinentem, quae de dicto poderio fore dignoscitur, ac aliqua prata, quae dicuntur prata Camerae, et in quibusdam vineis sitis in tenimentis dicti loci: census qui consistunt in vino et foeno, et ultra tres florenos annuatim non valent, redditus quoque, proventus et census qui recipiuntur pro Camera nostra praedicta in castro Martae in eius tenimento, qui consistunt in domibus, vineis, molendinis, sylvis, pascuis et pratis, excepto tamen passagio, qui redditus, proventus et census annui septuaginta florenos non excedunt; et quoddam molendinum aptum ad macinandum bladum, positum in tenimento dicti Castri Griptarum, quod est Camerae praedictae, valoris quinque florenorum annuatim: necnon redditus et proventus, quos praefata nostra Camera recepit in castro et eius tenimento Centumcellarum, qui consistunt in pascuis et glandibus, valoris centum quinquaginta (1) florenorum pro dote dicti episcopi et mensae suae designamus et etiam deputamus, volentes et decernentes animalia quae in praedictis pascuis Centumcellarum ex parte praedicti episcopi mittentur pro praedictis pascuis dumtaxat sumendis, possit et debeant per pascua provinciae nostrae Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, absque solutione herbacii et etiam alicuius pedacii seu gabellae, ire, redire et libere transire quoties fuerit opportunum.

Dos capituli.

§ 7. Et insuper pro huiusmodi dote dictis capitulis praedictam ecclesiam Sancti Flaviani, cum capellis sibi annexis et dependentibus ab eadem, valoris ducentorum florenorum, tenore praesentium incorporamus, annectimus et unimus, ac volumus et ordinamus quod beneficia obtinentes in eadem sint canonici cathedralis Ecclesiae supradictae, medietatemque fructuum et reddituum ac proventuum ruralis Ecclesiae Sanctae Luciae Paterno dictae Balneoregiensis dioecesis, quae quidem medietas ad centum florenos auri ascendit, eidem capitulo tenore praesentium concedimus, donamus, annectimus, incorporamus et unimus, ita quod idem capitulum huiusmodi medietatem dictorum fructuum, redditum et proventuum, si ipsa Ecclesia Sanctae Luciae nunc vacat vel quamprimum eam vacare contigerit, auctoritate propria libere percipere et in usus suos convertere possint, cuiuscumque licentia minime requisita, praedicta poderia seu redditus et emolumenta, quae dilecti filii capitulum Ecclesiae Lateranensis et ipsa Ecclesia in territorio dictae civitatis Montisflasconensis percipiunt et percipere consueverunt, in quibuscumque rebus consistant, valoris annuatim quinquaginta florenorum, necnon redditus et proventus quos dicta Camera iam in Sancto Savino inter Tuscanellam et Martam percipere consuevit, quae valoris annui centum florenorum existunt, pro dote dicti capituli assignamus, donamus et etiam deputamus, ac volumus quod si huiusmodi assignationes et deputationes nostrae ultra praedictas summas quingent. pro episcopo

(1) Ughellius legit *centum quadraginta*.

ac quadringent. quadragint. florenorum auri pro capitulo supradicto modo vel alias fuerint reperti, nihil possit ab eisdem episcopo et capitulo de maiori valentia peti, seu exigi valeat quoquo modo, seu deduci, sed totum in ipsorum capituli et episcopi commodum cedat, aut si forte minus reperiantur praemissa valere, nihil petere vel exigere valeant idem episcopus et capitulum ultra illa: non obstantibus quibuscumque litteris nostris super hoc quorumcumque tenorum existant; quas, quatenus huic ordinationi nostrae possint esse contrariae, viribus vacuamus omnino, et nullius decernimus fore firmitatis quoad illa contenta in eis in suo robore duraturis.

Robur decreto huic additum.

§ 8. Has igitur limitationem, uniones, annexiones, incorporationes, concessiones, donationes, deputationes et assignationes nostras sic factas et utiliter ordinatas, perpetuis valituras temporibus, et robur incommutabilis firmitatis obtinere volentes, auctoritate praedicta districtius inhibemus ne aliquis cuiuscumque præeminentiae, ordinis aut status, qualicumque praefulgeat dignitate, huiusmodi limitationem et alia praemissa per nos, ut praemittitur, facta, seu aliqua vel aliquid de contentis in eis, quovis quaesito colore, modo vel causa seu occasione generaliter adinventis, turbare, seu quomodolibet impedire praesumat. Nos enim irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae limitationis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, deputationis, assignationis, voluntatis et constitutionis huiusmodi infringere *etc.*

Datum Viterbii, secundo kalendas septembris, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 31 augusti 1369, pont. anno VII.

## VII.

*Decretum quod oblationes, quae obveniebant episcopo Portuensi in basilica S. Petri, convertantur ab altarario in beneficium fabricae* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1, 2. Decretum (*de quo in rubrica*). — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

In charitatis visceribus gerentes basilicam Principis apostolorum de Urbe, sicut filiam praedilectam, ad eam paternis studiis libenter intendimus, ex quibus ipsius basilicae et eius statui honoris et utilitatis proveniat incrementum, et super hoc, prout expedire conspicimus, providemus auxiliis opportunis.

Decretum (de quo in rubrica).

§ 1. Dudum siquidem per nos accepto quod episcopus Portuensis pro tempore existens, in festo Nativitatis Domini necnon in die Ramis Palmarum et quinta et sexta feria et sabbato maioris hebdomadae ac in festo Resurrectionis Domini, oblationes in eadem basilica recipere consueverat, nos, ex certis causis ad hoc animum nostrum moventibus, dilecto filio Ioanni Cambareti Ordinis Fratrum Minorum professori, altarario dictae basilicae mandavimus ut oblationes ipsas alicui officiali venerabilis fratris nostri Guidonis episcopi Portuensis recipere non sineret, sed eas reciperet, et, deductis oneribus, pro fabrica dictae basilicae convertere deberet (2).

Volentes igitur eidem basilicae subsidium aliquod impertiri, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, constituimus et etiam ordinamus, quod idem

(1) Ex Waddingo, edit. Romae, 1733, tom. VIII, pag. 523.

(2) Oblationes, quae a fidelibus diebus hac in constitutione enunciatis super altare S. Petri ponebantur, ut reciperet, Portuensi episcopo concessit Ioannes XIX, anno 1026, ut in constitutione a nobis relata, tom. I., pag. 535, ubi quoque ex Cincio camerario fragmentum retulimus, in quo huiusmodi oblationes singillatim recensentur.

Guido episcopus et successores sui episcopi Portuen., qui erunt pro tempore, nullas unquam oblationes in praefata Ecclesia recipere, petere seu exigere possint, ac volumus quod oblationes praedictae, quae per dictum episcopum Portuensem ibidem recipi consueverant, per altararium dictae Basilicae existentem pro tempore leventur, recipiantur et etiam exigantur. Consuetudinibus, privilegiis apostolicis quorumcumque tenorum existant, etsi de illis et totis eorum tenoribus esset praesentibus specialis et expressa mentio facienda *etc.*; quae omnia et singula, in quantum praesentibus obviarent, revocamus, cassamus, irritamus ac nullius esse volumus roboris vel momenti.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis, revocationis, cassationis, irritationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Montem Flasconem sexto idus iulii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 iulii 1370, pontif. anno VIII.

---

# GREGORIUS XI

## PAPA CCI

*Anno Domini MCCCLXX.*

Petrus Rogerii Lemovicensis, Guillelmi comitis Bellifortis filius, Sanctae Mariae Novae diaconus cardinalis, electus est in Romanum Pontificem die 30 decembris anni 1370, qui Gregorius XI voluit appellari: consecratur autem Avenione die 5 ianuarii sequentis anni. Hic sedit in pontificatu a die susceptae consecrationis annos VII, menses II, dies XXIII, imperantibus in Oriente Ioanne Palæologo, in Occidente Carolo IV imp. Obiit Romae die 27 martii anno 1378, et sepultus est in ecclesia B. Mariae Novae prope Capitolium. Vacavit sedes dies XIII.

---

### I.

*Beatum Elzearium de Sabrano in Gallia Narbonensi sanctorum confessorum canoni per Urbanum PP V praedecessorem suum adscriptum fuisse denunciat* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Quae Urbanum moverant ad decernendos B. Elzeario Sanctorum honores. — 2. Nonnullae Elzearii virtutes recensentur. — 3. Miracula. — 4. Eum Urbanus praedecessor Sanctis adnumerare statuerat. — Eius sepulchrum visitantibus concessit indulgentias. — 5. Gaudia pro his proponit Gregorius. — 6. Testimonium peractae ab Urbano rei. — 7. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, quae de Romani Pontificis providentia processerunt, licet, eius superveniente obitu, literae apostolicae confectae non fuerint super illis, suam consequantur efficaciam.

Quae Urbanum moverant ad decernendos B. Elzeario sanctorum honores.

§ 1. Olim siquidem felicis recordationis Urbanus Papa quintus, praedecessor noster, provide attendens, quod Domino nostro Iesu Christo, Regi regum, et dominantium Domino, sub cuius ditione cuncta consistunt, magna gratiarum actionum et laudum a cunctis fidelibus Christi debentur impendia, dum ipse Rex caelestis omnium scientiae gloria, cuius ineffabilis altitudo scientiae et providentiae nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura iudicii caelestia pariter et terrena disponit; sanctos suos per

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

exemplaris vitae doctrinam et sanctitatis merita venerandos, de praesentis vitae carcere ad aeternam beatitudinem evocatos crebris coruscare facit miraculis, ac mira et stupenda, eorum intercedentibus meritis, certis et perspicacibus ostendens indiciis, illos post labores nimios, duraque praesentis vitae certamina, quietis aeternae satiari dulcedine, palmamque caelestis gloriae obtinere; et quod ipse opifex Deus in misericordia copiosus, liberalis in gratiis et in retributione munificus, de supremis caelorum ad ima mundi oculos maiestatis suae inflectens, et benigna consideratione discutiens, beati Elzearii de Sabrano, comitis Ariani, et baronis Ausoysii, domini de provincia Provinciae oriundi, generis nobilitate praeclari, suique gloriosissimi confessoris merita grandia et opera mirifica, quibus ipse constitutus in saeculo lucerna luminosa resplenduit, atque veluti iustus index et retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum, tanquam emeritum et retributione dignissimum, post vitae praesentis ergastulum, et laboriosa mundi certamina, quae fervens in divinis obsequiis patenter et potenter exercuit, aethereis sedibus collocarat, ut sederet cum principibus, et solium gloriae teneret felicitatis aeternae dulcore potitus. Et ne eiusdem beati Elzearii laudabilium actuum claritas, quibus in terris constitutus effulserat, sub nubilo lateret, et tenebris obscuraretur, idem praedecessor aliqua ex eis suis litteris, si super his confectae fuissent, exprimi voluit, quas nos praesentibus inferri fecimus, ut deducantur in publicam notionem.

Nonnullae Elzearii virtutes recensentur.

§ 2. Hic equidem a iuvenilis aetatis primordiis Dei Filium tenera mente dilexit, nec diligere desiit, studia continuando salubria, dum vitae sibi commoditas affuit temporalis. Sed quoniam maiori profecit aetate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto in eius exarsit amorem fervore spiritus ampliori, et sic pudicitiae adhaesit operibus, sic carnis studuit evitare contagia, quod, licet uxorem habuerit aetate iuvenem et nobilitate praeclaram, tamen, prout ex dictae uxoris et confessoris eiusdem Sancti testimoniis constat, Sanctus ipse semper candore virgineo rutilavit. Praeterea Sanctus ipse, qui, dum vixit in praesenti saeculo, clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, moribus elegans extitit, inhonestis et turpibus animo penitus relegatis, circa servos Christi ac pauperes aliasque miserabiles personas valde compatiens, se ipsum in eleemosynarum elargitione, eis plerumque ministrando, munificum exhibebat: tantaque abundavit caritate, quod nil tam carum sibi erat, quin libenter erogasset, ut saltem unam animam trahere potuisset ad Christum; nec de ullo suo aemulo vindictam facere volebat. Et ne fervorem spiritus sociae carnis ardor extingueret, sed mortificatione et repressione ipsum potius accendi contingeret, carnem ipsam, quam assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effraenum ipsius libidinum artem abstinentiae fraeno coercuit, ut non propriae voluntatis ducta remigio, sed salubri moderamine spiritus tute licita perageret, et prorsus ab illicitis abstineret deliciis. Etenim corpus macerabat ieiuniis, priscorum observantiae a sanctis Patribus ordinatae novorum austeritatem adiiciens, sibi motu propriae voluntatis inducto. Nam per totum Adventum et singularum septimanarum sextam feriam et cunctis aliis temporibus ieiunium observabat: in multis interea orationibus se occupabat, ne aliqua sibi hora temporum inutiliter pertransiret, paramentis aliquibus sub genua non utendo, imo quamplurimum vestes proprias amovebat. Et dum consilio ducis Calabriae praefuit, petitiones pauperum interim promovebat, quod omnes ipsum advocatum pauperum nominabant.

Miracula.

§ 3. Hic insuper vitae fuit puritate perlucidus, humilitate praeclarus, et sincerus veritatis amicus, ac cuncta eloquia ipsius virtutis augmentum operaque sa-

lubria hortabantur, demulcebant auditorum praecordia, et in eorum aedificationem salutarem multipliciter redundabant. Quandam enim mulierem, quae per totum annum et amplius toto corpore impotens fuerat, et aliquibus sui corporis partibus adeo desiccata, ut lignum aridum videretur, et quae, postquam Sanctus ipse migravit ad Christum, ad eius tumulum se deferri fecerat, ad dicti Sancti invocationem subito fuisse curatam dubium non existit. In signum huiusmodi, mulier ipsa domum suam propriis pedibus est reversa. Quidam etiam casualiter in uno fossato undique subtus terram prostratus, ita quod aliquis ad ipsum nullo modo pervenire poterat, postquam ibidem tamdiu steterat, quod naturaliter vivere non debebat, ad praedicti Sancti invocationem a morte extitit praeservatus. Istum enim Sanctum dilexit Dominus, et in fine consortio haereditatis elegit, perennis quoque diademate gloriae decoravit, et ut eius nomen extolleretur laudibus populorum, tam in eius vita, quam postquam, ut praemittitur, feliciter migravit ad Christum supernis deliciis fruiturus, ipse opifex Dominus, in Sanctis suis vere mirabilis, eumdem Sanctum aliorum quamplurium et variorum splendore miraculorum illustravit, manifeste demonstrans, quantum sibi honoris et reverentiae deberetur.

Eum Urbanus praedeces. Sanctis adnumerare statuerat:

§ 4. Unde praefatus praedecessor de huiusmodi actibus dicti Sancti et miraculis habita, fide dignis probationibus, quantum nosse sinebat ipsa fragilitas, certitudine veritatis, multorum praelatorum et aliarum circumspectarum personarum solemnibus precibus plurius excitatus, ipsum beatum Elzearium, de fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, auctoritate omnipotentis Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli eius, atque sua, choro beatorum a Domino ineffabili sanctificatione susceptum, cum solemnitate celebri sanctorum catalogo, videlicet decimo septimo kalendas maii, pontificatus sui anno septimo, duxit adscribendum. Et ut devotis laudibus extolleretur in terris, quem ipse dominantium Dominus honorari voluerat in excelsis, festivitatem Confessoris eiusdem die vigesima septima mensis septembris, quo migravit ad Dominum, cum debita reverentia voluit celebrari; quoque etiam, ut ad Ecclesiam fratrum Minorum, ubi corpus eiusdem Sancti venerabiliter requiescit, ferventius et copiosius fidelium confluat multitudo, celebris eiusdem solemnitas peragatur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint eius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia et ipsorum beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxavit.

Eius sepulchrum visitantibus concessit indulgentias.

Gaudia pro his proponit Gregorius.

§ 5. O quam laudabilis, o quam mirabilis providentiae divinae sublimitas et immensitas retributionis aeternae, quam sibi servientibus inaestimabile praemium compensatur! O felix donum ex Summo Bono proveniens et in Christo consistens, quo cum beatissimis spiritibus in praesentia Conditoris quis existere meruit, et incircumscripti splendore luminis illustrari! O felicissimae fertilitatis ager fructus uberes proferens, ubi flores prodeunt nec arescunt, ubi semina sparsa non pereunt et ubi, multiplicatis manipulis, grana gloriae colliguntur! Hic nempe Confessor almus hunc agrum obsequiosus excoluit, in eo virtutum spargere semina studuit, ac vitae talia grana colligere meruit post labores. Exultet igitur mater Ecclesia, et solemnia festiva celebret gaudiorum, quae tantum et talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum, iam inter regum gloriosa caelestium agmina rutilantem; laetetur, inquam, et iubilet, ac in laudes Altissimi voces promat, quae sobolis tam praecelsae, tam celebris illustrata fulgoribus insignis decorata conspicitur, quae sonoris attollendo praeconiis, summaeque venerationis exhibitione

colenda eminentius aperit, evidentius explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia et haereditatis aeternae participium admittendos, qui praedictam Ecclesiam matrem sponsam fidelium Christi claris fidei et operis testimoniis profitentur, nullosque in supernae patriae gloriam, nisi per eius, utpote cœlorum clavigeri, ministerium virtuosum, ostiis reseratis, Altissimus introire permittit. Gaudeant insuper turbae cælestium de tam sublimis, tam lucidi habitatoris adventu, quodque ipsis expertus, probatusque fidei christianae colonus, cultorque praecipuus aggregatur. Personet laetitiae iubilum civium generosa nobilitas supernorum, quod tanti, talisque comitis suscepisse dignoscitur adiectivum, ac venerabilis sanctorum coetus gaudio et exultatione refloreat de nova dignissimi habitatione consortis. Exurge igitur, numerosa fidelium turba, exurgite, fidei zelatores, et una cum eadem etiam laudis uberis hymnum concinite; perfundantur imbre copioso laetitiae nostra praecordia, et foecundae rore dulcedinis arcana pectoris repleantur de tanta et tam potentis et egregii principis exaltatione, terrenae spei tutissime plenitudine percepta, quod nobis, de condigena terrenorum compatriota caelestium iam effectus, apud aeterni Patris Filium efficax patronus accrevit, qui pro salutis nostrae profectibus iam in eius praesentia positus, solertis exercet officium oratoris.

Testimonium peractae ab Urbano rei.

§ 6. Verum, ne pro eo, quod eiusdem praedecessoris superveniente obitu, literae apostolicae super praemissis confectae non fuerint, de eis valeat aliquatenus haesitari; volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod praesentes literae ad probandum plene praemissa omnia per supradictum praedecessorem, ut praemittitur, acta ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et constitutionis infringere *etc.*

Datum Avenione, nonis ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 ianuarii 1371, pont. anno I.

---

## II.

*Basilicae Sanctae Mariae Maioris de Urbe pene collabenti pro reparatione impendenda ecclesiam Sancti Lucae iuxta dictam basilicam existentem unit et annectit* (1).

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae faciendae concessionis. — 2. Concessio (*de qua in rubrica*). — 3. Capitulum S. M. M. in possessionem Ecclesiae datae immittendum. — 4. Obstantium derogatio. — 5. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea ex apostolicae servitutis officio libenter intendit, per quae Ecclesiarum utilitatibus providetur.

Causae faciendae concessionis.

§ 1. Cum itaque Ecclesia sive Curia Sancti Lucae sita iuxta Ecclesiam Sanctae Mariae Maioris de Urbe, quam venerabilis frater noster Stephanus episcopus Brixiensis tempore promotionis per nos factae de ipso ad Ecclesiam Brixiensem tunc vacantem obtinebat, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis eidem Stephano de mandato nostro apud Sedem Apostolicam impensum vacaverit et vacet ad praesens; nullusque praeter nos hac vice de dicta ecclesia Sancti Lucae disponere potuerit, neque possit, pro eo, quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Ecclesias, caeteraque beneficia ecclesiastica, tunc apud Sedem praedictam vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostrae reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, con-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tigerit attentari: et sicut accepimus in dicta ecclesia officia divina minime celebrentur, dictaque ecclesia Sanctae Mariae minetur ruinam, et ad eius reparationem propterea ipsius Ecclesiae non suppetant facultates.

Concessio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos dilectorum filiorum prioris et capituli Ecclesiae Sanctae Mariae supradictae, quae saecularis est, supplicationibus inclinati, praedictam Ecclesiam Sancti Lucae sic vacantem, cuius fructus, redditus et proventus duodecim florenorum auri vel circiter valorem, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eisdem priori et capitulo ac Ecclesiae Sanctae Mariae Maioris ex nunc auctoritate apostolica incorporamus, annectimus perpetuo et unimus.

Capitulum S. M. M. in possessionem Ecclesiae datae immittendum.

§ 3. Itaque liceat eisdem priori et capitulo corporalem possessionem Ecclesiae Sancti Lucae, iuriumque et pertinentiarum praedictorum per se vel alium seu alios auctoritate propria apprehendere et tenere, ipsamque Ecclesiam Sancti Lucae licite in perpetuum retinere: fructusque ipsius in utilitate ipsius Ecclesiae S. Mariae Maioris committere, cuiuscumque licentia minime requisita.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Urbani Papae V, praedecessoris nostri, et aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque: seu si aliquis super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi Ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in aliis partibus speciales vel generales Apostolicae Sedis vel legatorum eius literas impetraverit: etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem literas et processus habitos per easdem ad dictam Ecclesiam Sancti Lucae volumus non extendi: sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Ecclesiarum et beneficiorum aliorum praeiudicium generari, ea quibuslibet privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis generalibus vel specialibus quorumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus praesentium impediri valeat quomodolibet vel differri: et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae incorporationis, annexionis, unionis, voluntatis et constitutionis infringere *etc.* Datum Avenione, septimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 26 octobris 1371, pont. anno I.

---

## III.

*Beneficia per obitum familiarium S. R. E. cardinalium vacantia et quibusvis personis collata, nisi in literis provisionis eorumdem de familiaritate huiusmodi mentio fiat, vacare decernit.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae decreti. — 2. Decretum: — 3. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ad ea libenter intendit, per quae sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium defertur honori, et in iis, quantum potest, partes suae solicitudinis interponit.

Causae decreti.

§ 1. Cum itaque nonnulli quamplura canonicatus et praebendas ac personatus, dignitates et officia, aliaque beneficia ecclesiastica, saecularia et regularia, cum cura et sine cura per obitum familiarium continuorum commensalium praedictorum cardinalium seu aliquorum ex eis vacantia, vel certo modo expresso vacatura a nobis

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

impetrent, de huiusmodi familiaritate non habita mentione.

Decretum.

§ 2. Nos in praemissis providere volentes, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, collationes, provisiones, gratias et mandata quaecumque de canonicatibus et praebendis ac dignitatibus, personatibus vel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis quibuscumque saecularibus et regularibus, cum cura et sine cura, quae per cessum vel decessum aut alias quorumcumque familiarium dictorum cardinalium continuorum commensalium iam vacarunt, per inadvertentiam per nos facta et in posterum facienda, fore surreptitia, ac nullius roboris vel momenti, ac irritum decernimus et inane quidquid contra declarationem nostram huiusmodi a quoquam, quavis authoritate scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attentari.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, decreti et voluntatis infringere *etc.* Datum Avenione, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 10 decembris 1371, pont. anno I.

---

## IV.

*Quod Ecclesia S. Ioannis in Laterano de Urbe supremum locum tenet super omnes Ecclesias Urbis et orbis (1).*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Dubitatum ait a nonnullis de hac praerogativa. — 2. Declaratio (*de qua in rubrica*). — 3. Clausulae.

(1) Huic Ecclesiae centenariam tantum praescriptionem opponi posse statuit Honorius III, constitutione LIII, tom. III, pagina 379. Bullas autem, quibus Martinus V et Paulus II primatum super caeteras orbis et Urbis Ecclesias obtinere voluere, consulto cum Cherubino omisi, utpote constitutionis Gregorianae confirmatorias dumtaxat.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Super universas orbis Ecclesias Romanus Pontifex a Domino constitutus, circa ea, de quibus dubitari dicitur, ut evitari possint quaecumque dispendia, declarationis, ubi expedit, suae provisionem adiicit, prout fore conspicit opportunum.

Dubitatum ait a nonnullis de hac praerogativa.

§ 1. Sane dudum dum minori fungebamur officio, percepimus quod de Ecclesia Lateranense (quam cl. mem. Constantinus fidelissimus imperator in Lateranensi palatio suo miraculose mundatus a lepra et sacri Baptismatis fonte renatus, construxit sub vocabulo Salvatoris, statuens quod ex tunc libera esset unicuique potestas per Urbem et orbem ecclesias construendi, quod antea imperialis prohibitio inhibuerat) a quibusdam curiosis dubitabatur, ac etiam in praesenti in dubium revocatur, si ipsa in Urbe, et orbe terrarum, præeminentiam ac honoris praerogativam a Romana Ecclesia et a cunctis christicolis obtinere debeat potiorem.

Declaratio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur volentes huic dubio finem imponere, et super hoc amputare materiam haesitandi, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, decernimus, ac etiam definimus, sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam præcipuam sedem nostram inter omnes alias Urbis et orbis Ecclesias ac basilicas, etiam super Ecclesiam seu basilicam Principis Apostolorum de Urbe supremum locum tenere. Eamque de iure maiorem omnibus aliis Ecclesiis ac basilicis supradictis, ac super omnes et singulas præfatas Ecclesias seu basilicas prioritatis, dignitatis et præeminentiae honore laetari. Et si quid contra huiusmodi nostram declarationem, determinationem, ac definitionem, a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter, attentatum fuerit, id irritum decernimus et inane.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, constitutionis et definitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avenione, x kal. februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 23 ianuarii 1372, pontif. anno II.

---

## V.

*Quod praelati, abbates et alii beneficia residentialia oblinentes in Ecclesiis eorum residentiam facere omnino teneantur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Mala ex negligentia residentiae oborta aegre recenset. — 2. Archiepiscopos, episcopos, *etc.*, ut infra praefinitum tempus ad residentiam accedant, monet. — 3. Recens de Ecclesiis vel beneficiis provisi quoto tempore in Curia morari possint. — 4. Impediti causas legitimas PP. debent ostendere. — 5. Inobedientes anathemati subiecti. — 6. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sollicitudo Ecclesiarum omnium, quibus, disponente Domino, licet insufficientibus meritis, praesidemus, animum nostrum iugiter pungit et excitat, ut illarum occurramus dispendiis, et prout nobis ex alto conceditur, utilia procuremus.

Mala ex negligentia residentiae oborta ægre recenset.

§ 1. Sane considerantes attente, quod Ecclesiarum et monasteriorum praelati, ac rectores ad hoc in eis sunt positi, ut in illis personaliter resideant, et commissos eis greges pascant pabulo verbi Dei, divinis vacent et faciant vacare officiis, errata corrigant, prava compescant, deformata reforment, gubernent temporalia bona ipsorum et pauperum usibus deputata, aliaque incumbentia ipsis supportent onera et ministeria exequantur. Mirari admodum cogimur et dolere, quod nonnulli ex eis, non sine gravi Dei offensa, postposita verecundia, obauditis iustis suorum lamentationibus subditorum, de damnisque suarum Ecclesiarum multiplicibus, tam spiritualibus quam temporalibus, non curantes, sponsas suas tanto derelinquunt tempore, quod quasi viduae reputantur, Curiamque Romanam non pro ipsarum Ecclesiarum necessitatibus, aut notabilibus et veris utilitatibus, sed exquisitis occasionibus frequentare præsumunt, ex quibus animarum pericula, pullulatio vitiorum, dissolutorum morum incorrectio, diminutio divini cultus, ecclesiasticorum aedificiorum ruina et lapsus rerum, populorumque scandala, aliaque mala plurima provenire noscuntur.

Archiepiscopos, episcopos, etc., ut infra praefinitum tempus ad residentiam accedant, monet.

§ 2. Nos igitur tot et tantis malis et periculis congruis obviare remediis cupientes, universos et singulos patriarchas, archiepiscopos et episcopos, abbates, electos, priores, decanos, praepositos ac archidiaconos quarumcumque Ecclesiarum ac monasteriorum ac prioratuum, aliosque maiores in cathedralibus post pontificales et principales in collegiatis Ecclesiis dignitates obtinentes, quocumque nomine nuncupentur, tam saeculares quam regulares, nec non parochialium Ecclesiarum rectores in Curia praedicta, vel prope illam per duas dietas, non tamen in locis Ecclesiarum et monasteriorum suorum morantes ad praesens, exceptis iis, quos ad nostra et Romanae Ecclesiae retinemus obsequia, per nos nominatim declarandis, auctoritate apostolica tenore praesentium mandamus, eis districte praecipiendo mandantes, quatenus usque ad festum Resurrectionis Dominicae proxime secuturum recedant de Curia praelibata, ad commissas eis Ecclesias, monasteria et prioratus, quamcito commode poterunt, profecturi, et in eis facturi personalem residentiam, ut tenentur.

Recens de Ecclesiis vel beneficiis provisi quoto tempore in Curia morari possint.

§ 3. Patriarchae vero, episcopi, electi, abbates, priores, decani, praepositi, archidiaconi, aliique huiusmodi dignitates maiores et principales obtinentes, ac rectores parochialium Ecclesiarum, qui ad praedi-

(1) Ex Regest. Vatic.

ctam Curiam venient in futurum, vel in ea ad Ecclesias et monasteria seu dignitates huiusmodi contigerit promoveri, in illa sine nostra vel alterius, quem ad hoc duxerimus deputandum, speciali licentia, de qua per nostras, aut eiusdem per nos deputandi, literas constet, ultra tres menses a die, qua eamdem Curiam intraverint, seu promoti fuerint, numerandos, non audeant commorari, sed ad suas Ecclesias et monasteria revertantur et in eis etiam residentiam faciant, ut praefertur.

Impediti causas legitimas PP. debent ostendere.

§ 4. Et ut obvietur fraudibus, ad præfatam Curiam absque dicta licentia non redeant infra annum a tempore recessus huiusmodi computandum. Si vero aliqui ex praedictis praetendant aliquam iustam causam habere, propter quam in ipsa Curia habeant moram trahere ultra terminos supradictos; illam coram nobis vel eidem per nos ad hoc deputando infra ipsos terminos allegare, ac nostrae vel eiusdem deputandi responsionis oraculum habere ac observare procurent.

Inobedientes anathemati subiecti.

§ 5. Alioquin omnes et singulos, qui, contra monitionem et mandatum nostra huiusmodi, in eadem Curia morari, aut ad illam infra dictum annum redire, ut præfertur, præsumpserint, cuiuscumque status, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi patriarchali, archiepiscopali, aut episcopali praefulgeant dignitate; non obstantibus quibuscumque licentiis, privilegiis seu indultis contrariis per nos vel quoscumque prædecessores nostros Romanos Pontifices concessis eisdem, etiamsi de illis et totis eorum tenoribus esset praesentibus specialis et expressa mentio facienda, quae per praesentes penitus revocamus; elapsis dictis terminis, excommunicationis sententiam incurrere volumus eo ipso, a qua, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant absque nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum licentia speciali.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum mandati et voluntatis infringere *etc.* Datum Avenione octavo kalendas februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 25 ianuarii 1372, pontif. anno II.

---

## VI.

*Damnatio quorumdam statutorum in regno Aragoniae per quae Ecclesiarum libertas et ecclesiasticarum personarum bona afficiebantur* (1).

SUMMARIUM

1. Primum statutum. — 2. Alterum statutum. — 3. Tertium statutum. — 4. Quartum statutum. — 5. Ex vi horum statutorum vim aliquam, iniuriam, *etc.* Ecclesiis et personis ecclesiasticis inferri vetat Pontifex. — 6. Spirituales poenae contra inobedientes. — 7. Extensio huiusmodi poenarum. — 8. Obstantium derogatio. — 9. Clausulae.

**Gregorius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Si quis culpas delinquentium poena sineret impunitas, ausus malignandi succresceret, et mali prohibitio nulla esset.

Primum statutum.

§ 1. Sane nuper, relatione fide digna, ad nostrum non sine mentis turbatione pervenit auditum, quod in terris carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris dominio et ditioni subiectis nonnulli temporale dominium habentes, vero gerentes officia saecularium potestatum, suis terminis non contenti, libertatem et immunitatem ecclesiasticam, praetextu quorumdam statutorum, laedere multipliciter non verentur: asserunt etenim inter huiusmodi statuta unum esse, quod de *Sono emisso* intitulant, et eius vigore ipsis licere, dum aliquis malefactor fugiens, ne capiatur ab officialibus saecularis iustitiae, receptatur in castro aliquo seu fortalitio, si habentes castri seu fortalitii custodiam, requisiti, eum restituere noluerint, castrum huiusmodi insultare, capere, ipsum fun-

(1) Ex Regest. Vatic.

ditus destruere, bona mobilia in eo existentia in praedam adducere, et exterius per totum territorium fortalitii sive castri praedicti tam in bonis immobilibus, quam mobilibus vastum facere, et huiusmodi statuti praetextu castra, villas seu loca Ecclesiarum, praelatorum, seu aliarum ecclesiasticarum personarum, per se seu alios diruunt, vastant et destruunt; bonaque etiam mobilia eorumdem occupant et asportant, possessionesque dictorum praelatorum, Ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum et aliorum incolarum et subditorum castrorum praedictorum vastant et penitus destruunt.

Alterum statutum,

§ 2. Etiam aliud asserunt statutum, quod *Pacis et Treguae* intitulant: cuius vigore dicunt eis licitum esse, dum aliquis ad alterius querimoniam per literas iusticiarii saecularis monitus, ut conquerenti de debito vel delicto infra quindecim dies satisfaciat, infra eosdem quindecim dies non satisfecerit, damnum datum non emendaverit, vel saltem coram dicto iusticiario saeculari non comparuerit, et pignora pro satisfactione facienda in manu et posse dicti iusticiarii realiter et de facto posuerit; ex tunc, elapsis dictis quindecim diebus, sic monitum, a tregua et pace cum publica praeconizatione efficere (1), et postquam sic eiectus fuerit, damnum quodcumque ei tam in persona, quam in bonis impune dare et alias diversimode contra eum et ipsius bona procedere; et huiusmodi secundi statuti praetextu praelatos, caeterasque personas ecclesiasticas etiam cum praeconizatione publica, non absque Dei gravi offensa et enormi laesione ecclesiasticae libertatis, a pace et tregua eiiciunt, capiunt, interficiunt, et alias in personis et bonis damnificant, nec possunt seu audent per aliquos barones, nobiles seu alias personas ecclesiasticas vel saeculares, seu per Communia civitatum, universitates castrorum et villarum substineri, receptari, seu aliqualiter defendi.

Tertium statutum.

§ 3. Aliquando vero cum praelati sive aliae personae iurisdictionem ecclesiasticam obtinentes, seu eorum vel alicuius eorum vicarii vel officiales, missi vel exequutores in aliquos obtinentes dominium temporale, seu officiales seu servitores eorum excommunicationis, aut in terris eorum dominio seu ditioni aut gubernationi subiectis interdicti proferunt sententias, seu a iure vel provincialibus conciliis aut synodalibus constitutionibus promulgatis publicant et observant, ac ab aliis publicari et observari faciunt; dicti domini temporales aut officiales eorum castra, dominia et alias possessiones ac iura et iurisdictiones temporales ipsorum praelatorum seu Ecclesiarum et monasteriorum religiosorumque locorum, etiam quod deterius est, libera et allodialia, et quae ab eis in feudum seu alias non tenentur, ad manus suas capiunt, occupant et sarciunt pro suae libito voluntatis.

Quartum statutum.

§ 4. Nonnumquam etiam ob praemissa seu alio exquisito colore fingentes praelatos seu personas alias ecclesiasticas esse sibi suspectas, a terris et districtibus, quibus suo vel alio nomine dominantur, ipsos expellunt seu bandiunt, et interdum generaliter, nonnunquam vero specialiter cum voce praeconia, et quandoque sine ea, inhibent suis subiectis aut suo commissis regimini, ipsorum praelatorum aut aliarum ecclesiasticarum personarum nominibus et cognominibus dumtaxat expressis, clericatu et aliis titulis, per quos posset cognosci, quod essent personae ecclesiasticae, in fraudem et dolose suppressis: quod eis de suis debitis aut rebus aliis, in quibus tenentur eisdem, si sunt efficaciter obligati, non respondeant aut faciant seu permittant ab aliquo responderi: et interdum praemissa seu eorum aliqua fieri mandant seu consulunt, factaque nomine suo rata et grata habent, et ea facientes seu fieri mandantes sustinent et defensant.

Ex vi horum statutorum vim aliquam, iniuriam, etc. Ecclesiis et per-

§ 5. Cum igitur manifeste Deo irrogentur iniuriae, cum Ecclesiae, monasteria et alia pia loca, in quibus eius laudibus

(1) Forsan *eiicere*.

sonis ecclesiasticis inferri vetat Pontifex.

deservitur, gravibus perturbantur iniuriis, ac clerici et aliae personae ecclesiasticae premuntur onere servitutis, ac nulli super iis deferendum sit honori, quae praeiudicant ecclesiasticae libertati, nos attendentes praemissa contra praefatos clericos caeterasque personas ecclesiasticas, Ecclesias, monasteria et alia religiosa et pia loca eorumque bona aliquiter dictorum statutorum vigore vel alias fieri non licere; auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio hac constitutione districtius inhibemus, ne aliquis dominus temporalis seu exercens sub quovis nomine seu titulo alicuius dominii temporalis iusticiariam, seu quamvis aliam potestatem, aut quivis alius ipsorum nomine vel mandato, dictorum statutorum vigore, ipsorum praelatorum, Ecclesiarum, monasteriorum seu aliarum ecclesiasticarum personarum castra, fortalitia seu munitiones quaslibet insultet, capiat, diruat seu alias damnificet, ipsorum praelatorum, clericorum et aliarum ecclesiasticarum personarum, Ecclesiarum et monasteriorum bona mobilia capiat, in praedictam (1) abducat seu quomodolibet asportet: territoriaque ipsorum praelatorum aut aliarum ecclesiasticarum personarum seu castrorum ac fortalitiorum pertinentium ad eosdem destruat, diripiat seu vastum faciat in iisdem, praelatosque seu clericos vel alias personas ecclesiasticas ad quaerimoniam seu requisitionem cuiusvis, sive alias pro quacumque causa civili sive criminali, civiliter vel criminaliter intendenda, vigore praedicti statuti aut alio quovis loco seu causa a tregua et pace quomodocumque eiiciat, ipsis, vel suis in personis vel bonis iniuriam inferat, seu poena aliqua punire praesumat.

Spirituales poenae contra inobedientes.

§ 6. Et quia praemissi excessus eo sunt avius (2) corrigendi, quia talia praesumentes sub specie cuiusdam simulatae iustitiae sibi praemissa licere contendunt, et ea sub dictorum statutorum velamine palliant; decernimus omnes et singulos cuiuscumque status, dignitatis aut conditionis existant, etiamsi regali vel alia quavis praefulgeant dignitate, qui praemissos insultus, captiones, depredationes, vastationes, a tregua et pace eiectiones, iniuriarum in personis et rebus illationes facere seu attentare praemissorum statutorum occasione, necnon eos, qui pro eo quod ipsi auctorum officialium familiares seu subditi excommunicantur, aut terrae ipsorum seu alicuius eorum interdicto subiiciuntur, declarantur et publicantur, castra, possessiones, iura, bona seu temporales iurisdictiones praelatorum sententias huiusmodi proferentium, seu quorum auctoritate aut ad quorum instantiam sunt prolatae, capere, occupare seu sarcire (1); aut etiam suos in personis vel bonis aliqualiter aggravare; eos etiam, qui praelatos ipsos, clericos seu alias ecclesiasticas personas de terris suis aut sibi subiectis, seu suo commissis regimini expellere seu bannire praesumpserint aut mandaverint, seu praemissa vel aliquod praemissorum facta suo nomine rata habuerint seu fecerint, consilium dederint aut favorem, seu eos postea scienter praesumpserint defensare; si personae fuerint singulares, excommunicationis, si vero commune alicuius civitatis, universitas, castra aut villae, interdicti sententiis subiacere eo ipso; a qua excommunicationis sententia, si in ea per mensem permanserint, non possint ab alio, quam a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, nec tunc nisi gravaminibus ipsis effectualiter revocatis, si poterunt, et plenaria satisfactione de damnis, iniuriis et interesse prius facta aut cautione sufficienti de integre satisfaciendo, si eam praestare potuerint, praestita, absolutionis beneficium obtinere. Quod si sic absoluti convaluerint, nisi post convalescentiam infra mensem praedicta gravamina effectualiter revocaverint atque plenarie de praemissis satisfecerint, ipsos

(1) Leg. f. *praedam*. (2) Forsan *gravius*.

(1) *Sarcire*, forsan a verbis infimae latinitatis *farcire*, *saisire*, quae iuxta Ducange *occupare*, *ad manum regis ponere* significant. Gallice *saisir*.

in eamdem excommunicationis sententiam reincidere volumus eo ipso; volentes nihilominus, ut qui non plenaria satisfactione praemissa seu de satisfaciendo, cautione, ut praemissum est, praestita in mortis articulo ab alio quam a Romano Pontifice fuerint absoluti, ecclesiastica careant sepultura, donec per haeredes eorum sit plenarie satisfactum: omnes illos, qui tales tradere seu interesse praesumpserint eorum sepulturae ecclesiasticae, excommunicationis vinculo innodantes. Volumus autem quod praefatum interdictum post mensem praedictum per alium quam per Romanum Pontificem nullatenus possit relaxari.

Extensio huiusmodi poenarum.

§ 7. Propterea si praemissa gravamina, vel eorum aliquod inferentes aut inferri mandantes seu fieri consulentes, aut rata, ut praemittitur, habentes, seu eos, qui ea intulerint, scienter defensantes, excommunicationis huiusmodi sententiam per unum mensem animo indurato praesumpserint substinere, ex tunc tota terra eorum, dummodo ultra unam dioecesim non contineat, si vero contineat ultra unam dioecesim, ille locus, in quo contra praemissa, vel eorum aliquod attentatum fuerit, et etiam tota terra, quam sic delinquens habet in dioecesi, in qua eius domicilium principale consistet, ecclesiastico subiaceat interdicto. Si vero huiusmodi interdicti sententiam per alium mensem, quod absit, praesumpserint substinere, ex tunc una dioecesis sive provincia aut aliqua alia pars terrae contra praemissa vel eorum aliquod temere attentantium, et etiam tota ipsa terra, etiamsi regnum fuerit vel alius quivis potentatus notabilis, simul vel successive, prout circumspectioni illorum videbitur, quos ad hoc exequutores per alias nostras literas deputamus, supponi valeant ecclesiastico interdicto, ipsius interdicti, post quam appositum fuerit, relaxatione Romano Pontifici reservata.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus exemptionibus et aliis quibuscumque privilegiis, indulgentiis et gratiis, ac literis apostolicis quibusvis personis communiter vel divisim sub quacumque forma vel expressione verborum a Sede Apostolica concessis vel imposterum concedendis, etiam si de illis plena et expressa mentio, ac de verbo ad verbum in praesentibus sit habenda; quae quoad hoc alicui in nullo volumus suffragari. Per hoc autem aliis apostolicis ac provincialibus et synodalibus constitutionibus super praemissis vel eorum aliquo forsan editis in aliquo nolumus derogari.

Clausulae.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis, constitutionis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Avenione, nonis februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 5 februarii 1372, pont. anno II.

---

## VII.

*Literae processus, seu anathematizatio haereticorum, aliorumque S. R. Ecclesiae quomodolibet se opponentium, quas in die Coenae legi consuevit* (1).

SUMMARIUM

1. Excommunicantur Catari, caeterique haeretici: — 2. Piratae: — 3. Nova imponentes pedagia: — 4. Arma aliaque huiusmodi deferentes Saracenis: — 5. Literas apostolicas falsantes: — 6. Curiam sequentibus molestiam inferentes: — 7. Causas suas Romae agentes, aut eorum patronos quolibet modo offendentes: — 8. Romipetas et peregrinos detinentes, *etc.*: — 9. Bona R. Ecclesiae occupantes: — 10. Quibuscumque non obstantibus. — 11. Publicatio harum literarum. — 12. Clausulæ.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Excommunicantur Catari, caeterique haeretici:

§ 1. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, omnes Cataros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passaginos et Fraticellos ac quoscumque alios haereticos quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores,

(1) Ex Regest. Vatic.

receptores, credentes et defensores eorum.

Piratae.

§ 2. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios et latrunculos marinos, ac omnes fautores, receptatores et defensores.

Nova imponentes pedagia:

§ 3. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui in terris suis nova pedagia imponunt.

Arma aliaque huiusmodi deferentes Saracenis:

§ 4. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, lignamina vel alia prohibita deferunt Saracenis, quibus christianos impugnant.

Literas apostolicas falsantes:

§ 5. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios bullae et literarum apostolicarum et petitionum gratiam et iustitiam continentium per Summum Pontificem et vicecancellarium seu gerentem officium vicecancellarii sanctae Romanae Ecclesiae de mandato eiusdem Summi Pontificis signatarum, aut sub nomine Summi Pontificis seu vicecancellarii seu gerentis officium vicecancellarii praedictorum signantium petitiones easdem.

Curiam sequentibus molestiam inferentes:

§ 6. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes vel recedentes ab ea, necnon illos, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habentes, eos, qui in Romana Ecclesia morantur, temeritate propria capere, spoliare vel detinere, aut ex proposito deliberato vulnerare atrociter praesumunt; et qui victualia vel alia ad usum Romanae Curiae necessaria impediunt, ne ad Sedem praedictam deferantur, et qui talia fieri faciunt, sive mandant, et alios, qui scienter eis favent, vel ipsos receptant aut defendunt, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali seu alia ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate.

Causas suas Romae agentes aut eorum patronos quolibet modo offendentes:

§ 7. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios quascumque personas ecclesiasticas et saeculares ad eamdem Curiam super eorum causis et negotiis recurrentes, illaque in Romana Curia prosequentes, aut procuratores, gestores, advocatos vel promotores ipsorum, seu etiam auditores vel iudices, qui super dictis causis vel negotiis deputantur, vel de eadem Romana Curia recedentes, occasione causarum et negotiorum huiusmodi, verberant, mutilant vel occidunt aut bonis spoliant eorumdem, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status fuerint, etiamsi pontificali vel quavis alia praefulgeant dignitate.

Romipetas et peregrinos detinentes, etc.:

§ 8. Item excommunicamus et anathematizamus omnes vulnerantes, mutilantes, interficientes seu capientes aut detinentes vel depraedantes Romipetas et peregrinos ad Urbem causa devotionis et peregrinationis accedentes, in ea morantes ac recedentes ab ipsa, et ad hoc dantes auxilium, consilium vel favorem.

Bona R. Ecclesiae occupantes:

§ 9. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos qui, per se vel alium seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore, civitates, castra, villas, terras ac loca et iura quaelibet alia ipsius Romanae Ecclesiae, vel aliqua seu aliquem eorum aut ipsorum vel aliquorum seu alicuius ipsorum partem, et etiam comitatum nostrum Venaisinum et civitatem Avenionensem cum eius territorio scienter occupant et detinent occupata.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 10. Non obstante si aliquibus, cuiuscumque ordinis, conditionis, status, dignitatis et præeminentiae fuerint, etiam, ut praedicitur, pontificali seu quavis ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, communiter vel divisim a Sede praedicta sit concessum quod excommunicari aut anathematizari non possint per literas apostolicas, quae plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, nec non ordinibus, locis, nominibus propriis et cognominibus ac dignitatibus eorum non fecerint mentionem, necnon privilegiis, indulgentiis et literas apostolicas specialibus vel generalibus consuetudinibus ac observantiis scriptis et

non scriptis contrariis quibuscumque, per quae contra praemissa vel eorum aliqua seu aliquod possent quomodolibet se tueri, quae quoad hoc cassamus, irritamus ac tollimus et viribus vacuamus: eos insuper qui huiusmodi sententias per nos latas incurrerint, nullus, nisi dumtaxat Romanus Pontifex, absolvere valeat, praeterquam in mortis articulo constitutos.

Publicatio harum literarum.

§ 11. Ut autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium notitiam deducantur, cartas sive membranas processus continentes eosdem maioris ecclesiae Avenionensis appendi vel affigi ostiis vel superliminaribus faciemus, quae processus ipso suo quasi sonoro praeconio et patulo inditio publicabunt, ut ii, quos ipsi processus contigerint, nullam possint excusationem praetendere vel ignorantiam allegare, quod ad eos non pervenerint, vel quod ignoraverint eosdem; cum non sit verisimile, quoad eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Clausulae.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis et anathematizationis, cassationis, irritationis, annullationis et vacuationis infringere *etc.*

Datum Avenione in palatio nostro apostolico, in die Coenae Domini, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 25 martii 1372, pont. anno II.

## VIII.

*Saraceni ad christianam fidem conversi et ad eorum sectam redeuntes, et christiani ad illam transeuntes, eorumque fautores, ab inquisitoribus haereticae pravitatis puniantur.*

SUMMARIUM

1. Quid causam huic constitutioni dederit. — 2, 3. Sanctio (*de qua in rubrica*).

**Gregorius Papa XI,**
**inquisitoribus haereticae pravitatis.**

§ 1. Admodum dolenter audivimus et narramus quod non solum quidam de saracenica impietate ad christianam fidem conversi ad eamdem sunt impietatem reversi, verum etiam quamplurimi christiani, veritatem fidei abnegantes, se damnabiliter ad Agarenorum perfidiam transtulerunt; quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen sanctissimum quadam familiari hostilitate securius blasphematur.

Quid causam huic constitutioni dederit.

Sanctio (de qua in rubrica).

§ 2. Cum autem huic pesti damnabili congruis et festinis deceat remediis obviare, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra haereticos, auctoritate Sedis Apostolicae designatos, super praemissis, tam per christianos, quam etiam per Saracenos inter christianos morantes, inquisita diligenter et solicite veritate, contra omnes, quos talia inveneritis hactenus commisisse et committere in futurum, tamquam contra haereticos, contra fautores etiam et receptatores et defensores eorum, tamquam contra fautores, receptatores et defensores haereticorum procedere studeatis.

§ 3. Saracenos quoque, qui christianos utriusque sexus ad dictam eorum perfidiam perduxerint aut inveneritis de caetero inducentes, poena debita puniatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Dat. apud Villamnovam Avenionensis dioecesis, tertio nonas augusti, anno II.

Dat. die 3 augusti 1372, pontif. anno II.

## IX.

*Fraticellorum, Dulcinorum et de Paupere Vita haereticorum cineres in regno Siciliae colentes, eisque altaria cum luminaribus erigentes, anniversariamque diem obitus eorumdem celebrantes vel alias ad cultum, absque Sedis Apostolicae licentia, extollentes, puniendos esse sancitur* (1).

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. et Raynaldo.

SUMMARIUM

1. Recensitos in rubrica abusus reprobans, — 2. Contra eos patrantes per episcopos procedi mandat. — 3 Quibuscumque non obstantibus.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, aliisque Ecclesiarum praelatis in insula Siciliae constitutis, ad quos praesentes pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Recensitos in rubrica abusus reprobans,

§ 1. Molesta significatio ad nostrum perduxit auditum quod in nonnullis civitatibus, castris, villis et aliis locis insulae Siciliae vobis ordinario iure subiectis quidam, diabolica fraude decepti, ossa et cineres quorumdam de Fraticellorum, Dulcinorum et de Paupere Vita, sectis per Sedem Apostolicam reprobatis, qui dum viverent, ut simplices sub specie recti deciperent, ipsis simplicibus se viros poenitentiae ostendebant, ac si cineres et ossa huiusmodi essent reliquiae adscriptorum sanctorum cathalogo, temeritate propria colere, et ecclesias seu cappellas in talium honorem erigere, et erectas cum luminaribus in anniversariis obituum eorumdem catervatim annis praesumunt singulis visitare.

Contra eos patrantes per episcopos procedi mandat.

§ 2. Cumque praemissa, quae, absque auctoritate Romanae Ecclesiae, fieri a sacris canonibus prohibentur, nullatenus debeant tolerari; discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus in vestris civitatibus et dioecesibus praedicta vel similia per quascumque personas de caetero attentare districtius inhiberi curetis, contradictores cuiuscumque status, ordinis, sexus vel conditionis existant, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 3. Non obstantibus quibuscumque privilegiis apostolicis, statutis et consuetudinibus contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliquibus, communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi ac eorum personis, locis, ordinibus, nominibus, agnominibus propriis mentionem. Praesentes autem literas, post opportunam inspectionem earum, curetis restituere praesentanti.

Dat. apud Villamnovam Avenionensis dioecesis, secundo idus septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 12 septembris 1372, pont. anno II.

---

X.

*Collegium in civitate Bononiensi, a se Gregorianum nuncupatum, excitat, eidemque dotem assignat, statutaque et ordinationes pro bono regimine magistrorum et scholarium inibi degentium decernit* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Quae Pontificem moverint ad hoc collegium construendum. — Locus collegii. — Scholarium numerus. — Quibus disciplinis imbuendi. — 2. Qualitates in recipiendis necessariae. — 3. Quibus ex locis seligendi. — 4. Supercrescentibus redditibus, qua methodo scholarium numerus augeri debeat. — 5. Quo tempore quis in collegio morari possit. — 6. Qui fuerit vel de patrimonio vel de aliquo beneficio eccl. provisus discedere tenetur. — 7. Sterili tempore non dimittendi scholares, sed supplendum modo hic statuto. — 8. De redditibus superexcrescentibus quid sit agendum. — 9. Scholarium Lemovicen. praesentatio Gregorio reservata, eiusque consanguineis. — 10. Italorum praesentatio quibus sit addicta. — 11. De cappella construenda, et nomine collegii. — 12. De divinis officiis in eadem cappella peragendis. — 13. Preces pro se in eadem cappella dicendas a sacerdotibus indicit Gregorius. — 14. De divinis officiis festivis diebus in eadem peragendis. — 15. De

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. et Raynaldo.

festo Assumptionis B. Virginis celebrando. — 16. De officio vespertino. — 17. Aliae preces a scholaribus pro eodem Gregorio dicendae. — 18. De Confessione facienda, et sacramento Eucharistiae sumendo. — 19. Cappellanorum officium quale. — 20. De rectore singulis annis eligendo. — 21. Idem secundo anno non eligendus. — 22. De aetate admittendorum ad officia. — 23. De consiliariis. — 24. De thesaurario. — 25. Praefatorum officialium iuramentum. — 26. Officium rectoris quale. — 27. Iuramentum a scholaribus praestandum. — 28. Per horum statutorum inobservantiam periurii poena non incurritur. — 29. Ea vero bis in anno legi debent. — 30. Rectoris facultates quales sint. — 31: De praecedentiis in mensa, et gratiarum actione post ipsam. — 32. De conferentiis. — 33. De necessariis ad victum provisionibus et summa qualibet die expendenda. — 34. De vestibus, earumque uniformitate: nonnullisque aliis rebus, *etc.* — 35. De cubiculis, eorumque ornamentis. — 36. De cubiculi optione. — 37. De medico, et diligenti infirmorum curatione. — 38. De pensionibus medici, aliorumque. — 39. De funere et sepultura mortuorum. — 40. De obedientia rectori praestanda. — 41. Manus in alium iniicere cuilibet vetatur sub certis poenis. — 42. Nonnulla scholaribus interdicuntur. — 43. Alia mandata. — 44. De expellendis ob patrata crimina. — 45. Crimina, ob quae debet quis expelli. — 46. Alii excessus simili puniendi poena. — 47. Aliae rectoris facultates. — 48. De administratoribus bonorum. — 49. De custodia pecuniarum. — 50. De arca pecuniarum, eiusque custodia. — 51. Quolibet anno de rebus collegii conficiendum inventarium. — 52. Quolibet anno a rectore caeterisque officialibus reddenda de administratis ratio. — 53. Culpabilium officialium poena. — 54. De bibliotheca, librorumque custodia. — 55. Perpetui visitatores deputantur. — 56. Item protectores et defensores. — 57. A collegio quolibet anno tribus scholaribus Bononiensibus alimenta tradenda. — 58. Romanis Pontif. et S. R. E. cardinalibus ipsum collegium commendat: — Scholaresque ipsos ad studia litterarum spiritualesque profectus excitat. — 59. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Res sanctissima utriusque iuris sapientia, per quam et militans Ecclesia regitur et civilis respublica gubernatur, sic erudiendis est mentibus exhibenda, ut non desidiosae provisionis taedio negligatur, sed opportunae solertiae studio conquiratur. Verum, quia sunt nonnulli quibus ad compescendam (1) scientiam ingenii natura beneficium praebuit, sed ipsius sapientiae donum, aut omissio viae debitae, hoc est continuatae lectionis, interimit, aut tenuitas necessariae facultatis abscidit, debet non immerito iis, qui natura sunt dociles circa exercitium studii, per loca provida ordinatione disposita initium negligentiae subtrahi, et per temporalium supplementa offensio paupertatis auferri, ut sic et loci opportunitas ad studium exquisitae lectionis invitet, et necessariorum praebitio ingeniorum vires, summoto inopiae defectu, votiva operatione confirmet.

Quae Pontificem moverint ad hoc collegium construendum.

§ 1. Sane attendentes quod quae tamquam acceptabile sacrificium summo Conditori omnium per manus fidelium offeruntur, illa maxime Divinae Maiestati placere, creduntur per quae, ad effugandas ignorantiae tenebras, ii, quibus ad prosequendum scientiarum studium propriae non suppetunt facultates, et quilibet locus inhabilis aut damnosae desidiae aut vagationis arguendae materiam praebent, opportunis remediis et auxiliaribus commodis subleventur. Considerantes etiam quod grandia commoda ex ipsa iuris sapientia spiritualia et temporalia, publica et privata mundo proveniunt, quibus Dei cultus augetur, fides catholica roboratur, animarum saluti consulitur, pax et tranquilitas, succisis litibus, quae occasiones plerumque sunt criminum, procuratur; licitum ab illicito, aequum ab iniquo secernitur; bonis praemia, malis supplicia decernuntur; instruuntur animae rudium, et provectorum ad maiora succrescunt, iustitia scripta,

(1) Leg. f. *capessendam.*

regina virtutum, lux splendens et via vitae, figura Dei et cingulum Christi, per studium lectionis agnita, colitur. Haec siquidem iura, quasi duo magna in firmamento luminaria, certissima sunt humanae naturae solatia, infirmorum auxilia, potentium fraena; unde securitas venit et conscientia proficit: sine quibus in Ecclesia aut laboriosius aut inutiliter militatur, et respublica non censetur. Ad honorem et gloriam Sanctae et Individuae Trinitatis, laudem praecelsae Virginis et totius Curiae triumphantis, pro nostrorum quoque remissione peccaminum, utque in horto S. Matris tuae (1), auctore Domino, licet immeriti, praesidemus Ecclesiae, virgulta ex generosis facultatibus iurium eorumdem, quae sive hominum hebetudine, sive animarum malignitate, sive necessariorum carentia, quae noverca est disciplinae, satis deficere concernuntur (2) fructus uberes Deoque amabiles productura, in civitate nostra Bononiensi, legum alumna praecipua, quam superna Iustitia, veluti clarissimum lumen iurium insigni Studio illustrat, et quae imbuta virtutibus fide indefessa Ecclesiam Dei colens, nos ad summam sui dilectionem, gloriam et exultationem attraxit, in domo nostra, in nostro nomine erupta (3) in contrata seu strata Castilionis sita in parochiis Sanctarum Mariae et Agathae ac Sancti Stephani, quae fuit haeredum quondam Ioannis de Pepulis militis Bononiensis, unum collegium perpetuis temporibus duraturum triginta scholarium pauperum, sex cappellanorum et quindecim familiarium constituimus et ordinamus, ac domum ipsam seu palatium cum omnibus iuribus, pertinentiis et rebus mobilibus inibi existentibus ex nunc praefato collegio libere assignamus, ac perpetuo, et ex certa scientia pro scholarium usibus ex nunc donamus et etiam deputamus, scientes, quod ex eisdem triginta scholaribus quindecim sint studentes in iure canonico, et totidem in iure civili; nec aliqua manu vel casu huiusmodi virium facultates turbentur seu destruantur, sed cum egredietur canonista, subrogetur alter canonista, et idem de legistis, ne contingat in futurum omnes studentes eiusdem existere facultatis.

Locus collegii.

Scholarium numerus.

Quibus disciplinis imbuendi

(1) Leg. f. *cui* loco *tuae*. (2) Forsan *empta*. (3) Leg. forsan *cernuntur*.

§ 2. Volumus insuper et mandamus, recipiendos ad dicti collegii numerum esse debere in praenominatis artibus praecipue in grammatica sufficienter et in logica saltem competenter instructos: declarantes, quod nullus, qui vigesimum aetatis suae annum compleverit, nisi prius iura per annum saltem audiverit, nec etiam aliquis, licet alias audiverit et provectus sit, qui annum trigesimum compleverit, in collegio praedicto recipiatur.

Qualitates in recipiendis necessariae.

§ 3. Praedictos autem scholares in dicto collegio subscripto modo recipi volumus et assumi: videlicet, quod successivo tempore assumantur tot Lemovicenses, de dioecesibus, scilicet, Lemovicen. et Tullen.: quod sint in dicta domo perpetuo viginti numero, alii vero decem de terris Ecclesiae Romanae, in Italia positis indifferenter, praeterquam de Bononia recipiantur.

Quibus ex locis seligendi.

§ 4. Proviso quod dictus numerus in nullo varietur, sed quoad facultates, nationes et alia penitus observetur. Quod si contingat in futurum augeri numerum scholarium propter superexcrescentiam bonorum collegii praelibati, volumus superexcrescentes etiam de Lemovicinio et de terris Ecclesiae, ut praefertur, assumi, ita videlicet, quod semper duae partes de Lemovicinis, tertia vero de terris Ecclesiae, ut supra, recipiantur et instituantur: salvo, quod si praeter haec contingat imposterum per nos expresse augeri numerum scholarium, volumus ipsos instituendos per nos ultra numerum praefatum undecumque assumi, et per Romanum Pontificem nostrum successorem, qui pro tempore fuerit, eosdem institui; quem super iis patronum constituimus, prout in literis apostolicis super hoc confectis latius continetur.

Supercrescentibus redditibus qua methodo scholarium numerus augeri debeat.

Quo tempore quis in collegio morari possit.

§ 5. Praefatis autem scholaribus sic receptis indulgemus, ut canonistae novem, legistae decem continuo tempore gravis infirmitatis, aut etiam tempore, quo fuerint absentes, de mandato rectoris et maioris partis collegii memorati negocia domus tractando, vel etiam si ante eorum receptionem iura per triennium dumtaxat audierint, minime deducto, in dicto collegio stare possint: mandantes eisdem, quatenus infra illud tempus ad gradum saltem licentiae docendi suscipiendae se disponant, et inhibentes eis expresse, ne formam seu dispositionem statutorum universitatis scholarium Bononien. circa privatum examen limitatum aliqua occasione trascendant. Quo cursu completo vel etiam licentiae gradu prius suscepto, infra unum mensem exire de praedicto collegio teneantur, nisi infra sex menses immediate sequentes gradum vellent recipere doctoratus: quo casu per illud tempus tantummodo tolerentur, vel nisi in sua facultate examinatus et licentiatus ad aliam facultatem huiusmodi iurium transiret: quo casu, ut amplius in scientia crescat, volumus talem dumtaxat ibidem per alium triennium tolerari.

Qui fuerit vel de patrimonio vel de aliquo beneficio Eccl. provisus discedere tenetur.

§ 6. Praeterea cum intentionis nostrae sit, praefatum collegium pro scholaribus pauperibus, qui parentum opibus vel sufficientibus proventibus ecclesiasticis in Studio substentari non possunt, vel eis ad prosequenda studia facultates propriae non suppetunt, instituere et dotare, statuimus: quod si quemquam ex dicti collegii scholaribus contingat in antea beneficium seu beneficia ecclesiastica valoris annui quinquaginta librarum turonen. parvorum secundum taxationem decimae, vel septuaginta ducatorum auri Bononiae portatorum, aut in patrimonio sibi apparato tantumdem obtinere, et de quo seu quibus quam primum sibi obvenerint, rectori et collegio infra mensem a die notitiae fidem facere teneantur infra unius anni spatium a die, quo fuerit huiusmodi beneficii vel patrimonii possessionem pacificam assecutus, nisi forsan infra sex menses proximos immediate gradum licentiae vel doctoratus, ut supra praemittitur, vellet suscipere, de dicto collegio recedere et alteri cedere teneatur, et alter loco eius idoneus surrogetur.

Sterili tempore non dimittendi scholares, sed supplendum modo hic statuto.

§ 7. Verum quia propter annum sterilitatis aut fortuito casu, qui humanis nequeunt consiliis provideri, contingere forsan poterit in futurum, quod aliquibus annis, redditus et proventus dictae domus, deductis oneribus, ad tot personarum praemissarum substentationem non sufficerent, statuimus quod eo anno, quo vel quibus huiusmodi computum seu casuum eventus occurrerit, nullatenus propterea possessiones, redditus, libri, proventus aut alia iocalia seu bona dicti collegii distrahantur seu vendantur, sed hic ordo servetur. Primo namque de pecuniis communibus thesauri, si quae fuerint, se substentet, quod si non sint vel non sufficiant, detrahantur collectae doctorum et bidellorum et aliae expensae extraordinariae, et eas quilibet solvat de proprio; deinde diminuatur numerus familiae et aliorum pensionariorum, demum vestiarium scholarium; quod si nec ista sufficiant, nec ideo diminuatur scholarium numerus, nec aliquis eorum exeat, sed quilibet de proprio, quantum erit sibi possibile, contribuat, et tandiu simul cohabitent, quandiu absque penuria vivere simul poterunt. Quod si tanta esset penuria, quod numerus tolerari non possit vel integrari, primo beneficiati, deinde graduati, demum alii minus pauperes, durante tali penuria, exire ipsum collegium teneantur, admittendi postmodum in locum pristinum, si suppetent facultates.

De redditibus superexcrescentibus quid sit agendum.

§ 8. Si vero, universa temporum varietate adveniente, prout saepe contingit, redditus et proventus dicti collegii, deductis omnibus, superexcreverint, eos in augmentum possessionum et redditaum communium dicti collegii applicari volumus

et converti; quod si tandem, clementia divina favente, aliquo tempore huiusmodi redditus et proventus adeo excreverint, quod ex eis posset numerus scholarium augeri, volumus et ordinamus, quod huiusmodi reddituum excrescentia, iuxta formam provisionis per nos annotatam superius et dispositam, in augumentum numeri scholarium convertatur: ita tamen quod, habita prius diligenti deliberatione cum toto collegio et eius visitatoribus, de quibus statuetur inferius, amplietur prius domus, et taliter aptetur, quod omnes intra ipsam domum et sub eodem regimine simul inhabitent: proviso semper quod remaneant redditus ampliores et introitus, quam ascendant expensae.

Scholarium Lemovicen. praesentatio Gregorio reservata, eiusque consanguineis.

§ 9. Caeterum nobis, quamdiu Christi gratia in humanis agemus, provisionem et dispositionem dictae domus, ac receptionem et institutionem scholarium, potestatem quoque supplendi, emendandi, addendi et pro nostrae voluntatis arbitrio commutandi, tollendi et augendi numerum praefatum ac omnia praemissa et subscripta omnifariam reservamus. Nobis autem, iuxta divinae permissionis beneplacitum, de praesenti luce subtractis, Ecclesiae Romanae cardinales, si qui fuerint, de genere nostro successive et gradatim unum post alium secundum propinquiorem gradum attinentiae in praesentatione dictorum scholarium nationis Lemovicen. volumus subrogari: quibus non extantibus aut deficientibus, ad comitem Bellifortis genitorem nostrum, et post eum ad vicecomitem Turen. germanum nostrum, deinde ad filios eiusdem vicecomitis, ac etiam eius nepotes naturales et legitimos masculos per rectam dumtaxat lineam descendentes, et illis non extantibus, ad eum, qui comes fuerit Bellifortis per lineam masculinam a progenitoribus nostris, auctore Altissimo, descensurus, eiusque liberos et nepotes naturales et legitimos per rectam dumtaxat lineam descendentes, eisque deficientibus, per Nicolaum Rogeri germanum nostrum et eius liberos ac nepotes naturales et legitimos per rectam et masculinam dumtaxat lineam descendentes: et demum, iis non extantibus aut deficientibus, ad proximiorem de nostro genere a progenitoribus nostris per masculinam lineam descendentem perpetuis temporibus dictorum scholarium Lemovicen. praesentationem volumus pertinere.

Italorum praesentatio quibus sit addicta.

§ 10. Eorumque praesentatorum institutio et examinatio ad episcopum Lemovicensem, qui pro tempore fuerit, vel, Lemovicensi sede vacante, ad episcopum Tutellen. perpetuo statuimus pertinere. Scholarium autem italicorum praesentationem ad quatuor doctores de terris Ecclesiae, vel, illis deficientibus, de locis aliis, qui pro tempore fuerint antiquiores, respectu scilicet lecturae non aetatis, actu Bononiae legentes, quorum duo sint doctores canonistarum, reliqui legum, et ad episcopum Bononiensem, qui etiam pro tempore fuerit, eorum examinationem et institutionem post nostrum obitum volumus perpetuo et irrevocabiliter devolvi. Quod si praefati doctores infra mensem praesentare quoquomodo distulerint aut concordare nequiverint, ad praesentandum ea vice non admittantur, sed ad rectorem et consiliarios dicti collegii pro illa vice devolvatur. Monentes, et attentius obsecrantes in Domino omnes et singulos praedictos iuxta fiduciam et spem plenam, quam de ipsis indubie gerimus, quatenus omni timore, amore, pretio vel odio postpositis, solum Deum habentes prae oculis, praesentent et instituant in ipso collegio scholares provectos, dociles et ad studium bene aptos, vitae et conversationis laudabiles, et bonis moribus commendatos, super quo eorum animas oneramus. Declarantes quod si is, ad quem spectabit praesentatio vel institutio Lemovicen., infra sex menses nullum destinaverit, quod rector et consiliarii, qui pro tunc erunt in dicto collegio, virum provectum et idoneum, ut praemittitur, possint undecumque in ipso collegio pro illa vice ad tempus recipere; qui quidem alteri destinato

postea per eum vel eos ad quem vel ad quos spectabit institutio, statim cedere teneatur alias de facto expellatur, mora quacumque temporum non obstante.

De cappella construenda et nomine collegii.

§ 11. Verum quia a spirituali pabulo sumere debent quaelibet pietatis opera fundamentum, quo reficiantur, praesertim clerici ad caelestem patriam operantes, statuimus, ut in loco congruo domus praedictae, qui divino magis aptus cultui videbitur, una cappella cum campanili, duabus campanis, quae per modum classis pulsare valeant temporibus opportunis, construatur, et sub vocabulo et festo Assumptionis gloriosae Virginis Mariae altare consecretur, totaque domus praedicta vocabulo domini Gregorii Papae suum titulum et nomen assumat, perpetuis temporibus Gregorianum Collegium nuncupetur.

De divinis officiis in eadem cappella peragendis.

§ 12. Pro sacris vero debitis mysteriis in dicta cappella congruis temporibus exequendis perpetuo esse volumus sex sacerdotes, statuentes quod singulis diebus saltem duae missae, quarum altera sine cantu de mane ante ingressum scholarium, etiam, si expedierit, in aurora, altera vero cum cantu Ecclesiae hora debita celebrentur, et earum alteram quilibet scholaris audiat.

Preces pro se in eadem cappella dicendas a sacerdotibus indicit Gregorius.

§ 13. Quamvis autem praefatos sex cappellanos ad celebrandum singulis diebus ultra duas missas non volumus adstringi; tamen ipsos et scholares, si qui fuerint in sacerdotio constituti, hortamur in Domino, ut diebus praesertim dominicis et festivis celebrationi missarum insistant; in qualibet vero missa, nisi obstet diei solemnitas, ad nostram directionem, quandiu vitam duxerimus in humanis, quotidie dicatur oratio: *Deus omnium fidelium...., famulum tuum Gregorium, etc.*, ac etiam singulis septimanis duae missae de *Sancto Spiritu* celebrentur. Post solutum autem nostrae naturæ debitum, simili modo pro anima nostra dicatur oratio: *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum Gregorium, etc.* et singulis septimanis duae missae peculiares de mortuis. Praeter hoc quoque iubemus, singulis annis die nostri obitus cum solemnibus vesperis, matutinis et missa de mortuis, quibus, iusta et evidenti (1) causa cessante, omnes tam scholares, quam sacerdotes interesse debeant, anniversarium pro anima nostra celebrari, et nihilominus quilibet sacerdos etiam scholaris dictae domus illa die missam de *Requiem aeternam* per se vel per alium; alii vero scholares non sacerdotes officium mortuorum submissa voce dicere teneantur.

De divinis officiis festivis diebus in eadem peragendis.

§ 14. Praeterea statuimus et ordinamus, quod diebus Paschalibus et aliis solemnitatibus, videlicet, in festo Nativitatis Domini cum duobus diebus sequentibus, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes et Corporis Christi, quatuor principalibus gloriosae Virginis Mariae festivitatibus ac Nativitatis Beati Ioannis Baptistae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, Sancti Michaelis, Sancti Benedicti et Sancti Martialis, Omnium Sanctorum et die sequenti, ac festo Sanctae Catharinae officium divinum celebretur, prout consuetum est fieri in collegiatis Ecclesiis, ac etiam tribus diebus maioris hebdomadae officium matutinum decantetur: quibus diebus et festivitatibus omnes scholares, iusto cessante impedimento, intersint et coadiuvent: absentes vero rectoris arbitrio puniantur.

De festo Assumptionis B. Virginis celebrando.

§ 15. Insuper permittimus quod in festo Assumptionis Virginis gloriosae quivis antistes seu praelatus in pontificalibus cum ornamentis, quibus in ecclesia sua uteretur celebrando, pro parte dicti collegii requisitus, possit absque alicuius licentia in praefata cappella solemniter celebrare, omnibusque ibidem existentibus verbum Dei possit illa die proponi, et ad divina officia in dicta cappella audienda tunc et alias, praeter illos de collegio, quivis mares dumtaxat, sine iuris alieni praeiudicio, convenire. Oblationem tam

(1) Leg. forsitan *evidenti impedimenti causa.*

scholarium et familiarium dictae domus, quam quorumcumque aliorum parochialibus Ecclesiis, infra cuius limites dicta domus existit, volumus applicari.

De officio vespertino.

§ 16. Insuper statuimus et volumus, quod singulis diebus vespertinum officium cum nota, et nihilominus sabatinis vigiliis Apostolorum, Evangelistarum et quatuor Doctorum Ecclesiae completorium cum nota in praedicta cappella per sacerdotes ipsius domus decantetur. Sed ad interessendum iis diebus nolumus scholares adstringi.

Aliae preces a scholaribus pro eodem Gregorio dicendae.

§ 17. Denique singuli scholares, quamdiu in praefato collegio moram traxerint, singulis diebus, quamdiu vixerimus, versum solum, *Salvum fac servum tuum*, cum oratione, ***Deus omnium fidelium, etc.***, et post mortem nostram psalmum ***De profundis clamavi ad te, etc.***, cum oratione, ***Deus qui inter apostolicos, etc.***, dicere teneantur. Item singuli non sacerdotes quolibet septimana septem psalmos poenitentiales cum laetaniis semel, sacerdotes autem quolibet mense unam specialem missam de *Sancto Spiritu* nobis viventibus, vel de *Requiem aeternam* nobis vita functis, et demum singuli scholares praefati integrum psalterium quolibet anno, quamdiu ibi erunt, dicere sint astricti.

De Confessione facienda, et sacramento Eucharistiae sumendo.

§ 18. Et quia in animam malevolam non ingreditur sapientia, nec in corpore subdito peccatis, ut eorum opera accepta sint Deo, volumus, quod scholares praefati ad minus ter in anno confiteantur, et bis communicent, aut saepius captatis temporibus, prout divina gratia suffragabitur eisdem, ad quod, si opus fuerit, per rectorem ipsius collegii compellantur.

Cappellanorum officium quale.

§ 19. Verum quia Dei ministros oportet irreprehensibiles et absque macula esse, statuimus et ordinamus, ut praefati sex sacerdotes vita ac moribus comprobati, praestita prius arbitraria cautione rectori et consiliariis de indemnitate, ac etiam praestito prius iuramento, quod iura, honorem et bona dicti collegii fideliter conservabunt, necnon statuta edita et edenda ad suum officium spectantia et obedientiam observabunt, per rectorem praefatum et consiliarios valeant assumi, ac etiam causa exigente depelli; qui quidem nedum spiritualia, sed et temporalia scholaribus administrare et etiam quotidiana officia ad mandatum rectoris exercere teneantur. Proviso tamen quod cappella divino officio non fraudetur. Quae omnia, ut diligentius et efficacius exequi valeant, prohibemus ne aliquam scientiam audire possint, nisi dumtaxat ab aliquo scholari horis congruis intra domum hora decenti. Praeterea libros, paramenta, calices et quaecumque ornamenta per nos dictae cappellae assignanda, ac etiam luminaria per ipsos sacerdotes seu aliquos ipsorum vel alterum, de quo, seu quibus rector seu praedictum collegium duxerint ordinandum, volumus debita diligentia custodiri, tradi quoque, ac praeparari, prout divinorum officiorum ministeria peragenda suaserint, et eis pro dignitate solemnium vel feriatorum dierum videbitur convenire.

De rectore singulis annis eligendo.

§ 20. Praeterea quia societas quaelibet absque rectore, sicut sine gubernatore navis facile deperiret, statuimus et ordinamus, quod ad prosperum regimen ipsius collegii singulis annis prima dominica vel die festiva mensis maii post celebratas electiones rector universitatis Studii Bononiensis, convocatis prius et congregatis scholaribus omnibus per rectorem antiquum ipsius collegii in loco ad hoc habili; qui quidem venire et ad electionem procedere teneantur sub poena periurii, ac praestito primitus iuramento in manibus antiqui rectoris, quod postposito omni amore, timore, precio vel odio, ad electionem procedent; illum una cum praefato rectore, qui duas voces habeat, eligant, quem credent sufficientem et idoneum ad officium et regimen collegii exercendum. Qui quidem vigesimum quartum annum aetatis suae attigerit, ac in collegio per biennium moram traxerit, suique de corpore collegii ac natione Ultramontana, idest Gallicae nationis, et is, omni exce-

ptione repulsa, pro rectore habeatur, qui a maiore parte, partium etiam comparatione minorum, electus fuerit, nec ad aliquam nostrae formam volumus eligentes adstringi; sed sufficiat, quod singulorum consensus per scriptas cedulas exprimatur, prout in electione eiusdem Studii est solitum observari; pari numero discordantibus electoribus, permittimus, quod tota die electionis ad alterum de electis accedere valeant discordantes, alias visitatores vel ipsorum maior pars infra biduum certificare teneantur, quem maluerint de electis. Assumptus autem, modo praemisso vel alias a maiori parte, officium non possit recusare sub poena privationis gratiae dicti collegii per totum illum annum.

Idem secundo anno non eligendus.

§ 21. Proviso tamen quod electus uno anno non possit anno immediate sequenti assumi, nisi consentientibus ex mera liberalitate duabus partibus ipsius collegii: qui autem, quocumque quaesito colore, procuraverit se eligi anno secundo immediate sequenti, sit perpetuo inhabilis ad quodcumque officium in dicto collegio obtinendum, et nihilominus electio sit eo ipso nulla: simili modo nulla sit electio alias idonea de eodem ad tertium annum facta; si autem casu occurrat, quo sic electum se absentare ex iusta causa oporteat, exposita per eum dicto collegio per octo dies ante recessum legitima causa absentiae, ac reddita primitus ratione de administratis per eum, permittimus, quod ipse cum consiliariis possit unum idoneum, qui eamdem potestatem habeat, ad duos menses tantum loco sui subrogare, quibus elapsis, vel etiam a principio exposito de maiori mora, fiat pro residuo anni illius electio nova, modo et forma supradictis.

De aetate admittendorum ad officia.

§ 22. Ad electionem vero praemissam vel alios tractatus seu officia collegii admitti nolumus, nisi illos, qui quartumdecimum aetatis suae annum attigerint, ut videlicet eorum vox suffragium aliquod afferat: singulos tamen volumus cum aliis vocari et admitti, ut ediscant et de negotiis domus notitiam habeant: quod si fuerit quaestio de aetate, stetur iuramento asserentium se annum quartum decimum attigisse, et idem in aliis casibus, in quibus de aetate quaestio orietur.

De consiliariis

§ 23. Verum quia quod a pluribus quaeritur facilius invenitur; statuimus etiam et ordinamus, quod singulis annis, expedita electione rectoris, eadem die vel immediate sequenti, per ipsum rectorem novum, qui duas voces habeat, et alios scholares eligantur per cedulas in manibus rectoris secrete porrectas quatuor consiliarii sufficientes et providi cuiuscumque nationis existant, et illi, nulla iuris forma observata, aut aliqua exceptione admissa, assumantur, qui plures voces habuerint, etiam comparatione minorum partium. Qui quidem toto illo anno sollicitam curam et fidelem collegii tam in spiritualibus quam in temporalibus una cum rectore habeant, nec pro absentia ipsorum electio nova, sed simplex subrogatio tantum per rectorem et reliquos consiliarios fieri debeat, proviso tamen, quod nullus horum possit duobus annis immediate sequentibus ad idem officium assumi, nec semel electus possit officium recusare sub poena privationis vestiarii totius anni.

De thesaurario.

§ 24. Post hoc autem, praestito prius iuramento per scholares in manibus rectoris, quod fidelem et idoneum thesaurarium assument, eadem die vel sequenti, eligatur eo modo, quo consiliarii, unus thesaurarius ultramontanus, idest nationis Gallicae, fidelis et expertus de numero scholarium, qui pecunias collegii modo inferius limitato fidelissime custodiat et distribuat.

Praefatorum officialium iuramentum.

§ 25. Praefatus vero rector sic electus in manibus rectoris antiqui nec non et consiliarii, ac thesaurarius in manibus novi ante ullam administrationem, praesente toto collegio vel maiori parte, tactis sacrosanctis Evangeliis, iurent, quod officium

suum bene et fideliter exercebunt, utilitatem, commodum et honorem collegii quaerentes; item quod statuta facta et facienda eorum officium concernentia pro posse observabunt, et etiam rectori successori et collegio legitimam et fidelem rationem reddent. Item demum iuret rector quod statuta rationabilia facta et facienda faciet inviolabiliter iuxta posse a singulis observari. Per hoc tamen iuramentum nolumus rectorem, eius pendente officio, ad poenam periurii obligari, nisi dumtaxat ad statuta, quae specialiter suum officium concernere dignoscuntur.

Officium rectoris quale.

§ 26. Ad officium quippe rectoris sic assumpti spectet dispositio tam spiritualium, quam temporalium rerum collegii, habito, cum opus fuerit, consilio et consensu omnium vel plurium consiliariorum, vel etiam in arduis consensu totius vel maioris partis collegii, nec non in casibus expressis in statutis, consensu saltem duorum visitatorum. Item exactio iuramenti quolibet anno post ipsius electionem immediate praestandi per singulos scholares de obediendo eidem rectori. Item exactio iuramenti praestandi per quemlibet scholarem de novo recipiendum.

Iuramentum a scholarib. praestandum.

§ 27. Cuius iuramenti forma seu capitula sunt haec: Scholaris quilibet, antequam incorporetur in collegio, praesente rectore vel consiliariis, iuret tactis sacrosanctis Evangeliis: primo, praesentia statuta edita et edenda rationabilia observare; item rectori suo in licitis et honestis obedire; item quod iura et bona collegii pro posse defendet et conservabit; item quod rectori bona fide revelabit omnia, quae sciverit eidem collegio notabiliter damnosa; item quod numquam contra collegium verbo vel facto dabit auxilium, consilium vel favorem per se vel per alium quocumque colore quaesito; item quod statutorum rationabilium collegii revocationem nullo modo procurabit, et iis tribus ultimis casibus contrafaciens, ipso facto periurii reatum incurrat, et ad haec tria ultima capitula iuranda et eorum poenam volumus etiam tres scholares Bononienses pensionatos assumendos iuxta formam infrascriptam adstringi.

Per horum statutorum inobservantiam periurii poena non incurritur.

§ 28. Volentes autem praedictorum scholarium animarum providere saluti, nolumus eos per hoc iuramentum periurii reatum incurrere horum statutorum vigore seu occasione, nisi dumtaxat in casibus, qui poenam periurii infligunt, vel nisi rector collegii mandaret expresse aliquid iuxta formam statutorum observari vel fieri sub poena periurii.

Ea vero bis in anno legi debent.

§ 29. Ne vero praetextu ignorantiae statutorum quis valeat excusari, mandamus, quatenus ipsa statuta de verbo ad verbum bis in anno, videlicet in festo Sancti Michaelis et in hebdomada sancta, praesente toto collegio, perlegantur, et nihilominus cuilibet de novo recipiendo statuta tradantur perlegenda, ut decernat quid debeat observare, et a quibus etiam praecavere.

Rectoris facultates quales sint.

§ 30. Praefatum autem iuramentum et diem receptionis cuiuslibet mandamus per rectorem in matricula in arca communi conservanda fideliter describi, ut per hoc de tempore morae singulorum, et fidelitate eorum notitia possit haberi. Item ad ipsum spectet correctio gravis et levis omnium scholarium et sacerdotum secundum qualitatem excessus ac potestatem sibi attributam horum statutorum vigore. Item ad ipsum rectorem tantum spectet expulsio, receptio et punitio etiam cum ligneis compedibus singulorum famulorum, nisi sint de gerentibus communem administrationem: in quorum receptione et administratione volumus consilium aliquorum de collegio adhiberi. Item singulorum cameras et alia quaelibet loca collegii saltem semel in mense iubemus per eum visitari. Qui quidem, si eidem videbitur expedire, capsas cuiuslibet faciat aperiri, resistentes gravi poena iuxta eius arbitrium compescendo. Praeterea ad ipsum rectorem cura collegii circa refectionem quotidianam spectare noscatur.

Quapropter statuimus, quod quocumque tempore, tam in prandio quam in coena et collationibus, temporibus opportunis et locis condecentibus fieri consuetis, tam diebus ieiuniorum, quam aliis secundum statutum patriae, et Studii Bononien. consuetudinem et morem consuetum per rectorem et non alium reguletur hora, nec aliquis absque ipsius mandato vel, eo absente, eius, qui primum locum obtinet post eum in mensa, et sui successive horam limitatam et consuetam immutare audeat: contrarium facientes pro qualibet vice semel pane et aqua utantur in tinello (1) coram aliis tunc recumbentibus: adiicientes quod singulis diebus facto signo primitus cum campana, ac praemissa benedictione mensae, legatur de Biblia vel Legendis sanctorum iuxta morem per minores scholares rectoris arbitrio deputandos.

De praecedentiis in mensa, et gratiarum actione post ipsam.

§ 31. Et ne sit contentio inter eos, quis eorum videatur maior, statuimus ut in mensa et alibi hic ordo servetur. Primum videlicet locum rector semper possideat, deinde graduati, si qui fuerint in concursu, primo graduatus, deinde scholares in dignitate constituti, si fuerint, demum scholares singuli secundum tempus et ordinem receptionis, nulla acceptatione habita. Salvo quod si aliquis ad mensam venerit aliis iam recumbentibus, in ea mensa, in qua sedere consuevit, sedeat ultimus, et nihilominus si in benedictione defecerit, ferculo careat, nisi iusta causa eum excuset. Sacerdotes vero serviant vel sedeant, prout rector duxerit ordinandum. Post gratiarum actiones continue, quamdiu vixerimus, dicatur oratio, *Deus omnium fidelium pastor, etc.*, cum versu, *Salvum fac servum tuum;* post nostrum vero obitum dicatur psalmus *De profundis*, cum oratione, *Deus qui inter apostolicos, etc.*

De conferentiis

§ 32. Denique, quia per frequens exercitium acuitur ingenium, statuimus, quatenus finitis gratiarum actionibus, quolibet die aestatis de mane, de hyeme vero iis diebus, quibus a lectionibus ordinariis cessabitur, fiat collatio vel disputatio per canonistas et legistas separatim ea forma et ordine, quibus rector duxerit imperandum, secundum quod dispositioni temporis, consuetudini studii et casibus occurrentibus videbitur convenire: permittentes, quod quicumque volens se exercitare, sive intra domum, sive extra, possit temporibus et horis congruis iuxta Studii generalis ritum legere et disputare, petita tamen prius a rectore licentia. Qui quidem, habito prius consilio cum aliquibus sufficientibus ipsius collegii, possit id concedere vel negare.

(1) *Tinellus, tinellum*, coenaculum.

De necessariis ad victum provisionibus et summa qualibet die expendenda.

§ 33. Insuper statuimus et ordinamus, quatenus per dictum rectorem, vel alium idoneum per ipsum et consiliarios deputandum, de redditibus et proventibus per nos ipsi collegio assignatis et assignandis fiant singulis annis provisiones in communi sufficientes pro scholaribus, sacerdotibus ac familiaribus de blado, vino, sale, oleo, salsis carnibus et similibus: et praeter hoc quolibet die pro carnibus vel piscibus et aliis consuetis quadraginta solidos Bononien. dumtaxat valeant expendi: nisi forsan contigeret numerum scholarium augeri, quo casu pro rata augeri valeat etiam hoc casu expensa, vel nisi temporis qualitas vel alia evidens necessitas amplius suadeat expendendum. Permittimus tamen diebus Paschalibus et tribus diebus carnis privii dictam summam posse duplicari: de qua quidem summa collegio memorato provideatur, prout ad vitam bene et honeste viventium videbitur convenire. Quod si forsan in capite anni aliquid supersit, volumus id communibus usibus et necessitatibus collegii applicari, proviso, quod scholares absentes etiam cum licentia nil percipiant, nisi pro collegii utilitate dumtaxat eos contingat abesse, sed totum in convenientem usum convertatur.

De vestibus, earumque uniformitate: nonnullisque aliis rebus, etc.

§ 34. Praeter victum autem memoratum volumus cuilibet scholari pro vestimentis pannum statuti consuetum deferri ibidem per scholares pro duabus lapsis

vel manicis, unam videlicet de mense aprilis, alteram de mense octobris per rectorem consignari, proviso quod singuli scholares omnino pannum in veste superiori eiusdem coloris deferant. Si quis autem praesumptuosus ita esset, quod pannum statuti in veste superiori alterius coloris, quam alii deferre tentaret, ipso facto toto anno expellatur. Pro reliquis vero vestimentis necessariis volumus cuilibet scholarium per rectorem vel thesaurarium tradi temporibus congruis et consignari, medietatem scilicet in festo Sancti Michaelis et alteram medietatem in festo Paschae octo ducatos aureos, et pro candelis studii duos ducatos. Ita tamen quod de omnibus rector, qui pro tempore fuerit, in vestiario et portione quotidiana et candelis habeat duplum. Item quilibet consiliarius ultra ordinarium habeat anno quolibet quatuor ducatos, thesaurarius vero ducatos sex pro eorum labore et distractione: statuentes et declarantes, quod scholaris ad gratiam collegii receptus, si infra festum Beati Ioannis Baptistae venerit, vestiarium et cappam, quae aliis dantur pro tempore aestatis, habeat, alias si post praedictum festum venerit, portionem vestiarii hyemalis expectet. Item statuimus de illo, qui infra festum Epiphaniae venerit, ut portionem suam hyemalem lucretur, alias expectet sequentem. Item expensam pro collectis doctorum ac bedellorum persolvendis, necnon pro torticiis (1) consuetis in praefato generali Studio certis festivitatibus deferri, volumus scholaribus suis temporibus tradi. Qui vero fraudem commiserit collectam non solvendo, vel oblationem seu cereum non portando, quod receperit, restituere compellatur, et nihilominus graviter puniatur: declarantes quod viginti solidos Universitati persolvendos per quemlibet in Studio supervenientem de novo, solvat quilibet de proprio. Quod si recusaverit, solvat pro eo incontinenti rector collegii, et eidem detrahat et recuperet de prima solutione vestiarii sui.

(1) *Bedellus,* apparitor, gall. *bedeau,* hisp. *mensaiero. Torticium,* fax, taeda, cereum, gall. *torche,* ital. *torcia.*

De cubiculis, eorumque ornamentis.

§ 35. Praeterea cuilibet scholari de novo recepto camera fulcita ad modum scholasticum de tribus scannis, uno disco cum rota quatuor librorum et lettica cum culcitra, pulvinari et lodice consignetur, et ista perpetuo expensis collegii manuteneantur. De aliis autem sibi pro libito provideat: proviso quod camera rectoris, qui pro tempore fuerit, perpetuo deputanda expensis collegii decenter de omnibus necessariis et opportunis fulciatur: statuentes, quod quilibet de rebus sibi consignatis cedulam propria manu scriptam rectori tradat: quae omnia in suo recessu etiam per subtractionem propriorum bonorum, si necesse fuerit, integre restituere compellatur.

De cubiculi optione.

§ 36. Et ne inter scholares pro cameris oriatur discordia, statuimus ut graduati primo ordine suo, demum antiquiores in receptione gratiae, nulla alia exceptione personarum habita, gradatim infra tres dies meliorem cameram vacantem optare valeant, ut demum ultimo recepto vel recipiendo relicta consignetur.

De medico, et diligenti infirmorum curatione.

§ 37. Insuper dignum arbitrantes et pium infirmis debere necessaria ministrari, ut in debitam sanitatem valeant restaurari, statuimus et etiam ordinamus, quod rector et collegium de bono medico experto et approbato diligenter sibi provideant expensis collegii, qui quoties fuerit expediens, visitare habeat cum summa diligentia scholares singulos, praecipue infirmitate gravatos, ac etiam sacerdotes et familiares dicti collegii: praecipientes districte rectori, quod quidquid legitime medicus pro scholari infirmo duxerit ordinandum, expensis collegii exacta diligentia iubeat ministrari: proviso semper, quod exigente necessitate, spiritualis servitor bonus et diligens expensis collegii ac etiam optima camera infirmo deputetur, vel, si maluerit, in loco ad hoc deputando, quae infirmaria nuncupetur, quam ex nunc mandamus in ipso collegio in-

stitui, durante infirmitate, valeat tolerari: mandantes etiam scholaribus universis, quatenus ante omnia advocent animae et salutis medicum, saepe et saepius confitendo: ad quod possint per rectorem ipsius collegii, ut praemittitur supra, compelli: ut post quam fuerit eisdem de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium salubrius procedatur, et in debitam sanitatem velocius instaurentur.

De pensionibus medici, aliorumque.

§ 38. Pro salario autem medici phisici, et si opus fuerit, chirurgici ac etiam barbitonsoris, conveniant cum eisdem rector et collegium, ponderatis facultatibus eorum, secundum quod dispositioni temporis videbitur convenire, et idem fiat de sacerdotibus et aliis quibuscumque pensionatis vel salariatis in dicto collegio, ita tamen, quod domus ipsa ultra modum debitum ex huiusmodi personarum inter positione seu ministeriis nimium non gravetur.

De funere et sepultura mortuorum.

§ 39. Praeterea statuimus et ordinamus, quod si aliquem scholarem intra collegium contingat ab hoc sæculo migrare, expensis propriis sepeliatur, secundum quod in extremis duxerit ordinandum. Si autem, quod absit, absque ulla dispositione extrema decedat, idem fiat secundum quod personae convenit, et propriae suppetunt facultates. Quod si in pecuniis pro tunc non habeat unde condecens expensa fieri valeat, mutuet rector de bonis collegii, et infra sex menses hoc parentibus intimato, ab eis repetat, quod fuerit mutuatum. Quod si infra dictum terminum non satisfecerint, rector usque ad summam debitam de libris ipsius recuperet. Si vero adeo pauper existat, quod in bonis penitus nil habeat, expensis collegii volumus sepeliri et expendi pro sepultura secundum quod rector et maior pars collegii duxerit arbitrandum: mandantes scholaribus et sacerdotibus universis, quod ipsum funus associare et portare ad ecclesiam teneantur, nec ab inde valeant recedere, donec traditum fuerit ecclesiasticae sepulturae: et nihilominus die ipsius obitus vel sequenti, ac etiam nona die duas solemnes missas *De requiem*, quibus scholares omnes et sacerdotes interesse teneantur, praecipimus intra collegium celebrari. Mandantes insuper, in virtute sanctae obedientiae, quod quilibet scholaris, etiam sacerdos, pro eius anima duas missas et totum officium mortuorum; alii autem non sacerdotes quater septem psalmos poenitentiales infra mensem dicere teneantur.

De obedientia rectori praestare.

§ 40. Caeterum quia inter opera caritatis pium est, iuvenes bonis moribus informare, et errantes saltem metu poenae ab erroribus revocare; praecipiendo mandamus dictis scholaribus et sacerdotibus universis, quod in licitis et honestis suo rectori humiliter obediant, nec eidem aut sibi invicem molestias etiam verbales inferant, contrafacientes acriter puniantur, satisfactione prius facta laeso.

Manus in alium iniicere cuilibet vetatur sub certis poenis.

§ 41. Si autem aliquis scholaris in scholarem vel sacerdotem aut familiarem communem administrationem ferentem in suo officio, aut alias, ratione officii, violentas manus iniecerit, pro prima vice vescatur pane et aqua illa die, pro secunda vescatur similiter duobus diebus: quod si tertio in idem inciderit, per rectorem et consiliarios ad tempus, secundum qualitatem excessus de consortio aliorum expellatur de bonis collegii, vel omnino interim percepturis, et nihilominus satisfacere de proprio compellatur; si vero sacerdotes in scholarem vel sibi invicem manus violentas iniiciant, statim expelli valeant, vel alias puniri, secundum quod rectori et consiliariis videbitur fore aequum.

Nonnulla scholaribus interdicuntur.

§ 42. Praeterea scholaribus ludum taxillorum expresse interdicimus. Item ne scholaris aliquo casu in publico vel privato cum mulieribus coreare praesumat vel pernoctare, aut hyemali tempore de nocte coenam absque expressa rectoris licentia extra domum suscipere, vel intra forensem, praecipue de nocte, in loco communi vel privato invitare, nisi prius habita rectoris licentia, ut praemittitur, interdicimus expresse. Item nullus praesumat cameram

sibi consignatam vel aliquem alium locum in aliqua sui parte sine consensu rectoris perforare vel immutare: qui contrarium etiam utiliter attentaverit, privetur illa camera, vel alias arbitrarie puniatur. Praeterea intra domum nullo modo etiam de rectoris licentia fiat festum regis, nec aliquis in camera sua, aliquo tempore de nocte vel de die, scholares congreget ad coreandum, cantandum vel pulsandum instrumenta quaelibet, nisi hoc contingeret fieri recreationis causa, puta, pro licentiato novo vel doctorato aut socio infirmo, et tunc de licentia rectoris; per hoc tamen non interdicimus quin singuli scholares absque alicuius praeiudicio vel impedimento instrumentis suis uti valeant moderate. Ulterius inhibemus, ne quisquam prandere aut coenare in camera sua, infirmitate cessante, nisi prius obtenta a rectore licentia. Item nec quisquam cellarium aut coquinam causa turbandi officiales, vel alias, nisi exigente iusta causa, ingredi valeat: contrarium facientes rectoris arbitrio puniantur. Adiicientes quod extra tinellum communem nulli de victualibus communibus aliquid ministretur, nisi secundum quod rector duxerit limitandum, vel nisi alia legitima causa aliud expostulet.

Alia mandata.

§ 43. Ulterius mandamus rectori, quod diligenter hora condecenti, videlicet in tertia campana noctis iubeat portam communem claudi, et de mane in campana diei et non ante aperiri, penes se continue claves de nocte retenturus, nec aliquis cuiuscumque status existat, post clausam ianuam, sine expresso mandato rectoris, ingredi domum valeat. Sed nihilominus is, quem iusta causa rectori nota non excusaverit, in crastinum in pane et aqua semel, ut supra, poenitentiam agat. Si autem aliquis, praecipue de nocte, per fenestram vel alium locum suspectum ingrediatur vel egrediatur domum, privetur per mensem omni commodo et gratia ipsius collegii; quod si secundo inciderit, privetur similiter per sex menses; si autem tertio excesserit, gravius puniatur.

De expellendis ob patrata crimina.

§ 44. Insuper, ne sine vindicta violentiae crescat audacia, et ne quidquam incongruum reperiatur, quod in scholasticæ honestatis gloria maculam inferat, statuimus et irrevocabiliter ordinamus, quod pro criminibus infra explicandis valeant scholares excludi a consortio collegii, hac forma penitus observata. Expellendus enim contra quem laborat infamia, per rectorem et alios providos de collegio, primo increpetur, et eidem, secundum exigentiam meritorum, poena imponatur: quod si secundo idem attentaverit, vocato toto collegio vel maiori parte et uno de visitatoribus, ac praemissa diligenti deliberatione, an sit tolerandus, vel eiiciendus, si deliberatum fuerit debere, eiiciatur, ac privetur gratia collegii perpetuo, vel ad tempus. Si vero tertio excesserit, quia contra talem sic frequentantem est praesumptio vehemens de incorrigibilitate, ne ovis morbida inficiat totum gregem, per rectorem et duos visitatores ac etiam totum collegium de facto absque ulla misericordia expellatur, nec ibidem tolerari vel de novo recipi valeat ulterius semel expulsus pro criminibus infrascriptis.

Crimina, ob quae debet quis expelli.

§ 45. Crimina vero, propter quae praemissa expulsio fieri possit, sunt haec: blasphematio Dei et Virginis gloriosae; vituperosa et frequens manus iniectio cum gladio vel aequivalenti instrumento in scholarem, sacerdotem vel familiarem in communi officio officiantem. Quod si enormis fuerit, pro prima vice expellatur. Item atroces iniuriae etiam verbales contra rectorem illatae, ita tamen, quod si quis eum violenter percusserit, pro prima vice expellatur, et nullo modo valeat reconciliari. Item detentio armorum offensibilium et defensibilium intra hospitium. Item fractio alicuius archae vel hostii intra collegium animo nocendi. Item furtum rerum communium collegii, usque ad valorem triginta solidorum; item furtum rerum privatarum usque ad valorem trium librarum Bononien. Istis autem duobus

casibus, si minus etiam usque ad unum solidum quis per se vel alium rapuerit, secundum quantitatem maiorem et minorem graviter et gravius puniatur, satisfactione semper praemissa. Item sacrarum monialium et virginum defloratio, et hoc casu pro prima vice. Item adulterium. Item continuae concubinae extra domum detentio, item introductio alicuius mulieris suspectae intra hospitium: qui autem non suspectam ex quavis causa introduxerit, ipso facto periurus sit et nihilominus graviter puniatur. Item seditionem seu zizaniam in collegio seminans, per quam ad scandalum vel conspirationem deveniatur. Item scandalum ponens in collegio cum effractione portarum vel dissipatione bonorum pro victu quotidiano.

Alii excessus simili puniendi poena.

§ 46. Praeter hoc etiam, ut a singulis de dicto collegio distractionis cuiuslibet tollatur occasio, per quam impediri posset, vel etiam retardari debitae perfectionis excursus; volumus, quod si aliquis ex scholaribus, etiam si graduati existant, officia vel procurationes quorumcumque suscipiant, per quae a studio retrahi valeant, quod iudicio rectoris et consiliariorum relinquimus extimandum, nisi moniti, ut praemittitur, omnino dimittant, eo ipso expellantur. Et idem de illo statuimus, qui, non obtenta a rectore licentia, per sex dies extra civitatem vel collegium permanserit, et idem de illo, qui etiam obtenta licentia, pro suis negociis absens, infra quatuor menses, iusta causa cessante, de qua fidem rectori et consiliariis teneatur facere, non revertatur: nisi forte pro collegii negociis ad Curiam vel alio missus esset: adiicientes, quod nullus scholaris per diem naturalem se absentare praesumat absque rectoris licentia; qui contrafecerit, in crastino hora prandii cum pane et aqua poenitentiam agat.

Aliae rectoris facultates.

§ 47. In casibus autem supra praemissis rector cum consiliariis et duobus visitatoribus possint ex nunc authoritate nostra ad expulsionem simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura iudicii, omni appellatione remota, procedere; eosque possit ipse rector cum consiliariis praeter hos casus, prout exegerint demerita, simili modo punire, condemnare, ac etiam super ipsorum moribus et vita, et de dictae domus regimine quotidiano disponere, ac alia facere, quae ad conservationem ipsius collegii, dummodo praesenti nostrae ordinationi non obvient, viderit expedire: proviso tamen quod quoties de expulsione alicuius scholaris in casu non expresso agetur imposterum, aut de quocumque negocio arduo, quod quidem an sit arduum vel non, rector et consiliarii ac quatuor scholares per eos assumpti discutiant et determinent, convocare et per duos dies antea avisare teneatur rector duos visitatores et totum collegium, et de consensu eorum aut maioris partis collegii, et non aliter, illud exequatur. Adiicientes, quod scholares omnes pro doctorando, licentiando vel mortuo associando vel alias rationabiliter per rectorem convocati ipsum sequi valeant: inobedientes vero eius arbitrio puniantur.

De administratoribus bonorum.

§ 48. Verum quia circa temporalium administrationem, ne propter insolentiam aut iniuriam praesidentis aliquid de bonis collegii depereat, diligens cura est adhibenda; statuimus ut per rectorem et totum collegium expensis eorum assumatur unus vel plures viri providi et discreti, utiles et experti, qui in praesentia collegii, præstito primitus, tactis sacrosanctis Evangeliis, iuramento, quod eorum officium fideliter exercebunt, omnes et singulos fructus, redditus in quibuscumque bonis vel rebus consistant, integraliter collegio assignabunt, ac fidelem et legitimam reddent rationem quaecumque bona apprehendendi, gubernandi, recipiendi, possessiones saepe et sæpius visitandi, provisiones ad mandatum rectoris debitis temporibus faciendi ac de receptis quietationem dandi, necnon de consensu rectoris et collegii quoscumque actus et contractus licitos tam temporales

quam perpetuos faciendi, celebrandi, exercendi in iudicio et extra plenariam habeant potestatem. In fine vero anni aut saepius, si rectori et maiori parti scholarium expediens videbitur, de omnibus receptis, gestis, datis et administratis rationem et computum plenarie reddere teneantur. Quod si rectori et collegio utiles et expedientes videantur sic assumpti, possint in dicto officio diutius tolerari, vel si ipsi rector et collegium maluerint, pro libito alios valeant loco eorum subrogare, ac etiam sacerdotes unum vel plures dicti collegii, quoties expediet, possint eis adiungere. Scholares tamen, ne eos diversa commissa negotia a fructu studii distrahere possint, volentes proficere, volumus si forsan urgente necessitate, et tunc de mandato rectoris expresso et non alias, circa hoc implicari. Mandamus tamen, quod quilibet scholaris infra annum a die suae receptionis visitare teneatur omnes possessiones et singula loca collegio applicata, sive sint intra civitatem sive extra, ut de ipsis singuli scholares plenam notitiam habeant. Quae quidem procurator collegii teneatur fideliter singulis praemisso modo manifestare.

De custodia pecuniarum.

§ 49. Bona autem seu redditus, ut praemittitur, recollectos, et intra vel extra collegium reconditos custodia, conservet et expendat, et iuxta temporis dispositionem pro necessitatibus collegii dispenset is, cui rector et collegium duxerit committendum. Qui quidem nil omnino possit alienare nisi de consensu rectoris et maioris partis collegii, nisi essent bona, quae servando servari non possent, et tunc possit hoc de rectoris licentia. Quod si in pecuniis existant, volumus eorum custodiam thesaurario consignari, ad cuius officium spectet dictas pecunias modo infrascripto diligenter custodire, ac summam, expensamque et rectam in libro computorum fideliter describere; qui etiam singulis diebus vel septimanis, iuxta consilium rectoris ac formam statutorum, pro quotidianis usibus collegii eis distribuat, necnon et quoties fuerit requisitus, plenariam et fidelem rationem reddat: eaque sufficienter reputare et exhibere in praesentia rectoris et consiliariorum quantitatem superstantem seu superessentem omnium pecuniarum in arca communi reponere teneatur.

De arca pecuniarum, eiusque custodia.

§ 50. Pro quarum pecuniarum et aliorum iurium collegii securiori custodia et conservatione constituimus et ordinamus quod intra collegium, in aliquo loco tuto, una arca seu capsa retineatur, et quatuor diversis clavibus claudatur, quarum unam rector, aliam thesaurarius, tertiam unus de consiliariis, quartam autem Bernardus Guidonus, quamdiu ibi erit, et, eo absente, aliquis scholaris fidelis ad hoc deputatus, teneat. In qua quidem capsa seu arca ab una parte stent omnes pecuniae collegii, quadraginta ducatis dumtaxat pro usibus quotidianis penes thesaurarium remansuris. Item sigillum commune, cum quo nil sigillari valeat, nisi de consensu totius vel maioris partis collegii, et lecta prius scriptura in communi, in qua, quoties expediet, rector nomine collegii se subscribat. Item ibidem omnia privilegia et originalia horum statutorum ac etiam omnia instrumenta et alia iura transcripta dicti collegii, servata hac forma, fideliter conserventur. Rector quippe, expensis collegii, ne contingat in aliquo eius iura deperire, omnia privilegia et instrumenta publica et authentica, cum subscriptione et auctoritate duorum tabellionum, transcribi faciat et exemplari, et de transcripto fiant duae copiae authenticae, quarum una penes ipsum rectorem, exhibenda in iudicio et extra, quoties fuerit opportunum; reliqua in dicta capsa perpetuo remansura. Originalia autem omnium praedictorum in sacristia fratrum Praedicatorum vel Minorum aut alibi, secundum quod rector et collegium duxerint ordinandum, custodienda reponantur, et nihilominus omnia praemissa sine authenticatione in uno libro vel in diversis per-

gamenis transcribantur. Qui quidem liber vel libri in libraria communi, sub catena et clavi, reponantur.

Quolibet anno de rebus collegii conficiendum inventarium.

§ 51. Insuper per rectorem et consiliarios singulis annis fiat inventarium publica manu scriptum de omnibus bonis et rebus tam mobilibus quam immobilibus, videlicet possessionibus, territoriis et quibuscumque aliis dicto collegio applicatis. Quod quidem in dicta communi arca recludatur, et etiam in libro pergameni copia transcribatur, ut sic, de bonis collegii praesentibus et futuris diligenter conservandis, clare notitia possit haberi.

Quolibet anno a rectore caeterisque officialibus reddenda de administratis ratio.

§ 52. Verum, ut praefata bona de bono in melius augeri et conservari valeant, statuimus quod anno quolibet, infra octo dies post creationem novi rectoris, consiliariorum et thesaurarii, rector antiquus ac thesaurarius cum antiquis consiliariis reddant rationem suam scriptam novo rectori et thesaurario, praesentibus consiliariis novis et tribus scholaribus, quos totum collegium duxerit eligendos. Quam quidem rationem scriptam seu librum rationum, ut per eum de quantitate annua expensarum collegii liqueat in futurum, volumus in arca communi exacta diligentia reservari. Post hoc autem incontinenti novis officialibus per antiquos cum instrumento publico omnes pecuniae, quae supererunt, et omnia superius enarrata in arca communi reposita, necnon et inventarium omnium bonorum cum clavibus dictae capsae super praemissis manualiter et integraliter consignentur: mandamusque saepedictum inventarium in personam novorum officialium renovari, additis in eodem omnibus quae de novo fuerint acquisita, ac deletis iis quae vetustate aut alias legitime fuerint consumpta.

Culpabilium officialium poena.

§ 53. Denique, sufficienti et legitima ratione exhibita, ac fideliter integra assignatione facta, ut praemittitur, necnon facta relatione, saltem summarie, praesente toto collegio vel maiori parte ipsius, de superessentibus, officiales non possint antiquos absolvere, et literas quietantiae dare de omnibus gestis et administratis per eosdem, et si, quod absit, praefati officiales antiqui in aliquo reperti fuerint culpabiles, debitores vel obnoxii, per subtractionem librorum vel aliorum bonorum ac alia iuris remedia, ante illam absolutionem, satisfacere et collegium indemne conservare cogantur per rectorem novum: et tunc demum absoluti, nullatenus ad aliquod officium amplius in dicto collegio assumantur.

De bibliotheca, librorumque custodia.

§ 54. Praeterea, circa librorum in armario seu libraria communi per nos deputandorum utilem, cautam ac solertem curam adhiberi volentes, statuimus et mandamus omnes libros in dicta libraria reponendos, cuiuscumque facultatis seu valoris existant, sub bonis clavibus perpetuis temporibus inchatenari, nec ab inde aliqua occasione vel titulo, etiam ad brevissimum tempus, per aliquem seu aliquos seu pro aliquibus personis, cuiuscumque conditionis, status vel præeminentiae existant, quocumque colore quaesito, possint inde extrahi seu dischatenari, nisi dumtaxat ligandi vel reparandi causa, aut etiam cum libro utiliori permutandi, et tunc id fiat de consensu rectoris et totius collegii duarum partium ipsius. Proviso quod liber ligatus seu reparatus, vel, ut praemittitur, cum utiliori permutatus, cessante omni dolo, quantocius fieri poterit, reponi debeat sub clavi in loco priori. Contrarium facientes et consentientes, ac scientes et non revelantes, pro prima vice expellantur perpetuo ab ipsius collegii consortio, et nihilominus damnum, si quod fuerit, per subtractionem omnium bonorum ac alia iuris remedia resarcire teneantur: decernentes etiam quemcumque contractum alienationis de quovis libro communi celebratum, praeter casum permutationis praemissum, nullius esse momenti: statuimus insuper quod ostium librariae duas claves diversas habeat, unam fortem cum forti clavatura, aliam vero condecentem: primam custodiant scholares singuli vicissim per mensem fideliter

et diligenter, secundum quod rector et collegium eos duxerit deputandos: ad cuius custodientis officium spectet singulis diebus, horis congruis et ordinatis, aperire librariam et claudere, ac semel in die diligenter investigare, et si expediat, referre rectori an circa libros vel eorum clavaturas sit aliquid innovatum, quod reparatione egeat. Clavem autem aliam dissimilem habeant singuli scholares, quibus, temporibus congruis et opportunis, ad librariam libere pateat aditus. Proviso tamen quod nullus forensis illuc ingrediatur, nisi praesentibus uno vel pluribus scholaribus de collegio: quae omnia, ut efficaciter observentur, et ut securior adhibeatur custodia, praecipimus ut scholares omnes, antequam clavem de manibus rectoris suscipiant, in manibus eius, specialiter tactis sacrosanctis Evangeliis, iurent de omni indemnitate ac fideli custodia circa librariam et singulos eiusdem libros conservandos adhibenda: mandantes denique sacerdotibus et aliis servitoribus quod, praecipue in scholarium absentia, circa librariam et alia bona domus conservanda diligenter invigilent, ac inhibentes expresse ne rector etiam cum collegio paramenta seu iocalia dicti collegii possit cuivis personae commodare, vel precario aut alio casu vel titulo tradere, sub poena periurii.

Perpetui visitatores deputantur.

§ 55. Caeterum, nolentes fructum utilem progredi solitum ex facultatibus generosis canonicae scientiae et civilis, propter actus reprobos aut desidiam praesidentis, retardari, quinimo ut, excusso negligentiae somno ac sedula cura interposita, praefati scholares, divina sibi cooperante gratia, valeant suis temporibus optatos fructus producere, ad continuam reformationem collegii praefati, tres visitatores, videlicet episcopum et archidiaconum Bononienses ac antiquiorem doctorem in lectura, non aetate, in iure canonico Bononiae legentem duximus ex nunc dicto collegio perpetuis temporibus deputandos, eos obsecrantes in Domino quod saltem semel quolibet anno, de mense septembris, aut saepius, si per maiorem partem collegii ipsos contingat evocari, ad ipsum collegium personaliter accedentes, rectoris desidiam, insolertiam, negligentiam seu etiam impotentiam favorabiliter supplere, ac ipsum et scholares discolos, lascivos et vagabundos, sine strepitu et figura iudicii, iuxta eorum demerita, corrigere, punire et condemnare valeant: nec non singulos scholares, si expediat, semel in anno examinationi subiicere, et indociles ac penitus ad fructum scientiae acquirendum inhabiles, de consensu rectoris et consiliariorum, ne frustra occupetur idoneorum locus, expellere valeant, servata forma in titulo *De expulsione* limitata: et demum, super vita, moribus et regimine quotidiano ipsius domus reformandi, supplendi et alia faciendi, quae pro utilitate, commodo et conservatione dicti collegii, dummodo praesenti nostrae ordinationi non contradicant, plenam concedimus facultatem. Quod si ipsi vel eorum aliquis nollent vel non possent, aliis occupationibus praepediti, huic visitationi intendere, loco episcopi Bononiensis, eius vicarium in spiritualibus; loco archidiaconi, universitatis Ultramontanae, scilicet Gallicae, rectorem; loco doctoris legentis in iure canonico, antiquiorem in iure civili actu legentem, volumus surrogari. Qui quidem pari modo visitare, et absentiam seu voluntatem praemissorum, pro illa vice, fideliter supplere teneantur. Porro mandamus hoc fieri absque expensis et oneribus collegii: proviso tamen quod ipsi visitatores honorabiliter recipiantur, et honorabilis collatio vel prandium, iuxta ritum patriae, ministretur eisdem.

Item protectores et defensores.

§ 56. Praeterea, ut dictum collegium, ad quod et ipsius incrementum summe afficimus, successivis temporibus de bono in melius prosperetur, speciales protectores seu defensores, videlicet episcopum Ostiensem vice-cancellarium Romanum, ac unum vel duos alios cardinales, si qui

sint de genere nostro vel de dioecesi Lemovicensi, successive duximus ipsi collegio deputandos, eos in locum nostrum, nobis, iuxta Dei beneplacitum, de praesenti luce subtractis, quoad collegii protectionem et defensionem, tenore praesentium, perpetuo surrogantes: ac concedentes eisdem, in omnibus et singulis quae ad reformationem et conservationem status ipsius collegii ac singulorum fuerint necessaria, commoda et opportuna successivis temporibus, plenariam potestatem. Attenteque rogantes eosdem, et in visceribus misericordiae Iesu Christi obsecrantes quod, iuxta fiduciam et spem plenam quam de ipsis gerimus, post nostrum obitum, ut praemittitur, praefatum collegium et scholares universos, in suis iuribus, iustitiis et negotiorum promotionibus, pietatis intuitu, efficaciter foveant, protegant et manuteneant, ac circa protectionem ipsius collegii adeo solerter invigilent et ulterioris caritatis affectibus attendant quod domus ipsa votivis crescat successibus ac feliciter in Domino prosperetur: ut, per hoc et alia pietatis opera, praemium adeo consequantur aeternum.

A collegio quolibet anno tribus scholaribus Bononiensibus alimenta tradenda.

§ 57. Verum civitatem nostram Bononiensem, in qua praedictum collegium fundatum extitit, favore ac benevolentia speciali volentes prosequi, et, ut eius potestas et antiani et alii cives ipsum collegium protegant, manuteneant et defendant, statuimus et etiam ordinamus quod antiani praedicti, qui pro tempore fuerint, de triennio in triennium, pro maiori rememoratione, de mense septembris, possint eligere tres scholares pauperes, dociles, cives Bononienses, in iure canonico studentes, qui eosdem vel alios rectori dicti collegii praesentare, quorum cuilibet rector et thesaurarius dicti collegii quolibet anno tradant et realiter assignent, extra collegium, quinquaginta libras bononienses, medietatem videlicet de mense octobris, et residuum de mense aprilis, nec aliquid commune amplius in collegio vel factis eius habeant. Salvo quod de iuramento praestando per eos superius est expressum. Qui quidem, si criminosi fuerint vel ad studium inhabiles, revocari valeant, et per dictos antianos alii loco eorum praesentari. Quod si infra quindecim dies eos praesentare neglexerint, episcopus Bononiensis eorum desidiam seu negligentiam de Bononiensibus supplere possit pro illa vice: pari autem numero, eis discordantibus, rector et consiliarii eiusdem collegii magis provectos recipere, vel, caeteris paribus, gratificare possint quibus maluerint, ultra (1) fraude adhibita.

Romanis Pontif. et S. R. E. cardinalibus ipsum collegium commendat:

§ 58. Denique cum spem firmam habeamus, quod, nobis in Domino quiescentibus, huiusmodi in vinea Domini sic plantata novi continuo palmites oriantur, qui uberes fructus et utiles toti orbi producant, per quos, Deo propitio, militans Ecclesia decorari poterit et insigniri, ac etiam reipublicae multa commoda provenire; idcirco nostros successores Romanos Pontifices ac collegium cardinalium Romanae Ecclesiae, praecipue legatos de latere in partibus illis vices Romani Pontificis gerentes, nec non omnes praelatos, barones, nobiles et quoscumque officiales Ecclesiae, qui pro tempore erunt inibi degentes, ac etiam universitatem Studii Bononien. in aspersione pretiosi Sanguinis nostri Salvatoris obsecramus, quatenus collegium praelibatum et singulas personas ipsius ac ipsorum iura, redditus et bona velint pro Dei reverentia et honore ac remissione suorum peccatorum habere propitius cum commenda, ipsumque suis auxiliis, favoribus et praesidiis confovere. Scholares quoque et sacerdotes ipsius collegii attente rogamus, ac paternis affectibus exhortamur, quod in timore Dei vitae et conversationis bonae firmum faciant fundamentum: sint constantes in studio, lectionibus assidui; et in proficiendi desiderio semper ardentes, ac lux lucernae in bonis operibus resplendentes, ut sic qui fructum et gradum sui laboris ex-

Scholaresque ipsos ad studia litterarum spiritualesque profectus excitat.

(1) Leg. f. *nulla*.

pectant, prius discant, quod doceant: sint continentia pudici, conversatione pacifici, dulces alloquiis, religiosi moribus, gestu graves; sint etiam caritate, dilectione et humilitate, si exaltari velint a Domino, inter se coniuncti: et qui maior est inter eos, evangelici persuasione consilii se reputet minimum: sit denique in visu eorum simplicitas, in auditu humilitas, claritas in intellectu, benignitas in vultu, sanctitas in mente, caritas in corde, ut sic vita proficientes pariter et doctrina, dignis attollantur honoribus in hac via, et mercedem a Domino repromissam consequantur in patria beatorum.

Clausulae.

§ 59. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionis, ordinationis, associationis, donationis, statuti, deputationis, rogationis, subrogationis, reservationis, obsecrationis et exhortationis infringere *etc.*

Datum Avinioni, quinto decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 18 decembris 1372, pont. anno II.

## XI.

*Humiliatorum Ordinis praepositos, quamvis ab Apostolica Sede de praepositurls provisos, correctioni et obedientiae Magistri generalis eiusdem Ordinis subiectos fore declarat.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae faciendi decreti. — 2. Decretum (*de quo in rubrica*). — 3. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Christoforo magistro generali Ordinis Humiliatorum, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Apostolicae servitutis nobis iniunctae desuper officium mentem nostram incitat et inducit, ut circa ea, quae pro statu prospero personarum sub religionis habitu vacantium studio piae vitae, ad perseverantiam divini servitii opportuna fore conspicimus, operosis studiis intendamus.

Causae faciendi decreti.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod licet omnes et singuli praepositi praepositurarum dicti Ordinis magistro generali ipsius Ordinis pro tempore existen. tam ex institutionibus eiusdem Ordinis per Sedem Apostolicam approbatis, quam etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine subesse noscantur et ad observantiam regularis disciplinae sint astricti; tamen nonnulli ex eisdem praepositis ex eo quod ipsi praeposituras, quas obtinent, a Sede Apostolica se asserunt impetrasse, a correctione et obedientia tua se subtrahere conantes, praetendunt se tibi in aliquo non subesse, nec teneri ad observantiam regularem in magnum eiusdem religionis opprobrium, et contemptum ecclesiasticae disciplinae: propter quod in ipso Ordine magnum generatur scandalum, et maiora exoriri exinde verisimiliter formidantur.

Decretum (de quo in rubrica).

§ 2. Quare pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate statuimus et etiam ordinamus, quod praepositi dicti Ordinis, qui sunt et erunt pro tempore, perinde subiecti et ad observantiam regularis disciplinae astricti existant, ac si eos per magistrum generalem dicti Ordinis pro tempore existentem seu eius auctoritate provisum seu electiones de ipsis factae eius auctoritate confirmatae extitissent.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, concessionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Avinioni, nonis ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 5 ianuarii 1373, pont. anno III.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

XII.

*Exemptio Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum a solutione decimarum, de proventibus et redditibus ecclesiasticis, per Sedem Apostolicam regibus et principibus, vel aliis, concessarum et concedendarum.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae exemptionis concedendae. — 2. Exemptio (*de qua in rubrica*). — Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro generali et fratribus B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, Ordinis S. Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Dum salubria laborum vestrorum studia, quibus vacatis assidue pro redemptione Christi fidelium, qui ab inimicis fidei orthodoxae miserabili captivitate detinentur, necnon multiplicia expensarum onera quae pro redemptione huiusmodi continue supportatis, diligenter attendimus, dignum reputamus et congruum, ut vos et loca vestra specialibus favore et gratia prosequamur.

Causae exemptionis concedendae.

§ 1. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod licet omnes fructus, redditus et proventus beneficiorum, domorum et aliorum locorum vestrorum, una cum eleemosynis, quae vobis a Christi fidelibus largiuntur (victu et vestitu vestris dumtaxat deductis), in redemptionem fidelium christianorum, qui per inimicos eiusdem fidei captivi detinentur, converti debeant et etiam convertantur, tamen cum decimas redituum et proventuum ecclesiasticorum regibus et aliis principibus concessas, levari seu exigi contingit, collectores decimarum huiusmodi vos ad solutionem seu praestationem decimarum ipsarum compellunt. Quare pro parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, de Calatrava et de Montesia domorum magistri et fratres a solutione seu praestatione decimarum ipsarum exempti sint penitus et immunes, vos, ut circa redemptionem captivorum ipsorum melius et liberius insistere valeatis, a praestatione seu solutione decimarum earumdem eximere de benignitate apostolica dignaremur.

Exemptio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur volentes vobis super hoc paterna solicitudine providere, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod vos de vestris introitibus ac beneficiorum, domorum et aliorum locorum ipsorum fructibus, redditibus seu proventibus praedictis decimam huiusmodi, cum ipsam quibuscumque regibus seu principibus aut aliis quibuscumque per Sedem Apostolicam concedi contigerit in futurum, solvere seu praestare aut in ea cum aliis personis ecclesiasticis contribuere minime teneamini, neque ad id a quoquam compelli possitis per literas apostolicas, sub quacumque forma vel expressione verborum concedendas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto et Ordine ac domibus vestris huiusmodi mentionem, devotioni vestrae auctoritate apostolica, de speciali gratia, tenore praesentium indulgemus, decernentes suspensionis, interdicti ac excommunicationis sententias, si quas contra vos vel aliquem vestrum, aut domus seu alia loca vestra praedicta, per quoscumque, occasione praemissa, ferri contigerit seu etiam promulgari, irritas et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum, constitutionum et inhibitionum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Avenione XVI kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 17 maii 1373, pontif. anno III.

## XIII.

*Declaratio et limitatio auctoritatis et facultatum cardinalis pro tempore protectoris fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci (1).*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Regularium Ordinum encomium. — 2. Et praecipue Ordinis Minorum. — 3. In ipsa regula mandatur ut fratres aliquem S. R. E. cardinalem in protectorem Ordinis petant. — Hic Ordo a Rom. Ecclesia semper cardinales protectores obtinuit. — 4. Iis vero suam potestatem nimium extendentibus, — 5. Interdicitur quidquam immutare de statutis in capitulis generalibus, provincialibus, *etc*: — 6. Officiales Ordinis instituere aut deponere: — 7. Quemquam ad gradum aut lecturam promovere, et promotum revocare: — 8. De loco movere: — 9, 10, 11, 12. Delinquentes punire vel absolvere, *etc.* — 13. Qua puniendi poena fratres quidquam ex allatis a protectoribus obtinentes. — 14. Adhortatio ad ipsos protectores.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Cunctos Christi fideles super quibus curam ex debito officii Summi Pontificis gerere obligamur, per praesidentes eisdem sic caritative sicque provide ac iuste cupimus gubernari, quod illi in viam mandatorum Domini dirigantur, et hi ex merito praesidialis solicitudinis, uberius supernae remunerationis praemium nanciscantur.

Regularium Ordinum encomium.

§ 1. Sed nos nimirum in illis desideramus ardentius et affectuosiori studio procuramus, quorum alii a mundanis abstracti, et gravibus poenitentiis dediti, caelestibus inhiant, et ad illa per contemplationis pennas suavius et altius elevantur ut aquilae, et cum Maria parte optima perfruuntur; alii vero sanctam solicitudinem Marthae sectantes, celebrationi divinorum vacant solertius; alii discunt et docent Dei scientiam, et alii plebem instruunt in eadem, aliique ferventioris spiritus ardore succensi, non timentes, sed amantes barbaras nationes, ad illarum conversionem pergunt intrepidi, ut valeant ad dominicam aream multos afferre manipulos, et de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem.

Et praecipue Ordinis Minorum,

§ 2. Hi profecto sunt fratres Minorum Ordinis in Dei Ecclesia multiplicibus splendoribus radiantes, quorum sonus praedicationis et sanctitatis opera, prae caeteris religionum professoribus, usque ad extremum terrae noscitur exivisse. Hi sunt, quos Deus numero multiplicavit et meritis, quibusque sicut et aliis bene currentibus in stadio militantis Ecclesiae aeternum bravium, quod certatim apprehendere satagunt, elargitur. Et propterea nos de ipsis digne curam vigilem gerimus, ut eos in his sanctis operibus nil impediat, nil perturbet, sed ipsi opportuna quietis dulcedine potiantur,

In ipsa regula mandatur, ut fratres aliquem S. R. E. cardinalem in protectorem Ordinis petant.

§ 3. Sane cum in Beati Francisci regula, cuius iidem fratres existunt, haec verba contineantur expresse, videlicet: Per obedientiam ad haec iniungo ministris ut petant a domino Papa unum de sanctae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. Iidem fratres existentes pro tempore, huiusmodi protectores dictae Romanae Ecclesiae cardinales successivis temporibus petierunt a Sede Apostolica, et etiam habuerunt.

Hic Ordo a Rom. Ecclesia semper cardinales protectores obtinuit.

Iis vero suam potestatem nimium extendentibus,

§ 4. Sed aliqui eorumdem protectorum putantes forte, bene et licite, a certis temporibus citra, suam potestatem nimium extendisse dicuntur in pluribus, ex quibus in ipso Ordine gravia perturbationes et scandala sunt exorta.

(1) Aliorum Ordinum protectores maiores his facultates non habent. Has ergo ponere satis esse arbitratus sum, ut caeteris Regularibus usui esse possint. *Cherubin.*

Interdicitur quidquam immutare de statutis in capitulis generalibus, provincialibus, etc.:

§ 5. Nos igitur, ut idem ordo in sua primaeva quiete remaneat, de virtute in virtutem eat assidue, et quibuslibet amotis praepediis, eradicatisque spinis et tribulis, fructum non solum consuetum, sed etiam uberiorem afferat, ad radicalem submotionem turbationum et scandalorum huiusmodi iam exortorum, et ne oriantur in posterum, providere, ac eiusdem ordinis protectoribus, qui erunt pro tempore (cum nullus sit ad praesens ordinis praefati protector) transgressionis suae potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupientes, auctoritate apostolica, eisdem protectoribus districtius inhibemus, ne praesumant quaecumque ordinata, statuta sive disposita, aut ordinata, statuenda seu disponenda per generalia vel provincialia aut custodialia capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, super ipsis, seu contra ea vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra praemissos articulos in praefata regula, ut praefertur, vel aliquem ipsorum existeret manifeste.

Officiales Ordinis instituere aut deponere:

§ 6. Aut quemcumque praelatum seu officialem dicti ordinis seu alicuius loci eiusdem, quocumque nomine nuncupetur, ponere seu instituere, aut deponere, destituere seu privare aut a suo officio suspendere seu impedire super eius libero exercitio quovis modo.

Quemquam ad gradum aut lecturam promovere, et promotum revocare:

§ 7. Aut aliquem fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum aut quamcumque lecturam seu studium vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere seu etiam revocare.

De loco movere:

§ 8. Aut de loco ad locum mittere aut mutare, sive alicui fratrum eorumdem eundi ad quodcumque monasterium vel locum alium aut dominium vel aliquam personam licentiam impertiri.

Delinquentes punire vel absolvere, etc.:

§ 9. Et ne insuper in quemvis singularem fratrem memorati Ordinis, de quocumque crimine vel delicto punire, vel a poena seu poenitentia liberare aut eam minuere, augere vel immutare.

§ 10. Aut etiam alicui fratri locum, cameram, cellam, libros vel alias res dicti Ordinis concedere vel eius usui deputare.

§ 11. Aut quaecumque per praelatos eiusdem Ordinis aut alios deputata quomodolibet amovere.

§ 12. Nec etiam de rebus aut correctione fratrum dicti Ordinis (nisi in casibus praemissis contentis in praefata regula seu eorum aliquo) se aliquatenus intromittere quovis modo, ita quod dictus Ordo seu fratres eiusdem Ordinis in nullo subsint futuris protectoribus nisi dumtaxat in casu quo ipsorum fratrum communitas vel generale capitulum, quod absit, a praedictis articulis vel eorum aliquo deviarent. Alioquin, si secus fecerint, id decernimus irritum et inane.

Qua puniendi poena fratres quidquam ex allatis a protectoribus obtinentes.

§ 13. Et nihilominus fratres, qui contra huiusmodi inhibitionem nostram quicquam impetrabunt, seu post inhibitionem huiusmodi utentur etiam per alios impetratis, puniantur illis poenis, quibus essent pro gravibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi, et sint nihilominus actibus privati legitimis, et a suis, si qua habent, suspensi officiis ipso facto.

Adhortatio ad ipsos protectores.

§ 14. Caeterum nos eosdem futuros protectores hortamur attentius, quod per facti efficaciam sic nominis sui officii procurent effectum, quod Ordo ipse per eos non laedatur in aliquo, sed potius ab adversis (si quando forsitan imminebunt) suo opportuno defensionis clypeo protegatur, et a noxiis praeservetur. Sic acturi proinde et aequitatis ac modestiae limites servaturi, ut non trahatur ad noxam, quod provisum extitit ad salutem; sed ex caritativis gestis eorum Ordo praefatus quietem et consolationem percipiat, et protectores magnum apud Deum praemium sortiantur, et super contrario non oporteat dictae Sedis providentiam aliud remedium adhibere. Nulli ergo, *etc.*

Datum apud Pontem Sorgiae Avenionen. dioecesis, sexto kal. iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 27 maii 1373, pontif. anno III.

## XIV.

*Quod officiales Status Ecclesiastici neminem cogant ad granum, ligna et similia, absque solutione iusti pretii, sibi deferendum.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 2. Obstantium derogatio. — 3. Poenae inobedientium.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Relevationi iniustorum gravaminum nostrorum subditorum, praesertim pauperum, providere pietatis studiis cupientes.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 1. Universis et singulis Apostolicae Sedis legatis ac vicariis gubernatoribus nostris, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum, etiam si sint Romanae Ecclesiae cardinales, thesaurariis et rectoribus generalibus, necnon rectoribus et marescallis, ac potestatibus, capitaneis, depositariis, iudicibus, castellanis et aliis quibuscumque officialibus nostris et eiusdem Ecclesiae, quocumque nomine nuncupentur, praesentibus et futuris, in civitatibus Bononiae et Perusii, earumque communitatibus et districtibus, necnon Romandiolae, Marchiae Anconae, ducatus Spoletani, Patrimonii Beati Petri in Thuscia, Campaniae, Maritimae et Massae Trabariae provinciis et aliis civitatibus, terris et locis dictae Ecclesiae immediate subiectis (quorum nomina haberi volumus praesentibus pro expressis), tenore praesentium districtius inhibemus, ne frumentum et alia blada, vinum, ligna, foenum, paleas aut res alias ad ipsorum, seu officialium, familiarium et hospitiorum suorum vel aliorum quorumcumque usum spectantia, per cives et incolas dictarum civitatum, communitatum, districtuum, provinciarum, terrarum et locorum, seu per ipsorum civium et incolarum navigia, currus aut animalia, gratis, sine iusto et integro naulo et praemio statim solvendo, deferri faciant seu compellant.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus statutis, constitutionibus, mandatis et consuetudinibus contrariis quibuscumque, quae per praesentes revocamus, cassamus et viribus vacuamus.

Poenae inobedientium.

§ 3. Nos enim, omnia et singula praecepta, damna, mulctas, condemnationes et alias poenas, si quae contra nostram huiusmodi inhibitionem, sint vel in posterum fuerint attentata, ex nunc decernimus irrita, et nullius penitus existere firmitatis. Et nihilominus omnes et singuli, qui contra nostram praedictam inhibitionem, sive ex sua temeritate, sive ex alieno mandato venire praesumpserint, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, conditionis existant, etiam si pontificali aut alia quavis fulgeant dignitate, praeter dictae Ecclesiae cardinales, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, et duplum eius, quod pro praedictis solvere debuerint, illis quos super praemissis gravaverint, restituere teneantur, nulla in hac parte remissione, directe vel indirecte facienda, eis aliquatenus valitura. Qua quidem sententia (cuius absolutionem Sedi Apostolicae specialiter reservamus) nullus possit absolvi, nisi satisfactio et duplum huiusmodi realiter fuerit primitus persoluta. Nulli ergo, *etc.*

Datum apud Pontem Sorgiae, Avenionensis dioecesis, decimo septimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 15 iunii 1373, pontif. anno III.

---

## XV.

*De scriptura literarum apostolicarum per scriptores iuxta distributionem secretariorum cito facienda, et inobedientium poena (1).*

SUMMARIUM

1. Scriptura literarum apostolicarum cito facienda. — 2. Poena inobedientium. — 3. Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Scriptura literarum apostolicarum cito facienda.

§ 1. Statutum per felicis recordationis Urbanum Papam quintum, praedecessorem nostrum, editum super scribendis apostolicis literis per scriptores literarum ipsarum existentes pro tempore, ex certis rationabilibus causis, modificantes, et poenas in eo appositas, cum periculosae forent nimium, penitus amoventes, universis et singulis scriptoribus earumdem literarum auctoritate apostolica praesentium tenore mandamus, quod literas de Curia et alias de nostro vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum mandato gratis scribendas, quae per nostros seu eorumdem successorum secretarios aut rescribendarium, qui pro tempore fuerit, distributionem eisdem fideliter infra competentem terminum eis per aliquem ex eisdem secretariis vel eumdem rescribendarium assignandum, cessante impedimento legitimo, quod secretariis distribuentibus minutas statim notificare debeant de bona litera; scribere vel per se vel per substitutos suos scribi, si eis concessum fuerit, quod per substitutos scribi faciant, non postponant, et postquam illas scripserint, ipsas mittant secretariis, qui minutas fecerint, nec expectent, quod super hoc ab aliquo requirantur.

Poena inobedientium.

§ 2. Alioquin contrafacientes emolumento officii scriptoriae per unum mensem absque remissione qualibet, quae per nos vel successores eosdem possit fieri, sint suspensi: et in hoc eiusdem rescribendarii, qui referentibus secretariis super hoc credere debeat, conscientiam oneramus.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, *etc.*

Datum apud Villam Novam Avenionen. dioecesis undecimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 22 iulii 1373, pontif. anno III.

## XVI.

*Religiosi cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, quamvis Sedis Apostolicae sint cappellani, eorum superioribus subiecti remaneant.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae ferendae legis. — 2. Declaratio (*de qua in rubrica*). — 3 Obstantium derogatio.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Per Romani Pontificis providentiam circumspectam, sic Sedis Apostolicae privilegia et indulta moderari dignoscuntur, quod in eis materia malignandi nulli detur, ac personae, quae sub religione vacare debent studio piae vitae, a bono obedientiae et perseverantia divini servitii nullatenus retrahantur.

Causae ferendae legis.

§ 1. Sane nuper ad nostrum relatione fide digna pervenit auditum, quod nonnulli religiosi, etiam Mendicantes, qui in cappellanos Sedis Apostolicae se recipi procurarunt, propterea bonum obedientiae et correctionem recusantes, per mundum, per plurimum sine suorum superiorum licentia, saepius evagando discurrunt, et quandoque ad Romanam Curiam accedunt, asserentes sine suorum superiorum licentia se hoc facere posse.

Declaratio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur in praemissis, prout ex debito tenemur pastoralis officii, salubriter providere cupientes, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, volumus et etiam ordinamus, quod omnes et singuli religiosi quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, dictae Sedis cappellani qui sint et in antea erunt, perinde eorum superioribus et correctoribus ipsorum in omnibus et per omnia sint subiecti, ac si praedictae Sedis cappellani non essent.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus exceptionibus seu exemptionibus et aliis quibuscumque privilegiis, indulgentiis, gratiis, literis apostolicis cappellanis dictae Sedis et alias

communiter vel divisim, sub quacumque forma et expressione verborum, a dicta Sede concessis et in posterum concedendis, etiam si de illis plena et expressa mentio de verbo ad verbum in praesentibus sit habenda, quae quoad hoc alicui in nullo volumus suffragari. Nulli ergo, *etc.* nostrae constitutionis, voluntatis et ordinationis infringere, *etc.*

Datum Avinioni, quinto idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 9 novembris 1373, pont. anno III.

---

## XVII.

*Quod Ecclesiarum praelati seu locorum Ordinarii occasione praesentationum et institutionum per magistrum et fratres S. Ioannis Hierosolymitani de personis idoneis ad beneficia curam animarum habentia factarum ab eisdem nil penitus exigant vel audeant extorquere* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Praesentati (*de quibus in rubrica*) ab episcopis gravati. — 2. Sanctio ad eorumdem indemnitatem. — 3. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Iustis petentium votis, illis praesertim, per quae religiosa et alià pia loca ac personae degentes in eis a gravaminibus releventur, libenter annuimus, illaque favore prosequimur opportuno.

Praesentati, (de quibus in rubrica), ab episcopis gravati.

§ 1. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum magistri et fratrum hospitalis Sancti Ioannis Ierosolymitani petitio continebat, quod licet eis a Sede Apostolica indultum existat, ut ipsi fratres presbyteros hospitalis eiusdem vel saeculares clericos ad regimen parochialium Ecclesiarum idoneos ad huiusmodi parochiales Ecclesias, quae ad ipsorum praesentationem pertinent, cum vacant, locorum dioecesanis seu aliis ordinariis pro vicariis perpetuis inibi instituendis, valeant praesentare; ipsique dioecesan. et ordinarii presbyteros et clericos ipsos, sic eis per eosdem magistrum et fratres legitime praesentatos, in vicarios perpetuos ipsarum Ecclesiarum sine difficultate qualibet instituere et investire teneantur; tamen iidem dioecesani dictos presbyteros et alios clericos idoneos cum eis ad easdem parochiales Ecclesias, cum vacant, per ipsos magistrum et fratres praesentantur, absque magnis pecuniarum quantitatibus sine causa rationabili instituere et investire differunt, et etiam contradicunt in animarum periculum, divini cultus diminutionem, ac magistri et fratrum praedictorum praeiudicium et gravamen; quare pro parte magistri et fratrum eorumdem nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de opportuno remedio dignaremur.

Sanctio ad eorumdem indemnitatem.

§ 2. Nos cupientes in praemissis paterna solicitudine providere, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis locorum ordinariis, qui sunt et erunt pro tempore, auctoritate apostolica praecipiendo mandamus, quatenus huiusmodi fratres, presbyteros et alios clericos, quos per ipsum magistrum et fratres ad easdem parochiales Ecclesiàs, quae ad ipsorum praesentationem pertinent, ut praefertur, eis contigerit legitime praesentari, dummodo iidem presbyteri et clerici ad regimen Ecclesiarum ipsarum fuerint idonei, in perpetuos vicarios Ecclesiarum earumdem, ad quas praesentati fuerint, ut praefertur, libere absque morae dispendio instituere et investire procurent: districtius inhibentes eisdem dioecesanis et ordinariis, ne deinceps ab eisdem magistro et fratribus ac presbyteris seu clericis eis taliter praesentandis, seu aliis quibuscumque personis, occasione institutionum seu investiturarum huiusmodi quocumque colore seu modo quaesito, aliquid exigere seu extorquere praesumant.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis infringere *etc.*

Datum Avinioni, kalendis martii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 1 martii 1374, pontif. anno IV.

---

## XVIII.

*De auctoritate et facultatibus munereque magistri generalis et aliorum praelatorum fratrum Praedicatorum Ordinis S. Dominici, gratiisque et privilegiis eiusdem Ordinis.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causae huius constitutionis. — 2. Magister generalis statim ac fuerit electus, Ordinis regimen assumit. — 3. Eius amotio ad definitores Ordinis spectat. — 4. Lectores ubique absque licentia doceant. — 5. In iis quae instituta Ordinis respiciunt ordinarii locorum se non immisceant. — 6. De priorum confirmatione. — 7. Vocalibus longe absentibus tempus non currit. — 8. Fratres absque examine ad ordines promovendi. — 9. De oratoriis. — 10. Tempore interdicti sacris possunt operari. — 11. Facultas prælatorum absolvendi fratres: — 12. Et fratrum ipsos absolvendi praelatos: — 13. Ac praelatorum absolvendi in ipsum Ordinem cooptandos. — 14. A nonnullis exempti declarantur fratres. — 15. Praelati Ordinis revocant fratres extra eum morantes. — 16. Idem demissis ad praedicandum, inquisitoribus, *etc.* — 17. Professi recedentes ab Ordine absque licentia coercentur una cum eos retinentibus: — 18. Item licentiati si ad strictiorem Ordinem non transierint: — 19. Item apostatæ ab Ordine. — 20. Eiecti vel egressi ab Ordine non praedicent, nec in aliis Ordinibus recipiantur. — 21. Habitus similis aliis interdictus. — 22. Ordo Praedicatorum a decimis exemptus. — 23. De bonis Ordinem profitentium. — 24. Sepultura in locis Ordinis cuique libera. — 25. Caetera defunctis per ipsos Ordinis fratres praestanda. — 26. De confessionibus faciendis. — 27. Libertates nonnullae Ordini conceduntur. — 28. Exemptio a quacumque solutione vel onere. — 29. De translatione bonorum et domibus dimittendis. — 30. Exemptio a subventione legatorum, *etc.* — 31. Exemptio a iudiciis ordinariorum. — 32. Attentata in contrarium irritantur.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, prioribus et fratribus universis Ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Virtute conspicuos sacri vestri Ordinis professores, qui contemplationi caelestium ferventer invigilant, et piae vitae studio sine intermissione desudant, decet per apostolicae circumspectionis auxilium sic provide dirigi et solicite confoveri, ut, alicuius praetextu calumniae, nullum internae pacis excidium nullumque religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur et vigorem habeant, per quae circa cultum divini Nominis devotis et quietis mentibus invalescant.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Hinc est quod cum, sicut nobis exponere curavistis, tu, fili magister, et praedecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem observatam hactenus, ac a Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum praedicti constitutiones Ordinis extitistis, fratrum ipsius curam gesseritis, magisterii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque fratres vobis devote ac humiliter obedierint et intenderint reverenter, ac in eodem Ordine sit statutum, ut magister ipsius, qui pro tempore fuerit, a magisterii officio amoveri valeat a definitoribus capituli generalis;

Magister generalis statim ac fuerit electus, Ordinis regimen assumit

§ 2. Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum praefatae Sedi immediate subiectum, a Sede approbatum eadem, honestate floridum, praeclarum scientia et virtute fœcundum, privilegio apostolicae gratiae attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestrae ad instar felicis recordationis Bonifacii VIII et Benedicti XI Roman. Pontific., praedecessorum nostrorum, ut successores tui, fili magister, qui

erunt pro tempore, statim postquam electi secundum constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri eiusdem Ordinis magistri effecti, curam animarum fratrum ipsius Ordinis plene habeant et libere gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare ac solvere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quae ipsi et praefati Ordinis difinitores, iuxta praedictas constitutiones, eisdem Ordini et fratribus secundum Deum viderint expedire, aliasque possint officium magisterii licite in omnibus exercere, iidemque fratres tibi magistro et successoribus tuis devote et humiliter obediant et intendant;

Eius amotio ad definitores Ordinis spectat.

§ 3. Et praefati successores et tu, magister, a definitoribus capituli generalis Ordinis ipsius, secundum Ordinis constitutiones eiusdem, absolvi et amoveri possitis, auctoritate apostolica indulgemus; ratum habentes et firmum quicquid super praemissis per te, magister, dictosque praedecessores, fratres et definitores factum et observatum est hactenus, concessa tibi exequendi magisterii officium, quoad praemissa omnia et alia, libera facultate.

Lectores ubique absque licentia doceant.

§ 4. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundum constitutiones ipsius Ordinis conventibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine alterius cuiuscumque licentia, libere in domibus praedicti Ordinis legere et docere valeant in theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget Studium generale ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus, ut magister incipere solemniter consuevit.

In iis quae instituta Ordinis respiciunt ordinarii locorum se non immisceant.

§ 5. Et licet episcopis et dioecesanis debitam et devotam obedientiam impendatis, nolumus tamen, quod circa instituta, et praecipue super institutione et destitutione priorum eiusdem Ordinis, ex hoc praeiudicium aliquod incurratis.

De priorum confirmatione.

§ 6. Quando vero in aliquo capitulo vel conventu vestri Ordinis, de provinciali vel conventuali priore occurrerit electio facienda, si ex aliqua causa factam electionem a fratribus eiusdem Ordinis, quorum interest, non contingat forsitan confirmari, superior ad quem confirmatio electionis huiusmodi pertinet, aliquem de illis fratribus, quos ipsi electores vel maior pars eorum per litteras suas ab eo petierint, quando ad ipsum pro electi confirmatione transmittunt, eis de nostra licentia concedere valeant priorem.

Vocalibus longe absentibus tempus non currit.

§ 7. In electionibus quoque eorumdem magistri et priorum provincialium ipsius Ordinis, fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare (cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire), tempus super hoc statutum a iure non currat, nec ipsi in hac parte iuris regulis coarctentur.

Fratres absque examine ad ordines promovendi (1).

§ 8. Et quia eiusdem Ordinis fratres de locis ad loca ipsius Ordinis saepius transmittuntur, propter quod stabilem et perpetuam in certis et determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos et idoneos ac probatos a vobis fratres facitis ad Ordines promoveri, liceat vobis ordinandos fratres eiusdem Ordinis, quibuscumque malueritis catholicis pontificibus, communionem et gratiam Apostolicae Sedis habentibus, praesentare, ipsisque pontificibus praesentatos a vobis fratres, sine qualibet examinatione per eosdem pontifices facienda, et absque omni promissione vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum, ad Ordines promovere.

De oratoriis.

§ 9. In locis autem in quibus degitis, liceat vobis habere oratoria, in quibus cum altari portatili possitis missarum solemnia et alia divina officia celebrare ac etiam recipere ecclesiastica sacramenta.

Tempore interdicti sacris possunt operari (2).

§ 10. Cum generale interdictum fuerit, in Ecclesiis et oratoriis vestris et aliis quibuscumque, cum ad loca perveneritis ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis et submissa voce, liceat vobis celebrare divina et eccle-

(1) Hoc revocavit Concilium Trident., sess. 7, c. 11, et sess. 21, c. 12. (2) Attende Concil. Trident., sess. 25, c. 12.

clesiastica recipere sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis specialiter interdici, nec Ecclesiae vel oratoria ipsa fuerint specialiter interdicta. Iis vero, qui in vestris morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possitis ecclesiastica sacramenta, et ipsos, cum decedunt, in vestris oratoriis sepelire. Si quando autem in terras, in quibus residetis, vel earum personas, excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris servitiis deputati, negociorumque vestrorum procuratores et operarii, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continue institerint, huiusmodi sententiis obnoxii minime habeantur, ibique possint audire divina, iuxta formam, quae locis ipsis eo casu a Sede Apostolica est concessa, nisi eisdem causam dederint, vel excommunicari specialiter seu interdici contingat eosdem. Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio, bonos ad potiora dirigitis, et errantes in rectitudinis semitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris libere commorari et ab eis, tunc etiam quando vos vel ipsos transire contigerit, necessaria vitae deposcere ac recipere valeatis.

Facultas praelatorum absolvendi fratres.

§ 11. Magister quoque et singuli priores, provinciales et conventuales ac vices eorum gerentes in provinciis et conventibus ac locis sibi commissis pro dictis fratribus constitutis ibidem, necnon et fratribus aliis eiusdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus undecumque, absolutione et dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint Ordinem, sive post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrerint sententias a iure vel a iudice generaliter promulgatas, et huiusmodi sententiis innodati aut in locis suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes vel suscipientes ordines sic ligati notam irregularitatis incurrerint, absolutionis et dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi adeo gravis fuerit et enormis excessus, quod sint ad eamdem Sedem merito destinandi.

Et fratrum ipsos absolvendi praelatos:

§ 12. Fratres etiam vestri quos pro tempore, vos magister et priores, tam provinciales, quam conventuales, necnon et vices vestras gerentes, in proprios habueritis confessores, absolutionis et dispensationis beneficium vobis (cum expedierit) valeant impartiri iuxta formam concessionis super absolutione et dispensatione fratrum eiusdem Ordinis superius vobis factae.

Ac praelatorum absolvendi in ipsum Ordinem cooptandos.

§ 13. Ad haec, volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis aut interdicti vel excommunicationis sententiis a iure vel a iudice promulgatis, generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium (observata forma canonica) impartiri, ipsosque in fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum vel professionem emissam, recoluerint se talibus in saeculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam, vos magister et singuli priores, provinciales et conventuales, ac vices vestras gerentes, valeatis absolvere, et cum irregularibus dispensare, si forsitan talibus innodati sententiis vel in locis interdicto suppositis, divina praesumpserint officia celebrare vel ordines susceperint, ita tamen, quod si aliqui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sint adstricti, satisfaciant ut tenentur. Cæterum vestra discretio caute provideat, ut Apostolicae Sedis, legatorum ipsius et ordinariorum locorum, in absolutionibus huiusmodi scandalum evitetur.

A nonnullis exempti declarantur fratres (1).

§ 14. Porro quieti vestrae providere volentes, quod per literas Apostolicae Sedis, aut legatorum seu delegatorum ipsius, conveniri a quoquam minime valeatis, et quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inviti per literas ipsius Sedis de caetero impetrandas; quodque nullus vestrum correctionis seu visita-

(1) Quoad publicationem excommunicationis, Vide Concil. Trid., loc. cit.

tionis vel inquisitionis officium, monasteriis vel Ecclesiis, sive quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium et denunciationes sententiarum interdicti et excommunicationum procedere, aut recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum teneatur, per apostolicas literas impetratas et in posterum impetrandas, nisi huiusmodi apostolicae literae de hoc indulto et Ordine vestro expressam fecerint mentionem, auctoritate vobis apostolica indulgemus. Concedimus etiam, ut ad visitandum aliqua monasteria monialium cuiuscumque Ordinis compelli aliquatenus non possitis, aut recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executiones vel alia contingentia causas ipsas, per literas praefatae Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis, sive per legatos vel delegatos ipsius. Nullus insuper archiepiscopus vel episcopus, nullusque alius praelatus ecclesiasticus, vel eorum vicarii vel officiales, ad portandum vel deferendum literas, vel exequendum aut denunciandum sententias contra principes saeculares, communitates, populos seu quoscumque benefactores vestros, nullusque delegatus vel ordinarius iudex, ad faciendum citationes vel commissiones recipiendas, sive quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alia lites et controversias contingentia, in causis, quae coram ipsis tractantur, quemquam vestrum compellere valeant, sine praedictae Sedis mandato et licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionem, nec quisquam vestrum parere vel intendere teneatur super his monitionibus et mandatis aut iussionibus eorumdem, aut facere vel implere, quod in hac parte duxerint iniungendum.

Praelati Ordinis revocant fratres extra eum morantes (1).

§ 15. Caeterum magistri et singuli priores, provinciales, atque ipsorum vicarii, illos ex fratribus, de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicae vel legatorum ipsius, archiepiscopis et episcopis vel aliis quibuscumque provisum extitit, vel in posterum contigerit provideri, corrigere, ac, non obstante contradictione aliqua, possint ad suum Ordinem revocare, nec per literas eiusdem Sedis, seu legatorum ipsius iam de caetero obtinendas, aliquos de fratribus ipsius Ordinis, praefatis archiepiscopis et episcopis aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictae literae apostolicae obtinendae de indulto huiusmodi et ordine ipso expressam fecerint mentionem, et alias id honestati Ordinis et illorum saluti viderint expedire. Nullus autem legatus, nisi de latere nostro missus auctoritate literarum Sedis Apostolicae specialem de hoc indulto et Ordine vestro non facientibus mentionem, nullusque praelatus, aut aliqua persona religiosa vel saecularis, de fratribus eiusdem Ordinis, seu cardinalis Romanae Ecclesiae, ad sua seu Ecclesiae negocia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeant, nisi quos magister vel prior provincialis ipsorum tamquam idoneos et discretos sibi duxerint assignandos, quos etiam volumus subiacere Ordinis disciplinae.

Idem de missis ad praedicandum, inquisitoribus, etc.

§ 16. Illos vero Ordinis ipsius fratres, qui ad praedicandum Crucem vel inquirendum contra haereticam pravitatem, seu ad alia huiusmodi negocia sunt vel fuerint deputati ubicumque a Sede Apostolica, tu, fili magister, tuique successores removere seu revocare et penitus transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere, cum expedire videtis, licite et libere valeatis, ac in eos, si contravenerint, censuram ecclesiasticam exercere; ac quilibet prior provincialis, vel eius vicarius eiusdem Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus literis vel indulgentiis apostolicis impetratis vel in posterum impetrandis, quae de hoc non fecerint mentionem.

(1) Hoc etiam statuit Concil. Trident., sess. 25, c. 4.

Professi recedentes ab Ordine absque licentia coerceantur una cum eos retinentibus:

§ 17. Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ordine vestro factam ab ipso Ordine sine magistri vel sui prioris licentia discedat: discedentem vero absque cautione literarum alterius ipsorum, praetextu alicuius privilegii Apostolicae Sedis, nullus audeat retinere. Quod si forte retinere praesumpserit, vobis, magister et singuli priores dumtaxat, et vestris vicariis licitum sit in ipsos discedentes fratres excommunicationis sententiam promulgare: detinentes vero eosdem secum vel in monasteriis seu Ecclesiis suis (nisi eos eiecerint) postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiae volumus subiacere: non obstante quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem.

Item licentiati si ad strictiorem Ordinem non transierint:

§ 18. Si vero aliqui de fratribus vestri Ordinis, post obtentam licentiam a Sede praedicta, aut a vobis, ad religionem aliam transeundi, infra duos vel tres menses se ad illam religionem suae saluti congruam non contulerint et ipsius non susceperint habitum regularem, licitum sit vobis singulis, magistro et prioribus, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos tamquam contra alios vestri Ordinis apostatas procedere, secundum quod honestati dicti Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis, infra tempus probationis, nulla professione facta, inde praesumpserint resilire, aut etiam si post professionem huiusmodi ad religionem laxiorem seu mitiorem Ordinem transierint, vel (quod absit) ad saeculum revertantur, vos volumus contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere.

Item apostatae ab Ordine.

§ 19. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare et alias subdere disciplinae rigori possitis, per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu contigerit eos inveniri, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis.

Eiecti vel egressi ab Ordine non praedicent, nec in aliis Ordinibus recipiantur.

§ 20. Inhibemus etiam, ne fratres quos ab Ordine vestro pro suis culpis, per magistrum vel priores ac eorum vicarios expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, praedicare, confessiones audire, seu docere praesumant, nisi ad alium Ordinem in quo licite huiusmodi exerceantur officia, transierint, de nostra vel magistri, seu prioris vel vicariorum ipsorum licentia speciali. Quod si forte ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquid super praemissis temere attentare praesumpserint, vos magistri et singuli priores vel vestri vicarii, in illos, quos infra fines praedicationis suae, iuxta consuetudinem Ordinis vestri distractos inveneritis talia perpetrantes, monitione praemissa, auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeatis promulgare. Eiectos autem de Ordine vestro vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, et alios fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos (praeterquam ad B. Augustini, Hospitalariorum et aliorum religiosorum arma portantium) ad vitandam occasionem evagandi, vos, magister et singuli priores seu vestri vicarii, cum testimonialibus literis, auctoritate nostra, licentiandi liberam habeatis facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere seu retinere praesumant, absque licentia speciali Sedis Apostolicae faciente de hoc plenariam mentionem.

Habitus similis aliis interdictus.

§ 21. Inhibemus etiam, ut nulli, sive sit in religionis Ordine sive extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ita consimilem, quod propter eum frater Praedicator credi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicae speciali. Et ut dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus, ut hi, qui habitum vestrum aut sibi similem praedicto modo deferre praesumpserint, ad

deponendum ipsum per dioecesanos locorum (cum a vobis requisiti fuerint), monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur.

Ordo Praedicatorum a decimis exemptus.

§ 22. Caeterum, cum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terrae nil praeter domos et hortos cum virgultis, praemiorum obtentu coelestium, duxerit reservandum, nos pie volentes, quod illorum fructus vestrae paupertatis usibus applicentur, ut de dictis hortis et virgultis vestris nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate praesentium indulgemus, districtius inhibendo, ne quis a vobis de præmissis aliquid exigere vel extorquere praesumat.

De bonis Ordinem profitentium.

§ 23. Quia vero nonnulli vestrae religionis habitum assumentes, diversis personis, quae sciri et inveniri non possunt, aliqua bona restituere interdum tenentur, vobis magistro et prioribus ac vicariis prædictis concedimus, quod singuli vestrum, in locis sibi commissis, bona ipsa in pios usus convertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire.

Sepultura in locis Ordinis cuique libera.

§ 24. Sepulturam quoque in locis, cœmeteriis et ecclesiis vestris concedimus, et eam liberam esse censemus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri desideraverint (nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publice usurarii fuerint), nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Caetera defunctis per ipsos Ordinis fratres praestanda.

§ 25. Districtius inhibentes, ut nulli religiosi vel saeculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris coemeteriis sepelire, aut in ecclesiis vestris missarum solemnia vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare sine vestro assensu et voluntate praesumant.

De confessionibus faciendis.

§ 26. Inhibemus insuper universis fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum, alii quam praelatis suis peccata sua confiteri praesumant, nisi necessitatis urgente articulo, vel nisi forsan magister vel prior proprius alicui fratri dederit fratri alteri eiusdem Ordinis licentiam confitendi.

Libertates nonnullae Ordini conceduntur (1).

§ 27. Universis autem Ecclesiarum praelatis et aliis inhibemus, ne confessiones vestras, vobis invitis, audire, vel compellere vos ad synodos, seu convocationes suas accedere, vel cum eis extra civitatem vel intra processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, vel capitula, scrutinia vel inquisitores in locis vestris, vel alibi, de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, et annualem (2) obedientiam a prioribus et superioribus vestris exigere, aut de ipsorum institutione vel destitutione sive de statutis vestri Ordinis se aliquatenus intromittere, seu prohibere ne ad civitates vel villas ubi religiose et honeste commorari possitis, a populis evocati, audeatis accedere, ibique pro vestris usibus construere ædificia, ecclesias seu oratoria, aut in accedentes fratres, seu construentes huiusmodi, vel receptatores ipsorum, excommunicationis sententiam ferre praesumant.

Exemptio a quacumque solutione vel onere.

§ 28. Concedimus quoque vobis ut de illis quae in ornamentis vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo sive aliis ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis aut victu ad sustentationem vestram vel indumentis, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quarum solutionem aliquae domus vestri Ordinis obligari noscuntur, vel de domibus, praediis et hortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de his, quae pro huiusmodi domibus, praediis, hortis et locis emendis vobis legantur (dummodo praemissa non convertantur in alios usus, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur), aut alios etiam qui in hac concessione vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum seu decedentium haeredibus, de

(1) Vide Concilium Trident., sess. 25, c. 13.
(2) Ripoll hic legit *manualem*.

praemissis, aut de his, quae vobis in ultimis voluntatibus absolute legantur vel alias pro vestris necessitatibus conferuntur, aliquid exigere vel extorquere praesumat, districtius inhibemus.

De translatione bonorum et domibus dimittendis.

§ 29. Ad haec liceat fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam aedificia seu omnem aedificiorum materiam locorum, quae dimittunt (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis), quam libros, calices et paramenta, secum ad alia loca transferre, ac aedificia ipsa cum solo et aliis ad eadem loca pertinentibus, praeter Ecclesias, vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad quae dicti fratres se transferunt, aedificationem seu alias in eorum utilitatem convertere, secundum quod eis videbitur melius expedire. Et ne aliqui archiepiscopi vel episcopi aut alii Ecclesiarum praelati seu quaevis alia persona ecclesiastica vel saecularis, praedicta loca seu bona occupare, accipere vel usurpare aut quoquo modo sibi vindicare praesumant, absque dictae Sedis licentia speciali, districtius inhibemus.

Exemptio a subventione legatorum, etc.

§ 30. Indulgentes vobis, ut ad praestationem procurationum legatorum Sedis praedictae vel nunciorum ipsius seu dioecesanorum locorum, aut exactionum vel collectarum seu subsidiorum vel provisionum quarumcumque minime teneamini, nec ad ea solvenda per literas dictae Sedis aut legatorum aut nunciorum eiusdem seu rectorum terrarum Ecclesiae Romanae, impetratas seu in posterum impetrandas, cuiuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictae Sedis literae impetrandae plenam et expressam de indulto huiusmodi et dicto Ordine fecerint mentionem.

Exemptio a iudiciis ordinariorum.

§ 31. Caeterum, cum fel. record. Innocentius Papa IV praedecessor noster, olim duxerit statuendum, ut exempti, quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti seu contractus aut rei de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in illis iurisdictionem, prout ius exigit, exercere; nos vobis ut occasione constitutionis huiusmodi nullum libertatibus et immunitatibus, vobis et Ordini vestro, per privilegia et indulgentias ab Apostolica Sede concessas vel in posterum concedendas, praeiudicium generetur, auctoritate praesentium indulgemus, decernentes vos seu personas vestri Ordinis, in praedictis casibus, ordinariis ipsis minime subiacere.

Attentata in contrarium irritantur.

§ 32. Decernimus ergo irritum et inane quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum et inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum, et interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones et inhibitiones easdem in vos vel vestrum aliquos vel loca vestra, seu benefactores vel executores aut haeredes praedictos imposterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo, *etc.*

Datum Avenione, 2 nonas martii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 6 martii 1374, pontif. anno IV.

---

## XIX.

*Damnatio legum seu errorum in Saxonia* Speculum Saxonum *nuncupatorum, eorumdemque sequacium cum poenarum impositione* (1).

### SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Leges Saxonicae (*de quibus hic*) sacris canonibus contrariae. — 2. Eas annullat, irritasque declarat Pontifex: — 3. Nec non processus inde confectos. — 4. Intentatum anathema iisdem posthac utentibus: — 5. Rogatique principes, ut eas ablegent omnino. — 6. Tenor huiusmodi legum. — 7. Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Salvator humani generis Dominus noster Iesus Christus, cuius, licet indigni, vices tenemus in terris, cernens ipsum genus, quod ad delicias paradisi creaverat, ex lapsu prothoplasti, diabolica fraude decepti, per peccatum inobedientiae corruisse, et in perpetuae damnationis descendisse profundum, ac sine intermissione descendere, sua ipsi generi ineffabili pietate compatiens, et miseratione subveniens, ut illud pretiosissimo suo Cruore redimeret, et secum in caelestibus collocaret, descendit in mundum misericorditer factus homo in eo, quod praesentia corporali consistens suam sacratissimam fidem et mandata salubria docuit discipulos, quos elegit, ut ea per illos in terram transfunderentur universam, et cuncta humana creatura praemisso iam redempta sanguine precioso, fideque firmata et salubrius consiliis et mandatis instructa, per ipsam fidem et iustitiae opera ad perpetuae salvationis gratiam perveniret. Iidemque discipuli, plenitudine Spiritus Sancti recepta, mandata dominica promptis affectibus et effectibus exequentes, huiusmodi doctrinam continentem fidem, spem et caritatem, aliaque virtuosa opera, necnon consilia et mandata salubria, bonosque mores universi orbis populis praedictorum, documentisque sanctissimis, per quae credentium et fatentium ea certa et aeterna salvatio provenit, universam Ecclesiam instruxerunt. Et quia futurorum praescius Deus praevidebat inter satum purissimum triticum mundum hostem seminaturum zizaniam, ac inter sancta prophana, inter sincera fermentum, et inter recta iniqua, machinatione hostica callidisque suis astutiis positurum; cultores agri sui, videlicet B. Petri apostolorum principis, cui et suis successoribus per eumdem tradidit plenissimam potestatem, aliorumque apostolorum et discipulorum successores, scilicet Ecclesiarum praesules, qui supernatum evellerent lolium, ne inficeret semen bonum, agrumque praefatum purgarent assidue, ut in eo fructus uber et suavis excresceret in suum horreum inferendus, ineffabili providentia substituendos esse providit, ut propii (*sic*) sanctis Patribus filii nascerentur, futuri spirituales principes per climata orbis terrae. Ideoque ad nostrum principaliter aliorumque praelatorum Ecclesiae sanctae Dei spectat officium, ut animarum saluti solerti sollicitudine intendentes, et agrum huiusmodi, cum expedit, saepius expurgantes, ea, quae noverimus dictae saluti contraria, studio pastoralis solicitudinis evellamus.

Leges Saxonicae, de quibus hic, sacris canonibus contrariae.

§ 1. Sane fide digna et admodum molesta pluriesque inculcata relatio plurimorum ad nostrum perduxit auditum, quod in Saxoniae et nonnullis aliis partibus quaedam detestabilia scripta, leges, seu *Speculum Saxonum* vulgariter appellata et inferius annotata, apud nonnullos tam nobiles quam plebeos reperiuntur, quae iudices et incolae partium earumdem, omissis canonibus, aliisque Scripturis Sacris, contemptisque naturae ac civilibus legibus, et bonis moribus procul pulsis, a longis citra temporibus observant, et servant etiam de praesenti, ex quorumque observantia Deus offenditur, proximus gravatur, vera iustitia et aequitas rumpitur, canones et leges contemnuntur enormiter, rectum iudicium subvertitur, veritas impugnatur, contra bonos mores et legem naturae agitur, dehonestatur honestas, libertas ecclesiastica calcatur, et quod est deterius, apostolica denegatur potestas, et veritati catholicae fidei derogatur.

Eas annullat, irritasque declarat Pontifex.

§ 2. Nos igitur de iis tanto dolentes amarius, quanto exinde illa servantium animae longioribus temporibus et strictioribus laqueis alligatae fuerunt, et propterea paternis desiderantes affectibus tot et tantis malis et periculis obviare, quae nobis praedicta dissimulantibus sanguis per ipsa peccantium de nostris manibus a Domino requiratur, ipsa scripta seu

leges, quae nos mature vidimus et per nonnullos ex fratribus nostris S. R. E. cardinales et alios etiam in sacra pagina magistros ac utriusque iuris doctores diligenter examinari fecimus, habita super eis deliberatione matura, tamquam falsa, temeraria, iniqua, iniusta et in quibusdam eorum haeretica et scismatica et contra bonos mores existentia, periculosaque nimium animabus, de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica tenore praesentium reprobamus, damnamus ac decernimus irrita et inania ac carere omni robore firmitatis.

Nec non processus inde confectos.

§ 3. Necnon processus et sententias, si quos et si quas forsan ipsorum scriptorum et reprobatarum legum praetextu fieri et ferri contingat in posterum, penitus non valere.

Intentatum anathema iisdem posthac utentibus:

§ 4. Universis Christi fidelibus per apostolica scripta mandantes, quod ipsis scriptis seu legibus reprobatis de caetero non utantur, et domini terrarum tam ecclesiastici, quam saeculares suos uti subditos non permittant. Alioquin contrarium praesumentes, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, status vel conditionis existant, etiamsi pontificali, imperiali, regali vel alia qualibet praefulgeant dignitate, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto.

Rogatique principes, ut eas ablegent omnino.

§ 5. Et ut reprobatio, damnatio et mandatum nostra huiusmodi tam salubria effectum debitum irrefragabilius consequantur, universos et singulos principes ac dominos temporales tam ecclesiasticos, quam etiam saeculares per praesentes requirimus et rogamus, quod per eorum constitutiones et statuta perpetua ordinent, mandent sub gravibus temporalibus poenis, quod nullus suorum subditorum deinceps utatur reprobatis scriptis seu legibus memoratis, ipsasque poenas in contrafacientes taliter exequantur, quod eorumdem scriptorum seu legum detestanda iniquitas de terris eorum totaliter extirpetur.

Tenor huiusmodi legum.

§ 6. Tenor autem dictorum scriptorum seu legum, sive effectus eorum talis est. Primus articulus continet, quod quidquid homo fuerit (1) extra iudicium, quantumlibet hoc sit notorium, se liberare poterit per suum iuramentum, nec contra tale valet aliquod testimonium. Secundus est, quod Papa non potest, nec aliquis alius imperatorem excommunicare, postquam consecratus vel alias inunctus est, nisi solum in tribus casibus, si dubius sit in fide, repudiet uxorem legitimam vel destruat ecclesias. Tertius, quod excommunicatio neminem debilitat in iure terrae vel feudi, nisi sequatur regalis proscriptio. Quartus, quod Papa non potest aliquod ius concedere vel statuere, per quod valeat ius, hoc est, statum terrae, vel feudi Saxonum deteriorari. Quintus, quod nulla sententia tam iusta dari poterit in Saxonia coram regno, alias iudicio regali, quoniam si Saxo talem sententiam reprehendat, testans in manum suam dexteram et maiorem communitatem, septimus pugnare volens contra septem alios pro dicta sententia, quin tunc ubi maior pars triumphaverit aliis sententiam obtineat. Sextus, quod si quis fuerit interfectus in spolio vel furto, pro quo consanguineus interfecti se praebeat ad duellum, repellit omne testimonium, nec talis mortuus tunc sine duello poterit convinci. Septimus, quod si duo dicant in iudicio sententias contradictorias, tunc quicumque talium habuerit maiorem sequelam, talem sententiam obtinebit. Octavus, quod quicumque fuerit appellatus ad duellum secundum istius libri formam, talis non potest negare duellum, nisi sic appellans minus bene natus fuerit quam appellatus. Nonus, quod quicumque perdidit ius suum ratione furti vel spolii, talis incusatus secundo de furto vel spolio non potest se liberare iuramento, sed electionem habet ad ferrum ignitum, aquam bullientem vel ad duellum: huius quidem articuli pars ultima, quae electionem ad ferrum, *etc.*, concedit, erronea est. Decimus, quicumque

(1) Leg. f. *fecerit*.

cognoverit violenter aliquam mulierem, si postea ducat eam in matrimonium, nunquam ex ea poterit prolem legitimam generare. Undecimus, quod quicumque cognovit publice uxorem alicuius, vivente marito, si, post mortem mariti, talis eam ducat in uxorem, nunquam ex ea prolem legitimam generabit. Iste enim articulus indistincte et in omni casu intellectus non distinguendo, prout canonice distinguunt Saxones, erroneus est. Duodecimus, quod haeres non teneatur de furto vel spolio respondere perpatrato per illum cui succedit in haereditate, quod erroneum est saltem in foro conscientiae. Tertiusdecimus, quod quicumque vir succinctus gladio, clypeum tenens, non potest de ligno vel lapide pollicis ulnam, quantum ad altitudinem, habente super dextrarum scandere, talis non potest cedere, dimittere, infeudare, nec etiam mobilia bona dare potest, sic quod iste custoditus sit qui talia post mortem suam expectat. Quartus decimus, quod nullus, sine licentia suorum haeredum et iudicio quod Saxoniae dicitur ***Enghedinghe***, potest dare proprietatem suam vel homines suos, et si talia daret aliter haeredes acquirerent illa per iudicium, ac si dans illa mortuus esset: isti enim duo articuli sunt erronei in quantum eleemosynas et alia pietatis opera prohibent.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reprobationis, damnationis, constitutionis, mandati, voluntatis et requisitionis infringere *etc.*

Datum Avenione, sexto idus aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 8 aprilis 1374, pontif. anno IV.

---

## XX.

***Clerici illegitimi non admittantur ad canonicatus et alia beneficia trium Ecclesiarum patriarchalium de Urbe, absque speciali Sedis Apostolicae dispensatione.***

SUMMARIUM

A sacris cavetur canonibus, ne illegitimi ecclesiastica obtineant beneficia. — 1. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — 2. Irritatio secus actorum. — 3. Exceptio pro actu obtinentibus.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

A sacris cavetur canonibus, ne illegitimi ecclesiastica obtineant beneficia.

Etsi a sacris canonibus, ad decorem Ecclesiarum et in desiccationem illegitimorum natalium, tam sancte quam provide inhibitum demonstratur quod illegitime nati, absque dispensatione canonica, ad canonicatus et praebendas ac dignitates, personatus et officia aut alia ecclesiastica beneficia inhabiles habeantur; hoc in patriarchalibus Ecclesiis Urbis tanto dignius convenit observari, quanto illae caeteras orbis Ecclesias maiori dignitate praecellunt, et honestiori debent decorari obsequio ministrorum.

Prohibitio (de qua in rubrica).

§ 1. Ea propter hac perpetua constitutione statuimus quod de caetero nullus clericus defectum natalium patiens, in Lateranensi vel B. Petri principis Apostolorum aut B. Mariae Maioris patriarchalibus Ecclesiis dictae Urbis, vel aliqua earumdem, canonicatum et praebendam aut dignitatem, personatum vel officium, praetextu cuiuscumque dispensationis sibi super eodem defectu, sub quacumque forma seu conceptione verborum a memorata Sede iam forsan concessae (cuius auctoritate nondum quis fuerit canonicatus et praebendas, dignitates, personatus vel officia huiusmodi assecutus) vel de caetero concedendae, etiamsi dispensatio ipsa contineat quod in quibusvis cathedralibus, etiam metropolitanis et patriarchalibus Ecclesiis, possit canonicatus et praebendas, dignitates, personatus vel officia licite obtinere, si sibi canonice conferantur, nisi de praenominatis Ecclesiis patriarchalibus dictae Urbis, seu illa ex eis, in qua canonicatus et praebendae aut dignitates, personatus vel officia huiusmodi seu aliquod ex eis impetrata fuerint, et toto tenore praesentium in literis dispensationis huiusmodi caveatur expresse, valeat obtinere.

Irritatio secus actorum.

§ 2. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus contigerit attentari.

Exceptio pro actu obtinentibus.

§ 3. Per praesentem autem constitutionem, illis qui, defectum huiusmodi patientes, in praedictis Ecclesiis vel ipsarum aliqua, canonicatus et praebendas, dignitates, personatus vel officia canonice nunc obtinent, nolumus in aliquo praeiudicium generari.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Avenione, tertio idus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 11 novembris 1374, pont. anno IV.

## XXI.

*Contra praelatos et alios dantes munera seu strenas nunciis provisiones Ecclesiarum vel beneficiorum sibi a Sede Apostolica collatorum quomodolibet deferentibus* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Cupiditatis radix prava. — 2. Prohibitio strenas dandi pro beneficiis ecclesiasticis acceptis. — 3. Inobedientium poenae. — 4. De publicatione decreti huius. — 5. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Solicite vitari debet quod indecens esse dignoscitur, et ex turpiditatis (2) radice etiam in honoris Apostolicae Sedis depressionem ortum habuisse videtur.

Cupiditatis radix prava.

§ 1. Sane nuper ad nostrum pervenit auditum quod nonnulli inhonesta lucra quaerentes, dum per Sedem praedictam de personis aliquorum apud Sedem constitutis eamdem patriarchalibus, metropolitanis et aliis cathedralibus Ecclesiis sive monasteriis vacantibus providetur, vel personae ipsae ad huiusmodi Ecclesias, per dictam Sedem, de aliis Ecclesiis transferuntur, seu personis eisdem huiusmodi Ecclesiae et monasteria commendantur, aut alias ipsorum gubernationi committuntur, huiusmodi provisiones, translationes, commendas sive commissiones praedictis personis sic apud dictam Sedem constitutis, ut aliquod munus ab ipsis recipiant, denunciare festinant.

Prohibitio strenas dandi pro beneficiis ecclesiasticis acceptis.

§ 2. Nos igitur in praemissis, prout ex debito tenemur pastoralis officii, providere volentes, universis et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, cuiuscumque status, gradus, sexus, ordinis vel conditionis existant, etiamsi pontificali vel alia qualibet ecclesiastica praefulgeant dignitate, auctoritate apostolica, tenore praesentium, districtius inhibemus, ne de caetero illis, qui ipsis huiusmodi provisiones, translationes, commendas seu commissiones eorumdem, sive de Romani Pontificis pro tempore existentis, sive de alicuius seu aliquorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, aut alterius cuiuscumque mandato seu alias qualitercumque apud dictam Sedem nunciabunt seu nunciari facient, sive dici vel super hoc nova portari, aliquid directe vel indirecte, per se vel alium donent seu promittant, neque per alium datum seu promissum persolvant.

Inobedientium poenae.

§ 3. Nos enim quoscumque praesumentes contrarium quoquomodo excommunicationis subiacere sententiae volumus et decernimus ipso facto, a qua nullus ab alio quam a Romano Pontifice possit, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Non obstantibus exemptionibus et aliis quibuscumque privilegiis, indulgentiis et gratiis ac literis apostolicis quibusvis personis, communiter vel divisim, sub quacumque forma vel expressione verborum a Sede Apostolica concessis et in posterum concedendis, etiamsi de illis plena et expressa mentio ac de verbo ad verbum in praesentibus sit habenda, quae, quoad hoc, alicui in nullo volumus suffragari.

De publicatione decreti huius.

§ 4. Ut autem nostra inhibitio, voluntas et decretum huiusmodi ad communem omnium notitiam deducantur, cartas sive membranas inhibitionem, voluntatem et

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. (2) Forsan leg. *cupiditatis.*

decretum huiusmodi continentes, in audientia publica legi, et Ecclesiae Avenion. appendi vel affigi ostiis sive superliminaribus faciemus, quae praemissa, suo quasi sonoro praeconio et patulo indicio, publicabunt, ita quod nullus in hoc possit ignorantiam allegare, cum non sit verisimile remanere incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis, voluntatis et decreti infringere, *etc.*

Datum Avenione, sexto kalendas novembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 27 octobris 1375, pont. anno v.

---

## XXII.

*Quod in Ecclesia S. Ambrosii ad Nemus Mediolanensi, ob reverentiam eiusdem Sancti, fratres S. Ambrosii nuncupandi, sub regula S. Augustini religiosam vitam ducant, Ambrosianumque officium recitare possint.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Fratrum et archiepiscopi preces pro obtinenda religiosae vitae confirmatione, — 2. Quam concedit Gregorius. — 3 *ad* 6. Regulas nonnullas eisdem dat. — 7, 8. Concedit privilegia nonnulla. — 9. Ad beneficia ecclesiastica promoveri fratres non possint.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Ecclesiae S. Ambrosii extra muros Mediolanen., in fine suburbii Portae Cumanae consistentis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Cupientes a saeculi vanitatibus elongari, et, relictis mundanis illecebris, virtutum Domino sub regulari observantia famulari, ut in ea, saecularibus curis exuti, per viam salutis liberius currere possint ad bravium, apostolicum convenit praebere consensum, ut, cum in huiusmodi suo proposito se foveri conspexerint, in eo fortius exardescant.

Fratrum et archiepiscopi preces pro obtinenda religiosæ vitae confirmatione;

§ 1. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat quod in vestra Ecclesia, quae ad Nemus Sancti Ambrosii nuncupatur, et in qua moramini de praesenti, ab antiquo morati sunt fratres unum priorem habentes, quodque per constitutiones canonicas et praecipue per constitutiones felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, haesitatis ibidem, salva conscientia, sub regula sine licentia Sedis Apostolicae vitam collegialiter ducere religiosam. Quare venerabilis frater noster Symon, archiepiscopus Mediolanensis, nobis humiliter supplicavit ut, etiam ob reverentiam eiusdem beati Ambrosii (qui antequam educeret eum Dominus de vitae ergastulo huius mundi, quandoque a multitudine se segregans, ad huiusmodi locum tunc solitarium se transferebat, ut in solitudine devotius contemplationi divinae posset insistere), vobis et statui vestro in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Quam concedit Gregorius.

§ 2. Nos igitur, qui piis illorum desideriis, per quae via paratur securior ad salutem, libenter impertimur assensum, volentes super his paterna solicitudine providere, huiusmodi dicti archiepiscopi ac vestris, in hac parte, supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus et etiam concedimus quod, in praefata vestra Ecclesia, vos et alii fratres, qui post vos erunt, ibidem commorari et existere sub professione et regula B. Augustini valeatis.

Regulas nonnullas eisdem dat.

§ 3. Et fratres S. Ambrosii ad Nemus nuncupemini, officium quoque divinum Ambrosianum dicatis.

§ 4. Et semper inibi sit unus prior, qui aliis fratribus praesit.

§ 5. Ac huiusmodi prioris electio ad huiusmodi fratres, ipsiusque electionis confirmatio ad archiepiscopum Mediolanensem pro tempore existentem pertineat.

§ 6. Ac vester et successorum vestrorum fratrum dictae Ecclesiae habitus sit scapulare cum cappa desuper. Et intra

locum liceat vobis sine cappa cum huiusmodi scapulari incedere. Fratres vero dicti loci cappae scapulare deferant, et totus habitus sit de panno qui in partibus illis *berretinus* nuncupatur.

Concedit privilegia nonnulla.

§ 7. Quodque fratres dicti loci ad hoc idonei, petita prius et obtenta licentia a loci dioecesano, praedicare possint verbum Dei et confessiones audire.

§ 8. Et si aliqui ibidem ex devotione elegerint sepulturam, eos ibidem, sine praeiudicio parochialis Ecclesiae et alterius cuiuscumque, libere sepelire valeatis.

Ad beneficia ecclesiast. promoveri fratres non possint.

§ 9. Districtius inhibentes, ne aliquis ex fratribus dicti loci ad beneficium ecclesiasticum etiam curatum, sine licentia Sedis Apostolicae speciali faciente de prohibitione huiusmodi plenam et expressam mentionem, transire vel assumi possit, immediate nec mediate, in fraudem ad aliam religionem aut beneficium.... animarum curam habere valeat, se transferendo. Et si secus attentatum fuerit, id irritum sit et inane. Praemissis, necnon aliis constitutionibus apostolicis non obstantibus quibuscumque. Per hoc autem non intendimus prohibere, quin ii ex vobis, qui non ficte sed vere causa devotionis ad strictiorem religionem transire voluerint, hoc possint, prout volunt canonicae sanctiones. Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Dat. Avenione III kal. decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 novembris 1375, pont. anno V.

---

## XXIII.

*Declaratio et extensio privilegii exemptionis a solutione decimarum Congregationis monacorum Caelestinorum, Ordinis S. Benedicti* (1).

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. Benedictus XI hisce fratribus exemptionem a decimis solvendis concessit. — 2. Ioannes XXII hac exemptione frui voluit monasteria usque ad illud tempus acquisita. — 3. Causae huius faciendae declarationis. — 4 Extensio et declaratio.

(1) Ordinationes et gratias huius Congregationis vide supra in Caelestino V, Const. I, *Et si cunctos*, pag. 113.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Spiritus de Sulmona Valvensis dioecesis, eiusque coabbatibus et prioribus ac praelatis monasteriorum, prioratuum, Ecclesiarum, membrorum et locorum dicto monasterio Sancti Spiritus subiectorum, eorumque conventibus, et fratribus Ordinis S. Benedicti secundum instituta B. Petri confessoris viventibus, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Sacra et immaculata vestra religio, sub qua carnem subdentes spiritui, et motus corporeos rationis moderamine cohibentes, gratae servitutis libamina offertis Altissimo, promeretur, ut Apostolica Sedes propitiam se vobis exhibeat et in vestris opportunitatibus gratiosam.

Benedictus XI hisce fratribus exemptionem a decimis solvendis concessit (1).

§ 1. Sane dudum felicis record. Benedictus Papa XI, praedecessor noster, quondam Berardo abbati monasterii Sancti Spiritus de Sulmona, Ordinis S. Benedicti, Valvensis dioecesis, eiusque coabbatibus et conventibus aliorum monasteriorum et membrorum eidem monasterio Sancti Spiritus subiectorum dicti Ordinis tunc praesentibus et futuris in perpetuum gratiose concessit, ut de fructibus terrarum et possessionum suarum tunc acquisitarum, quas propriis manibus aut sumptibus colerent, sive de hortis vel de nutrimentis animalium suorum, nullus ab eis decimas exigere vel extorquere praesumeret.

Ioannes XXII hac exemptione frui voluit monasteria usque ad illud tempus acquisita.

§ 2. Ac deinde piae memoriae Ioannes Papa XXII, ipsius Benedicti successor ac praedecessor noster, dilectis filiis abbati et conventui praedicti monasterii S. Spiritus paterno affectu compatiens, ipsosque et praedictum eorum monasterium ipsiusque membra condignis munire libertatibus cupiens, voluit et auctoritate aposto-

(1) Vide superius pag. 177 et seq.

lica decrevit, quod omnia monasteria, prioratus, Ecclesiæ, capellae et quaecumque alia loca post exemptionem praedictam ab eisdem abbate et conventu licite acquisita, et imposterum acquirenda, cum personis degentibus in eisdem tunc praesentibus et futuris, omnibus privilegiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus gauderent et gaudere deberent, quibus dictum monasterium et alia monasteria, prioratus, ecclesiae, capellae, loca et membra ipsius, quae dictum monasterium habebat tempore concessionis, et exemptionis huiusmodi gaudebant et potiebantur, prout in literis dictorum praedecessorum inde confectis plenius continetur.

Causae huius faciendae declarationis.

§ 3. Cum autem sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, ab aliquibus in dubium revocari videatur, an huiusmodi extensio dicti Ioannis praedecessoris solum exemptiones vel omnia alia praemissa concernat, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ne occasione praemissorum, attenta simplicitate vestra, involvamini litigiorum anfractibus, providere vobis super hoc de benignitate apostolica dignaremur.

Extensio et declaratio.

§ 4. Nos itaque volentes vos ac monasterium et alia loca vestra ob reverentiam etiam eiusdem B. Petri, ad quem devotionem gerimus specialem, favore prosequi gratiae specialis, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de possessionibus vestris iam acquisitis (illis tamen exceptis de quibus decimas solvere consuevistis), necnon de novalibus possessionum per vos in posterum iusto titulo acquirendarum, quas propriis manibus aut sumptibus excolitis et excoletis in antea, sive de hortis vel nutrimentis animalium vestrorum decimas solvere non teneamini, nec ad id a quoquam compelli possitis inviti, vobis et per vos vestris monasteriis, prioratibus, Ecclesiis, membris atque locis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, de gratia speciali. Nulli ergo *etc.*

Datum Avenione XVIII kal. februarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 ianuarii 1376, pont. anno VI.

---

# URBANUS VI

## PAPA CCII

*Anno Domini MCCCLXXVIII.*

Bartholomaeus Butillus, Neapolitanus, antea Barensis archiepiscopus, electus est et inthronizatus Romanus Pontifex die 9 aprilis 1378, novemque post dies coronatus, Urbanus VI voluit appellari. Sedit in pontificatu annos XI, menses VI, dies VI, ab electionis die computandos, imperantibus in Oriente Ioanne Palæologo, mox Emmanuele II: in Occid. Carolo IV, deinde Wenceslao, rege Romanorum. Obiit Romae die 15 octobris 1389, et sepultus est ad S. Petrum. Ab eius obitu ad electionem Bonifacii IX fluxerunt dies XVIII.

Schisma XXXIII in Ecclesia Romana, quod in concilio Constantiensi extinctum est.

A cardinalibus tumultuarie ac per metum Urbanum se elegisse asserentibus, Fundosque se receptis, die 20 septembris anni 1378 creatus est alius Pontifex, Clemens scilicet VII, antea Robertus ex comitibus Gebennensibus, episcopus Cameracensis et S. R. E. presb. cardinalis tituli Ss. XII Apostolorum. Obiit Avenione die 16 septembris 1394, et sepultus est in Ecclesia cathedrali S. Mariae de Donis, XVI ab electione sua anno nondum completo.

I.

*Iurisdictio camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae summarie quascumque causas interesse rever. Camerae Apostolicae quomodolibet concernentes cognoscendi* (1).

SUMMARIUM

1. Causae huius constitutionis. — 2. Facultas camerarii (*prout in rubrica*). — 3. Facultas summarie et de plano procedendi: — 4. Iudicibusque inhibendi, cognitionem harum causarum, et contradictores compellendi. — 5. Obstantium derogatio. — 6. Adhortatio ad hoc officium diligenter exercendum. — 7. Concessionem tempore datae constitutionis inchoari praecipit.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Marino archiepiscopo Brundusino, camerario nostro, salutem et apostolicam benedictionem.**

Apostolicae Camerae, per quam S. R. E. necessitatibus et incumbentibus oneribus multipliciter subvenitur, sic tenemur indemnitatibus subvenire, commodisque intendere et dispendiis obviare, quod ipsius iura debite possint repeti, eiusque officialibus suppetat opportunitas prosequendi.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Sane, quia saepe contingit, sicut accepimus, quod extra praefatam Cameram super rebus ac iuribus ad eam pertinentibus ac super aliis negotiis ipsam tangentibus litigatur, et saepe coram iudicibus de iuribus ipsius Camerae nullam vel modicam habentibus rationem, quique per fiscalem advocatum seu procuratorem aut alios ex officialibus eiusdem Camerae, qui circa ipsam habent insistere, non possunt commode super iis informari, propter quod causae nimium protelantur, et quodam modo pereunt iura sua.

Facultas camerarii (prout in rubrica).

§ 2. Nos super iis providere volentes et gerentes in Domino fiduciam specialem de tuae circumspectionis industria, cui principaliter est eiusdem Camerae cura commissa, cognoscendi, auctoritate apostolica, per te vel alium seu alios, de omnibus et singulis quaestionibus, controversiis, causis et litibus praesentibus et futuris, spiritualibus, ecclesiasticis et temporalibus, civilibus et criminalibus, nedum ad ipsam Cameram pertinentibus, sicut est hactenus consuetum, sed etiam de quibuscumque iura et negotia ipsius Camerae directe vel indirecte quoquo modo tangentibus, seu etiam, quae secundum tuum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsasque cum emergentibus et ab eis dependentibus ac connexis, ac eos quos tangere poterunt, tam personas ecclesiasticas, quam saeculares, necnon capitula, collegia et conventus Ecclesiarum et monasteriorum ac ordinum exemptorum et non exemptorum, communitatesque et universitates locorum, prout et quotiens tibi videbitur, ad te et ad eamdem Cameram advocandi et citandi per literas vel nuntium intra vel extra Curiam et ad partes etiam, si causae ipsae de natura sui non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem aut alias legitime devolutae, necnon in ea tractandae seu etiam finiendae, ac etiam si coram iudicibus ordinariis, auditoribus, inquisitoribus, delegatis, subdelegatis, commissariis executoribus, arbitris, arbitratoribus, compromissariis seu aliis quibuscumque, etiam per Sedem Apostolicam deputatis vel deputandis in praefata Romana Curia vel extra ubilibet pendere, nunc et in posterum dicerentur, etiamsi in ipsis ad litis contestationem processum fuerit vel ulterius quantumcumque, et etiam super literis ad nos seu Sedem eamdem per viam appellationis seu simplicis querelae vel alias habitus sit vel in posterum haberetur recursus, dictas causas reassumendi et reassumi faciendi.

Facultas summarie et de plano procedendi:

§ 3. Easque per te vel alium seu alios audiendi et examinandi summarie, simpliciter, et de plano et sine strepitu et

(1) Ad hanc iurisdictionem vide bullas quas tibi indicavi sup. in Const. III Urb. V, *Apostolatus*, pag. 520.

figura iudicii, et sine debito terminandi, et alias iustitiam omnimodam exhibendi.

Iudicibusque inhibendi cognitionem harum causarum et contradictores compellendi.

§ 4. Iudicibus quoque ordinariis, auditoribus et aliis supradictis inhibendi, ne de causis ipsis post advocationem huiusmodi cognoscere vel se intromittere quoquomodo praesumant, et quaslibet alias inhibitiones in ipsis causis, ac etiam revocationes et sententias excommunicationis suspensionis et interdicti per eos promulgatarum, relaxationes et absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, mandata, decreta, monitiones, executiones et processus quoslibet faciendi et sententias proferendi ac omnia alia et singula faciendi et exercendi, quae circa praemissa vel ea tangentia iuxta tuum liberum arbitrium videbuntur opportuna. Contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, etiamsi regali, pontificali vel maiori, aut alia quavis praefulgeant dignitate, eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam compescendi.

Obstantium derogatio

§ 5. Non obstantibus generalis concilii et aliis constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinibus seu inhibitionibus quibuscumque iuramentorum aut excommunicationum suspensionis vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum vel promulgandarum munimine aut quibusvis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contigerit, quod extra vel ultra certa loca ad iudicium non trahantur, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et literis generalibus vel specialibus Ecclesiis, monasteriis, locis, collegiis, ordinibus ac universitatibus seu personis ecclesiasticis aut saecularibus quibuscumque, cuiuscumque fuerint praeeminentiae vel dignitatis ab Apostolica Sede concessis vel in posterum concedendis, sub quacumque forma vel expressione verborum, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, etiam si talia sint de quibus et ipsarum personarum et locorum, ordinum et statuum propriis nominibus specialibus, ac de totis ipsarum tenoribus, plena et expressa ac de verbo ad verbum mentio sit habenda; quae omnia haberi volumus pro expressis specialiter et insertis, et ipsa, vel eorum aliqua contra praemissa nolumus in aliquo suffragari, plenam et liberam tenore praesentium ex certa scientia concedimus facultatem, et ad hoc tui potestatem officii ampliamus et etiam prorogamus.

Adhortatio ad hoc officium diligenter exercendum.

§ 6. Eamdem fraternitatem tuam exhortantes, ut sic in praemissis te fidelem exhibeas, et etiam studiosum, omnibus iustitiam ministrando, quod tam eidem Camerae, quam aliis quibuscumque sua iura serventur, tuaque circumspectio inde possit merito commendari.

Concessionem tempore datae constitutionis inchoari praecipit.

§ 7. Volumus autem, quod a tempore datae praesentium, in omnibus et singulis suprascriptis per nos concessis, perinde sit tibi perpetua potestas et iurisdictio attributa, tam quoad negocia praesentia, quam futura, ac si tu ea omnia et singula exequi iudicialiter incepisses, praesentibus usque ad beneplacitum Apostolicae Sedis duraturis.

Datum Romae apud S. Petrum, VI idus septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 8 septembris 1379, pont. anno II.

---

## II.

*Maremagnum seu privilegium privilegiis conflatum pro Ordine fratrum Servorum B. Mariae Virginis.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Ordinis huius fratres quocumque datio et qualibet ordinarii iuris-

dictione liberi et exempti, — Sedi Apostolicae immediate subiecti. — 2. Secus acta vel imposterum intentanda nulla declarantur et irrita. — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Andreae priori generali, et universis fratribus Servorum S. Mariae Ordinis S. Augustini, praesentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Sacrosancta Romana Ecclesia mater cunctorum Christifidelium et magistra in agro virtutum vestri Ordinis, cui altissimus Dominus benedixit, et in decore sacrae religionis, sub qua eidem Domino eiusque Genitrici devotum exhibetis et sedulum famulatum, exultat et iubilat: praesertim dum prospicit, quod vos ad alta virtutum gradatim per bonorum operum exercitium, et praeclara sanctitatis merita conscendentes, trahitis ad divinae maiestatis obsequium alios, non solum per doctrinae verba, sed etiam per exempla, vitam ducendo purissimam, et verbi praedicationibus insistendo, ac divinae laudis frequentiae, celebrisque venerationis instantiae, ex qua gloria divinae maiestatis attollitur, devotissime persistendo: propter quae nos et praedicta Ecclesia, vos et vestrum Ordinem praedictum, quem erga nos et eamdem Ecclesiam devotione praelucere conspicimus, infra claustra nostri pectoris paternis affectibus amplectentes, circa bonum statum vestrum totis studiis vigilamus, ut, Deo propitio, a noxiis protegamini, et suscipiatis semper salubria incrementa.

Ordinis huius fratres quorumque datio, et qualibet ordinarii iurisdictione liberi et exempti:

§ 1. Volentes igitur praemissorum intuitu, vos ac loca vestra praesentia et futura praerogativa specialis favoris et gratiae insignire, ac singulari privilegio decorare, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos vestrasque personas ac omnia loca vestra tam praesentia quam futura omni iurisdictione, potestate, dominio, visitatione, caritativi subsidii subventionum et exactionum quorumlibet praestatione, necnon a synodalis et alterius cuiusvis congregationis evocatione omnium et singulorum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et quorumlibet aliorum iudicum ordinariorum, de speciali dono gratiae plenarie eximimus et totaliter liberamus, vosque ac personas et loca ipsa in ius et proprietatem B. Petri et Sedis Apostolicae, et sub eorum et nostra protectione speciali et immediata suscipientes, decernimus vos ac personas et loca praedicta soli et immediate Sedi praedictae subiacere: volentes quod locorum dioecesani, vel alia quaevis persona vos vel loca praedicta, utpote prorsus exempta et dictae Sedi immediate subiecta, non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis vel interdicti, aut alias sententias specialiter vel generaliter promulgare, vel alias etiam ratione cuiuslibet delicti seu contractus, aut rei, de qua ageretur ubicumque committitur delictum, ineatur contractus aut res ipsa consistat, potestatem, dominium aut iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.

Sedi Apostolicae immediate subiecti.

Secus acta vel imposterum intentanda nulla declarantur et irrita.

§ 2. Felicis recordationis Innocentii Papae IV praedecessoris nostri circa exemptos, quae incipit: *Dolentes*, et aliis constitutionibus apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, interdicti sententias et quorumque processus, quasvis poenas et sententias generales vel speciales continentes, quas seu quos contra vos seu aliquem vestrum vel praedicta loca contra tenorem et formam praesentium quomodolibet promulgari vel haberi contigerit, irritas decernimus et inanes.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, suspensionis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, VII idus aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 7 aprilis 1380, pontif. anno II.

## III.

*Confoederationes cum haereticis quacumque firmitate roboratae, nullae et irritae declarantur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Venceslaum et Carolum reges Romanorum foedera nonnulla cum haereticis et schismaticis iniisse asserit. — 2. Huiusmodi foedera nulla declarat, ab eisque solvit Venceslaum. — Ea observari vetat omnino. — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut circa salutem animarum Christifidelium sollicitis studiis intendamus, et ne fideles ipsi ex consortio et participatione schismaticorum seu haereticorum labefactari valeant, adhibeamus remedia opportuna.

Venceslaum et Carolum reges Romanorum fœdera nonnulla cum haereticis et schismaticis iniisse asserit.

§ 1. Sane ad nostrum nuper pervenit auditum, quod tam carissimus in Christo filius noster Venceslaus Romanorum et Bohemiae rex illustris, quam etiam clarae memoriae Carolus Romanorum imperator et ipsius regis genitor, simul vel successive nonnullas confoederationes vel colligationes seu ligas et conventiones cum diversis regibus, principibus, ducibus, comitibus ac magnatibus, nobilibus et certis aliis inierunt seu fecerunt, et quod aliqui ex huiusmodi regibus, principibus, ducibus, comitibus, magnatibus seu nobilibus, aut aliis, tunc erant seu postea sunt effecti schismatici seu haeretici manifesti et ab unitate Sanctae Romanae et universalis Ecclesiae separati, quamvis per nos alias declarati non sint.

Huiusmodi fœdera nulla declarat, ab eisque solvit Venceslaum.

§ 2. Nos igitur attendentes, quod huiusmodi confoederationes et ligae seu conventiones, factae cum huiusmodi haereticis aut schismaticis, postquam tales effecti erant, sunt temerariae, illicitae et ipso iure nullae, etsi forte ante ipsorum lapsum in schisma seu haeresim initae seu factae fuissent, etiamsi forent iuramento vel fide data firmatae aut confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratae, postquam tales, ut praemittitur, sunt effecti, eo ipso tam idem rex, quam alii qui forsan una cum eo huiusmodi confoederationes, colligationes et ligas seu conventiones cum talibus inierunt seu fecerunt, et ad quos huiusmodi confoederationes, colligationes, ligae seu conventiones quomodolibet extendi possunt, et quorum interest vel interesse poterit, ab earum observatione absoluti existunt, illasque ipsis servare non debent. Quinimo ipse rex huiusmodi schismaticos et haereticos, ratione imperii, ad quod electus et per nos approbatus, in favorem Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae, cuius est advocatus, pro posse prosequi tenetur, quodque omnis communio cum talibus haereticis seu schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus, nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, vel Christi ad Belial; et cupientes super his animarum saluti et honori, ac statuti eiusdem regis et aliorum quorum interest, ut praefertur, salubriter providere, et periculis et scandalis, quae ipsis exinde provenire possent, utiliter praecavere, eumdem regem et omnes illos, quorum interest et interesse poterit, apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus fuisse et esse ab earumdem confoederationum, colligationum, ligarum et conventionum observatione penitus absolutos, et ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus et nullius esse decernimus firmitatis.

Ea observari vetat omnino.

Et insuper cupientes animarum periculis obviare, tam eidem regi, quam etiam omnibus huiusmodi aliis, quorum interest, seu interesse potest, tenore praesentium districtius inhibemus, ne confoederationes, colligationes, ligas aut conventiones huiusmodi aliquatenus observent, seu ab illis observari quomo-

(1) Ex Collectione Actorum Rimer.

dolibet permittant. Decernentes ex nunc irritum et inane quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae. § 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, cassationis, irritationis, inhibitionis vel constitutionis infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 30 martii 1382, pontif. anno IV.

---

## IV.

*Erectio Studii generalis in civitate Quinquecclesien. regni Hungariae cum privilegiis pro doctoribus et scholaribus, reservata Ludovico regi praesentandi facultate* (1).

SUMMARIUM

Procœmium. — 1. Ludovici regis hac super re petitio. — 2. Civitas Quinquecclesien. studiis litterarum accommoda. — 3. Universitas in ea erigitur: quae munitur privilegiis. — 4. De laureandis: — 5. Facultate laureatorum: — 6. Magistris stipendio providendo. — 7. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procœmium. In supremae dignitatis apostolicae specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, ad universas fidelium regiones, eorum profectus et commoda tamquam universalis gregis dominici pastor commissi nobis, speculationis aciem, quanto nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quaerenda literarum studia, per quae divini Nominis et fidei catholicae cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur; libenter favores gratiosos impendimus et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impartimus.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.



Ludovici regis hac super re petitio. § 1. Cum itaque, sicut nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Ungariae illustris fuit propositum in consistorio coram nobis, ipse rex non solum ad utilitatem et prosperitatem huius reipublicae et incolarum regni sui Ungariae, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, in civitate Quinquecclesien., in regno prædicto consistente, tanquam insigniori et magis ad hoc accommoda et idonea, plurimum desideret fieri et ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, aequitas servetur iudicii, existat ratio et intellectus hominis augeatur.

Civitas Quinquecles. studiis litterarum accommoda. § 2. Nos praemissa, ac etiam eximiam fidei puritatem, quam tam ipse rex et progenitores sui, quam Ungariae regni incolae ad sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, prout ipse rex et incolae gerere dignoscuntur, attente considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod regnum ipsum scientiarum muneribus amplietur, fiatque literarum feracitate foecundum, ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum splendore ornatos, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos: sitque illis scientiarum fons originis, de cuius plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis.

Universitas in ea erigitur: quæ munitur privilegiis. § 3. His igitur omnibus et praesertim idoneitate dictae civitatis, quae ad multiplicanda doctrinae semina, ac germina salutaria producenda magis accommoda et idonea inter alias civitates dicti regni fore dicitur, diligenti examinatione pensantes, non solum ad ipsius regni et civitatis, sed etiam regnorum circumiacentium incolarum commodum et profectum paternis affectibus anhelantes, dicti regis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio statuimus ac etiam ordinamus, ut in dicta civitate Quinquecclesiensi de caetero sit Studium generale, ibique perpetuis temporibus vigeat tam in iuris canonici et civilis, quam alia

qualibet licita, praeterquam in theologica facultate, et quod legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus concessis doctoribus legentibus et studentibus commorantibus in Studio generali gaudeant et utantur.

De laureandis:

§ 4. Quodque illi, qui processu temporis bravium fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac doctoratus seu magisterii honorem petierint elargiri, per doctores seu doctorem ac magistros seu magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, episcopo Quinqueecclesiensi, qui pro tempore fuerit, vel Ecclesia Quinqueecclesien. pastore carente, vicario seu officiali dilectorum filiorum capituli ipsius Ecclesiae praesententur. Idem quoque episcopus, aut vicarius seu officialis, doctoribus et magistris in eadem facultate actu inibi regentibus convocatis, illos in iis, quae circa promovendos ad doctoratus seu magisterii honorem requiruntur, per se vel per alium iuxta modum et consuetudinem, qui super talibus in generalibus Studiis observantur, examinare studeant diligenter: eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat et doctoratus seu magisterii conferat honorem.

Facultate laureatorum:

§ 5. Illi vero qui in eodem Studio dictae civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione et approbatione alia regendi et docendi tam in civitate praedicta, quam singulis aliis generalibus Studiis in quibus voluerint regere, docere, statutis et consuetudinibus quibuscumque contrariis, apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem.

Magistris stipendio providendo.

§ 6. Volumus autem, quod magistris et doctoribus, qui in huiusmodi legent Studio, per regem Ungariae pro tempore existentem in competentibus stipendiis provideatur; alioquin praesentes literae nullius sint roboris vel momenti.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Viterbii kalendis septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 1 septembris 1382, pont. anno v.

---

## V.

*Lateranensis Ecclesiae oblationes in alios quam fabricae eiusdem basilicae usus converti prohibet* (1).

SUMMARIUM

1. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 2. Poenæ contra inobedientes. — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Constitutio (de qua in rubrica.

Celeri reparationi venerandae Lateranensis Ecclesiae, proh dolor, in sui magna parte destructae opportuno providere remedio, ac piae intentioni fidelium pro ipsa reparatione largientium bona sua satisfacere, ac praesumptionem quarumdam personarum eiusdem Ecclesiae, ad ea, quae ad ipsos non pertinent, manus temerarias extendentes, reprimere cupientes, universis et singulis tam dictae Ecclesiae capitulo, singularibusque personis, quam aliis quibuscumque tenore praesentium auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne pias oblationes seu eleemosynas eorumdem fidelium, quae factae sunt, seu fient pro tempore pro fabrica in Ecclesia memorata praescripta, sicut saepe hactenus praesumpsisse dicuntur, recipere, aut in aliud opus, quam in reparationem seu fabricam Ecclesiae memoratae et suorum circumstantium locorum convertere praesumant, absque nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum licentia speciali.

Poenae contra inobedientes.

§ 2. Quod si quisquam secus attemptare praesumpserit, non solum id, quod de iis receperit, reddere, sed tantundem de

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

suis bonis propriis pro dicta exhibere fabrica teneatur.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominun liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum apud Montem Flasconem octavo idus iulii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 8 iulii 1383, pontif. anno VI.

---

## VI.

*Quod fratres hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani unum tantummodo in eorum Ordine beneficium acquirere possint decernit* (1).

### SUMMARIUM

Ambitio in ecclesiasticis execrabile vitium. 1. Causae edendae huius constitutionis. — 2. Prohibet fratribus plures prioratus, *etc.* in Ordine obtinere. — 3. Poenae inobedientium. — 4. Praeceptori facultatem dat de praeceptoriis, caeterisque beneficiis providere. — 5. Irritatio secus actorum. — 6. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Ambitio in ecclesiasticis execrabile vitium.

Ambitionis execrabilis vitium in cunctis personis ecclesiasticis, quae non quae sua sunt, sed quae Christi desiderare debent et quaerere, merito detestantes, illud in personis religiosis tanto amplius execramur quantum ipsi secundum suae professionis debitum plus esse debent ab eodem vitio alieni.

Causae edendae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut ex fide dignorum relatione didicimus, nonnulli fratres hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, singuli videlicet ipsorum, plures prioratus, capellanias, praeceptorias seu domos eiusdem hospitalis, quique etiam minus digni, etiam in diversis et remotis partibus obtinere noscantur, nonnullis ex fratribus hospitalis eiusdem etiam benemeritis nullum seu nullam ex prioratibus, praeceptoriis seu domibus huiusmodi obtinentibus seu valentibus obtinere: ex quo cum alius nimis abundet, alius vero indigeat; saepe inter fratres eosdem insurgit murmur et dissolvitur vinculum charitatis: iidemque prioratus, capellaniae, praeceptoriae, seu domus, dum gubernatores seu administratores intenti sunt pluribus, nimis utiliter gubernantur, minoratur eiusdem hospitalis militia et hospitalitas attenuatur: ex iis quoque contemnitur memorati hospitalis religio et in animas fidelium scandalum generatur.

Prohibet fratribus plures prioratus, etc. in Ordine obtinere.

§ 2. Nos igitur, qui pluralitatem huiusmodi, praesertim in personis regularibus, nimium detestamur, pluralitatem ipsam moderari et eisdem fratribus benemeritis et indigentibus providere volentes, omnes et singulos fratres hospitalis iam dicti plures prioratus, capellanias, præceptorias seu domos hospitalis praefati seu alterum cum altero seu altera obtinentes, gubernantes et administrantes, eis omnibus uno seu una ex eis excepto vel excepta, quem vel quam infra octo menses a data praesentium, quas faciemus in Romana Curia publicari, computandos, eligere omnino, dimissis reliquis, teneantur, authoritate apostolica tenore praesentium privamus: eis in virtute sanctae obedientiae praecipientes districte, quod de ipsis prioratibus, capellaniis, praeceptoriis seu domibus dimissis, seu quos et quas dimittere debent, ut præfertur, se de cætero nullatenus intromittant.

Poenae inobedientium.

§ 3. Quod si forsan, quod absit, aliqui ex eisdem fratribus, qui pluralitatem huiusmodi obtinent, ut praefertur, praeceptum nostrum huiusmodi contemnentes, illos seu illas, quos seu quas ultra unum vel unam ex prioratibus, capellaniis, præceptoriis seu domibus praedictis obtinent, dimittere, ut praemittitur, recusaverint, aut eorum sive earum administrationi se ingesserint quoquomodo, nos omnes huiusmodi recusantes et ingerentes ex tunc omnibus prioratibus, capellaniis, praeceptoriis et domibus, quos et quas singuli

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

singulas licite retinere possent, volumus eo ipso esse privatos et inhabiles ad quamcumque administrationem cuiuscumque prioratus, capellaniae, praeceptoriae seu domus saepedicti hospitalis de caetero obtinendorum.

Praeceptori facultatem dat de praeceptoriis, caeterisque beneficiis providere

§ 4. Caeterum de probitate et circumspectione dilecti filii magistri hospitalis praedicti gerentes in Domino fiduciam, pleniorem sibi omnes et singulos prioratus, capellanias, praeceptorias, seu domos huiusmodi, quos seu quas tam per dimissionem, quam per privationem huiusmodi vacare continget, singulos seu singulas videlicet eorum seu earum singulis ex dictis fratribus eiusdem hospitalis idoneis, quos secundum Deum et utilitatem dicti hospitalis reputaverit meliores, super quo conscientiam suam oneramus, hac vice conferendi, illisque de ipsis providendi secundum consuetudinem dicti hospitalis in collatione seu provisione huiusmodi prioratuum, capellaniarum, præceptoriarum seu domorum alias solitam gubernari, plenam concedimus tenore præsentium facultatem.

Irritatio secus actorum.

§ 5. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum privationis, praecepti, voluntatis, concessionis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum apud Montem Flasconem decimo septimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 15 septembris 1383, pont. anno VI.

---

## VII.

*Contra officiales laicos quoquomodo personas ecclesiasticas bannientes, relegantes aut proscribentes.*

SUMMARIUM

Causae edendae constitutionis. — 1. Lata anathematis poena cavet, ne officiales quicumque laici ecclesiasticos banniant, aut quovis modo proscribant. — 2. Obstantibus derogat; — 3. Et huic constitutioni robur adiicit firmitatis.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Causae edendae constitutionis.

Quia, sicut displicenter accepimus, nonnulli diversarum partium principes, marchiones, duces, comites, barones et alii nobiles, necnon potestates, capitanei, baiulivi, scabini, advocati, rectores, iudices et consules, aliique officiales et consiliarii civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum et aliorum locorum, aliique laici et laicales personae, dominium seu iurisdictionem in temporalibus obtinentes, necnon ipsarum civitatum communia et oppidorum, castrorum, terrarum et aliorum locorum universitates, non attendentes, quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas et illorum bona nulla sit attributa potestas, nihilominus ministros Ecclesiae, etiam interdum in dignitatibus constitutos, temeritate propria bannire seu relegare aut proscribere non verentur.

Lata anathematis poena cavet, ne officiales quicumque laici ecclesiasticos banniant, aut quovis modo proscribant.

§ 1. Nos adversus temeritatem huiusmodi remedium apponere cupientes, omnes et singulos talia praesumentes, et ea fieri mandantes seu eorum nomine vel mandato facta, rata habentes, vel in eis faciendis dantes auxilium, consilium vel favorem, si singulares personae fuerint, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, status vel conditionis existant, earum videlicet singulas, si vero communitates vel universitates extiterint, omnes et singulos earum communitatum et universitatum potestates, capitaneos, baiulivos, scabinos, advocatos, rectores, iudices, consules et officiales, quocumque nomine censeantur, ac consiliarios et privatas personas, quae huiusmodi sacrilegii principaliores patratores existerent, excommunicationis sententias incurrere, necnon quamlibet earumdem communitatum seu universitatum

ac illa ipsorum principum, marchionum, ducum, comitum, baronum, nobilium et aliorum quorumcumque laicorum et laicalium personarum talia praesumentium, in quibus talia fierent, civitates, terras, oppida, castra et alia loca, ecclesiastico interdicto subiacere volumus ipso facto.

Obstantibus derogat:

§ 2. Nullusque ab eisdem sententiis per alium, quam per Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulo, possit absolvi, nec interdictum huiusmodi per alium etiam relaxari. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum propriis nominibus mentionem, et quibuslibet constitutionibus, privilegiis et literis apostolicis contrariis, de quibus etiam plena et expressa in nostris fieri oporteat mentionem.

Et huic constitutioni robur adiicit firmitatis.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et concessionis infringere *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, quarto idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 10 decembris 1383, pont. anno VI.

## VIII.

*Reprobatio pignorum seu sportularum occasione litigiorum iudicibus ecclesiasticis quovis modo exhibendorum* (1).

SUMMARIUM

In ecclesiasticis quam sit reprehensibilis ipsa mali species. — 1, 2. Sportulas iudicibus ecclesiasticis dari vetat. — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

In ecclesiasticis quam sit reprehensibilis ipsa mali species.

Quamvis ab omni specie mali sit per quoslibet abstinendum, personas tamen ecclesiasticas tanto ab illa diligentius abstinere convenit, quanto in eis cuncta vitia magis reprehensibilia iudicantur.

Sportulas iudicibus ecclesiasticis dari vetat.

§ 1. Cum itaque, sicut ad apostolatus nostri pervenit auditum, in nonnullis diversarum partium ordinariis ecclesiasticis Curiis de quadam consuetudine, quae dicenda est potius corruptela, partes in ipsis Curiis litigantes, sive litigare volentes seu earum altera, de decima seu vigesima aut alia parte litis secundum diversitatem locorum pignora seu sportulas, alias *Pignus Bandi* nuncupata, dare seu deponere compellantur, quae postea in finalem litis eventum domini seu officiales ipsarum Curiarum de ipsa consuetudine sibi retinent et appropriant pro ipsorum libito voluntatis.

§ 2. Nos huiusmodi corruptelam seu consuetudinem canonibus et bonis moribus inimicam auctoritate apostolica reprobantes, praesentium tenore districtius inhibemus, praecipiendo mandantes universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, electis et aliis quibuscumque locorum ordinariis et personis ecclesiasticis, iurisdictionem spiritualem vel temporalem obtinentibus, ne de caetero pignora seu sportulas aut res alias, quocumque nomine censeantur, occasione praedicta aut alio quovis modo vel colore petere, exigere, vel fieri seu dari facere seu mandare quoquomodo praesumant.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis et constitutionis infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum quarto idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 10 decembris 1383, pont. anno VI.

## IX.

*Approbatio et ratificatio Ordinis Fratrum Sancti Pauli Primi Eremitae in Ungariae partibus a Ioanne PP. XXII instituti* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Fratribus hisce a Ioanne XXII tradita regula S. Augustini. —

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

2. Eis confirmatur ab Urbano. — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Apostolicae servitutis nobis iniunctae desuper officium mentem nostram excitat et inducit, ut circa ea, quae statui prospero personarum sub religionis habitu studio vacantium piae vitae ad perseverantiam divini servitii opportuna prospicimus, operosis studiis intendamus.

Fratribus hisce a Ioanne XXII tradita regula S. Augustini. § 1. Olim siquidem felicis recordationis Ioannes Papa XXII praedecessor noster dilectis filiis priori generali et fratribus S. Pauli Primi Eremitae in Ungaria et aliis mundi partibus contitutis, Ordinis Sancti Augustini, regulam eiusdem sancti Augustini per eos et successores ipsorum in locis suis, quae habebant et praestante Domino haberent imposterum, perpetuis futuris temporibus observandam auctoritate apostolica concessit, ac nonnulla alia indulsit priori et fratribus supradictis, nosque postmodum huiusmodi privilegium dicti Ioannis praedecessoris duximus innovandum.

Eis confirmatur ab Urbano. § 2. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dictorum prioris et fratrum petitio continebat, quidam curiosi ac simplices se de ipsis, quae non multum expediunt, intromittere volentes, ipsis priori et fratribus et eorum Ordini, pro eo quod in praedicto privilegio verbum confirmationis seu approbationis non exprimitur, sed eis dumtaxat dicta regula conceditur, palam et occulte detrahant, et de ipsis obloquantur, pro parte ipsorum prioris et fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super praemissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de ipsorum prioris et fratrum vita et institutis sumus plenarie informati, eis in praemissis providere volentes, consideratione etiam carissimi in Christo filii nostri Ludovici regis Ungariae illustris ipsorum regis, ac prioris et fratrum in hac parte supplicationibus inclinati, praedictum Ordinem dictorum prioris et fratrum sub dicta regula et habitu, quem gestant, auctoritate apostolica tenore praesentium ratificamus et etiam approbamus.

Clausulae. § 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum ratificationis et approbationis infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum secundo idus martii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 14 martii 1384, pontif. anno VI.

---

## X.

*Fratribus Ordinis Servorum Sanctae Mariae nullam antehac in Urbe domum habentibus ecclesia Sancti Marcelli conceditur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae concessionis. — 2. Ecclesia S. Marcelli, in qua canonici degebant, fratribus S. B. M. conceditur. — 3. Data exequendi facultas Iacobo episc. Aretino. — 4. Obstantium derogatio. — 5. Alieno iuri cautum.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Iacobo episcopo Aretino, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium. Apostolicae servitutis officium desuper nobis iniunctae mentem nostram ad ea incitat et inducit, quae pro statu personarum sub religionis habitu studio vacantium piae vitae salubriter ampliando opportuna conspicimus: illaque favore prosequimur opportuno.

Causae concessionis. § 1. Sane nuper dilectus filius noster Andruinus tituli S. Marcelli presbyter cardinalis nobis exposuit, quod Ecclesia S. Marcelli de Urbe, quae titulus sui cardinalatus existit, magnam habet curam animarum, et quod in ipsa Ecclesia, licet octo canonicos habeat, quorum unus dumtaxat inibi residet, modicus vel quasi nullus servatur cultus divinus, ac iidem canonici ad divinum Officium sufficien-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

tes aut dispositi non existant: dictaque Ecclesia in suis aedificiis nimium est collapsa ac etiam ruinosa; quodque idem cardinalis praedictam Ecclesiam ad religiosos transferri, et in ea tot fratres Servorum Sanctae Mariae Ordinis Sancti Augustini, qui in dicta Urbe nullum locum habent, et quorum unus sit prior, qui curam aliorum fratrum et parochianorum dictae Ecclesiae habeat, creari et institui, quot poterunt ex ipsius Ecclesiae fructibus congrue substentari, desiderat et affectat.

Ecclesia S. Marcelli, in qua canonici degebant fratribus S. B. M. conceditur.

§ 2. Quare pro parte dicti cardinalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum prior generalis dictorum fratrum in dicta Urbe sit praesens, et ad reparationem dictae Ecclesiae paratum se offerat atque promptum, pluresque parochiales Ecclesiæ de dicta Urbe per religiosos sint solitae gubernari, dictam Ecclesiam ad huiusmodi religiosos transferri, et ibidem fratres creari et institui praedictos, ita quod, cedentibus vel decedentibus dictis octo canonicis, ac aliis presbyteris et clericis perpetuis beneficiatis in eadem Ecclesia, vel suos canonicatus, praebendas ac officia quomodolibet dimittentibus, fructus, redditus et proventus huiusmodi canonicatuum, praebendarum ac beneficiorum, necnon possessiones et bona quaecumque ad dictos canonicos et perpetuos beneficiatos ratione suorum canonicatuum, praebendarum ac beneficiorum huiusmodi pertinentia, praedictis fratribus et eorum Ordini applicentur de benignitate apostolica mandaremus.

Data exequendi facultas Iacobo episc. Aretino.

§ 3. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus dictam Ecclesiam auctoritate apostolica ad huiusmodi religiosos transferas, et ibidem tot ex huiusmodi fratribus Servorum Sanctæ Mariae, quorum unus sit prior, et curam animarum aliorum fratrum et parochianorum dictae Ecclesiae habeat, et ipsis parochianis ministret ecclesiastica sacramenta, ibidem instituas, quot ex fructibus praedictis poterunt congrue substentari: ac statuas auctoritate praedicta et ordines, quod cedentibus vel decedentibus canonicis et beneficiatis praedictis, vel suos canonicatus et praebendas ac beneficia supradicta quomodolibet dimittentibus, fructus, redditus et proventus, ac possessiones et bona praefata ad canonicos et beneficiatos praedictos ratione canonicatuum et praebendarum ac beneficiorum huiusmodi pertinentia, ut præfertur, etiamsi ipsi canonicatus et praebendae ac beneficia sint dispositioni apostolicae quomodolibet reservata, eisdem fratribus et eorum Ordini applicentur eo ipso. Ac nihilominus eisdem priori et fratribus, post quam in dicta Ecclesia creati et instituti fuerint, etiam locandi et arrendandi (1) fructus, redditus et proventus, iura et obventiones canonicatuum et praebendarum ac beneficiorum praedictorum a canonicis et beneficiatis praedictis illa obtinentibus, quandiu ipsi canonici ea obtinuerint, pro certo pretio eiusdem canonicis et beneficiatis annuatim persolvendo: ita quod si dictis canonicis et beneficiatis satisfiat, ipsi ad huiusmodi canonicatus et praebendas ac beneficia redire non valeant, auctoritate praedicta licentiam largiaris: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, privilegiis ac literis apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus Ecclesiae et Ordinis praedictorum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui, apostolica vel alia quavis auctoritate, in eadem Ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi canonicatibus et praebendis ipsius Ecclesiae speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis par-

(1) *Arrendare, arrentare*, ad censum ponere, ad censum annuum vel ad emphyteusim praedium locare (Ducange).

tibus generales Apostolicae Sedis vel legatorum eius literas impetrarint: etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas literas et processus habitos per easdem et quaecumque inde secuta, ad huiusmodi canonicatus et praebendas ac alia beneficia ipsius Ecclesiae volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem canonicatuum, praebendarum ac aliorum beneficiorum praeiudicium generari, seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Alieno iuri cautum.

§ 5. Nos enim dicto cardinali et suis successoribus praedictum titulum obtenturis in dicta Ecclesia ac ipso priori et fratribus, dum inibi fuerint, necnon parochianis dictae Ecclesiae omnem iurisdictionem, correctionem ac iustitiam reservamus, quam in canonicis et beneficiatis ac parochianis dictae Ecclesiae ipsius cardinalis praedecessores dictam Ecclesiam obtinentes habuerunt, et idem cardinalis habere noscitur de praesenti. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, septimo idus decembris, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 7 decembris 1384, pont. anno VII.

---

## XI.

*Sanctorum Petri et Pauli apostolorum icones argenteas deauratas gemmisque pretiosis elegantissime elaboratas, quarum altera, scilicet beati Petri, de ligno Crucis Domini nostri Iesu Christi particulam in vertice retinet, et in quibus Ss. Apostolorum eorumdem capita sunt recondita, aliasque nonnullorum sanctas reliquias decenter ornatas in sacrosancta Lateranensi Ecclesia asservatas auferentes, diripientes seu alias quomodolibet depraedantes excommunicationis vinculo innodantur, perpetuaeque infamiae poena plectuntur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Hae reliquiae unde sumptæ. Eas, earumque ornamenta auferentes quibus subiecti poenis. — 2. Aliae poenae temporales. — Filiorum quoque poenae. 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sacrilegorum damnanda praesumptio eo est gravior, et durius castigari meretur, quo in locis venerabilioribus rebusque sacrioribus fuerit perpetrata.

Hae reliquiae unde sumptae.

§ 1. Cum itaque nos, ad reverentiam Dei et beatissimorum apostolorum suorum Petri et Pauli, duas eorumdem apostolorum imagines argenteas deauratas ac margaritis et lapidibus pretiosis ornatas, ponderis milleducentarum marcharum argenti, super quarum alteram, videlicet verticem Beati Petri, est una crux aurea, parva, gemmis pretiosis ornata, in qua est de ligno Crucis Domini nostri Iesu Christi, decoro sumptuosoque opere fecerimus fabricari, ac in Ecclesia Lateranensi supra altare maius venerabiliter collocari: in eisque sacratissima capita dictorum apostolorum et alias reliquias sanctorum ibidem, ad maiorem venerationem ipsorum apostolorum et devotionem fidelium recondi, perpetuis temporibus permansura; dignum est et ad cautelam reputamus expediens quod ut ipsa Crux, capita, reliquiae et imagines duae, capsae parvae argenteæ, in quibus praefata sacratissima capita, olim in ecclesia Sancti Laurentii ad San-

Eas, earumque ornamenta auferentes quibus subiecti poenis.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

cta Sanctorum prope ipsam Lateranensem Ecclesiam consistente, retroactis temporibus fuerant conservata, custodita et intacta permaneant, poenas graves contrarium praesumentibus inferamus, omnes et singulos, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, etiamsi imperiali, regali, pontificali vel quacumque alia praefulserint dignitate, qui dicta capita, crucem, aut alias reliquias sanctorum cum eis, ut praefertur, reconditas, vel imagines aut capsas vel aliquod seu aliquem ipsorum aut alicuius eorum partem aut gemmas, margaritas, iocalia seu ornatus ipsis seu ipsarum alteri adhaerentia, palam vel occulte, violenter vel furtive, etiam de conscientia canonicorum et capituli Ecclesiae Lateranensis praefatae vel alterius ipsorum, subripere, auferre, asportare seu destruere praesumpserint, aut talia praesumentes vel praesumentium scienter socii fuerint seu ea fieri mandaverint, vel facta ipsorum nomine rata habuerint, sive in iis, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem dederint, aut eos vel praemissa subtracta seu ablata, seu aliquos vel aliqua eorumdem scienter receptaverint et retinuerint vel defensaverint, excommunicationis sententia innodamus: eorumque civitates, terras, castra et loca ecclesiastico interdicto supponimus; et si, quod detestabilius esset, populus Romanus seu Urbem regentes pro tempore, per se vel alium seu alios, perpetrando, mandando aut consentiendo, in iis excesserint, ipsi populus et Urbs, si vero universitas cuiuscumque civitatis, castri aut loci tanti criminis fuerint patratores, huiusmodi civitas, castrum aut locus praedicto subiaceant interdicto, huiusmodique sententia irretiti, quamdiu praedicta rapta et asportata detinuerint seu non restituerint, et in sua contumacia perduraverint, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et accensis candelis, per omnes Urbis et ipsius districtus necnon civitatum et dioecesum vicinarum Ecclesias parochiales, collegiatas et curatas, excommunicati publice nuncientur, nec ab alio quam a Romano Pontifice possint absolutionis beneficium obtinere, nisi dumtaxat in mortis articulo constituti: et si tunc absoluti fuerint, ecclesiastica careant sepultura: et si forsan, post absolutionem huiusmodi, convaluerint, in eamdem excommunicationis sententiam relabantur. Nullusque, nisi idem Romanus Pontifex, huiusmodi relaxare vel suspendere valeat interdictum. Et si, quod absit, personae ecclesiasticae fuerint, omnibus praelaturis et dignitatibus, etiamsi episcopales et superiores fuerint, necnon personatibus, officiis et beneficiis ac administrationibus ecclesiasticis, quas obtinerent, sint ipso facto privatae, et reddantur inhabiles ad ea et alia obtinenda.

*Aliae poenae temporales.*

§ 2. Et quia tam execrabile sacrilegium poenis multiplicibus plecti mereretur, talia praesumentes, sicut rei criminis laesae maiestatis, perpetuo sint infames et banniti, sint intestabiles, ut nec testamenti liberam habeant factionem, eorumque bona non feudalia, pro aliquali satisfactione praedictorum dictae Lateranensi Ecclesiae, absque remissionis gratia, perpetuo applicentur: feudalia vero ad suos dominos ipso facto libere revertantur.

*Filiorum quoque poenae.*

Quod si qui praedictorum reorum filios vel filium aut nepotem vel nepotes habeant per rectam lineam descendentes, beneficiatum seu beneficiatos, quibusvis beneficiis, etiamsi pontificalem adeptus vel adepti fuerint dignitatem, sint eis ipso iure privati, spe promotionis omnino sublata. Nulli praeterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem alicuius aperiatur ianua dignitatis aut honoris ecclesiastici seu mundani, seu ad alicuius loci regimen sit accessus; sit eis postulandi negata facultas; sit notorie iudicatus, et quodlibet aliud officium seu ministerium publicum interdictum: in iudiciis eorum assertio contra quemquam nihil fidei, nihil fidelitatis, nihil credulitatis inveniant, ut ad testimonium prorsus red-

dantur indigni; sit eis ad ordines et ad beneficium vel officium ecclesiasticum negatus ascensus: et, ut magis famosa sit eorum infamia, ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, super aliquo praemissorum omni spe dispensationis adempta.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum excommunicationis, interdicti et illationis poenarum infringere *etc.*

Datum apud Montem Flasconem, quinto kalendas augusti, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 28 iulii 1385, pontif. anno VIII.

---

## XII.

*Haereticis, schismaticis aliisque a sacrosancta apostolica Romana et universali catholica Ecclesia quomodolibet deviantibus, et ad eiusdem Ecclesiae unitatem, obedientiam et reverentiam redeuntibus formam professionis fidei praestandam praescribit.*

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. Redeuntibus ad Ecclesiae gremium — 2 *ad* 12. Hanc emittendam professionem praescribit. — 13. Clausulæ.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad propagationem catholicae fidei, super cuius custodia sumus, licet insufficientibus meritis, a Domino deputati, et quorumlibet gloriantium nomine christiano, sed deviantium a gremio sacrosanctae Romanae ac catholicae et apostolicae Ecclesiae, matris et magistrae cunctorum christianorum fidelium, cui, auctore ipso Domino, praesidemus, reductionem ad obedientiam et reverentiam ipsius Ecclesiae pastorali sollicitudine intendentes, viam et formam omnibus huiusmodi deviis tenemur ostendere, per quas salubriter ad dictum gremium possint accedere, in eoque perpetuo commorari.

Redeuntibus ad Ecclesiae gremium

§ 1. Sane cum, sicut laetanter audivimus, nonnulli reges, principes et alii christiani tam clerici et ecclesiasticae personae religiosae et etiam saeculares, quam laici, qui, extra obedientiam dictae Ecclesiae, extra quam non est salus, damnabiliter permanserunt hactenus et permanere noscuntur, ad dictae Ecclesiae redire seu venire desiderant unitatem ac obedientiam et reverentiam debitam et devotam; nos volentes eos dictae fidei professionem, quam debent facere, salutari edocere doctrina, infrascriptam formam, quam in talibus servari consuevit dicta Ecclesia, praesentibus fecimus annotari: volentes ac mandantes quod quilibet, qui fuit seu est schismaticus et praecisus a praefatae Ecclesiae unitate, et ad eam redire voluerit, dictam professionem in manibus alicuius praelati vel clerici aut religiosi catholici et praefatae Ecclesiae communionem habentis faciant in ipsa forma, quae talis est:

Hanc emittendam professionem praescribit.

§ 2. Ego talis profiteor et credo Sanctam Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate dignitatem coessentialem et consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis Creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia quae sunt in coelo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia.

§ 3. Item credo singulam quamque in Trinitate Personam unum Deum verum, plenum et perfectum.

§ 4. Credo ipsum filium Dei Verbum Dei aeternaliter natum ex Patre, consubstantialem, unius et eiusdem omnipotentiae et coæqualem per omnia Patri in divinitate, in tempore natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum, et homi-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

nem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum neque secundum fantasiam, sed unum et unicum Filium Dei in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana, naturis, sed in unius Personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, et die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse ad coelum, et sedere ad dexteram Patris: inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala.

§ 5. Credo etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum, verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coæqualem et coessentialem et coomnipotentem et coæternum per omnia Patri et Filio.

§ 6. Credo hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem.

§ 7. Credo sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum.

§ 8. Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam.

§ 9. Credo etiam Novi et Eeteris Testamenti, idest legis, et prophetarum, et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.

§ 10. Credo hanc esse veram fidem catholicam, et quod hanc super dictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia: et propter diversas haereses a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductas dicit et praedicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vero poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et ad poenarum huiusmodi alleviationem et liberationem prodesse eis fidelium vivorum suffragia, scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

§ 11. Credo etiam illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam vel in suis habentes corporibus vel eisdem exutae, prout dictum est superius, sunt purgatae, in coelum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana Ecclesia credit et firmiter asseverat. Et quod nihilominus in die Iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

§ 12. Credo, sicut etiam tenet et docet eadem Ecclesia Rom., septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt crismando renatos. Aliud est Poenitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum Ordinis. Aliud Matrimonium. Aliud est Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramenta Eucharistiae ex azimo sacrificat Ecclesia Romana praedicta, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transmutatur in Corpus, et vinum in Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul habere permittitur plures (1) viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas et tertias

(1) Addendum forsan: *mulieres, nec una mulier simul habere permittitur plures.*

et deinceps nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum et causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam catholicam Ecclesiam obtinet, quae se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio diffiniri: ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, sed in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae. Ipsarum episcopi obedientiam et reverentiam sibi debent: apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praecellenti dignitate et superioritate tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva. Unde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta et lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam et orthodoxam fidem esse recognosco: eam accepto et corde ac ore profiteor, ipsamque, prout eam veraciter tenet et fideliter docet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabiliter servaturum et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum et quoquomodo deviaturum promitto: et abrenuncio omni schismati. Primatum quoque ipsius sacrosanctae Romanae Ecclesiae, prout in praemissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiae obedientiam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto et sponte suscipio, et me omnia praemissa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesiae Romanae primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam servaturum, praestito corporaliter iuramento, promitto et confirmo: sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia. Quod si contra haec aliquid sentire, confiteri aut alias agere praesumpsero, me schismaticum, anathematizatum eo ipso recognosco, ac severitati sacrorum canonum subiacere.

Clausulae.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis et mandati infringere, *etc.*

Datum apud Montem Flasconem, kalendis augusti, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 1 augusti 1385, pont. anno VIII.

## XIII.

*Causarum Curiae Capitolinae cognitionem et diffinitionem etiam in gradu appellationis et in quibuscumque instantiis, iudicibus eiusdem Curiae tantummodo, caeteris Romanae Curiae iudicibus et officialibus procedendi in causis huiusmodi facultate interdicta, spectare declarat* (1).

SUMMARIUM

1. Varii appellationum iudices in Curia Capitolina statuti. — 2. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 3. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Apostolicae sollicitudinis exposcit officium, ut subiectorum intendentes utilitatibus et dispendia devitantes, litigantium, malitiis opportunis remediis occurramus.

Varii appellationum iudices in Curia Capitolina statuti.

§ 1. Dudum siquidem celerem finem imponi litibus, praesertim Romanorum civium peculiarium nostrorum et Romanae Ecclesiae filiorum, in quantum suadet ratio, cupientes, in Curia Capitolii mandavimus et fecimus ordinare, quod in ea esset unus iudex primarum appellationum, quas interponi contingeret ab officialibus Curiae supradictae, a cuius quidem iudicis

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

sententiis et aliis gravaminibus posset ad alium iudicem, quem in ipsa Curia esse, et maiorem iudicem secundarum appellationum nuncupari volumus, appellari: quodque ab ipsius iudicis maioris diffinitionibus et sententiis nemini appellare vel reclamare, aut in integrum restitutionem petere liceret: et si secus forsan fieri contingeret, omnes processus et sententias quorumcumque iudicum Romanae Curiae contra ordinationem huiusmodi ex tunc forsitan faciendos, eo ipso voluimus esse irritos et inanes ac nullius penitus firmitatis.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli tam Romani cives, quam alii de foro dictae Curiae Capitolii existentes, contra quos in ipsa Curia, exigente iustitia, tres diffinitivae sententiae sunt legitime promulgatae, exequutionem iustitiae et sententiarum huiusmodi fugere per frivolarum appellationum, quas ad nos interponunt, diffugia moliantur, se ipsos partemque adversam vanis expensis et laboribus nequiter fatigando; nos talium obviare malitiis cupientes, vicecancellario et camerario nostris, ac Camerae nostrae, utrisque auditoribus causarum palatii apostolici, qui sunt et pro tempore fuerint, tenore praesentium districtius inhibemus, ne ipse vicecancellarius super huiusmodi appellationibus interpositis, seu interponendis a quibuscumque sententiis vel gravaminibus officialium seu iudicum dictae Curiae Capitolii, aut primarum et secundarum appellationum praedictorum auditores dare nec ipsi camerarius et auditores in huiusmodi causis ad eos delatis seu commissis eisdem contra dictam ordinationem de caetero procedere quoquomodo praesumant: sed ipsas causas et partes earum ad priores iudices seu officiales, a quibus appellatum extitit, remittere non postponant: ac ex nunc irritum decernimus et inane quidquid contra inhibitionem nostram huiusmodi contigerit imposterum attentari.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis et decreti infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 28 novembris 1385, pont. anno VIII.

---

## XIV.

*Institutio Universitatis Studii generalis ad normam Academiae Parisiensis in urbe Coloniensi* (1).

### SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Coloniensium erga Romanam Ecclesiam merita. — 2. Coloniensis Academiae institutio cum applicatione privilegiorum Universitatis Parisiensis. — 3. De laureandis. — 4. Licentiatorum privilegia. — 5. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

In supremae dignitatis apostolicae specula superni dispensatione consilii, licet immeriti, constituti, ad universas fidelium regiones nostrae vigilantiae creditas, earumque profectus et commoda, tamquam universalis gregis Dominici pastor commissi nobis, speculationis apicem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quaerendum literarum studia et scientiae margaritam, cuius acquisitio, dum invenitur, gloriosa est et fructus suavissimi, per quam pelluntur ignorantiae nubila, ac erroris eliminata caligine, mortalium curiosa solertia suos actus et opera disponit et ordinat in lumine veritatis, per quam etiam divini Nominis fideique catholicae cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica, quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur.

Ob hoc igitur magno, nec mirum, desi-

(1) Ex Oper. Diplomat. Mirai, tom. II, pag. 1253.

derio ducimur, ut literarum studia in quibus pretiosa ipsius scientiae margarita reperitur, laudanda suscipiant incrementa frequentius, praesertim in locis illis, quæ ad multiplicanda doctrinae semina et germina salubria producenda apta et idonea dignoscuntur.

Coloniensium erga Romanam Ecclesiam merita.

§ 1. Nos praemissa attendentes, et etiam fidei puritatem et devotionem eximiam, quam dilecti filii N. N. consules, scabini, cives et Commune civitatis Coloniensis, devoti nostri et Ecclesiae Romanæ filii, ab olim ad ipsam Ecclesiam et nos habuisse dignoscuntur, illamque successione temporum de bono in melius studuerunt augmentare, dignum ducimus et aequitati consonum existimamus, ut civitas ipsa, quam divina gratia multarum praerogativa bonitatum et fœcunditate virtutum gratiosa dotavit, scientiarum etiam ornetur muneribus et etiam amplietur, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos honoribus, et diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi, qui literarum imbui cupiunt documentis.

Colon. Academ. institutio cum applicatione privilegiorum Universitatis Parisiensis.

§ 2. Praemissis igitur diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsius civitatis, sed etiam regionum circumiacentium, incolarum commodum et profectum, paternis affectionibus anhelantes, dictorum etiam consulum, scabinorum, civium et Communis gratiam nostram suppliciter implorantium, in hac parte devotis supplicationibus favorabiliter annuentes, ad laudem divini Nominis et fidei propagationem orthodoxae, auctoritate apostolica statuimus et etiam ordinamus, ut in dicta civitate Coloniensi sit de caetero Studium generale ad instar Studii Parisiensis, illudque perpetuis futuris temporibus vigeat tam in theologiae et iuris canonici, quam alia qualibet licita facultate, quod legentes et studentes ibidem omnibus libertatibus et immunitatibus concessis magistris in theologia, ac doctoribus legentibus et studentibus commorantibus in dicto Parisiensi Studio generali gaudeant.

De laureandis.

§ 3. Insuper civitatem et Studium praefata ob profectus publicos, quos exinde provenire speramus, amplioribus honoribus prosequi intendentes, auctoritate ordinamus eadem, ut si qui in eodem Studio Coloniensi fuerint, qui processu temporis bravium meruerint in illa facultate, in qua studuerunt, obtinere, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac magisterii seu doctoratus honorem petierint elargiri, per magistrum seu magistros, doctorem vel doctores illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, praeposito Ecclesiae Coloniensis, qui pro tempore fuerit vel, eo absente, idoneo, quem ad hoc idem praepositus duxerit deputandum, vicario vel, praepositura ipsius Ecclesiae vacante, illi qui ad hoc per dilectos filios capitulum ipsius Ecclesiae deputatus extiterit, praesententur: idemque praepositus vel vicarius, aut deputatus, ut praefertur, magistris et doctoribus in eadem facultate actu inibi regentibus convocatis, illos sic praesentatos in iis, quae circa promovendos ad magisterii seu doctoratus honorem requiruntur, iuxta modum et consuetudinem, quae circa consuetudinem quae (1) super tali in generalibus Studiis observantur, observatis, examinare studeat diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, et magisterii seu doctoratus honorem conferat et etiam largiatur.

Licentiatorum privilegia.

§ 4. Illi vero, qui in eodem Studio dictae civitatis examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine et approbatione alia legendi et docendi tam in civitate praedicta, quam in singulis aliis generalibus Studiis, in quibus voluerint legere et docere, statutis et consuetudinibus contrariis apostolica vel quacumque firmitate alia robo-

(1) Duplicata, ideo omitt. put. verba *circa consuetudinem quae*. Vide superius locum parallelum in Const. IV Urb. VI, pag. 585.

ratis nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti et ordinationis infringere, *etc.*

Datum Perusii duodecimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 21 maii 1388, pontif. anno XI.

---

## XV.

*Terra Montis Regalis (nunc vulgo* Mondovì*) in civitatem, et Ecclesia S. Donati in cathedralem erigitur* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Causae novae faciendae erectionis. — 2. Erectio episcopatus Montis Regalis. — 3. Capituli assignatio. — Quae in nova civitate episcopo Astensi competebant novo episcopatui conceduntur. — 4. Dos novo episcopo et canonicis a Communi novae civitatis danda. — Vicarii dos. — 5. Conventio quaedam confirmata. — 6. Metropoliticum Mediolanensis Ecclesiae ius supra novam Ecclesiam. — 7. Clausulae.

**Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium

Salvator noster, cuius nutui cuncta subserviunt, in agro huius mundi messem multam et operariorum raritatem attendens, dominum messis rogandum ut in illam operarios mitteret, censuit. Et ipse Idem exiens mane veluti pater familias diligens, horis variis operarios in vineam suam misit. Romanus itaque Pontifex, qui sicut, eodem Domino disponente, vicarius Eius in terris esse dignoscitur, et sic Ipsius actibus, in quantum sinit humana fragilitas, se conformare tenetur, ubi superexcrescere messem, populi videlicet multitudinem, viderit, operarios debet opportunos adiicere, et iuxta propheticum verbum augere custodiam, locare custodes, et cultores idoneos in dominicam vineam destinare.

§ 1. Cum igitur in Terra de Montevico, quae usque in praesentem diem fuit Astensis dioecesis, adeo, ut ipsa facti notorietas manifestat, benedicente Domino, crevit populi multitudo, ut terra ipsa personarum numerositate et aliis Domini benedictionibus ultra civitates quamplures sit foecunda; accedit etiam, quod cum Ecclesia Astensis latam et diffusam dioecesim habeat, in qua civitate Astensi degit populus numerosus: in tanta personarum multitudine singulorum vultus apte nequit unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere, estque onerosum atque difficile in tam lata et diffusa diœcesi ad unum tantum a tot personis ecclesiasticis et mundanis recursus haberi.

Causae novae faciendae erectionis.

§ 2. Nos praemissa attenta meditatione pensantes et in hac populi videlicet multitudine operariorum utilium numerum augere volentes: ex quibusdam aliis etiam rationabilibus suadentibus causis, ex certa nostra scientia, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, ad Dei laudem et gloriam et exaltationem Ecclesiae sanctae suae, divini cultus augumentum, fideliumque salutem, terram praedictam cum parte eiusdem dioecesis, quam quidem partem certis distingui limitibus fecimus, cum omnibus personis ecclesiasticis et saecularibus degentibus, ac rebus existentibus in eiusdem terrae parte ab omni iurisdictione, potestate et subiectione episcopi pro tempore Astensis, et dilectorum filiorum capituli Astensis et eiusdem Astensis Ecclesiae prorsus eximimus et perpetuo liberamus, ipsamque terram in civitatem erigimus, et civitatis titulo et insigniis decoramus, eamque in memoriam indelebilem eorum, quæ circa haec in parte geruntur, civitatem Montis Regalis perpetuis futuris temporibus volumus nuncupari, et insuper collegiatam Ecclesiam Sancti Donati in huiusmodi nova civitate sitam in cathedralem Ecclesiam similiter erigimus et constituimus de consilio et potestate praedictis, sponsum proprium et idoneum, Deo auctore, per Apostolicae Sedis providentiam

Erectio episcopatus Montis Regalis.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

habituram, cui sponsus ipse praesit pariter atque prosit.

Capituli assignatio,

§ 3. Statuentes ac de ipsis consilio et potestate decernentes, ut in huiusmodi Ecclesia de novo in cathedralem erecta totidem sub eiusdem nominibus, ac in dicta Astensi Ecclesia, dignitates existant, necnon decem canonicorum capitulum facientium numerus, quorum aliqui, singuli videlicet singulas, ex eiusdem dignitatibus ipsius Ecclesiae Montis Regalis obtineant perpetuis temporibus. Caeterum de consilio et potestate praedictis statuimus et etiam ordinamus, quod personae tam ecclesiasticae, quam saeculares in eisdem nova civitate et parte degentes, praesentes et posterae, quemadmodum episcopo et capitulo et Ecclesiae Astensi praefatis, in spiritualibus, coniunctim vel semotim, teneantur obedire, et sint ordinario iure subiecti. Ad haec omnia et singula possessiones et bona ac iura, quae in praedicta civitate Montis Regalis, et parte ad episcopalem mensam, necnon ad praefatos capitulum et Ecclesiam Astensem usque modo, coniunctim vel divisim, pertinuerunt, etiamsi feudalia et emphiteutica, censualia, vel huiusmodi quaecumque, quotcumque fuerint et in quibuscumque consistant, quae per loca et vocabula, confines, qualitates, quantitates et valorem ipsorum haberi volumus praesentibus pro expressis et sufficienter specificatis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ab eisdem mensa et capitulo et Ecclesia Astensi praesentium tenore subtrahimus et omnimodo separamus, illaque omnia et singula cum dictis iuribus et pertinentiis quemadmodum ad mensam, capitulum et Ecclesiam Astensem praedictos usque nunc communiter vel divisim pertinuerunt, ita episcopali mensae et dicto capitulo et Ecclesiae Montis Regalis communiter vel divisim applicamus et in eorum dote volumus computari. In Ecclesia quoque Montis Regalis divina præfata peragantur officia iuxta ritum, modum et consuetudinem ibidem hactenus usitatos.

Quae in nova civitate episcopo Astensi competebant novo episcop. conceduntur.

Dos novo episcopo et canonicis a Communi novae civitatis danda.

§ 4. Demum volumus, et de ipsius consilio et potestate mandamus, quod si fructus, proventus, redditus possessionum vel bonorum ab eisdem mensa, capitulo et Ecclesia Astensi subtractorum, et mensae, capitulo et Ecclesiae Montis Regalis praefatis applicatorum, per nos, ut praefertur, necnon possessionum, bonorum, quae dicta Ecclesia in cathedralem erecta in praesentiarum canonice possidet, non tantum forsan secundum communem existimationem valerent annuatim, quod ex illis dictus episcopus sexcentos et singuli ex praedictis decem canonicis singulos quinquaginta florenos auri singulis annis percipere possent, dilecti filii, Commune Montis Regalis, civitatis supradictae, de bonis eorum eisdem episcopo et canonicis, id quod ex dictis florenorum summis deesset anno quolibet tamdiu supplere, donec dictum Commune alias possessiones et bona de quibus huiusmodi suppletio sufficienter fieri possit, propriis sumptibus iustis titulis acquisierint, ipsique episcopo Montis Regalis domos pulchras et honestas, in loco honesto et congruo sitas, in quibus ipse episcopus suique successores episcopi Montis Regalis, qui pro tempore fuerint, cum eorum familia congrue pro dignitatis pontificalis decentia habitare valeant, tradere ex iure proprio et in perpetuum, et hac vice dumtaxat suis expensis episcopo Montis Regalis de novo creando de mitra, annulo et baculo pastorali, calice, libris, caeterisque indigentiis et necessariis ad ornamentum pontificalis dignitatis et ipsius Ecclesiæ erectae in cathedralem requisitis providere. Et quia dictus episcopus Astensis ad exercitium iurisdictionis temporalis ad se pro nunc in huiusmodi nova civitate pertinentis consueverat deputare unum vicarium, cui ratione huiusmodi vicariatus officii trecentos et quinquaginta florenos auri annuatim solvere tenebatur, vicario, quem ipse episcopus Montis Regalis de novo creandus et sui in perpetuum

Vicarii dos.

successores ad exercitium iurisdictionis huiusmodi deputaverint, similiter 350 florenos auri singulis annis de propriis ipsorum Communis bonis persolvere, prout etiam praefati Commune voluerunt, et ad id per eorum ambasciatorem et syndacum se sponte obtulerunt et efficaciter obligaverunt, omnimode teneantur, ipseque episcopus et Ecclesia Montis Regalis ac successores huiusmodi solutione salarii dicti vicarii in perpetuum sint penitus liberati, et quod omnia privilegia, iura et bona dictae Ecclesiae Sancti Donati qualitercumque concessa et in quorum possessione pacifica in praesentiarum canonice extitit, eidem permaneant illibata: non obstante quod dicta Ecclesia in cathedralem, ut praemittitur, sit erecta.

Conventio quædam confirmata.

§ 5. Deinde vero, auctoritate apostolica approbantes et ratificantes omnia et singula gesta, firmata et concessa, ordinata et conventa coniunctim vel divisim inter dilectos fratres nostros Nicolaum tituli Sancti Ciriaci, et Petri, Sanctae Anastasiae, presbyteros, et Franciscum Sancti Eustachii diaconum, cardinales, ex commissione eisdem per nos factae vivae vocis oraculo nomine Romanae Ecclesiae ex una parte, et syndacum Communis Montis Regalis ex altera parte, non obstantibus aliquibus expressis in contrarium facientibus, quae huic confirmationi nihil habeant in aliquo derogare, volentes praedicta gesta, ordinata, firmata, concessa perpetuis temporibus duratura et efficaciter observari, ac si praesenti forent privilegio declarata, patentibus de praemissis publicis documentis.

Metropoliticum Mediolan. Ecclesiae ius supra novam Ecclesiam.

§ 6. Volumus insuper quod episcopus qui pro tempore fuerit, Ecclesia et capitulum Montis Regalis praedictum, prout quemadmodum praefati episcopus et capitulum et Ecclesia Astensis subsunt archiepiscopo pro tempore existenti, et Ecclesiae Mediolanensi, metropolitano iure subsint.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, erectionis, decorationis, statuti, consuetudinis, ordinationis, subtractionis, separationis, applicationis, mandati, voluntatis infringere, *etc.*

Datum Perusii, sexto idus iunii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 8 iunii 1388, pontif. anno XI.

---

# BONIFACIUS IX

## PAPA CCIII

*Anno Domini MCCCLXXXIX.*

Post Urbani VI obitum, cardinales, qui illi adhaeserant, conclave ingressi, die 2 novembris anni 1389 in Romanum Pontificem elegerunt Petrum Tomacellum Neapolitanum, S. R. E. presbyterum cardinalem tituli S. Anastasiae, qui, septimum post diem consecratus, Bonifacius voluit appellari: sedit in pontificatu annos XIV, menses XI, uno minus die: imperantibus in Oriente Emanuele, in Occidente Venceslao, mox Ruperto Bavaro, imperatoribus. Obiit die 1 octobris 1404, et sepultus est ad S. Petrum. Vacavit, post eius obitum, sedes dies XVI.

Mortuo, ut superius vidimus, Clemente VII, qui contra Urbanum VI fuerat electus, cardinales qui sequuti eum fuerant, die 28 septembris, anno 1394, elegerunt in pseudo-papam Petrum de Luna, diaconum cardinalem S. Mariae in Cosmedin, qui Benedicti XIII nomen sumpsit. Male adeptam, raptamque potius dignitatem ægre quidem dimisit in Concilio Constantiensi. Obiit vero mense septembris, anno 1424.

I.

*Institutio festivitatis Visitationis B. Mariae Virginis pro die 2 iulii, cum adhortatione ad ieiunium vigiliae, indulgentiisque pro interessentibus officiis dictae festivitatis, ex constitutione Urbani VI.*

SUMMARIUM

Procemium. — Incarnationis mysterium. — Virginis Mariae elogium. — 1. Eius humilitas in visitando Elisabeth. — 2. Sequuntur Mariae encomia. — 3. Festum Visitationis ab Urbano institutum — Cum duplici officio, ieiunio et octava. — 4. Officio et missae huiusmodi praesentibus indulgentias concessit. — 5. His firmatis, ad huiusmodi festi publicationem et observantiam episcopos caeterosque adhortatur. — 6. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Procemium.

Superni benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam misericordi pietate respiciens, etiam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, illam miro decrevit consilio relevandam, ut scilicet Verbum Supernum, quod erat in principio, eam a mortis nexibus liberaret. Igitur pii Patris, qua nos dilexit caritas, temporis veniente plenitudine, Verbum ipsum aeternum, sub forma servi, carnem nostrae mortalitatis assumere, ut eamdem mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam simul et maculam, quam, per reatum primi hominis, generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clemens Verbi aeterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davidica præelegit Virginem in cuius utero, mystico spiramine, Verbum ipsum carnem susciperet, ut egrederetur, iuxta verbum propheticum, Virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascenderet, et requiesceret Spiritus Domini super eum; perfectam reginam, inclytam matrem eligens, quae tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum praeparare, de quo tamquam sponsus prae filiis hominum procederet speciosus, locum in Nazareth, quae flos sive sanctitatis dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo, per angelicae salutationis eloquia, ipsius incarnati Verbi mysteria miraque fuerunt solemnia celebrata. Ibi enim sumpsimus nostrae redemptionis exordia, ibique primum dies sanctificationis illuxit, qui nobis de salute spem intulit et de aeternitate laetitiam. In hoc etenim tantae foecunditatis loco Virgo regia venustissima a Domino conservata, flos sanctitatis, vas caelestis gratiae mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, Redemptorem gentium Virgo concepit datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis.

Incarnationis mysterium.

Virginis Mariae elogium.

Eius humilitas in visitando Elisabeth.

§ 1. Sane ipsa Regina caelorum, in cuius se clausit viscera Dei Filius factus homo, ex tanti honoris fastigio sibi per angelum nunciato, nequaquam elationis assumpsit spiritum, sed tamquam ancilla humilis, quamvis mater effecta Domini, humilitatis suae, quam respexit Dominus, exequens officium, exurgens abiit in montana ad Elisabeth cognatam suam, quae vocabatur sterilis, iam semestri praegnantem, cum festinatione: et quemadmodum ab angelo humillime salutationis susceperat oraculum, sic etiam ipsa Elisabeth humiliter salutavit; Elisabeth vero, ut salutationem audivit Virginis gloriosae, repleta Spiritu Sancto, et incarnati Verbi mysterium in utero sentiens virginali, voce magna exclamavit et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit prae gaudio infans in utero meo: et beata quae credidisti, quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi a Domino.

Sequuntur Mariae encomia.

§ 2. Ad quam Virgo veneranda, in humilitatis spiritu, respondens, illud mirabile canticum decantavit: Magnificat anima

mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. O magnum mysterium, o admirabile commercium, o ineffabile sacramentum, ut matres de pignoribus, quae gestabant in uteris, in spiritu praesentirent et etiam prophetarent et, ut sacri Evangelii pandit historia, caeli regina gravida partu consecranda divino, pro humilitatis amplioris signaculo, praecursoris sui, quem gestabat, Filii, genitrici gravidae humanitatis impendit obsequium: quo impenso, completoque huiusmodi visitationis quasi trium mensium tempore, in domum suam est reversa. Haec est enim illa de qua sacra canunt elogia: Sole amicta, Lunam habens sub pedibus, Stellis coronari meruit duodenis. Haec est enim illa quae in suis castis visceribus caeli terraeque gestavit Opificem, et sola cunctas haereses interemit, et pro christiano populo, ut advocata strenua et exoratrix pervigil, ad Regem, quem genuit, intercedit.

Festum Visitationis ab Urbano institutum

§ 3. Igitur felicis recordationis Urbanus Papa sextus, praedecessor noster, dignum reputans et debitum ut festum Visitationis ipsius B. Mariae Virginis, quando, ut praefertur, visitavit Elisabeth, in Dei Ecclesia celebretur, pio testimonio sancti suffultum Evangelii humanis nequit rationibus detrectari: ac attendens quod laudes tantae Virginis humana lingua non sufficit exprimere, nec etiam sancti et iusti Eam, in cuius Ille, quem caeli capere non poterant, se contulit aula virginali, dignis laudum praeconiis ad plenum efferre poterunt: et considerans quod ex quo Dominum in sanctis suis laudare iubemur, quanto magis, in veneratione B. Mariae Virginis matris ipsius, exultantibus animis collaudare, et eius laudum augendo titulos, gratias referre, quem genuit, Filio debeamus, quae etiam, exaltata super sydera, stellato consedit sui solio Genitoris, nec etiam divinae visus fuisset resistere voluntati, quae tam sibi, quam aliis viris devotis ad huiusmodi sanctam festivitatem celebrandam, ut pie idem praedecessor credidit, dignata fuit mentem inspirare, deliberatione etiam super hoc matura praehabita, de fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, de quo numero tunc eramus, consilio, ad exaltationem fidei catholicae digne et rationabiliter, videlicet sexto idus aprilis, pontificatus sui anno undecimo, statuit ut festum praefatum, videlicet Visitationis B. Mariae Virginis, quando, ut praefertur, visitavit Elisabeth sexto nonas iulii, annis singulis, in Dei Ecclesia, cum laudum cantico, laetitiae iubilo cordisque tripudio, sub duplici officio, per orbem universum solemniter celebraretur. Suasit etiam et consuluit idem praedecessor, ut ipsius festi vigilia, ut vigilia Nativitatis et Assumptionis praedictae Virginis festivitatum etiam in observatione ieiunii devotius observaretur. Et mandavit quod simile, non tamen duplex officium absque alicuius Sancti commemoratione, exceptis primis vesperis ante octavam apostolorum Petri et Pauli, et officio totius diei octavae, cum commemoratione tamen eiusdem novi festi, per septem sequentes dies in Dei Ecclesia cum celebritate debita decantetur.

Cum duplici officio, ieiunio, et octava.

Officio et missae huiusmodi praesentibus indulgentias concessit.

§ 4. Ac etiam volens idem praedecessor Christi fideles ad colendum tantae festum Virginis et etiam celebrandum donis spiritualibus animare, ipsosque mysticis de thesauris militantis Ecclesiae, benedictionum muneribus cupiens praevenire: omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in Ecclesia, qua idem officium celebraretur interessent, centum: qui vero missae, totidem: qui autem primi festi vesperis, similiter centum: qui autem secundis, totidem: illis vero qui primae, tertiae, sextae, nonae ac completorii officiis, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta dies: illis autem, qui per octavas festi praedicti matutinalibus, vesperorum,

missae ac praedictarum horarum officiis interessent, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisus, de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxavit.

His firmatis, ad huiusmodi festi publicationem et observantiam episcopos caeterosque adhortatur.

§ 5. Ne autem, pro eo quod, ipsius praedecessoris superveniente obitu, literae apostolicae super praemissis confectae minime extiterunt, huiusmodi constitutio dicti praedecessoris frustretur effectu: volentes et auctoritate apostolica decernentes, quod huiusmodi constitutio a dicta die, videlicet sexto idus aprilis, perinde sortiatur effectum, ac si super ea praedecessoris literae sub ipsius diei data confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes literae ad probandum plene constitutionem huiusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur: universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios Ecclesiarum praelatos monemus et hortamur in Domino, per apostolica eis scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandantes et in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus tam gloriosum festum et celebre annis singulis sexto nonas iulii, ut praefertur, devote ac solemniter celebrent, ac ieiunium vigiliae huiusmodi suadeant in augmentum meriti observari, et faciant per universas Ecclesias suarum civitatum et dioecesum celebrari, ac officium peragi supradictum: ut pia eiusdem Virginis Mariae intercessione ipsi Christi fideles, et hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna gaudia consequi mereantur.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae voluntatis, constitutionis, monitionis, hortationis et mandati paginam infringere, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, quinto idus novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 9 novembris 1389, pont. anno I.

## II.

*Camerae Apostolicae bona detinentes seu alias quomodolibet occupantes, scientes quoque et non revelantes, excommunicationis, aliisque poenis plectuntur* (1).

### SUMMARIUM

1. Humanam cupiditatem fraudibus fere semper innixam dolet. — 2. Bona Camerae occupata eidem restitui iubet. — 3. Additis dupli, — Excommunicationis, — Et privationis tum beneficiorum, tum bonorum poenis. — 4. Poenas easdem ad non revelantes vel imposterum eadem bona occupantes extendit. — 5. Publicari praesentes literas mandat. — 6. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Humanam cupiditatem fraudibus fere semper innixam dolet.

§ 1. Caeca cupiditas, inextinguibilis ardor, et sitis insatiabilis quorumdam in tantum crevit habendi, ut, experientia teste, non viis et artibus honestis atque permissis ad rem familiarem tutandam et augendam insudent; verum etiam, viis ipsis ut plurimum derelictis, et abstinere a vetitis nescientes, ac furto, fraudi, dolo malo, rapinis, occultationi, aliisque modis reprobis inhiantes, ad bona ecclesiastica ad Cameram Apostolicam et ad nos vel de directo vel ex reservatione aliqua ad nostram et eius dispositionem pertinentia, quae pro conservatione et augumento fidei catholicae ac universalis reipublicae et alimonia pauperum, aliisque piis usibus deputata sunt, avidas manus extendant: illaque rapiant, capiant, occupent et usurpent, ea restituere dictae Camerae non curantes: quidam vero alii praemissorum non ignari, vel pusillanimitate aut negligentia quadam ea gentibus dictae Camerae, per quas ad nos proveniant, non revelant in animarum suarum grave periculum, et eiusdem Camerae non modicum detrimentum.

Bona Camerae occupata eidem restitui iubet.

§ 2. Expedit ergo, ut quos Dei timor ac virtutis amor et propriae conscientiae stimulus non commovet, subse-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

cuta poena urgeat, et ecclesiastica censura percellat, ad, videlicet, occupata restituendum, et revelandum detentores illicitos, ac de caetero a similibus abstinendum, et vel sic animarum saluti et Camerae ipsius commodis eodem contextu pariformiter consulatur. Quamobrem in iis salubriter et solicite providere volentes, omnes et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiae vel conditionis existant, etiamsi pontificali aut regali seu quavis alia ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, etiamsi fuerint sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, auctoritate apostolica tenore praesentium peremptorie requirimus et monemus, eis nihilominus in virtute sanctae obedientiae, et sub infrascriptis poenis districte praecipiendo mandantes, quatenus infra unius mensis spatium, a die affixionis praesentium in valvis basilicae Principis Apostolorum et quarumdam aliarum Ecclesiarum Urbis faciendae proxime computandum, quem terminum ipsis et eorum cuilibet pro omnibus dilationibus peremptoriis, et monitione canonica assignamus, ea, quae de bonis mobilibus et stabilibus ad nos et ipsam Cameram pertinentibus etiam de illis, quae felicis recordationis Gregorii undecimi et Urbani sexti, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, vel alterius eorum fuerunt, vel spectaverunt quomodolibet ad eos aut alterum eorumdem, et quorum omnimoda dispositio, maxime cum dictus Urbanus praedecessor, Deo permittente, decesserit, est nobis et eidem Camerae reservata, occupant aut sciunt occupari, nobis vel gentibus ipsius Camerae, per quas ad nos perveniant, cum effectu restituant et revelent.

§ 3. Alioquin eo ipso poenam dupli, et si bona occupata huiusmodi valorem decem florenorum auri transcenderint, etiam excommunicationis sententiam incurrant, a qua quidem excommunicationis sententia etiam in mortis articulo, praesertim illi ex praedictis, qui Romanam Curiam sequuntur, vel in loco, ubi residet ipsa Camera, morantur, ab alio quam a Romano Pontifice non possint absolvi, et ultra poenam et sententiam huiusmodi, si personae ecclesiasticae fuerint, omnibus praelaturis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, quae obtinent absque alio hominis ministerio, sint privatae et inhabiles ad illa vel ad alia imposterum obtinenda: si vero laicales existant, omnibus feudis et bonis, quae in terris praedictae Romanae aut aliarum Ecclesiarum obtinent, etiam sint privatae, et feuda ad dominos devoluta, bona vero huiusmodi eidem Camerae confiscata.

Additis dupli, Excommunicationis, Et privationis tum beneficiorum, tum bonorum poenis.

§ 4. Caeterum, ne praesentes literae tantum in praeteritis et praesentibus consulant, sed etiam utilitatem afferant in futurum, universis et singulis cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiae vel conditionis existant, etiamsi pontificali aut regali, seu quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, etiamsi fuerint dictae Ecclesiae Romanae cardinales, eadem auctoritate districtius inhibemus, ne aliquid de bonis huiusmodi, quae ad nos et ipsam Cameram quomodolibet pertinuerint directe vel indirecte, sub quovis quaesito colore invadere, capere, detinere aut occupare praesumant. Alias personae talia praesumentes, nisi infra decem dies a praesumptionis numerandos ea restituerint aut revelaverint nobis vel dictis gentibus aut aliis, per quos ad nos perveniant, in poenas et sententias praedictas incurrant ipso facto, a qua quidem excommunicationis sententia, non nisi ut supra scribitur, absolvantur.

Poenas easdem ad non revelantes, vel imposterum eadem bona occupantes extendit.

§ 5. Praesentes quoque literas eisdem valvis mandamus affigi, ut quasi quodam sonoro praeconio et patulo indicio ad cunctorum notitiam valeant pervenire, nec aliquis de illis ignorantiam praetendere possit quovis modo, cum non sit verisimile apud aliquos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Publicari præsentes literas mandat.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum requisitionis, monitionis, assignationis, inhibitionis et mandati infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 18 septembris 1390, pontif. anno I.

---

## III.

*Damnatio ordinationum in Parlamento Angliae editarum super provisione Ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum eiusdem regni* (1).

SUMMARIUM

Qualis de singulis christianis cura Pontifici Rom. inesse debeat. — 1. Politicorum ad ius ecclesiasticum labefactandum fraudes. — Nefaria edicta. — Sacerdotiorum conferendorum ius temere occupatum. — Sacra vectigalia addicta fisco regio. — A sacrilegis regi imperito ea suggesta. — Proscripti sacras dignitates a Pontifice accipientes. — Mulcta pecuniaria ipsis intentata. — Obiecta etiam supplicia. — 2. Non spectat ad laicos sacrarum rerum administratio. — 3. Haec suadentes quas poenas incurrerint, exponit Bonifacius. — 4. Has itaque iniquas leges rescindit. — 5. Earum prohibitus usus. — 6. Iussae e publicis legum codicibus eradi. — 7. Defixi anathemate sacerdotiorum invasores. — 8. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Qualis de singulis christianis cura Pontifici Rom. inesse debeat.

Ab Eo, qui pro redemptione generis humani de intacta Virgine carnem assumere et nasci, ac tandem pati et mori dignatus est, super reges et regna nullis nostris praecedentibus meritis, sed sola sua permissione in eminenti militantis Ecclesiae specula constituti, inter gravia nostris humeris incumbentia onera, non in ultimis habemus ad omnes oves curae nostrae divina dispositione commissas, et in quibus depascuntur, regiones et loca nostrae fixae considerationis intuitum extendere, et illis pabula salubria procurare: malesana vero et contagiosa, ne se illis inficiant, declinare, et si forsan aliquae ex huiusmodi ovibus ad insalubres et pestiferas herbas vel saltus periculosos diverterint, eas, ne tabescant aut ruant, sed in iis, ut dumtaxat, quae illis vitam et salutem conservare, et foetus multiplicare valeant, pascuis diversentur, provida et solerti diligentia coercere, ut vel sic a noxiis et adversis praeserventur, et cum multiplicato fructu Domini nutriantur in caulis, nec lupi rapaces, neque venenosa contagia illis obsint, nec etiam parum sanguinis nostris de manibus requiratur.

Politicorum ad ius ecclesiasticum labefactandum fraudes.

§ 1. Sane sicut cumulata relatio quamplurium fide dignorum ad nostrum non absque gravi molestia perduxit auditum, nonnullis seditiosis viris reproba et inordinata ambitione concitatis, et non quae Dei, sed quae sua sunt, quaerentibus, cum eorum excogitatis et perastutis abusionibus carissimo in Christo filio nostro Richardo regi Angliae illustri in eius regio Parlamento pridem celebrato dolose suggerentibus, quod clarae memoriae Edwardus rex Angliae dicti Richardi regis avus ad instar clarae memoriae alterius Edwardi regis Angliae avi sui in quodam suo regio Parlamento apud West-Monasterium Londonien. certo tunc expresso tempore celebrato, de assensu magnatum communitatum regni sui ordinaverat, ut illorum verbis utamur, et stabiliverat, quod liberae electiones archiepiscopatuum et omnium aliarum dignitatum et beneficiorum in Anglia tenerent, et a modo in modo, sicut fuerant concessae per progenitores eiusdem Edwardi regis et per antecessores aliorum fundatorum, et quod omnes praelati et aliae gentes ecclesiasticae Anglican., qui haberent patronatus de quocumque beneficio de dono regis, progenitorum vel aliorum patronorum sive donatorum huiusmodi ad faciendum

Nefaria edicta.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

divinum servitium et alia onera inde ordinata haberent eorum collationes et praesentationes libere, et per modum sicut fuerant servatae per suos donatores, et in casu quo de aliquo archiepiscopatu, episcopatu, dignitate vel alio quocumque beneficio reservatio, collatio vel provisio facta forent per Curiam Romanam in impedimentum electionum, collationum seu praesentationum superius expressarum; quod tunc eodem tempore vacationum, quo tales reservationes, collationes et provisiones deberent capere effectum, de eiusdem vacationibus rex Angliae, qui tunc esset, haberet et gauderet pro illa vice collationes ad archiepiscopatus, episcopatus et alias dignitates electivas, quae essent de suo patronatu, taliter, sicut progenitores dicti Edwardi regis, ordinantis sub certa forma et conditione, videlicet ad petendum licentiam regis de eligendo, et post electionem factam de habendo assensum regium, et nullo alio modo: etsi de aliqua domo religiosorum de fundatione seu patronatu regis facta foret talis reservatio, collatio vel provisio in impedimentum liberae electionis, haberet dictus rex, qui tunc esset, illa vice collationem ad donandum ipsam dignitatem alicui personae idoneæ: et in casu quo collatio, reservatio vel provisio facta foret in Romana Curia de aliqua ecclesiastica praebenda vel alio beneficio, quae forent de patronatu gentium dictae Ecelesiae Anglicanae, unde rex superius esset fundator immediatus; tunc eodem tempore vacationis, ad quod tempus reservatio, collatio seu provisio deberent, ut praemittitur, capere effectum, dictus rex, qui tunc esset, haberet collationem et praesentationem pro illa vice, et sic de tempore in tempus ad omnes vices, quibus tales gentes dictae Ecclesiae Anglicanae forent impeditae de ipsarum praesentationibus et collationibus per tales reservationes, collationes seu provisiones, prout superius est descriptum. Salvo tamen iure patronatus et praesentationis, quando

Sacerdotiorum conferendorum ius temere occupatum.

nullae collationes seu provisiones de Romana Curia inde facta forent, vel quando dictae gentes Ecclesiae Anglicanae haberent et vellent ad eadem beneficia praesentare vel collationem facere, et praesentati sui possent effectum collationum et praesentationum suarum gaudere, et eodem modo haberent quilibet alter cuiuscumque conditionis facere praesentationes vel collationes ad domus religiosorum, quae forent de suo patronatu et ad beneficia ecclesiastica pertinentia ad easdem domos. Etsi tales patroni non praesentarent ad talia beneficia infra dimidium annum, episcopus loci conferret per lapsum temporis infra unum mensem post dictum dimidium annum, tunc dictus rex talium beneficiorum haberet praesentationes et collationes, sicut habet de aliis de patronatu seu fundatione propria, et in casu quo praesentati aliorum patronorum vel de eorum fundatoribus, vel illi, quibus rex vel patroni seu fundatores huiusmodi donassent beneficia pertinentia ad eorum praesentationes seu collationes, essent impediti per tales provisores, ita quod non possent habere possessiones de talibus beneficiis virtute praesentationum seu collationum sic eis factarum, vel illi, qui essent in possessione talium beneficiorum, forent impediti super huiusmodi suis possessionibus per tales provisores, tunc essent huiusmodi provisores et eorum procuratores et exequutores et notarii attachiati (1) per eorum corpora et positi ad responsionem suam, et si forent convicti, manerent in persona absque deliberatione ad manucaptionem in valuna, nec essent deliberati, antequam facerent suam redemptionem dicto regi ad voluntatem suam necnon satisfactionem parti, quae se sentiret gravatam: et nihilominus antequam essent deliberati, facerent plenam renunciationem et invenirent sufficientem

(1) *Attachiare*, *attachiator*, *attachiamentum*, voces forenses apud Anglos leguleios frequentes, a Gallico *attacher* deductae. Est enim *Attachiare*, reum vincire, ligare (Du Cange).

securitatem, quod non attentarent talia tempore futuro, nec alioquin processum pro se quaererent per illos nec per alios versus aliquem in dicta Romana Curia, nec alibi in aliquibus partibus pro huiusmodi manucaptionibus, redemptionibus, satisfactionibus vel renunciationibus, nec de aliquo alio facto dependente ab eisdem.

Sacra vectigalia addicta fisco regio.

Et in casu quo tales provisores, procuratores, executores et notarii non essent inventi, tunc curreret exigentia contra illos per debitum processum, et quod beneficia exirent ad capiendum corpora sua in quibuscumque partibus essent inventi, tam ad sectam dicti regis, quam ad sectam partis, et quod medio tempore dictus rex haberet commoda et proficua de talibus beneficiis sic occupatis per tales provisores, exceptis abbatiis, prioratibus et aliis domibus, quae haberent collegia vel conventus, et in talibus domibus haberent conventus sive collegia commoda et proventus, salvo totis temporibus dicto regi et aliis dominis eorum antiquo iure: et haberet hoc statutum locum tam bene de reservationibus, collationibus et provisionibus factis et concessis tempore elapso versus omnes illos, qui adhuc non erant adepti corporalem possessionem beneficiorum eis concessorum per huiusmodi reservationes, collationes et provisiones, quam versus omnes alios tempore futuro.

A sacrilegis regi imperito et suggesta.

Praefatus Ricardus rex mala, temeraria, profana et sacrilega suggestione huiusmodi circumventus in eodem Parlamento per se celebrato de assensu, ut asseritur, magnatum regni sui, ultra praemissa ordinavit et stabilivit, licet de facto, quod ordinatio superius enarrata de omnibus archiepiscopatibus, episcopatibus et aliis dignitatibus et beneficiis electivis et aliis beneficiis ecclesiasticis quibuscumque, quae inceperunt vacare de facto a certo tempore tunc expresso vel post, vel quae vacarent tempore futuro infra regnum Angliae in debita executione, de tempore in tempus servaretur in omnibus suis punctis; et si aliquis faceret aliquam acceptationem de aliquo beneficio ecclesiastico in contrarium istius statuti, et esset debite probata, ac esset ille acceptans in partibus transmarinis, maneret exulatus et bannitus pro perpetuo, et omnia bona et cathalla (1), terrae et tenimenta sua eidem regi manerent foris facta; et si esset infra regnum Angliae, esset etiam exulatus et bannitus, prout superius est expressum, et incurreret eamdem forisfacturam (2), et arriperet iter suum ita quod esset extra regnum infra sex septimanas talem acceptationem proxime sequentes, et si aliquis reciperet aliquem talem bannitum venientem de partibus transmarinis vel exeuntem infra regnum post sex septimanas antedictas sciens inde esset ille etiam exulatus et bannitus, et incurreret talem forisfacturam, ut superius est expressum, et quod procuratores, notarii, executores et apparitores sui haberent forisfacturam et poenam antedictam; et si dictus Riccardus rex mitteret per literam vel per alium modum ad Curiam Romanam ad excitationem alicuius personae, vel si aliquis alius mitteret dictae Romanae Curiae vel supplicaret unde contrarium ipsius statuti esset factum, quantum ad aliquem archiepiscopatum, episcopatum, dignitatem vel aliud beneficium ecclesiasticum infra dictum regnum, si ipse qui faceret talem excitationem vel supplicationem praelatus foret Ecclesiae sanctae, solveret dicto regi valorem terrarum et possessionum suarum immobilium unius anni, et si esset alia persona de statu inferiori, solveret regi valorem beneficii, pro quo talis supplicatio facta foret, unius anni, et quod de aliqua dignitate vel beneficio, de quo excitatio plene dicto tempore tunc expresso facta non fuerat nullius ratione alicuius reservationis, collationis vel provisionis vel alterius gratiae apostolicae cuiuscumque non excitans ante huiusmodi

Proscripti sacras dignitates a Pontifice accipientes.

Mulcta pecuniaria ipsis intentata.

(1) *Catallum*, practicis Anglis est omne bonum mobile seu immobile, quod neque tenementum neque feudum est (Du Cange). (2) *Forisfactura*, varia notione, hic mulcta vel emenda ob forisfactum, seu delictum (Id.).

tempus expressum aliquam executionem prosequeretur sub poena in hoc praedicto statuto contenta, et quod si aliquis portaret vel mitteret intra regnum vel potestatem dicti Riccardi regis aliquas citationes, sententias vel excommunicationes adversus aliquam personam cuiuscumque conditionis, motionis, facturae, consensus seu executionis dicti statuti provisorum, esset ille captus et arrestatus et positus in presona, et forisfaceret omnes terras et tenimenta, bona et chatalla sua pro perpetuo, et ultra hoc incurreret poenam vitae et membrorum, et si aliquis praelatus faceret executionem de talibus citationibus, sententiis vel excommunicationibus, essent temporalia sua appretiata, et remanerent in manibus dicti regis quousque debita reformatio et correctio inde fierent: et si aliqua persona inferioris status, quam praelati, cuiuscumque conditionis foret, talem faceret executionem, esset illa persona capta et arrestata et posita in presona, et haberet impresonamentum, et faceret finem et redemptionem secundum consilium et discretionem dicti regis.

Obiecta etiam supplicia.

Non spectat ad laicos sacrarum rerum administratio.

§ 2. Quanto igitur profundius, quanto crebrius praemissa in mente revolvimus, tanto acerbius dolemus, tanto vehementius admiramur, quod tantus princeps, tam catholicus rex, tam foecundus orthodoxae fidei zelator, tam praecipuus sacrosanctae romanae et universalis Ecclesiae venerator, tam severus laudabilium morum assertor, tanta spectabilium procerum et aliarum notabilium personarum numerositate praefulgidus, tantaque externarum et bonarum rerum affluentia copiosus, ut super eum Dominus largam benedictionem effuderit, viris talibus, si tamen viri dici mereantur, in quibus, ut apparet, refriguit charitas, intepuit fides, spes labavit, iustitia caeteraeque virtutes parvum locum aut nullum habere videntur, faciles in hoc aures praebuit, et non attentiori gravitate discussit quid ageret in praemissis; vidisset enim luce meridiana clarius, quod laicis quamvis religiosis disponendi de rebus ecclesiasticis nulla est attributa potestas, quos manet subsequendi necessitas, non auctoritas imperandi; a quibus etiam si quid statuatur, quod Ecclesiarum respiciat commodum vel favorem, nullius firmitatis existit; et talium et in talibus constitutio a sanctis Patribus destitutio vel destructio, necnon usurpatio iurisdictionis non suae veneranda approbatione censetur.

Haec suadentes quas poenas incurrerint, exponit Bonifacius.

§ 3. Tacemus de poenis et censuris gravibus, quas statuentes, ordinantes et ut talia statuta fiant consulentes, vel secundum ea iudicantes seu etiam huiusmodi statutorum scriptores contra ecclesiasticam libertatem et maxime Romanae Ecclesiae incurrunt eo ipso.

Has itaque iniquas leges rescindit.

§ 4. Et licet tam sacris canonibus, quam etiam civilibus et authenticis legibus, bonisque moribus suadentibus, sint cassa et irrita ipso facto omnia statuta et consuetudines inductae contra libertates Ecclesiarum earumque personas; et quamquam praefatum Riccardum regem, utpote filium eiusdem Romanae Ecclesiae merito diligendum, plenis complectamur affectibus caritatis, suumque honorem nec minus animae salutem, suique status et inclyti regni prosperitatatem singularibus desideriis affectemus et ad id adhibuerimus simusque dispositi adhibere cum omni effectu quantum cum Deo possumus partes nostras; ne tamen sua huiusmodi et avi ac abavi praefatorum statuta, mentes incautas vel male aedificatas plus aequo offendant, vel apud eas vindicent sibi locum, et ne vulnus, quod hac in parte ratio sanat, passio sensualitatis instauret, matura super hoc deliberatione praehabita, tam antiquioris Edwardi et subsequentis Edwardi, quam etiam Riccardi regum prædictorum ordinamenta seu stabilimenta aut statuta huiusmodi superius recitata, quae alias haberi volumus praesentibus pro sufficienter expressis et specificatis, utpote notorie contra libertatem eccle-

siasticam et Romanam Ecclesiam edita, et omnia et singula ab eis et ob ea secuta auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio tenore praesentium declaramus fuisse et esse cassa et irrita, ipsaque ex superabundanti cassamus, irritamus, et viribus vacuamus, ac nullius esse decernimus roboris, efficaciae vel momenti, et ab illorum observatione in omnibus suis clausulis omnes et singulas tam ecclesiasticas, quam saeculares personas cuiuscumque conditionis, dignitatis, status fuisse et esse liberas et absolutas, ac liberamus et absolvimus per praesentes.

Earum prohibitus usus

§ 5. Prohibemus quoque, sub poenis ab eisdem canonibus et legibus in similibus casibus inflictis, ne quis de caetero statuta praedicta vel similia servare aut innovare, vel secundum ea iudicare aut eis uti in iudicio vel extra, directe vel indirecte, publice vel occulte quoquo modo praesumat.

Iussae e publicis legum codicibus eradi,

§ 6. Mandamus insuper, sub eisdem poenis, huiusmodi statuta de omnibus libris, quaternionibus, capitularibus et regestris publicis et privatis, in quibus descripta forent, infra duorum mensium spatium a publicatione praesentium proxime computandorum, cancellari, cassari, tolli et penitus aboleri.

Defixi anathemate sacerdotiorum invasores.

§ 7. Monemus etiam, auctoritate praedicta, omnes et singulos, qui, praetextu ordinamentorum seu stabilimentorum aut statutorum huiusmodi, aliqua beneficia ecclesiastica seu canonicatus et praebendas sive dignitates, personatus vel officia cum cura vel sine cura, saecularia aut regularia, quocumque nomine nuncupentur, occupassent, et detinerent quomodolibet occupata, cuiuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiae vel conditionis existant, etiamsi pontificali vel alia quavis praefulgeant dignitate, eisque, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis et privationis omnium beneficiorum ecclesiasticorum, quae obtinent, et inhabilitationis ad illa et alia in posterum obtinenda, poenis, quas, si contrafecerint, eos incurrere volumus ipso facto, districte praecipiendo mandamus quatenus, infra terminum duorum mensium praedictorum, beneficia, canonicatus et praebendas, dignitates, personatus et officia huiusmodi, quae, ut praemittitur, occupant, vacua, libera et expedita realiter et omnino dimittant, et nihilominus, de fructibus male perceptis, Ecclesiis aut locis, a quibus illos perceperunt, seu personis illis, quibus alias legitime debeantur, non differant satisfactionem debitam exhibere.

Clausulae.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, cassationis, irritationis, vacuationis, constitutionis, prohibitionis, monitionis, voluntatis et mandati infringere, *etc.*

Datum et actum Romae apud Sanctum Petrum, secundo nonas februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 4 februarii 1391, pont. anno II.

---

## IV.

### *Erectio Studii generalis in civitate Ferrariae, Status Ecclesiastici.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Causae huius institutionis Studii. — 2. Ferraria locus ad studia accommodatus. — 3. Erectio Studii. — 4. Concessio privilegiorum ad instar aliarum Universitatum. — 5. De promovendis ad lauream et licentiam. — 6. Privilegia promotorum. — 7. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

In supremae dignitatis apostolicae specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, ad universas regiones fidelium nostrae vigilantiae creditas, earumque profectus et commoda, tamquam universalis gregis dominici pastor, commissam nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis, ad quaerendum literarum studia,

per quae divini Nominis suaeque fidei catholicae cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, et opportunae commoditatis auxilia liberaliter impartimur.

Causae huius institutionis studii.

§ 1. Cum itaque, sicut nuper, pro parte dilectorum filiorum nobilis Alberti marchionis Estensis, nostri in nostra civitate Ferrariensi pro nobis et Romana Ecclesia generalis vicarii, et Communis civitatis eiusdem fuit nobis expositum, quod ipsi marchio et Commune non solum ad utilitatem et prosperitatem huiusmodi reipublicae ac incolarum praedictae civitatis et districtus eiusdem, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendentes, in eadem civitate, loco utique ad hoc accomodo admodum et idoneo, desiderent plurimum vigere Studium, auctoritate apostolica, generale, in qualibet facultate licita, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, aequitas servetur, iudicii crescat ratio et intellectus huiusmodi augeantur.

Ferraria locus ad studia accomodatus.

§ 2. Nos praemissa et etiam eximiam devotionem et fidei puritatem, quas ipsi marchio et Commune ad nos et Rom. Eccl. gerere dignoscuntur, attente considerantes, et quod illas ad eamdem Ecclesiam, matrem cunctorum fidelium et magistram, eo amplius debeant augmentare, quo per nos et Sedem Apostolicam se prospexerint gratiis et privilegiis apostolicis specialius honorari, ferventi desiderio appetimus quod civitas ipsa, quam divina bonitas cleri et populi numerositate abundanter ac tot gratiarum dotibus insignivit, et aliorum multiplicium bonorum foecunditate dotavit, locique amoenitate non modica decoravit, ac districtus et partes praedictae scientiarum muneribus amplientur, ut viros producant consilii maturitate perspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis.

Erectio Studii.

§ 3. His igitur omnibus, et praesertim idoneitate dictae civitatis, quae ad multiplicanda doctrinae semina, et germina salutaria producenda valde congrua et accommoda fore dicitur, ac victualium fertilitate, hospitiorum insignium multitudine aliisque commoditatibus quamplurimis, quas civitas ipsa ibidem opportunas habere dignoscitur, et quod quanto magis, si privilegiorum Sedis praedictae muniatur praesidiis, amplioribus proficiet incrementis, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsorum civitatis ac districtus et partium incolarum, sed etiam aliorum, qui propterea de universis mundi partibus civitatem confluent ad eamdem, commodum et profectum, studio paternae solicitudinis anhelantes, devotis marchionis et Communis praedictorum supplicationibus inclinati, ad laudem divini Nominis et fidei catholicae propagationem, exaltationemque Ecclesiae supradictae, auctoritate praedicta, praesentium tenore statuimus et etiam ordinamus ut in dicta civitate de caetero sit Studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat, in sacra pagina, iure canonico et civili, necnon in medicina et qualibet alia literarum licita facultate.

Concessio privilegiorum ad instar aliarum Universitatum.

§ 4. Et quod docentes, legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus et indulgentiis concessis doctoribus legentibus magis (1), et scholaribus, et praesertim in eadem sacra pagina, in Bononiensi et Parisiensi Studiis commorantibus, gaudeant et utantur.

De promovendis ad lauream et licentiam.

§ 5. Quodque illi qui, processu temporis, bravium meruerint in illa facultate, in qua studuerint, obtinere, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, et doctoratus seu magisterii honorem petierint elargiri, per doctorem seu doctores aut magistrum seu magistros illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, episcopo Ferrariensi, qui pro tempore fuerit,

(1) Forsan leg. *magistris*.

vel Ecclesia Ferrariensi vacante, dilectis filiis archipresbytero et capitulo eiusdem Ecclesiae, aut illi vel illis, qui per eosdem archipresbyterum et capitulum deputatus vel deputati fuerit seu fuerint, praesententur, idemque episcopus seu archipresbyter, capitulum aut deputatus seu deputati huiusmodi, ut praefertur, doctoribus et magistris in eadem facultate actu inibi legentibus convocatis, illos in iis, quae circa promovendos ad doctoratus seu magisterii honorem requiruntur, per se vel alium seu alios, iuxta modum et consuetudinem, qui super talibus in Bononiensi et Parisiensi praedictis ac aliis generalibus Studiis observantur, examinare studeat seu studeant diligenter, eisque, si ad hoc idonei et sufficientes reperti fuerint, huiusmodi licentiam tribuat seu tribuant, et doctoratus seu magisterii honorem conferat seu conferant.

Privilegia promotorum.

§ 6. Illi vero, qui in eodem Studio Ferrariensi examinati et approbati fuerint, ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine et approbatione alia, legendi et docendi, tam in praedicto Ferrariensi, quam in singulis aliis generalibus Studiis, in quibus voluerint legere vel docere, statutis et consuetudinibus quibuscumque contrariis, apostolica vel quacumque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et ordinationis infringere, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, quarto nonas martii, pontif. nostri anno secundo.

Dat. die 4 martii 1391, pontif. anno II.

---

## V.

*Exemptio fratrum Ordinis Cartusianorum a iurisdictione, visitatione et correctione episcoporum et aliorum omnium.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Fratrum petitio. — 2. Exemptio (*de qua in rubrica*). — Hic Ordo cum suis monasteriis sub speciali Sedis Apostolicae protectione. — 3. Cap. I *De privilegiis in* 6, et caeteris contrariis derogatur. — 4. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali, et universis fratribus Ordinis Cartusiensis, tam praesentibus, quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Sacrosancta Romana Ecclesia, mater cunctorum fidelium et magistra, in agro virtutum vestri Ordinis, cui Altissimus benedixit, et in decore sanctae religionis sub qua, mundanis abiectis illecebris, devotum ac sedulum exhibetis Domino famulatum, exultat et iubilat, praesertim dum prospicit quod vos ad alta, virtutum gradibus, per exercitium bonorum operum et praeclara sanctitatis merita procedentes, trahitis ad divinae Maiestatis obsequium alios per exempla, vitam ducendo piissimam, et frequenter divinis laudibus, ex quibus divinae gloria Maiestatis attollitur, devotissime insistendo, et huic mundo mortui, ac Domino nostro Iesu Christo, qui est vita, viventes, pro universali salute fidelium ad Dominum preces funditis incessanter, propter quae eumdem vestrum Ordinem, quem erga nos et praedictam Ecclesiam devotionis claritate praelucere conspicimus, infra claustra nostri pectoris paternis affectibus contemplantes, circa bonum statum ipsius Ordinis, ferventibus studiis vigilamus; et ut Deo propitio idem Ordo protegatur a noxiis, et salubria semper suscipiat incrementa, personaeque ipsius pacis et tranquillitatis affluant ubertate, ab omnique sint perturbatione securae, et oppressionibus indebitis praeserventur illaesae, Ordinem ipsum praerogativa apostolicae libertatis et exemptionis praesidio communimus.

Fratrum petitio.

§ 1. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat quod, licet praedictus Ordo vester cum omnibus monasteriis, prioratibus, domibus et locis eiusdem

atque personis degentibus in eisdem ab olim reputatus fuerit, et adhuc etiam communiter reputetur fore a iurisdictione quorumlibet ordinariorum iudicum exemptus, et soli Sedi Apostolicae immediate subiectus, tamen nonnulli locorum ordinarii, cupientes vestra et dicti Ordinis privilegia et libertates infringere, et alias diversis ex causis vos inquietare et multipliciter molestare, et personas eiusdem Ordinis ad forum suum trahere et alias vexare praesumunt, propter quae nonnunquam vos a contemplatione et quiete vestra, contra religionis vestrae statum retrahi, et saecularibus negociis implicari oportet. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut, ad evitandum cuiuslibet molestiae et inquietationis materiam et gravamina, quae contra huiusmodi exemptionis libertatem possent vobis inferri, et ut tollatur quaelibet contra vos occasio malignandi, vos et eumdem vestrum Ordinem, cum omnibus monasteriis, prioratibus, domibus ac locis eiusdem, pro incremento vestri status et pro pace et tranquillitate personarum degentium in eisdem, de novo plenarie eximere de speciali gratia dignaremur.

Exemptio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, vos et praedictum Ordinem vestrum cum omnibus et singulis monasteriis, prioratibus, domibus et locis eiusdem, quae nunc habetis, et in posterum vos habere contigerit, et cum personis degentibus in eisdem praesentibus et futuris, ab omni ordinaria iurisdictione, dominio, visitatione ac potestate qualibet omnium et singulorum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum quorumlibet iudicum ordinariorum, de specialis dono gratiae de novo prorsus eximimus et totaliter liberamus, illaque in ius et proprietatem beati Petri ac Sedis Apostolicae, ac sub eorum et nostra speciali et immediata protectione praesentium tenore suscipimus. Decernentes Ordinem, monasteria, prioratus, domos, et loca et personas huiusmodi, soli et immediate Sedi praedictae fore subiecta; et quod locorum ordinarii seu dioecesani vel alia quaevis persona, in vos seu monasteria, prioratus, domos aut loca vel personas praefata utpote prorsus exempta, non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias promulgare, vel alias etiam ratione delicti vel contractus, aut rei, de qua agetur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus vel res ipsa consistat, iurisdictionem aliquam exercere.

Hic Ordo cum suis monasteriis sub speciali Sedis Apostolicae protectione, suscipitur.

Cap. 1 De privilegiis in 6, et caeteris contrariis derogatur 1).

§ 3. Felicis recordationis Innocentii Papae quarti praedecessoris nostri circa exemptos edita, quae incipit, *Volentes*, et aliis constitutionibus apostolicis in contrarium editis, non obstantibus quibuscumque. Nos enim omnes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias et quoscumque processus quasvis poenas et sententias continentes, quas et quos adversus vos et monasteria, prioratus, domos vel loca aut personas huiusmodi, contra tenorem et formam exemptionis huiusmodi, quomodolibet promulgari et haberi contigerit, irritos decernimus et inanes, ac nullius existere firmitatis. Per exemptionem autem et libertatem huiusmodi, et alia supradicta, libertatibus, privilegiis et immunitatibus vel aliis iuribus vestris et praedicti Ordinis, ac monasteriorum, prioratuum et domorum atque locorum praedictorum, nullum intendimus praeiudicium generari. Quinimo volumus, quod illa in sua plena remaneant firmitate.

Clausulae.

§ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et ordinationis infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimo septimo kal. aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 16 martii 1391, pontif. anno II.

(1) Attende tamen quae statuerit Concil. Trident., sess. 7, c. 14.

VI.

*Confirmatio constitutionum a Friderico Secundo et Carolo Quarto imperatoribus pro immunitate, libertate et iurisdictione ecclesiastica editarum.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1, 2. Constitutiones a Friderico II latas confirmavit Honorius III. — 3. Initium constitutionis. — 4. Causae harum legum confirmandarum. — 5. Earumdem demandata exequutio.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Mindensi et Verdensi episcopis, et dilecto filio decano Ecclesiae Mindensis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Iustis et honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus prosequimur opportunis.

§ 1. Dudum siquidem Honorius Papa III praedecessor noster attente considerans, quod clarae memoriae Fridericus Secundus imperator Anglus (1) ad laudem Romanae Ecclesiae et sacri decus imperii, *etc.* (2).

Constitutiones a Friderico II latas confirmavit Honorius III.

§ 2. Dictusque praedecessor noster constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum suorum S. R. E. cardinalium, qui tunc erant, auctoritate apostolica confirmando approbavit, et ipsam mandavit inviolabiliter observari, necnon statutarios et scriptores ac violatores praedictos, excommunicatos auctoritate apostolica praedicta publice nunciari.

Initium constitutionis.

§ 3. Et deinde ad audientiam dictae memoriae Caroli Quarti, etiam Romani imperatoris, *etc.* (3).

Causae harum legum confirmandarum.

§ 4. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ss. Blasii intra et Cyriaci extra muros Ecclesiarum decanorum et canonicorum et personarum ac totius cleri Brunswicensis, Hildensemensis, Halalaustratensis dioecesium petitio continebat, quod quorumdam laicorum et dominorum temporalium huiusmodi civitatum et dioecesium praedictarum, et in locis circumvicinis malitia inolevit, quod huiusmodi imperiales constitutiones et sanctiones transgredi non verentur, et ecclesiasticas libertates violare praesumunt, pro parte eorumdem dominorum decanorum, canonicorum et personarum praedictarum, fuit nobis supplicatum, ut eis super praemissis de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Earumdem demandata exequutio.

§ 5. Nos igitur vestigiis praefati Honorii Papae praedecessoris nostri inhaerentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum per vos seu alium vel alios, constitutiones praedictas in praefatis civitatibus et dioecesibus et in aliis locis circumvicinis, ubi et quando expedierit, auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari, transgressores seu violatores et contemptores ac sacrilegos praedictos, necnon contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstante constitutione, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo hominum liceat, *etc.*

Datum Romae, 6 kal. iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 27 maii 1391, pontif. anno II.

(1) Leg. *Romanorum*. (2) Caetera leguntur in Constit. XLVIII Honorii III, tom. III, par. I, pag. 374 et seq. (3) Omittitur narratio huius Constit. Caroli IV, quia per extensum ponitur hic in fine.

*Sequitur constitutio Caroli IV.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Edita a rectoribus civitatum statuta contra libertatem ecclesiasticam — 2. Irritat, — Et iuxta ea iudicare lites prohibet: — Statuitque poenas contra ecclesiasticos molestantes. — 3. Hanc constitutionem publicari mandat. — 4. Clausulae.

**Carolus Quartus, divina favente clementia, Romanorum imperator semper Augustus, et Bohemiae rex, etc. Ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Etsi imperialis benignitatis clementia quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit imperium, ex officii debito teneatur necessitatibus et iniustis oppressionibus consulere, et de opportunis remediis providere; ad illos tamen maxime dirigitur nostrae mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status ecclesiasticae libertatis, quam semper nostris temporibus augeri volumus, in nihilum redigitur, et minus debite praegravatur.

Edita a rectoribus civitatum statuta contra libertatem ecclesiasticam

§ 1. Sane ad imperialis maiestatis audientiam pro parte honorabilium praepositi, decani et aliorum praelatorum et capituli Magdeburgensis, Maguntinensis et Coloniensis Ecclesiarum devotorum nostrorum dilectorum per insinuationem querulosam suppliciter fuit deductum, quod saeculares quidam in potestatibus et officiis publicis constituti, videlicet duces, comites et barones et alii domini temporales, necnon consules civitatum, oppidorum, villarum et locorum rectores dictarum Magdeburgensis, Maguntinensis et Coloniensis provinciarum, Dei nomine postposito, statuta singularia et iniquas ordinationes motu proprio et de facto contra personas ecclesiasticas, Ecclesiarum libertates et privilegia condiderunt, eisque publice et de facto insistere praesumpserunt contra legitimas, civiles et canonicas sanctiones, utputa, quod nulla bona temporalia in potestatem ecclesiasticam transferantur, neve clerici in sacris constituti ad agendum et testificandum in civilibus et maxime in piis causis aliquatenus admittantur, quodque excommunicati laici, et publice denunciati, in civili foro minime repellantur. Item praefati domini temporales, consules et rectores per saecularem potestatem, res et bona clericorum occupant et arrestant, oblationes fidelium diminuunt et restringunt, exactiones et tallias indebite de bonis Ecclesiae et redditibus exigunt et extorquent: possessiones Ecclesiae, et personarum earum devastant incendiis et rapinis. Contractus inter clericos et laicos factos legitimos ad libros civitatum, villarum et locorum recusant inscribere et sigillare; donata et legata ad fabricas et Ecclesiarum structuras, contra praelatorum voluntatem et aliorum quorum interest, praesumunt usurpare contra iustitiam, in fraudem et odium clericorum, de rebus et bonis etiam clericorum, quas non causa negociationis, sed pro usibus propriis per terras ducunt seu duci faciunt, teloneum exigunt et recipere non verentur. Et confugientes ad Ecclesias et coemeteria inde extrahere contra sanctiones imperiales praesumunt.

Irritat:

§ 2. Quae omnia et quaelibet ab inde secuta, cum per sacras et civiles et canonicas sanctiones expresse reprobata sint et in fraudem ecclesiasticae libertatis de facto praesumpta, de principum, ducum, comitum, baronum, fideliumque nostrorum consilio et certa scientia, auctoritate imperiali cassamus, irritamus et annullamus, cassaque et irrita, et nullius esse momenti penitus declaramus et expresse pronunciamus. Praecipientes sub indignatione imperialis banni universis et singulis dictarum Magdeburgensis, Maguntinensis et Coloniensis provinciarum et locorum vicinorum principibus et dominis temporalibus, consulibus et potestatibus et in officiis publicis constitutis, quatenus mox visis et intellectis praesentibus, dicta ipsorum statuta et ordinationes sicut in praeiudicium ecclesiasticae libertatis edita sunt, omnino revocent et luce tollant.

Et iuxta ea iudicare lites prohibet:

Quodque secundum ea non iudicent amplius, nec sententias dictent, aut extra iudicium quomodolibet pro se et contra ecclesiasticam libertatem potiantur. Item pronunciamus et declaramus imperiali auctoritate, quod quicumque laicus cuiuscumque status vel conditionis existat ausu sacrilego, et propriae temeritatis audacia sacerdotem vel clericum saecu-

larem vel religiosum diffidaverit vel captivaverit, proscripserit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit aut in carcere detinuerit, aut huiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaverit, vel favorem in his eis praestiterit, praeter poenas a sacris imperialibus et canonicis sanctionibus eis inflictas, sint ipso facto infames et omni honore privati, nec ad placita vel concilia nobilium admitti quovis modo possint.

Statuitque poenas contra ecclesiasticos molestantes.

§ 3. Volumus etiam, hortamur et requirimus ipsos praelatos ecclesiasticos, ut hanc nostram legem et constitutionem in synodis et Ecclesiis publicari procurent, et requisiti poenarum et sententiarum exequutiones denuncient, ne in praemissis excedentes per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare.

Hanc constitutionem publicari mandat.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae cassationis et immutationis seu pronunciationis, denunciationis et declarationis paginam ausu temerario infringere, *etc.*

Clausulae.

Data Tangerumdem, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, indictione quintadecima. Quinto kal. iulii, regnorum nostrorum anno trigesimo, imperii vero 23.

---

## VII.

*Canonizatio B. Brigittae, de regno Svetiæ, cum festivitatis institutione pro die 23 mensis iulii, indulgentiarumque elargitione pro visitantibus eius sepulchrum.*

SUMMARIUM

Procemium. — Redemptionis beneficium. — 1. Data B. Petro universalis Ecclesiae cura. — 2. Diversa dona caelestia fidelibus data. — 3. Diffusum per orbem ab Apostolis Evangelium. — 4. Confirmata a martyribus proprio sanguine fides. — 5. Illustrata veritas a doctoribus. — 6. Praeposita virtutum exempla a confessoribus. — 7. Repressi poenitentiis ab anachoretis animi affectus. — 8. A virginibus servatus puritatis candor. — 9. A viduis, aliisque magnificatus bonis operibus Deus. — 10. Inter has B. Brigitta. — 11. Ex Sveciae regum stirpe. — 12. Mater praegnans a naufragio liberata. — 13. Eius sanctitas praenunciata. — 14. Infans erudite loquitur. — 15. Puella orationibus vacat. — 16. Nubet. — 17. In coniugali statu bonis vacat operibus. — 18. In partu periclitans B. Virginis praesidium experitur; — 19. Hinc servat continentiam. — 20. Cum marito B. Iacobi Compostellan. limina visitat. — 21. De vita monastica cogitat. — 22. In Terram Sanctam peregre proficiscitur. 23. Ciliciis carnem domat. — 24. Ieiuniis, aliisque corporis macerationibus incumbit. — 25. Romae Ecclesias quotidie visitat. — 26. Humilitatem apprime colit. — 27. Suis obediens praelatis. — 28. Sedula in quotidianis confessionibus. — 29. Praedicationibus intenta. — 30. Singulis dominicis, etc. Eucharistiam sumit. — 31. Liberalis erga pauperes. — 32. Eis inservit discumbentibus. — 33. Benigna in infirmos et misericors. — 34. Monasterium monialium, et domum fratrum S. Salvatoris construit. — 35. Fortis in adversis, et patiens. — 36. Iustitiae amans. — 37. Rerum inanium contemptrix. — 38. Prudens. — 39. Revelationum scribit volumen. — 40. Mortem suam praenunciat. — 41. Romae pie moritur. — 42. Maxima populi frequentia eius tumulationem differt. — 43. Mulierem ab accubitu mali spiritus liberat. — 44. Frustulum ossis B. Thomae ap. mire recipit. — 45. In extasim rapitur. — 46. Tumidum mulieris guttur attenuatum. — 47. Monialis infirma valetudini restituta. — 48. Mortuus natus vitae restitutus. — 49, 50. Miracula alia perpetrata. — 51. Ss. viduarum cathalogo adscribitur. — 52. Eius celebranda festivitas. — 53. Eius sepulchrum visitantibus propositae indulgentiae. — 54. De publicatione huiusce constitutionis.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis filiis electis, et patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium Ecclesiarum capitulis, ubilibet constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Ab origine mundi, post primi parentis lapsum, cum eam ob rem universum

Procemium.

genus humanum aeternae morti teneretur obnoxium, cunctipotens et misericors Deus ex alto prospiciens, ne in totum perderet hominem quem creaverat, sed suae divinitatis faceret esse participem, cum primos ex spiramine Sancti Spiritus afflatos prophetas, adventus Filii sui in carnem, sub typicis enigmatibus, ac diviuis revelationibus nuncios praemisisset, eumdem unicum Filium suum ante sæcula genitum, adveniente plenitudine temporis, in uterum præelectae Virginis matris, quae imperscrutabili Sancti Spiritus obumbratione, Angelo nunciante, concepit, de proprio sinu transmisit, Qui ex eadem Virgine natus et progressus in tempus, coepit facere et docere, omnibusque monstrare, qualiter sacri baptismatis fonte renatis de aeterna morte via pateret ad vitam, et coadunatis discipulis, ne quis fidelis huius transitoriae et fugitivae vitae molestias vel taedia, seu temporalis acerbae necis poenas, pro aeternae adeptione vitae, perhorreret, sese hostiam immaculatam, consummato debito cursu, in ara Crucis morte cruenta obtulit Deo Patri, et militantem Ecclesiam fuso pretioso Sanguine fundavit, consecravit et aeternaliter stabilivit.

Redemptionis beneficium.

§ 1. Tandem vero de mundo transiturus ad Patrem, Principi apostolorum caelesti clavigero, in suam suorumque successorum Summorum Pontificum personas, collatis clavibus, ligandi videlicet et solvendi tradita potestate, supremum Pontificium specialem curam sui gregis et regimen universale commisit, pollicitus nihilominus Ecclesiam in aeternum se non deserturum eamdem.

Data B. Petro universalis Ecclesiae cura.

§ 2. Ad cuius uberem utilitatem divisiones gratiarum per Spiritum Sanctum tribuit suis fidelibus. Nam, secundum Apostolum, unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae. Alii sermo scientiae, secundum eumdem Spiritum. Alii fides, in eodem Spiritu. Alii gratia sanitatum, in uno Spiritu. Alii operatio virtutum. Alii prophetia. Alii discretio spirituum. Alii genera linguarum. Alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Quamque militantem Ecclesiam Pater luminum sustulit in eodem Spiritu Sancto structura admirabili preciosorum lapidum, mira varietate decoram, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, quos elegit ante mundi constitutionem, conformes fieri imaginis eiusdem Filii sui, ut sit Ipse primogenitus in multis fratribus, in quo eos gratificavit, donans charismata meliora, qui suo exemplo viam ostenderent excellentiorem.

Diversa dona caelestia fidelibus data.

§ 3. Hinc igitur Apostoli sancti prodiere per universum orbem, genus humanum, quod sub peccati iugo tenebatur, ad vitam et salutem excitantes, et cum firmissima constantia praedicantes verbum Dei, ut in omnem terram exiret sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.

Diffusum per orbem ab Apostolis Evangelium.

§ 4. Splendidi quoque martyres fidei loricam induti et inconcussae stabilitatis balteo succinti, laverunt stolas suas in Sanguine innocentis Agni, et imitati candidato exercitu Christum Iesum, ad structuram supernae Hierusalem, hoc est triumphantis Ecclesiae, cum gloriosa victoria palmas gestantes in manibus, sese vivos lapides addiderunt, exemplum venerabile et aeternam dignamque memoriam militanti Ecclesiae relinquentes.

Confirmata a martyribus proprio sanguine fides.

§ 5. Progressi sunt et doctores lucidissimi, qui pseudochristianis, falsisque prophetis, superstitiosas et varias opiniones in vera fide catholica adducere, ipsamque fidem subvertere satagentibus, se opponentes, talium confutatis erroribus, miro eloquio, solidis ac rectis sententiis, operante Sancto Spiritu, ipsam fidem et militantem Ecclesiam illustrarunt, quibus eadem Ecclesia communita progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Illustrata veritas a doctoribus.

§ 6. Sequuntur et limpidi confessores ornati gemmis et virtutibus coruscantes,

Praeposita virtutum exempla a confessoribus.

Domino rationem de talentis creditis reposcenti, cum se assidua et vigili sanctarum operationum exercuerunt mercatura, utpote fideles et boni servi, multiplicatum de suis laboribus fructum afferunt, ac donum reponunt in arcam.

Repressi poenitentiis ab anachoretis animi affectus

§ 7. Etiam anachoretae et solitudinis acerrimi sectatores, blandientis et captiosi, sed venenosi mundi vana spectacula fugientes, ut securi ad patriam pervenirent, latibula petierunt et antris abditi, parvo et rudi victu, scaturientis aquae et levi potu, carnem propriam macerantes et sathanae stimulos reprimentes, paliastro, vel tegmine hirto amicti, ut plurimum nudis pedibus, et squallida humo aut stramineo cubile fessa membra somno foventes, in sacra contemplatione et supernae Maiestatis laude vacantes, demum ex hac lacrymarum valle et miseriarum acervo ad Dei praesentiam evocati, immarcescibilibus deliciis potiuntur.

A virginibus servatus puritatis candor.

§ 8. Adsunt et virgines nitidae, mundo corpore et corde sincero, mentem sanctam spontaneam et oleum secum suis deferentes in vasis, venienti sponso obviam exeunt, eique desponsantes, qui est prae filiis hominum speciosus.

A viduis, aliisque magnificatus bonis operibus Deus.

§ 9. Devotae autem et continentes viduae et aliae sexus utriusque personae, piis sanctisque operibus semper intentae, et se ante Dei tribunal cum plenis manipulis repraesentant, et cum sanctis angelis canunt gloriam in altissimis Deo, et in terra pacem bonae voluntatis hominibus deprecantur. Haec omnia profecto ille idem Spiritus, de quo supra, operatur ministerio multiformiter admirando. Et secundum sanctam promissionem Christus Iesus hanc vineam suam militantem Ecclesiam, post eius admirabilem Ascensionem, talibus cultoribus et cultricibus usque in diem hodiernum visitavit, fovit, defensavit, firmavit, iuvit et auxit, et per sui gratiam sic in futurum faciet temporibus successivis.

Inter has B. Brigitta.

§ 10. Novissimis vero diebus, ut etiam ab aquilone aliqui boni esset, ille caelestis Agricola eamdem vineam suo de more visitans, mulierem fortem procul et de ultimis finibus suum secum precium deferentem ad huiusmodi vineae culturam adduxit, beatam scilicet viduam Brigittam, quam vulgares Brigidam appellant, tam sacro superius descripto coetui merito sociandam, seu verius sociatam. Cuius, propter quod praesentem operam nobis damus, ut originem, vitam, mores et merita, necnon miracula, quae in praemium sanctitatis eius benedictus Deus mundo monstrare dignatus est, ne de tam celebri muliere aetas praesens immaneat ignara, et surda posteritas famam ingratam accusare vel praetendere possit, summotenus percurramus de multis pauca admodum ea, quae non prætereunda silentio excerpsimus, vestraeque charitati harum serie volumus intimari.

Ex Sveciae regum stirpe.

§ 11. Haec nempe mulier gloriosa ex patre Birghero et matre Sighride coniugibus de nobilissima regia stirpe catholicorum Sveciae regum procedentibus, nec minus fide orthodoxa et animi constantia, ac virtutibus, quam nobilitate claris duxit originem.

Mater prægnans a naufragio liberata.

§ 12. Quae quidem mater dum eam gestaret in utero, maris in quodam sinu passa naufragium, cum multos promiscui sexus in eodem naufragio procella absorbuisset, sana pervenit in littus, et nocte sequenti in visione adstitit sibi persona admirando vestitu refulgens, et ne Viduae tam venerandae sine praenuncio foret adventus, dixit: Salvata es propter bonum, quod habes in utero. Ideo nutri illud cum charitate Dei, quia tibi a Deo datum est.

Eius sanctitas praenunciata.

§ 13. Cumque puella Brigitta de genitricis alvo in mundum recenter fuisset educta, sacerdos parochialis in Ecclesia propinqua approbatae vitae et aetatis perfectae, dum nocte orationi vacaret, nubem lucidam et in medio nubis virginem sedentem vidit, librum habentem in manu, sibique dicentem: Nata est Birghero quae-

dam filia, cuius vox per mundum admirabilis audietur.

*Infans erudite loquitur.*

§ 14. Nata ergo puella usque ad finem triennii quasi elinguis visa est, sed mox contra naturalem decursum non balbutiendo infantium more fari, gestientiumque audierint, sed completa et formata verba de auditis per eam loquebatur et visis.

*Puella orationibus vacat.*

§ 15. Procedens vero in annis, pueritiam mira devotione transegit, orationibus videlicet ac ieiuniis, et alias numquam a bonis operibus ociosa.

*Nubet.*

§ 16. Tandem licet in statu virginali servire Domino totis desideriis affectaret, tamen per parentes compulsa quondam Vulfoni de Ulphasum principi Nericiae, nobilissimo quippe et christianissimo iuveni, in matrimonium desponsatur.

*In coniugali statu bonis vacat operibus.*

§ 17. Et cum insimul convenire deberent, quamquam idonei essent ad viriles amplexus, maritus videlicet in decimo octavo et sponsa in tertiodecimo anno constituti, communi tamen voluntate Thobiam iuniorem et Saram Raguelis imitati, annum continuum et ultra a concubitu abstinuerunt, Deum humiliter deprecantes, ut si coniungi foret expediens, in commixtione non peccarent, et Deus illis talem prolem concederet, quae ad servitium eius esset. Simul postea convenerunt in timore ac tremore, non libidini, sed posteritati vacantes. Cum interim devota mulier nec ieiunia, nec orationes, nec alia pia et solita opera praeteriret.

*In partu periclitans B. Virginis praesidium experitur;*

§ 18. Et cum semper B. Virgini præcipue devota foret, ac, tempore procedente, pene partu periclitaretur, et obstetrices ac mulieres adstantes de vita illius desperarent, visa est quaedam imperiosa, sed incognita mulier, albis sericeis induta vestibus intrare cubile, et assistere strato, et singula iacentis membra pertractare, mox cum talis mulier disparuisset, eadem puerpera sine dolore partu integro exonerata remansit.

*Hinc servat continentiam.*

§ 19. Et cum etiam dicti iugales adhuc iuvenes et recentes, maritus felicis uxoris sanctis monitionibus persuasus, cor enim viri spoliis non indigens, confisum in ea, reddidit ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae, ipsaque mulier indixerunt sibi sponte invicem, et perpetuam continentiam servaverunt.

*Cum marito B. Iacobi Compostellan. limina visitat.*

§ 20. Et nihilominus coniuges devoti in Dei timore et amore proximi semper ferventiores, limina B. Iacobi Apostoli in Compostella communi voto peregre visitarunt.

*De vita monastica cogitat.*

§ 21. Et ad propria reversi, cum deliberassent, ut liberius devotioni vacare possent, pro sexus diversitate diversa ingredi monasteria, dictus princeps in tali deliberatione quievit in Domino.

*In Terram Sanctam peregre proficiscitur.*

§ 22. Sancta autem Vidua, quae ab ineuntis aetatis principio Deo dicata fuerat, ut ieiuniis et orationibus indefesse vacaret, soluto coniugio et sui iuris effecta, quasi navis institoris de longe portans panem suum, a Spiritu Sancto praemonita, egrediens de terra et cognatione sua, ad almam Urbem ac Hierosolymam deinde perrexit, et loca singula, in quibus Dominus noster Iesus Christus annunciatus, natus, educatus, baptizatus, conversatus, mirabilia operatus, illusus, crucifixus et sepultus fuit, et ad coelos ascendit, insigni devotione et venerabunda conspexit. Ad Urbem quoque regressa, cum antea sive in Galliis, sive in Hispania, sive in Italia, sive in aliis cismarinis aut ultramarinis partibus sanctorum ac sanctarum corpora seu memorandae reliquiae quiescerent, pauca admodum absque personali visitatione dictae sanctae Viduae fuissent praetermissa, in eadem Urbe reliquum vitae peregit.

*Ciliciis carnem domat.*

§ 23. Sed post mariti mortem, ob reverentiam Sanctae Trinitatis, ad nudam carnem quamdam chordam de canapo cum plerisque nodis detulit stricte ligatam, et similiter circa singulas tybias subtus genua singulas chordas similiter connodatas, etiam tempore infirmitatis, nec pannis lineis, praeterquam in capite, usa veste hispida circa carnem, superius

vero non secundum personae conditionem, sed multum humiles et abiectas.

Ieiuniis, aliisque corporis macerationibus incumbit.

§ 24. Et non solum eas, quas sancta mater iubet Ecclesia, vigilias seu ieiunia observabat, sed alia multa superaddebat, ut etiam ultra Ecclesiae mandatum quater in hebdomada ieiunaret et similiter quater in hebdomada, coniuge nondum vita functo, et post obitum eius continue usque ad paucos annos ante suum felicem transitum, solitis pannis induta, super tapeto, absque paleis, culcitra vel similibus, ad terram vel pavimentum posito corpus ab orationibus, abstinentiis ac divino labore fessum, tenui et brevi somno recreabat. Singulis sextis feriis ob memoriam sacratissimae Passionis Domini nostri Iesu Christi, pane dumtaxat et aqua contenta, ieiunium non omisit, cum etiam multos alios dies, ob diversorum sanctorum reverentiam simili abstinentia pertransiret, et sive ieiunio abstineret, sive aliter discumberet, cum sobriissima foret, de mensa surgebat non saturata, sed refecta: eisdem quoque sextis feriis de candelis cereis accensis, stillas candentes et ignitas eliquabat super nudam carnem, ita ut adustae cicatrices continuae remanerent, et gentianam amarissimam herbam seu radicem eius retinebat in ore.

Romae ecclesias quotidie visitat.

§ 25. Romae insuper degens non rigorem frigoris, non aestivos calores, non impedimenta vitae lautosae, non pluviarum aut nivium seu grandinum asperitates curans, stationes per Ecclesiam ordinatas, variasque alias sanctas Ecclesias, licet eques pro suis facultatibus ire potuisset, tamen supra extenuati corporis vires enitens, peditans visitavit quacumque die. Tot namque longis genuflexionibus usa fuit, ut genua eius rigerent in duritiam, ut ita dixerimus, camelorum.

Humilitatem apprime colit.

§ 26. Admirabilis et spectatae humilitatis extitit, ita ut nonnumquam cum pauperibus peregrinis incognita simul sedens, apud monasterium Sancti Laurentii in Palisperna de Urbe, Ordinis Sanctae Clarae, eleemosynam reciperet et oscularetur cum gratiarum actione, et frequenter propriis manibus et ob Dei reverentiam reparabat pauperum vestimenta.

Suis obediens praelatis.

§ 27. Tenacem obedientiam praelatis et suis superioribus et confessoribus observabat, adeo quod absque saltem confessoris licentia, pene oculos attollere non praesumeret.

Sedula in quotidianis confessionibus.

§ 28. Et superstite marito cum singulis sextis feriis confessa fuisset, post eius transitum, veram confessionem semel saltem in die cum magna contritione studuit iterare, tam amare levia, sicut alii gravissima, deplorans, et nihil de suis verbis, moribus, cogitationibus et actibus praeteriens indiscussum.

Praedicationibus intenta.

§ 29. Verbi Dei praedicationibus, quas viri probati facerent, assidua aderat et intenta.

Singulis dominicis, etc. Eucharistiam sumit.

§ 30. Singulis quoque diebus dominicis et solemnibus, cum devotione et lacrymis sumpsit venerabile Christi Corporis Sacramentum.

Liberalis erga pauperes.

§ 31. Considerans semitas domus suae, ne panes comederet ociosa, manus suas aperuit inopibus, et palmas suas extendit ad pauperes, inexhaustae enim charitatis officia erga egentes, infirmas et abiectas personas ob Dei reverentiam exercuit indefesse.

Eis inservit discumbentibus.

§ 32. Nam cum etiam adhuc maritus superesset, die qualibet duodecim pauperes consuevit propria in domo cibare, illis inserviens et necessaria ministrans; et quintis feriis memor Coenae Domini propriis manibus lavit pedes eorum.

Benigna in infirmos et misericors.

§ 33. De propria quoque facultate reparavit in partibus suae originis multa hospitalia desolata, et pauperes et infirmos ibi degentes pia, benigna, misericors et sedula ministratrix cum summa pietate visitavit. Ulcera eorum absque horrore vel fastidio attrectavit, lavit, circumligavit et fovit.

Monasterium monialium, et domum fratrum S. Salvatoris construit.

§ 34. In loco etiam de Watzsteno Lyncopensis dioecesis de suis facultatibus unum venerabile monasterium canonice

construi fecit pro sexaginta monialibus sub clausura viventibus, et vigintiquinque fratribus Ordinis S. Augustini, S. Salvatoris nuncupati, qui, tam moniales quam fratres, certas constitutiones per ipsam beatam Viduam editas, et postea per Sedem Apostolicam approbatas observare tenentur, sufficienti dote nihilominus assignata.

Fortis in adversis, et patiens.

§ 35. Admirabilis patientia viguit in ea, ut infirmitates proprii corporis, iniurias illatas, mariti et Caroli filii mortem et adversa reliqua toleraret patientissime, sine murmure, sine querela, semper in cunctis cum humilitate summissima Dominum benedicens.

Iustitiae amans.

§ 36. In fide semper constantior; praestantior spe, vera charitate ardentior; iustitiam summe dilexit et aequitatem.

Rerum inanium contemptrix.

§ 37. Stimulos carnis et varias illecebras, pravitatem et arrogantiam, pompam et inanem gloriam magnanima curiositate contempsit.

Prudens.

§ 38. De singulari continentia et modestia sua satis est superius recitatum. Sed quis inveniretur illa prudentior, cum optima discretione ab aetate primaeva, usque ad horam ultimam, quantum sinebat humana fragilitas, cuncta secernens, non dixit bonum malum, neque malum bonum; nec posuit lucem tenebras, nec tenebras ipsam lucem.

Revelationum scribit volumen.

§ 39. Quibus quidem sanctis et absque intermissione continuatis operibus, haec generosa Vidua per gratiam Sancti Spiritus promeruit, multis eorum cogitationes et affectiones intimas et gesta secretissima propalare, et visiones ac revelationes varias videre et audire, ac spiritu prophetico multa praedicere, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout haec et alia in eius revelationum volumine plenissime describuntur.

Mortem suam praenunciat.

§ 40. Quinta vero praecedente die pronunciavit suae vitae finem adesse.

Romae pie moritur.

§ 41. Et cum fuisset annum septuagesimum supergressa, adveniente iam termino praenunciatio, vocata familia, quae fieri oporteret edixit, ac demum Birghero filio et Catherina filia tunc superstitibus accersitis et de multis commonitis, ut super omnia in Dei timore et amore proximi, ac sanctis perseverarent operibus, ultima confessione debite facta, sumpto Viatico, et extrema Unctione delibuta, cum usque ad flatus emissionem sua memoria integra perdurasset, dum missa coram se celebraretur, post adoratum Corpus Christi, oculis elevatis ad coelum, dicens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, vocanti benemeritam animam reddidit Creatori.

Maxima populi frequentia eius tumulation. differt.

§ 42. Extemplo de transitu huius Viduae venerandae magna fit fama per Urbem, concurrit frequens populus cum summa devotione ac reverentia sacrum videre corpus, Deum unanimiter glorificans et collaudans, ad monasterium S. Laurentii supradictum, ubi se indicarat, funus in longe maiori populi frequentia defertur, et prae nimia multitudine usque ad biduum apte non potuit sepeliri, quod tamen cum eximia Dei laude fuit humatum.

Mulierem ab accubitu mali spiritus liberat.

§ 43. Dum autem celebris haec Vidua Neapoli degeret, Nolanensis quaedam mulier Pictiolella nomine, quae violentum mali spiritus in humanam se imaginem transformantis patiebatur accubitum, cui nec fortium vigiliae aut excubiae obsistere potuerant, ad Viduam sanctam accessisset, eam super tali materia et expedienti remedio consultura, mox Vidua praecellens et secreta mulieris praevidens, quaesivit a muliere, an secum aliquid arte magica compilatum, vel quid tale deferret, cum illa respondisset quod non, egregia Vidua subiecit: Quaere in capillis seu tricis tuis, et contrarium invenies. Confusa et recordata mulier, quod certum breve cum characteribus et incantamine propriis habebat in crinibus, suum fuit errorem sponte fassa. Insignis autem Vidua iniunxit et suasit illi, ut devote confiteretur et veraciter poeniteret et commu-

nicaret, ac etiam ieiunaret, quod et fecit, ac meritis et precibus memoratae Viduae nunquam similem accubitum passa fuit.

Frustulum ossis B. Andreæ ap. mire recipit.

§ 44. Cum autem spectabilis haec Vidua de longa peregrinatione ad Ortonam Theatinae dioec. terram, in qua beatissimi Thomae apostoli reliquiarum pars magna servatur, vice secunda supervenisset (fuerat enim antea longe per visionem sibi revelatum, quod secunda vice sui adventus ad ipsam terram devotum eius desiderium impleretur); et dum stans reliquias devotione solita visitaret, idem Apostolus devotae Viduae apparens, dixit: Dabitur tibi diu desideratum; et mox, nemine tangente vel alias impellente, de capsa reliquiarum quoddam frustulum unius ossis dicti Apostoli sua sponte Viduae expectantis prosiliit ad manus, quod illa cum gaudio ac devotione recipiens, summa veneratione servavit.

In extasim rapitur.

§ 45. Fuit quoque haec admirabilis Vidua, dum orationi et contemplationi vacaret, per plerasque devotas personas elevata a terra, per hominis mensuram vel circiter, cum splendida et radiante facie saepe visa.

Tumidum mulieris guttur attenuatum.

§ 46. Funus nondum erat traditum sepulturae, cum mulier quaedam Agnes de Contessa nomine, in Urbe commorans, quae a nativitate guttur habebat grossissimum ac deforme, cum aliis venerandum currit ad funus, et cum propria zona manus sanctae iacentis Brigittae cum devotione tangi fecisset, zonam eamdem simili devotione circumduxit ad collum et paulo post guttur detumuit, et ad conformitatem debitam divino miraculo fuit redactum.

Monialis infirma valetudini restituta.

§ 47. Verum Francisca de Sabellis dicti monasterii S. Laurentii monialis, quae biennio debilitatem et adversam stomachi valetudinem passa, fere semper lecto decubuerat infirma, et honorandae Viduae familiaris fuerat, dum adhuc insepultum corpus intra claustrum servaretur, cum gravi labore de lecto surrexit, tam longam infirmitatem patiens et adiuta pervenit ad feretrum et secum illic iacuit tota nocte, nec Deum desiit cum devotione et instantia deprecari, quod meritis et precibus Viduae, cuius corpus aderat, tam molesta tamque diutina valetudine in tantum saltem alleviaretur, quod cum reliquis monialibus, divinis officiis interesse, et per claustrum cum expediret adiuta per neminem ire posset, et mane sancto reperit se circa proprii sanitatem corporis efficacius remedium, quam deprecata fuerat, impetrasse.

Mortuus natus vitae restitutus.

§ 48. Verum ut Deus benedictus huius dilectae Viduae mundo magna merita demonstraret, contigit, ut Elsebisnara mulier dictae Lincopensis dioec. cum infantulum mortuum peperisset, summo dolore plena, ac tandem ad se reversa, Deum prece humili exoraret, quod meritis Viduae tantopere celebrandae infantulus vitam susciperet, et emisso voto, quod cum infantulo, si ad vitam veniret, et imagine cerea sepulcrum Viduae sanctae visitaret, extemplo infantulus calescere et palpitare coepit, vitamque plene suscepit. Mulier vero plena devotione atque gaudio votum implevit emissum.

Miracula alia perpetrata.

§ 49. Sed quid pluribus immoramur, cum Deus omnipotens huius almae Viduae meritis, surdis aures aperuerit, mutis linguae officium solverit, tremulis paraliticis soliditatem praebuerit, curvis erectionem, contractis et invalidis liberum beneficium gradiendi, caecis visum, mulieribus partu periclitantibus liberationem, morbis alias incurabilibus sanitatem, naufragos et aquis vehementibus laborantes perduxerit ad salutis portum? Et si ea, quae Deus benedictus Viduae saepedictae meritis, tam illa superstite, quam post eius resolutionem felicem, mirabilia praeter et super vires naturae fuit operatus, nec desinit operari, vellemus per singula recensere, nos aliis diversis implicatos, longa valde in tali recitatione prolixitas detineret; possunt tamen fideles avidi talia gesta pernoscere,

librum, in quo fideliter annotantur, perquirere curiose.

§ 50. Vota autem apud monasterium in Vuatzsteno supradictum, ad quod venerabile corpus huius benedictae Viduae translatum fuit, persoluta, et appositae imagines ac statuae magnum testimonium perhibent veritati.

Ss. viduarum cathalogo adscribitur

§ 51. Et quoniam, per Sancti Spiritus operationem, haec Vidua pervigil, per excellentia merita, in Dei Patris gloria collocata, militantem propemodum illustrat Ecclesiam, nosque gustamus et videmus quia bona fuit et est negotiatio eius, et propterea in nocte supervenientis temporalis mortis eius, virtutum et meritorum lucerna non debet extingui, est enim non sub modio, sed super candelabrum posita, et per Domini universam domum inextinguibile lumen affert, quin potius filii sanctae matris Ecclesiae surgant et beatissimam praedicent, eique dent de fructu manuum suarum, laudentque eam in portis matris Ecclesiae opera eius. Nos qui, pro iniuncto ministerii pastoralis officio, sumus sapientibus et insipientibus debitores per ea quae tam de felicis recordationis Gregorii XI et Urbani VI Rom. Pontificum, praedecessorum nostrorum, quam mandato nostro super his habita sunt, de veritate praemissorum per testes idoneos et alias probationes legitimas certius informati, eisque veris compertis, et pro parte carissimae filiae in Christo filiae nostrae Margaritae reginae Sveciae illustris ac praelatorum et procerum regni sui, necnon dilectorum filiorum, populi officialium almae Urbis ac dilectarum in Christo filiarum S. Laurentii et de Vuatzsteno monasteriorum praedictorum abbatissarum conventuum, saepius et cum instantia requisiti, in nomine Domini, ut iam tandem Viduam eius celeberrimam benedicentes benedicamus, et super ea effloreat sanctificatio nostra, ad honorem Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad exaltationem orthodoxae fidei et christianae religionis augmentum, necnon ad sedationem schismatis, ac fidei et Ecclesiae unionem, auctoritate ipsius Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum apostolorum Petri supradicti et Pauli, atque nostra, de fratrum nostrorum consilio et assensu omnium praelatorum in Romana Curia consistentium, decernimus, declaramus, definimus, pronunciamus bonae memoriae beatam Brigittam, alias Brigidam, supra saepius nominatam, sanctam esse et tamquam sanctam ab universali Ecclesia venerari ac sanctorum cathalogo adscribi debere, et ipsam nunc adscribimus de praesenti.

Eius celebranda festivitas.

§ 52. Statuentes ut ab universali Ecclesia, anno quolibet, in die qua illam, post devictum triumphatumque mundum, in perpetuas aeternitates praesens vita parturiit, videlicet decimo kalendas augusti, festum ipsius et officium, sicut pro una sancta non virgine nec martyre, devote et solemniter celebretur.

Eius sepulchrum visitantibus propositæ indulgentiae.

§ 53. Et ut ad venerabile sepulchrum ipsius ardentius et affluentius Christi fidelium confluat multitudo, et eiusdem Sanctae celebrius colatur festivitas, et eius nomen crebrius recolatur, auctoritate praedicta, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui sepulchrum eius huiusmodi apud ipsum monasterium in Vuatzsteno, in eiusdem festi, necnon quinto kalendas iunii, quo videlicet die huiusmodi corpus venerandum apud ipsum monasterium translatum fuit, et sub ad praesens occurrentibus diebus devote visitaverint annuatim, singulis videlicet eorumdem dierum diebus, quibus dictum sepulchrum visitaverint, ut praefertur, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus.

De publicatione huiusce constitutionis.

§ 54. Quocirca universitatem vestram monemus, requirimus et hortamur attente, vobis nihilominus, in virtute sanctae obedientiae et ad aeternorum praemiorum augmentum, districtius iniungentes: quatenus praesentes nostras literas cleris et

populis vestris, auctoritate nostra, solemniter publicantes, huiusmodi venerabilis Sanctae festum cum solemnitate debita celebretis et faciatis etiam celebrari; omnipotentem Deum, a quo sancta desideria, recta consilia et iusta sunt opera, totis cordis affectibus humiliter deprecantes ut eiusdem Sanctae precibus et meritis exoratus, det servis suis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis suis dedita, et hostium sublata formidine, tempora nostra sint sua protectione tranquilla, nobisque concedat ut, post peractum nostrae villicationis ministerium, una cum credito nobis grege, mereamur ad sempiterna gaudia pervenire.

Datum Romae apud S. Petrum, nonis octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 7 octobris 1391, pont. anno II.

---

## VIII.

### *Cavense coenobium in episcopalem sedem erigitur* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causae erectionis faciendæ. — Cavense monasterium dioecesana lege archiep. Salernitano non subiectum. — 2. Erectio (*de qua in rubrica*). — Capituli assignatio. — Dos novi episcopatus. — 3. De iure novi episcopi, *etc.* — De beneficiis a monasterio ipso Cavensi dependentibus. — 4. De episcopali aede. — Novae Ecclesiae antiqua confirmantur privilegia. — 5. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Salvatoris nostri Iesu Christi, qui benemeritum ad convivium dominicum in ultimis recumbentem iubet superius ascendere, ut sibi sit gloria, vices, quamquam insufficientibus meritis, gerentes in terris, exemplo unico inserta, ut de suprema apostolica dignitate specula ad singulas orbis partes profundae considerationis aciem extendentes, si locum insignem minus decore tractatum et neglectum videamus, pro rei qualitate, superius elevemus, ut dignitatum insigniis fulciamus: ex hoc enim cum Dei gratia boni praesulis partes implemus, si nostro ministerio singulis locis, pro eorum qualitate, correspondeant tituli dignitatum.

Causae erectionis faciendae.

§ 1. Cum itaque, sicuti facti notorietas manifestat, terra Cavensis Salernitanae dioecesis, benedicente Domino, personarum numerositate et aliis divinis muneribus, ultra civitates quamplurimas partium illarum, sit foecunda, satisque amplum habeat territorium, quod territorium monasterii Sanctae Trinitatis Cavensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis et Ordinis sancti Benedicti eiusdem dioecesis nuncupati, in qua castrum S. Adiutoris consistit, et personae sexus utriusque degunt in multitudine numerosa, abbas quoque pro tempore existens, et dilecti filii conventus dicti monasterii, in huiusmodi terra ac territorio et personis degentibus ac rebus existentibus in eisdem, quantum ad spirituale forum pertinet, ordinariam iurisdictionem coniunctim vel divisim exerceant, et ad exercitium saecularis iurisdictionis ad ipsum monasterium pleno iure pertinentis deputare officiales idoneos, adeo quod, licet monasterium, terra et territorium huiusmodi sint de dioecesi Salernitana, et infra illud tantum abbas, conventus, personae, monasterium, terra ac territorium praefato archiepiscopo pro tempore existenti et dilectis filiis capitulo et Ecclesiae Salernitanae dioecesano vel alio quocumque iure, praeterquam ad certum parvum annuum censum, in nullo tenentur astricti, et accedat quod ipsum monasterium, gratia Domini favente, etiam ultra multas cathedrales Ecclesias partium illarum opulentum et multipliciter ornatum existit: proventus etiam, bona et iura dicti monasterii ad abbatem et conventum prae-

Cavense monasterium dioecesana lege archiep. Salernitano non subiectum.

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. I.

fatos communiter et indistincte pertinere noscuntur, quae solus abbas administrare consuevit. Si ergo eadem terra in civitatem, et Ecclesia dicti monasterii in cathedralem Ecclesiam erigantur, opus merito censeri poterit laude dignum et singulariter commendandum, et incolis terrae et monasterii praefatorum in eo maxime accommodum et iucundum, qui perpetuum habebunt episcopum et pro sacramentali Confirmatione et suscipiendis Ordinibus necnon Chrismate et Oleo sancto recipiendo et aliis necessariis, quae ad pontificale ministerium pertinent, procurandis, adire alios antistites non cogentur.

Erectio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur, praemissa attenta meditatione pensantes, et opus erectionis huiusmodi ad effectum deducere cupientes, et quibusdam aliis rationabilibus suadentibus causis ad id nostrum inducentibus animum, ex certa nostra scientia, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae plenitudine potestatis, ad eiusdem Sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti laudem et gloriam, et exaltationem Ecclesiae sanctae suae, divini cultus augmentum fideliumque salutem, terram in civitatem erigimus, et civitatis titulo et insigniis decoramus, eamque in memoriam indelebilem eorum, quae circa id hac in parte geruntur, civitatem Cavensem perpetuis temporibus volumus nuncupari, et insuper eamdem ipsius monasterii, ad praesens abbatis regimine destituti, Ecclesiam in Ecclesiam cathedralem similiter erigimus, et constituimus, de consilio et potestate praefatis, sponsum idoneum cum episcopalis officii plenitudine per apostolicae diligentiae ministerium habiturum, qui sponsus ipse praesit atque prosit, statuentes et de ipsius consilio et potestate decernentes ut in huiusmodi Ecclesia in cathedralem erecta sit unus prior dicti Ordinis, qui maiorem, post pontificalem dignitatem, in huiusmodi nova cathedrali obtineat, et eisdem hactenus conventui nunc capitulo effectis praesideat, et divinum cultum in Ecclesia diligenter peragi et regularem observantiam per monacos et ministros ipsius novae cathedralis sollicita cura faciat observari, et animarum cura, si qua illi imminet, absque negligentia et cum diligenti studio exerceri, et leves ac minores excessus ad episcopi Cavensis pro tempore existentis referantur examen, sitque unus decanus, qui, post priorem, secundam habeat dignitatem, et, priore absente vel prioratu vacante, prioris in omnibus vices gerat, et tam prior quam decanus huiusmodi de praedictis proventibus, bonis et iuribus, pro dignitatum decentia, congruas percipiant portiones nostro moderamine nihilominus declarandas, et tam ipsa quam vicibus successivis, quotiescumque prioratum vel decanatum vacare contigerit, prior et decanus, salvis reservationibus apostolicis, per electionem capituli et confirmationem episcopi praefatorum assumantur. Per hoc autem alias dignitates et administrationes seu alios personatus aut alia officia, si qua forsan sub aliis vocabulis ibidem hactenus fuerunt, alias non intendimus removere, sed, praeter priorem claustralem, qui de caetero, secundum praemissa, necessarius non est, in suo esse remaneant sicut prius; proventus autem, bona et iura eiusdem noviter erectae Ecclesiae praefatae inter episcopum et capitulum praefatos, Deo authore, cum debito moderamine distingui et ab invicem separari, ac etiam numerum monacorum inibi capitulum facientium, pro iuribus facultatum, proventuum, bonorum et iurium huiusmodi, quae in ipsa distinctione et separatione dictis capitulo remanebunt, statim faciemus perpetuis temporibus observanda, sed proventus, bona et iura, quae ad episcopalem mensam et episcopum, quae vero in distinctione et separatione praedictis ad capitularem mensam fuerint deputata, ad priorem, decanum et capitulum praefatos et eorum administratorem, aliter servata iuris forma, debeant libere pertinere.

Capituli assignatio.

Dos novi episcopatus.

De iure novi episcopi, etc.

§ 3. Caeterum de consilio et potestate praefatis statuimus, ac etiam ordinamus, quod personae tam ecclesiasticae, quam saeculares sexus utriusque in eisdem nova civitate ac territorio, quod quidem territorium de caetero dioecesis Cavensis erit, degentes praesentes et posteri quemadmodum abbati et conventui praefatis in spiritualibus et temporalibus communiter vel divisim parere tenebantur, ac etiam ordinario iure subiecti de caetero ipsis episcopo, capitulo et Ecclesiae Cavensi in eisdem spiritualibus et temporalibus coniunctim vel semotim teneantur obedire, ac dioecesano sint subiecti. Praeterea sicut abbas et conventus praefati, necnon personae, monasterium, terra et territorium huiusmodi eisdem archiepiscopo, capitulo et Ecclesiae Salernitanae dioecesano vel alio iure non suberant, ita in posterum episcopus, capitulum et Ecclesia Cavensis, necnon personae, terra et dioecesis praefatae dictis archiepiscopo, capitulo et Ecclesiae Salernitanae, nec metropolitico, neque alio quovis iure subsint, sed eidem Ecclesiae Romanae immediate subiecti remaneant, sicut ante; et quemadmodum hactenus de dioecesi fuerunt, ita posthac alias de provincia Salernitana existant: ipsis tamen archiepiscopo, capitulo et Ecclesiae Salernitanae quoad praedictum censum nullum praeiudicium generetur. Ad hoc quia tam in praefata Salernitana, quam in aliis dioecesibus ac civitatibus nonnulla castra et terrae et villae, loca et possessiones consistunt, quae etiam iure ordinario praefatis abbati et conventui hactenus plenarie coniunctim vel separatim subfuerunt cum personis degentibus et rebus existentibus in eisdem, et quamplura prioratus, praepositatus, dignitates, personatus, officia, administrationes et alia beneficia ecclesiastica saecularia vel regularia cum cura consistentia ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, confirmationem, institutionem seu quamvis aliam dispositionem abbatis et conventus praefatorum communiter vel divisim hactenus spectaverunt, volumus et de praefatis consilio et potestate ordinamus, quod castra, terrae, villae, loca et possessiones huiusmodi non dioecesano vel alio quam consueverant iure, sed dumtaxat commodo, quousque nunc abbati et conventui, de caetero episcopo et capitulo praefatis cum dictis personis et rebus eodem ordinario debeant iure subesse: prioratus vero et praepositatus, dignitates, personatus, officia, administrationes et alia beneficia suprascripta de caetero ad episcopi et capituli praefatorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, confirmationem, constitutionem seu quamvis aliam dispositionem huiusmodi coniunctim vel separatim debeant pertinere et eis alias consueto more remanere subiecta. In Ecclesia iam Cavensi praedicta divina peragantur officia iuxta ritum, modum et consuetudinem ibidem hactenus usitatas.

De beneficiis a monasterio ipso Cavensi dependentibus.

De episcopali sede.

§ 4. Demum volumus, quod episcopus Cavensis pro tempore existens in aedificiis ibidem existentibus habitationem honorabilem ac decentem habeat pro se et sua familia, quae ab ipsorum prioris, decani et capituli habitatione per muros convenientes penitus secludatur, et quod luminaribus, libris, paramentis et ornamentis ad divinum cultum pertinentibus, ac pro aliis solitis oneribus ac expensis de proventibus, bonis et iuribus supradictis, tam ad episcopum, quam ad capitulum praefatos coniunctim vel divisim spectantibus diligenter possideatur sicut alias est fieri hactenus consuetum, et quod omnia privilegia, bona et iura huiusmodi monasterio qualitercumque concessa, ac in quorum possessione pacifica impraesentiarum canonica existit, eidem permaneant illibata: non obstante quod eadem Ecclesia dicti monasterii in cathedralem, ut praemittitur, sit erecta. Decernimus tandem ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis au-

Novae Eccles. antiqua confirmantur privilegia.

ctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae. § 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae creationis, decorationis, statuti, ordinationis, voluntatis et constitutionis *etc.*

Datum Romae, apud Sanctum Petrum septimo idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 7 augusti 1394, pontif. anno v.

## IX.

*Servorum Beatae Mariae fratribus Ordinis officia recipiendi seu obtinendi absque prioris generalis speciali licentia facultatem interdicit* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causae ferendae legis. — 2. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 3. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium. Pastoralis officii debitum cui, disponente Domino, praesidemus, exposcit ut circa statum personarum ecclesiasticarum, praesertim religiosarum, salubriter intendamus, et ut eis materia vagandi, ac insolentiarum et inobedientiae vitia subtrahantur studeamus sollicite providere.

Causae ferendae legis. § 1. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Ioannis fratrum Servorum Beatae Mariae Ordinis Sancti Augustini prioris generalis petitio continebat, saepe contingat, quod fratres dicti Ordinis praelaturas, dignitates, officia et etiam alia beneficia ecclesiastica, priore generali ipsius Ordinis pro tempore existente inscio, sibi conferri vel alias se ad illa promoveri procurent, et propter collationes vel promotiones huiusmodi fratres ipsi ut plurimum insolentes et vagabundi ac reprobi reddantur, et non paucorum materiam praebeant scandalorum, pro parte dicti prioris nobis fuit humiliter supplicatum ut super hoc providere de opportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur.

Constitutio (de qua in rubrica). § 2. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et etiam ordinamus, quod de caetero perpetuis temporibus nullus fratrum dicti Ordinis (quacumque etiam apostolica auctoritate) praelaturam seu dignitatem aut officium vel quodcumque aliud ecclesiasticum beneficium, per fratres dicti Ordinis gubernari seu regi consuetum, absque prioris generalis dicti Ordinis pro tempore existentis licentia speciali, praeter quam ex indulgentia Sedis Apostolicae faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, assequi valeat quoquo modo. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae. § 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionis, ordinationis et decreti infringere *etc.*

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, kalendis februarii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 1 februarii 1398, pont. anno IX.

## X.

*Statuta a cardinali S. Sabinae pro Terracinensibus edita firmat* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. A cardinali S. Sabinae datae Terracinensibus leges et privilegia iuxta constitutionem Gregorii XI hac de re. — 2. Potestates et iudices in hac civitate voluit eligi; — 3. Prudentes inibi fieri leges: — 4. Poenas corporales in pecuniarias non commutandas, sanxit. — 5. Examinatis huiusmodi literis, — 6. In iis contenta firmat Bonifacius.

(1) Ex Regest. Vatic.

(1) Ex Regest. Vatic.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad ea ex iniuncto nobis apostolatus officio libenter intendimus, quae civitatum ac terrarum nobis et Romanae Ecclesiae subiectarum immediate utilitatem respiciunt, et ut ea, quae ad ipsarum prosperitatem et statum bonum utiliter dirigendum sunt salubriter ordinata, illibata consistant, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem.

A cardinali S. Sabinae datae Terracinens. leges et privilegia iuxta constitutionem Gregorii XI hac de re.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et singularium personarum civitatis Terracinen. nobis et Romanae Ecclesiae immediate subiectarum nostrae provinciae Maritimae petitio continebat, quod olim bo. me. Franciscus tit. S. Sabinae presbyter cardinalis, tunc in nonnullis terris Italiae, praefatae Ecclesiae immediate subiectis, in temporalibus vicarius generalis, universitati hominum et Communi dictae civitatis apostolica auctoritate, qua fungebatur, vigore literarum fel. recordationis Gregorii Papae XI, praedecessoris nostri, ac de consilio rectoris dictarum provinciarum tunc temporis existentis voluit, statuit et ordinavit, ut privilegium et indultum constitutiones, statuta et ordinationes provinciarum praedictarum per fel. rec. Bonifacium PP. VIII praedecessorem nostrum edita continens in civitate, territorio, districtu Terracinen. praedictae vigeret, eoque ipsis uti liceret et in omnibus suis capitulis efficaciter observaretur.

Potestates et iudices in hac civitate voluit eligi;

§ 2. Statuit et etiam ordinavit de consilio et auctoritate praedictis, quod ab inde in antea quatuor potestates et duos iudices in civitate, territorio, districtu praefatis pro singulis sex mensibus vice qualibet valerent eligere, rectori ipsarum provinciarum praesentandos, et per eumdem rectorem, unum potestatem et unum iudicem, quos ex praedictis praesentatis ipse rector duceret eligendos, et per sindicatores eligendos per ipsos cum consilio alicuius iurisperiti tempore debito sindicandos, quorum sindicandorum poenas Camerae dictae civitatis voluit applicari.

Prudentes ibi fieri leges:

§ 3. Statuit insuper, concessit et ordinavit de consilio et auctoritate praedictis ut pro salubri et utili statu eorum in civitate, territorio, districtu praefatis statuta, quae contra statum et libertatem Romanae Ecclesiae, ac libertatem ecclesiasticam non existerent, edere valerent et obtinerent roboris firmitatem, quae per rectorem earumdem provinciarum approbata forent.

Poenas corporales in pecuniarias non commutandas sanxit.

§ 4. Voluit etiam, quod huiusmodi statuta, infra decem dies continuos post praesentationem eorum, per eundem rectorem confirmari deberent, et eis restitui absque solutione alicuius pecuniae: hoc addito quod ubicumque seu quotiescumque ex delicto aliquo de iure communi, poena corporalis, vel sanguinis deberet infligi, in statutis ipsis faciendis poena pecuniaria minime possit imponi: sed in eo casu constitutiones provinciales, ubi verae constitutiones provinciales deficerent, ius commune per eorum officiales voluit observari.

Examinatis huiusmodi literis,

§ 5. Et nonnulla alia concessit et voluit, prout in literis praefati cardinalis suo pendente sigillo munitis, quas inspici et examinari diligenter, quarumque tenores hic de verbo ad verbum inseri fecimus, dicitur plenius contineri.

In iis contenta firmat Bonifacius.

§ 6. Quare pro parte universitatis et singularium personaram praedictarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statutis, ordinationibus, concessionibus, declarationibus et voluntatibus huiusmodi et aliis in dictis literis robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta, ordinationes, concessiones, declarationes et voluntates praedicta, et alia omnia et singula in dictis literis contenta rata habentes et grata, illaque auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Per hoc autem nullum ius alias eis de novo

acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.* Datum Romae apud S. Petrum secundo idus iunii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 12 iunii 1400, pontif. anno XI.

## XI.

*Confirmatio statutorum et ordinationum provinciarum Campaniae et Maritimae per Bonifacium PP. VIII editorum* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Bonifacii PP. VIII literas in rubrica laudatas confirmat. — 2. Antiquum servando novum nulli ius hinc vult acquiri. — 3. Bonifacii literae. — Campaniae et Maritimae encomium. — De forma iudiciorum. — De appellationibus. — Pignora non danda ab appellantibus. — De deposito compositionum. — De custodibus communitatum. — De custodia viarum. — De citationibus. — Appellantes non molestandi. — De variis causarum moderandis expensis. — De minoribus in testimonium non admittendis. — Inobedientes huic constitutioni anathemate percussi.

**Bonifacius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Humilibus et honestis supplicum votis et praesertim Romanae Ecclesiae subiectorum libenter annuimus, illisque, quantum cum Deo possumus, favorem apostolicum impartimur.

Bonifacii PP. VIII literas in rubrica laudatas confirmat.

§ 1. Sane literas apostolicas fe. re. Bonifacii PP. VIII praedecessoris nostri, ordinationes, statuta et constitutiones provinciarum nostrarum Campaniae et Maritimae per ipsum praedecessorem nostrum edita, prout in literis apostolicis eiusdem praedecessoris solita bulla munitis, quas inspici et examinari fecimus diligenter per dilectum filium nostrum Ludovicum Sancti Adriani diaconum cardinalem pro nobis, et eadem Ecclesia in dictis provinciis in spiritualibus et temporalibus generalem (1), quarumque tenorem hic de verbo ad verbum inseri fecimus, nullo habito vel diminuto, quod facti substantiam aut veritatem immutet, auctoritate apostolica et ex certa scientia, tenore praesentium confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus.

Antiquum servando novum nulli ius hinc vult acquiri.

§ 2. Per hoc autem nullum ius, alias provincialibus dictarum provinciarum, aut universitatibus vel singularibus personis seu provinciis ipsis de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari.

Bonifacii literae.

§ 3. Tenor vero dictarum literarum sequitur, et est talis:

Bonifacius ep., servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. — Romana Mater Ecclesia, quae visceribus pietatis exhuberans et circa statum solerter invigilans subditorum, se illis in favorem munificam et in gratiis exhibet liberalem, praeclara Campaniae, Maritimaeque provinciae merita solerter attendens et sedula consideratione discutiens, digne circa ipsam specialis zelo dilectionis afficitur, digne illam prosequitur intima caritate, sinceris amplectitur brachiis, ad statum eius felicem et prosperum vigilantibus studiis intendendo. Haec est enim provincia, quae felicis benedictionis et gratiae, gratitudinis et obedientiae producit alumnos, et in qua semper erga Ecclesiam supradictam fidei constantia viguit, claruit devotionis integritas, splenduit reverentiae plenitudo. Haec est profecto columna fidelitatis, immobilis, super firmam petram fidei constituta, quæ nullius unquam concuti potuit frangentis fremitu tempestatis. Haec est provincia, quae semper ipsius Ecclesiae viriliter et constanter in necessitatibus astitit personarum pericula, damna rerum et laborum onera non evitans, cuiusque prompto et patenti auxilio terras sibi subiectas regit dirigitque provincias, ipsarum compescit excessus, ausus temerarios reprimit, illi-

Campaniae et Maritimae encomium.

(1) Ex Regest. Vatic.

(1) Deest aliquid, forsan *administratorem*, vel aliud simile.

citos motus fraenat. Hic est utique praedilectus et deliciosus hortus Ecclesiae, in quo ipsa reperit quod delectat, colligit quod blanditur affectui, gustat et percipit dulces fructus. Ideoque ipsius Ecclesiae gratiosa benignitas merito ad eamdem provinciam benevolum extendit intuitum, et de statu eius sollicita redditur, ut, subductis noxiis, subsequentibus prosperis, in pacis pulchritudine sedeat, et in requie opulenta quiescat. Inde fit quod nos provinciam ipsam sincerissime diligentes, apostolica auctoritate statuimus et etiam ordinamus, quod si potestas, capitaneus vel defensor aliquis communitatis alicuius, civitatis vel castri provinciae memoratae, in quo quidem castro potestas seu rector ad ipsius regimen hactenus eligi consuevit, aut ecclesiasticus iudex seu loci ordinarius, primo contra quemlibet ipsius provinciae incolam super delictis et excessibus quibuscumque per accusationem aut denunciationem vel inquisitionem duxerit procedendum, tunc eiusdem rector provinciae, tam in spiritualibus et temporalibus contra huiusmodi delinquentem ulterius non procedat, quantumcumque in curia rectoris prædicti super eodem delicto fuerit accusatus. Si vero praefatus rector contra huiusmodi delinquentem prius duxerit procedendum, memoratus potestas, capitaneus vel defensor non procedant in aliquo contra eum. Ordinamus et statuimus, ut cuilibet appellanti et appellare volenti coram rectore praedicto aut eius officialibus, liceat sibi quem maluerit habere notarium ad formandum seu faciendum fieri appellationem vel appellationes, quae fuerint faciendae, ipsasque in formam publicam redigi, prout fuerit opportunum. Ita tamen quod praenominatus notarius, antequam de ipsius rectoris curia se absentet, appellationis huiusmodi copiam in eadem forma redactam penes dictum rectorem, seu officiales ipsius, si petita fuerit, dimittere teneatur. Si autem praefatus rector, vel eius officiales appellanti voluerit non tam protinus respondere, appellantem vel notarium, qui appellationis confecerit instrumentum, nequaquam retineat vel faciat aliquatenus detineri: quinimo ipsum libere abire permittat, praefixo termino appellanti, in quo appellans compareat, ipse responsionem, quam sibi super appellatione huiusmodi fecerit, auditurus. Praeterea dictus rector vel officiales eiusdem aliquem de communitatibus ipsis, vel officiales eorum quomodolibet non compellat, nec compelli faciat, vel permittat ad dandum vel assignandum sibi aut suis officialibus pignora propter Romanam Ecclesiam contingentem dictarum civitatum vel communitatum vel alicuius earundem officialibus, per quemcumque ob suum exhibita vel assignata delictum ante vel post definitivam sententiam vel infra tempus deliberationis appellationis faciendae, videlicet decem dierum, vel postquam appellatum fuerit, huiusmodi appellatione pendente. Ad haec si per eumdem rectorem adversus aliquem procedi contigerit, a quo pecuniam vel aliud loco pecuniae per viam compositionis seu condemnationis exegerit aut exigi fecerit pro commissis excessibus, ab eodem dictus rector exhibeat et assignet, ac faciat assignari illi communitati seu civitati, unde delinquens existit, partem poenae huiusmodi prout ad illam ex speciali privilegio vel consuetudine pertineret. Si vero nec privilegium subsit, nec consuetudo aliqua in hoc esse noscatur, pars huiusmodi poenae sit civitatis seu communitatis illius, in cuius territorio seu districtu maleficium extitit perpetratum. Si autem custodes aut alii officiales alicuius communitatum ipsarum de potestatis seu capitanei vel defensoris eorum mandato, aut ex ipsorum officio iuxta formam statuti aliquam in bonis vel rebus cuiuslibet exequutionem duxerint faciendam, et ex eo custodes vel officiales praedicti coram saepefato rectore vel eius officialibus fuerint accu-

De forma iudiciorum.

De appellationibus.

Pignora non danda ab appellantibus.

De deposito compositionum.

De custodibus communitatum.

sati, rector vel officiales ipsi contra custodes aut officiales praedictarum communitatum vel alterius earum, dummodo rectori vel officiali constiterit supradictis, quod earumdem communitatum et alicuius ipsarum custodes vel officiales existant, aliquatenus non procedant. Si vero quispiam de quovis delicto delatus ad declarandum forum per se vel per procuratorem exceptionem opponat, ipsum audiri praecipimus, prout de iure fuerit audiendus, nisi excessus adeo evidens, tantaque casus enormitas fuerint, quod aliud suaderet faciendum. Volumus etiam, quod pro delicto filii portionem iuris naturae debitam pater dare tantum et non amplius retineatur, ipsaque patris filio imputetur.

De custodia viarum.

Caeterum, si civitas vel castrum provinciæ circa viarum seu stratarum custodiam, sollicitudinem adhibeat diligentem, nolumus illa per ipsius provinciae rectores vel officiales eorum occasione huiusmodi quomodolibet molestari. Cum autem provinciae rector, vel officiales ipsius alicuius recipiunt pignora contra quem intendunt procedere, pignora eadem ad ipsius rectoris mandatum penes officiales iuratos civitatis vel castri cuius est incola is, adversus quem agitur, deponi volumus custodienda per eos, ne illa distrahi vel amitti contingat: nisi forsan excessus enormitas vel qualitas delinquentis aliud fieri suaderet: citationem vero ad bancum rectoris factam nullius esse valoris volumus vel vigoris, sed per inde habeatur, ac si facta nullatenus extitisset. Super facto autem grasciae ad locum in Romanam Curiam, vel ubi rectorem ipsum morari contigerit, deferendae, ne fraus aut dolus in hoc vendicet sibi locum, providere intendimus, prout viderimus expedire, volentes omnino quod quis pro aliquo delicto turonensem unum argenteum teneatur solvere citatori, sed in hoc consuetudo servetur antiqua. Ad

De citationibus.

haec super citandis mulieribus ad testimonium perhibendum vel ad respondendum super inquisitionis ac accusationis negocio constitutionem nostram, quae super hoc loquitur, praecipimus observari, ac notarios utriusque rectoris contentos esse scripturarum suarum salario consueto. Si quis autem pro quovis delicto citatus, per se vel per procuratorem compareret, et rei fictae vel iudicatae solutionis aut transactionis exceptionem opponat, si de ipsa constiterit respondere, non cogatur invitus: pecuniam insuper, quae citatus, sive clericus existat aut laicus, qui fideiussores, antequam recederet, iuxta mandatum sibi factum exhibuit, per portatarium vel personarium rectoris eiusdem pro introitu vel egressu exigatur ac si citatus ipse in compedibus extitisset, ulterius exigi prohibemus. Praeterea si clericus coram spirituali vel saeculari citatus iudice ad portam Rocchae cultellum vult ponere, ut est moris, portatarius causa custodiae ipsum petit, et receptum spirituali defert eidem, qui clerico praecipit, ut vaginam praebeat deferenti, eum in quadraginta solidis monetae currentis nihilominus condemnando, receptis propter hoc fideiussoribus ab eodem; et cum clericus ipse instat ad reditum, idem portatarius ab ipso salarium exigit pro cultelli custodia memorati, quae, utpote insolita, nunquam de caetero fieri prohibemus. Porro spirituales et saeculares rectorum ipsorum iudices volentibus ad Sedem Apostolicam appellare, ac notariis quos tales propterea secum ducunt graves carceris minas incutiunt; praecipientes illis districtius ne recedant, et nihilominus ab eis fideiussoriam exigunt cautionem ab eodem in solutione custodiae ac scripturarum non modicum praegravando, quae similiter perpetuae prohibitioni subiicimus, ne ulterius attententur. Praefati quoque iudices super antiquis determinatis et sopitis quaestionibus sive causis plures faciunt iniuste citari, et ut suam excusam exhibeant, et pro invenienda causae determinatione in processu sive subscripta decem vel sex solidos ad minus exsolvant, compellunt eosdem, et si citatus liberationis,

Appellantes non molestandi.

absolutionis vel quietationis deferat instrumentum, et illud recipere renuat nisi prius suas exhibeat exceptiones in scriptis, et notarius pro huiusmodi exceptionibus et instrumenti regestratione praedicti quinque vel quatuor solidos exigit ab eodem, alias ipsum multipliciter aggravando; quibus quidem exactionibus finem penitus imponi praecipimus et ab eis omnimode abstineri. Si autem rector provinciae adversus aliquem per inquisitionis vel denunciationis viam procedat, et is, contra quem processus dirigitur, in quacumque parte iudicii, aliquam exceptionem opponat, eam ipsius rectoris iudex admittere renuat, nisi iusta videatur eidem: sed si forte perpenderet quod talis per exceptionem vel allegationem huiusmodi foret absolvendus, de iure pecuniam pro consilio exigit ab eodem, et intantum exhibendo consilio ipsum gravat, inquantum existeret condemnandus, sicque condemnationis partem ad sui commodum sub huiusmodi velamine recipit notarius, et etiam salarium exigit pro scriptura, super quibus illius correctionis et emendationis remedium per prudentiam rectoris volumus adhiberi, ut ulterius non contingat. Cum vero praefatus rector contra universitatem vel aliquem ad inquisitionem procedit, effraenatam multitudinem testium recipit, et universitatem ipsam vel eum contra quem inquiritur, ad solvendum tres aut plures solidos pro quolibet testium praedictorum pro sua voluntate compellit, quod omnino corrigi volumus: dum vero non agatur in fraudem, cogit etiam idem rector litigantes sua per advocatos iura proponere, nec aliter ipsos audit, et si forte contra eam contingeret, compellitur litigator non solum suo, sed etiam ipsius Curiae nomine satisfacere advocatis. Idemque rector indifferenter exhibere non desinit pro quolibet delicto citatum, et in eius Curia manere constringit, receptis etiam fideiussoribus ab eodem. Nihilominus sibi custodiam sive carcerem sumptibus propriis imponendo, quae quidem ulterius fieri prohibemus, nisi facti qualitas vel casus enormitas aliud suaserit faciendum.

De variis causarum moderandis expensis.

Constitutionem autem per rectorem provinciae editam, per quam minor quatuordecim annis super quovis delicto in testem recipitur, cassamus, vacuamus et penitus annullamus. Super gravaminibus vero, quae hominibus de montanis eiusdem provinciae a rectoris vicariis per novas inquisitiones, quas de antiquis et fictis excessibus faciunt, et alias etiam multipliciter inserunt, taliter per eundem rectorem volumus et praecipimus provideri, ut, et illa finem recipiant, et Ecclesiae Romanae subiecti, ad quorum quietem intendimus, indebitis vexationibus non turbentur. Baronibus autem Campaniae et Maritimae praedictarum et eorum vassallis iura, iurisdictiones et consuetudines ipsorum tam in civilibus quam in criminalibus auferre nequaquam intendimus, sed potius sibi ea illaesa et integra conservare. Nos itaque ad statum bonum et prosperum eiusdem provinciae vigilantibus studiis intendentes, et cupientes, ut in illa pax vigeat, regnet concordia, iustitia observetur, praemissa omnia per nos facta prohibita et statuta sic in perpetuum custodiri volumus et servari, ut contra ea vel eorum aliquod scienter temere venientes excommunicationis sententiam, quam nunc in ipsos auctoritate apostolica promulgamus, incurrant, qui non nisi per Summum Pontificem possint absolutionis beneficium obtineri. Decernentes nihilominus omnem processum siquidem per eumdem rectorem per se vel alium seu alios contra praedicta omnia, per statuta ordinata et decreta vel aliquid praedictorum haberi contigerit, irritum et inane, et nullius existere penitus firmitatis. Nulli ergo, *etc.*

De minoribus in testimonium non admittendis.

Inobedientes huic constitutioni anathemate percussi.

Datum Anagniae, quarto kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum confirmationis, voluntatis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, secundo idus iunii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 12 iunii 1400, pontif. anno XI.

---

## XII.

*Ecclesia S. Michaelis in Monte Gargano erigitur in cathedralem, addita lege, ut Sipontinus archiepiscopus Garganicus quoque nuncupetur* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Infelix Sipontinae civitatis status. — Ecclesia S. Michaelis in Monte Gargano. — Terra Montis S. Angeli incolis, caeterisque foecunda rebus. — 2. Sipontina Ecclesia in metropolitanam a Benedicto IX erecta. — Terra praedicta in civitatem erigitur; — Ecclesia vero S. Michaelis in cathedralem et metropolitanam. — Archiepiscopus Sipontinus et Garganicus appellandus. — Capituli assignatio. — 3. De redditibus archiepiscopi et capituli. — 4. Obstantium derogatio. — 5. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Rerum omnium summi et providi ordinatoris Domini nostri Iesu Christi, qui benemeritum ad convivium dominicum in ultimis recumbentem superius iubet ascendere, ut sibi sit gloria, vices, quamquam insufficientibus meritis, gerentes in terris, exemplo dominico invitamur, ut de supremae apostolicae dignitatis speculo ad singulas orbis partes profundae considerationis aciem extendentes, si locum insignem minus decore tractatum et neglectum videamus, pro rei qualitate superius elevemus, et dignitatum titulis fulciamus. Per hoc enim cum Dei gratia boni praesidis partes implemus, si nostro ministerio singulis locis pro temporum qualitate correspondeant insignia dignitatum.

Infelix Sipontinae civitatis status.

§ 1. Cum itaque, sicut ipsa veritas et facti evidentia manifestant, civitas Sipontina, quae cathedralis et metropolitana in Apuliae finibus sita, malitia temporum faciente, multarum calamitatum concussa turbinibus, adeo diruta et neglecta ac desolata iaceat, quod a multis annorum circulis nullus in ea moram traxit, nec speratur, quod in futurum aliqui sint mansuri; et in dioecesi Sipontina Mons Garganus a dicta civitate non longe distans situs est, in cuius montis vertice supremo in honorem beati Michaelis archangeli toto orbe terrarum veneranda habetur Ecclesia caelesti quidem virtute praedita; ac ibidem terra Montis Sancti Angeli nuncupata, dictae dioecesis, benedicente Domino, personarum numerositate, aliisque Domini muneribus, ultra civitates quamplurimas illarum partium stet foecunda, in qua personae utriusque sexus degunt in multitudine copiosa: archiepiscopus quoque Sipontinus pro tempore existens in huiusmodi terra et eius districtu ac personis degentibus et rebus existentibus in eisdem, quantum ad spirituale forum pertinet, ordinariam iurisdictionem exercet, et praedicta Ecclesia ultra multas et cathedrales Ecclesias partium earumdem opulenta et sufficienter ornata extat, proventus etiam, bona et iura dictae Ecclesiae in archiepiscopum praedictum et capitulum eiusdem Ecclesiae communiter et indistincte pertinere dignoscuntur, quorum medietatem archiepiscopus, aliam capitulum praedictum percipere consueverunt. Si ergo terra in civitatem et Ecclesia praedicta in cathedralem et metropolitanam Ecclesiam erigantur, merito censeri poterit laude dignum, et opus singulariter commendandum.

Ecclesia S. Michaelis in Monte Gargano.

Terra Montis S. Angeli incolis, caeterisque foecunda rebus.

Sipontina Ecclesia in metropolitanam a Benedicto IX erecta.

§ 2. Nos igitur attendentes quod fel. rec. Benedictus Papa IX, praedecessor noster, Sipontinam Ecclesiam, quae tunc dumtaxat cathedralis erat, post miraculosam inventionem eiusdem Michaelis archangeli, ipsiusque reverentiam in metropolitanam erexerat, et multis honoribus

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. VII.

decoraverat, ac cupientes praeterea eamdem Ecclesiam praedicti gloriosissimi principis Michaelis archangeli, qui de hoste humani generis triumphans, militiae coelestis exercitus obtinet providentia divina primatum, amplius honorare, ac praemissa attenta meditatione pensantes et onus erectionis huiusmodi ad effectum deducere cum maturitate volentes, ex quibusdam aliis rationalibus suadentibus causis ad id animum nostrum moventibus, et ex nostra scientia et de fratrum nostrorum consilio, de apostolicae potestatis plenitudine, ad honorem omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, et eiusdem gloriosissimi principis Michaelis archangeli laudem et gloriam, et exaltationem Ecclesiae sanctae suae, divini cultus augmentum, fideliumque salutem, et earumdem terrae et Ecclesiae statum honorificum et tranquillum, terram praedictam in civitatem erigimus, et civitatis titulo et insigniis decoramus: ipsamque in memoriam indelebilem eorum, quae cura nostra in hac parte geruntur, civitatem Garganicam perpetuis futuris temporibus volumus nuncupari. Et insuper eamdem Ecclesiam (cui venerabilem fratrem nostrum Nicolaum archiepiscopum Sipontinum, prout Sipontinae Ecclesiae præesse dignoscitur, praesidere volumus et iubemus) in cathedralem et metropolitanam Ecclesiam similiter erigimus et constituimus de consilio et potestate praedicta, ipsasque ambas Ecclesias Sipontinam et Garganicam simul unimus, annectimus et incorporamus. Perpetuo per praesentes decernentes ut praedictus Nicolaus archiepiscopus ex nunc archiepiscopus Sipontinus et Garganicus nuncupetur, et subsequenter sui in posterum successores. Statuentes et de ipsis consilio et potestate decernentes ut archidiaconus, qui est in dicta Ecclesia Garganica, maiorem post pontificalem dignitatem obtineat, reliqua autem dignitates, personatus et officia, si quae, si qui, aut si qua forsan sub aliis vocabulis ibidem hactenus extiterint, alias non intendimus removere, et tam archidiaconatus, dignitates, personatus et officia huiusmodi, necnon duodecim canonicorum et praebendarum, et tot perpetuorum beneficiorum servientium nuncupatorum numerus eiusdem novae Ecclesiae, ac collationes et provisiones, necnon consuetudines et statuta in suo esse remaneant sicut prius.

*Terra praedicta in civitatem erigitur.*

*Ecclesia vero S. Michaelis in cathedralem et metropolit.*

*Archiepiscopus Sipontinus et Garganicus appellandus.*

*Capituli assignatio.*

§ 3. Quae quidem numerus et consuetudines et statuta, de consilio et potestate praedicta, harum serie confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Proventus et bona et iura ipsius novae Ecclesiae, quoad archiepiscopalem mensam, ad archiepiscopum, quo vero ad capitulum praedictum pertinent, iuxta consuetudinem hactenus observatam, et alias, iuxta iuris formam, percipiantur et libere dividantur.

*De redditibus archiepiepiscopi et capituli.*

§ 4. Caeterum, de consilio et potestate praedicta, statuimus et ordinamus quod personae tam ecclesiasticae quam saeculares sexus utriusque in eadem civitate degentes, praesentes et posteri, praedicto archiepiscopo eiusque posteris subiecti remaneant et pareant in omnibus sicut ante. In eadem Ecclesia nova praedicta divina officia peragantur iuxta ritum modum et consuetudinem ibidem hactenus usitatos. Quandoque ipsa nova Ecclesia omnibus privilegiis, iuribus et iurisdictionibus potiatur et gaudeat, quibus eadem Sipontina Ecclesia gaudet et gaudere etiam consuevit huiusmodi, necnon aliis privilegiis, indultis et concessionibus apostolicis eidem Sipontinae Ecclesiae concessis, quae possent praesentibus obviare, non obstantibus quibuscumque. Decernimus insuper ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Obstantium derogatio.*

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, decorationis, iussionis, voluntatis, unionis et annexionis, incorporationis, statuti,

*Clausulae.*

confirmationis, communionis, ordinationis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, nonis decembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 5 decembris 1400, pont. anno XII.

---

## XIII.

*Prohibitio infeudandi, locandi seu alias quomodolibet alienandi bona Ecclesiarum et monasteriorum Urbis, eiusque districtus, nisi de triennio in triennium* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Ex locationibus bonorum Ecclesiarum, ipsae Ecclesiae summe depauperantur. — 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — Poenae contra inobedientes. — 3. Locationes vero, *etc.*, nonnisi de consensu Rom. Pontificis faciendae. — 4. Contrariis quibuscumque non obstantibus. — 5. Excipitur Hospitale S. Spiritus in Saxia. — 6. Clausulae.

**Bonifacius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Procemium.

Etsi universas orbis Ecclesias, cunctaque monasteria atque loca in divini Nominis laudem et gloriam dedicata incrementis salutaribus ampliari et ab ingruentium dispendiorum noxiis illaesa servari ferventibus desideriis, prout ex debito apostolicae servitutis obnoxii reddimur, exoptemus, ac opem et operam circa ea impendamus studiis indefessis; ad monasteria tamen, prioratus et Ecclesias in alma Urbe ac in eius territorio vel districtu existentia, tanto ut salutaribus proficiant augumentis excitamur ardentius, quantum in ea Urbe fundamenta militantis Ecclesiae caelestis altitudo consilii mirabilius stabilivit et esse voluit tam spiritualis quam temporalis monarchiae ex throno suae ineffabilis sapientiae principatum.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Ex locationibus bonorum Eccles., ipsae Ecclesiae summe depauperantur.

§ 1. Sentientes igitur, sicut habet fide digna relatio facta nobis, quod nonnulli abbates, priores, capitula et conventus monasteriorum et prioratuum, tam regularium quam saecularium, etiam Ordinum diversorum, necnon quamplures alii in dignitatibus, administrationibus et officiis constituti, et etiam rectores tam parochialium quam aliarum Ecclesiarum ac hospitalium, tam in dicta Urbe quam in territorio seu districtu eiusdem situatorum, sub variis et diversis coloribus in maximum monasteriorum, prioratuum et Ecclesiarum ac hospitalium huiusmodi praeiudicium et gravamen, ac in ipsorum animarum aeternae salutis periculum, bona stabilia ad monasteria, prioratus et Ecclesias seu hospitalia huiusmodi pertinentia infeudare seu in emphiteusim concedere, necnon ad longum locare tempus damnabiliter hactenus praesumpserunt et praesumunt assidue fructus, redditus et proventus ex eis ante tempus percipientes, nec curantes fructus huiusmodi ac bonorum ipsorum, aut nutrimenta et substentationem degentium in eisdem.

Prohibitio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos volentes, cum ad hoc nostra potissime versetur intentio, ut monasteria, prioratus, Ecclesiae et bona huiusmodi, ac personae in eis et potissime deservientes laudabiliter in divinis augumenta suscipiant, et ab incommodis ex malitia concessionum et locationum huiusmodi emergentibus praeserventur illaesa, praemissis et nonnullis aliis rationabilibus causis animum nostrum ad hoc moventibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus et ordinamus quod de caetero nullus abbas, prior, conventus aut capitulum, collegia, regulares vel saeculares, aut rector monasteriorum, prioratuum aut Ecclesiarum ac hospitalium huiusmodi vel alicuius eorum, cuiuscumque status, dignitatis vel conditionis existat, per se vel alium, directe vel indirecte, quibuscumque titulo, causa seu quaesito colore, infeudare aut in emphiteusim concedere seu aliter locare bona huiusmodi,

quae infeudari hactenus non consueverint, aut fructus, redditus et proventus bonorum stabilium monasteriorum, prioratuum et Ecclesiarum huiusmodi vel alicuius eorum ad tempus vendere vel aliter alienare seu concedere, nisi dumtaxat pro tempore et termino trium annorum ad plus; nec fructus, redditus aut proventus ipsos ante tempus percipere, nisi pro uno anno dumtaxat, et non ultra, audeat vel praesumat, sub poena excommunicationis, in quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, necnon privationis omnium monasteriorum, prioratuum, dignitatum, Ecclesiarum, beneficiorum, hospitalium et bonorum quorumlibet, quae quomodolibet obtinerent; feudatarii quoque, emphiteotae, conductores ac emptores bonorum huiusmodi solutum contra inhibitionem huiusmodi canonem et pretium amisisse eo ipso intelligantur, nec receptioni aut compensationi sit locus in aliquo.

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Volentes ac decernentes quod castra seu fortalitia monasteriorum, prioratuum aut Ecclesiarum seu hospitalium huiusmodi vel eorum aliquod, absque speciali Sedis Apostolicae licentia, sub dicta poena, infeudari, locari, dari vel concedi non possint vel debeant quovis modo, et nihilominus, quod secus vel aliter factum fuerit carere viribus decernimus ipso facto.

Locationes vero, etc., nonnisi de consensu Rom. Pontificis faciendae.

§ 4. Constitutionibus apostolicis, statutis et consuetudinibus monasteriorum, prioratuum, Ordinum, Ecclesiarum et locorum huiusmodi, legibus imperialibus, statutis municipalibus praefatae Urbis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Praedicta autem ad hospitale nostrum Sancti Spiritus in Saxia de Urbe et eius praeceptorem, capitulum atque bona non vindicent sibi locum.

Excipitur Hospitale S. Spiritus in Saxia.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis et constitutionis infringere, *etc.*

Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum, quarto nonas ianuarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Dat. die 2 ianuarii 1403, pont. anno XIV.

---

# INNOCENTIUS VII

## PAPA CCIV

*Anno Domini MCCCCIV.*

Die 17 octobris 1404 electus est Romae in Summum Pontificem Cosmus Melioratus, presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Hierusalem, sub nomine Innocentii VII, qui coronatus est die 11 sequentis novembris. Erat Cosmus Sulmone natus, in Aprutio: quem Urbanus VI archiepiscopum fecerat Ravennatensem, mox Bononien. praefecerat Ecclesiae, unde a nonnullis cardinalis Bononiensis appellatur. Sedit in pontificatu annos II, dies XIX, imperantibus in Occidente Roberto rege Romanorum, in Oriente vero Emmanuele II imperatore. Obiit die 6 novembris anno 1406, et sepultus est in basilica S. Petri. Vacavit sedes dies XXVI.

---

### I.

*Approbatio regulae fratrum et sororum de Poenitentia, Ordinis S. Dominici.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Supplex fratrum et sororum petitio. — 2. Confirmatio (*de qua in rubrica*). — Cap. I. De recipiendis, et eorum conditione. — II. De habitu fratrum et sororum. — III. De modo recipiendi in Ordinem. — De benedictione vestium. — IV. De professione seu modo profitendi. — V. De permanentia in hoc statu. — VI. De horis canonicis dicendis. — VII. De surgendo ad matutinas. — VIII. De Confessione et Communione. — IX. De silentio observando. — X. De reverentia exhibenda

Ecclesiarum praelatis, ipsisque Ecclesiis. — XI. De ieiuniis. — XII. De cibo. — XIII. De discursibus. — XIV. De armis non ferendis. — XV. De infirmis visitandis. — XVI. De suffragiis fratrum et sororum defunctorum. — XVII. De institutione prioris et priorissae. — XVIII. De officio prioris et priorissae. — XIX. De correctione fratrum atque sororum. — XX. De eorumdem dependentia a generali magistro, et prioribus provincialibus fratrum Praedicatorum. — XXI. De dandis dispensationibus. — XXII. De obligatione huius regulae. — 3. Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta, personas regulari observantiae vacantes assidue, studio piae vitae benigno favore prosequitur, et ea quae pro earum statu salubriter dirigendo provide ordinata sunt, ut illibata persistant, apostolico consuevit munimine roborare.

Supplex fratrum et sororum petitio.

§ 1. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum fratrum et dilectarum in Christo filiarum sororum Ordinis Praedicatorum, qui quidem fratres et sorores de Poenitentia Sancti Dominici nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat quod ipsi quamdam regulam, sive religiose vivendi formam, in qua nonnulla honesta et rationabilia ac regulari disciplinae congruentia statuta et ordinata fore noscuntur, hactenus laudabiliter observarunt, prout observant. Quodque licet Ordo, fratres et sorores huiusmodi variis per Sedem Apostolicam sint privilegiis communiti, tamen pro solidiori eorum subsistentia, et ut, clementia Altissimi operante, de virtute in virtutem gradientes, devotiorem reddere valeant Domino famulatum, desiderant huiusmodi regulam sive vivendi formam per Sedem eamdem approbari. Quare, pro parte fratrum et sororum eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum ut regulae seu vivendi formae huiusmodi robur apostolicae confirmationis adiicere, illamque, per dictos fratres et sorores praesentes et posteros, in perpetuum observari mandare de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur, qui, super praemissis omnibus et singulis, venerabilis fratris nostri Angeli episcopi Hostiensis (cui examinationem eorumdem commisimus per ipsum faciendam, et quod ea quae per illam reperiret nobis referre curaret) relatione plenaria et fideli fuimus clarius informati, huiusmodi supplicationibus inclinati, regulam sive vivendi formam, quam per singula eius capitula clare et distincte ac de verbo ad verbum praesentibus fecimus adnotari, necnon statuta et ordinationes praedicta rata habentes et grata, illa, auctoritate apostolica, ex certa scientia, confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, et nihilominus regulam seu vivendi formam eamdem, per ipsos fratres et sorores praesentes et in posterum volumus et mandamus perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari.

Tenor vero regulae sive vivendi formae huiusmodi sequitur et est talis.

*Incipit regula fratrum et sororum Ordinis de Poenitentia B. Dominici Tertiariorum fundatoris, et patris fratrum Ordinis Praedicatorum.*

### Cap. I.

De recipiendis, et eorum conditione.

In primis, ut hic Ordo continuum et perpetuum de bono in melius valeat recipere incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, volumus et ordinamus quod nullus recipiatur ad Ordinem huius fraternitatis, nisi per magistrum sive directorem et per priorem dictae fraternitatis, vel de ipsorum licentia ac etiam de assensu maioris partis fratrum professorum fraternitatis eiusdem illius loci, praemissa tamen diligenti examinatione, quod sit honestae vitae et bonae famae, ac de haeresi nullatenus sit suspectus; quinimo, tamquam S. Dominici singularis

in Domino filius, sit veritatis catholicae fidei, iuxta suum modulum, aemulator et zelator praecipuus. Qui etiam, antequam habitum huius religionis recipiat, de alienis (si qua habuerit) satisfaciat ad plenum, et proximis reconciliari, necnon et paratum sive conditum suum testamentum tenere studeat, iuxta consilium et ordinationem confessoris discreti; et eadem examinatio fiat de mulieribus ingressum huius Ordinis petentibus: habentibus tamen viros non pateat ingressus ad consortium dictae fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia et consensu, de quo consensu fiat publicum instrumentum. Idem, quoad hoc, servari volentes in viris uxorem habentibus, nisi obstaret in ipsis vel aliquo ipsorum aliqua causa, quae legitima iudicaretur de consilio discretorum.

### Cap. II.

De habitu fratrum et sororum.

Omnes autem, tam fratres quam sorores dictae fraternitatis, induantur panno albo et nigro, qui, nec in colore nec in valore nimiam preciositatem praetendat, sicut decet honestatem servorum Christi. Mantellum sit de nigro, et fratrum capucia similiter sint de nigro, tunicae vero sint de albo, quarum manicae protendantur usque ad pugnum et sint clausae; corrigias de corio tantum habeant, quibus sorores cingantur sub tunica; in bursis etiam, calceamentis et caeteris omnem mundanam resecent vanitatem: vela vero sororum et bindae sint alba de panno lineo vel canapino.

### Cap. III.

De modo recipiendi in Ordinem.

Recipiatur autem recipiendus in loco capituli fraternitatis vel ante altare Ecclesiae fratrum Praedicatorum illius loci, et a magistro sive directore supradicto vel eius vicario, qui magister, assistente induendo et petente humiliter flexis genibus recipi, praesentibus aliquibus aliis fratribus Praedicatoribus et priore fraternitatis vel eius vices gerente cum aliis de fraternitate, benedicet primo habitum eius qui debet recipi, hoc modo videlicet: *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es, etc.* Postea vero, tali habitu benedicto et per receptum seorsum induto, atque ad gradus altaris reverso, et ante magistrum genuflexo, dicet magister: *Veni, Creator Spiritus*, et fratres qui ei assistunt ipsum prosequantur usque ad finem, deinde dicatur: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, etc. Emitte Spiritum tuum, etc. Salvum fac servum tuum, etc. Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, etc.*, et *Praetende famulo, etc.*, et responso *Amen*, aspergatur sic indutus a magistro aqua benedicta, deinde omnes fratres fraternitatis ipsum recipiant ad osculum pacis, et eodem modo ante altare recipiantur mulieres, quemadmodum est de fratribus supradictum.

De benedictione vestium.

### Cap. IV.

De professione seu modo profitendi.

Completo anno vel ante, si magistro et priori supradictis, vel cui commiserint, et etiam maiori parti fratrum professorum fraternitatis visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo, videlicet: Ad honorem omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti et beatae Mariae Virginis et beati Dominici. Ego N. coram vobis N. magistro et priore fratrum Ordinis de Poenitentia B. Dominici, talis loci, profiteor me velle de caetero vivere secundum formam et regulam fratrum et sororum eiusdem Ordinis de Poenitentia B. Dominici usque ad mortem. Mulieres vero eodem modo profiteantur coram magistro supradicto et priorissa, vel cui commiserit.

### Cap. V.

De permanentia in hoc statu.

Statuimus autem, ut nullus frater, nec soror huius fraternitatis et Ordinis, post supradictam professionem de hoc Ordine egredi valeat, nec eisdem ad saeculum

reverti liceat, sed bene possint libere transire ad unam de approbatis religionibus tria vota solemnia profitentibus.

CAP. VI.

De horis canonicis dicendis.

Fratres et sorores dicant quotidie omnes horas canonicas, nisi infirmitate impediantur. Pro matutinis dicant viginti octo *Pater noster*, pro vesperis (1) et pro qualibet aliarum, septem. Ad honorem vero beatae Mariae semper Virginis pro qualibet hora superius nominata tot *Ave Maria* quot *Pater noster* dicere teneantur. Pro benedictione autem mensae dicant unum *Pater noster*. Cum vero surgunt a mensa, similiter dicant unum *Pater noster* vel psalmum, *Miserere mei Deus*, vel *Laudate*, qui sciunt. Omnes etiam qui sciunt Symbolum Apostolorum, videlicet *Credo in Deum*, dicant illud semel in principio matutinarum, et etiam ante primam, et quando completorium fuerit terminatum. Qui autem sciunt et dicunt horas canonicas quemadmodum faciunt clerici, praedicta *Pater noster* et *Ave Maria* dicere minime teneantur.

CAP. VII.

De surgendo ad matutinas.

Ad matutinas dominicis diebus et festivis, a festo Omnium Sanctorum usque ad festum Resurrectionis Dominicae omnes surgant. In Adventu autem Domini et Quadragesima surgant omni nocte. Qui vero occupantur quotidiano opere manuali, horas suas dicere possunt de mane usque ad vesperas exclusive, de sero vero, vesperas et completorium simul dicant.

CAP. VIII.

De Confessione et Communione.

Omnes quater in anno ad minus, videlicet in festo Nativitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes et in festo Assumptionis aut Nativitatis B. Virginis, peccata sua confiteantur diligenter et Eucharistiae devote studeant accipere sacramentum, nisi forsan ex aliqua causa rationabili alicui ex ipsis esset a suis confessoribus interdictum. Qui autem ex devotione sua saepius voluerint infra annum communicare, petita a suo praelato licentia et obtenta, devotionem suam cum Dei benedictione possunt executioni demandare.

(1) In Bullar. Praedicat. Ripoll legimus *pro vesperis quatuordecim, et pro qualibet aliarum septem.*

CAP. IX.

De silentio observando.

In Ecclesia dum celebrantur Missae vel cantatur divinum officium seu actualiter ibi proponitur verbum Dei, omnes silentium servare studeant et orationi ac divino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali et occurrente necessitate aliquid silenter loquantur.

CAP. X.

De reverentia exhibenda Ecclesiarum praelatis, ipsisque Ecclesiis.

Fratres et sorores, Ecclesias quarum parochiani et parochianae existunt, iuxta canonicas sanctiones et bonos mores et cum omni devotione studeant visitare, Ecclesiarum suarum praelatos, videlicet episcopos et inferiores, summe revereantur, ipsorumque iura absque omni diminutione et fideliter eis solvant, et hoc tam in decimis quam oblationibus alias quomodolibet consuetis.

CAP. XI.

De ieiuniis.

A dominica prima Adventus usque ad Nativitatem Domini quotidie tam fratres quam sorores ieiunent, et similiter a dominica in Quinquagesima usque ad Pascha Resurrectionis idem observent; ferias autem sextas ieiunabunt omni tempore et ieiunia omnia ab Ecclesia instituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare seu austeritates alias facere, poterunt, habita licentia a suo praelato vel de consilio confessoris discreti.

CAP. XII.

De cibo.

Fratres et sorores huius fraternitatis uti possunt carnibus diebus dominicis et tertia et quinta feria. Caeteris vero diebus abstineant, nisi sint infirmi aut multum debiles vel minuti, vel nisi praecipuum

festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti.

CAP. XIII.

De discursibus.

Vagos, curiososque discursus per civitatem non faciant. Sorores vero solae non discurrant, maxime iuniores, ad nuptias et choreas sive ad dissoluta et mundana convivia, sive ad vana spectacula nullo modo accedant. De civitate vero vel castro ubi habitant non exeant, etiam causa peregrinationis, absque licentia speciali praelati, vel magistri fraternitatis iam dictae.

CAP. XIV.

De armis non ferendis.

Invasionis seu impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi propter defensionem fidei christianae aut alia rationabili causa et de suorum praelatorum licentia.

CAP. XV.

De infirmis visitandis.

Deputentur per priorem duo ex fratribus, qui cum quempiam ex eisdem noverint infirmari, ipsum, quamcitius potuerint, caritative studeant visitare, et statim a principio ad recipiendum Poenitentiam et alia ecclesiastica sacramenta, eumdem efficaciter adhortentur, et si necesse fuerit, ministerium corporale, prout commode poterunt, eidem studeant adhibere. Si vero fuerit pauper, necessaria de bonis propriis vel communibus, prout facultas permiserit, sibi ministrare procurent. Et idem faciant sorores circa sorores suas infirmas.

CAP. XVI.

De suffragiis fratrum et sororum defunctorum.

Quando continget, aliquem ex fratribus ex hac luce migrare, caeteris confratribus in eadem civitate vel castro nuncietur, ut procurent defuncti exequiis personaliter interesse, a quibus non recedant, donec corpus fuerit traditum sepulturae. Hoc idem circa sorores decedentes volumus observari. Praeterea infra octo dies post ipsius defuncti sepulturam immediate sequentes quilibet frater et soror dicat pro anima eius: sacerdos unam missam; sciens vero Psalterium, psalmos quinquaginta; illiterati vero centum *Pater noster* dicant, addendo in fine cuiuslibet *Requiem aeternam*, *etc.* Et praeter haec, quilibet infra annum, pro fratrum et sororum tam vivorum quam defunctorum salute, tres missas faciat celebrari. Qui vero sciunt psalterium, illud dicant, et caeteri quingenta *Pater noster* dicere teneantur.

CAP. XVII.

De institutione prioris et priorissae.

Priore fraternitatis mortuo vel amoto, magister sive director fraternitatis cum consilio antiquiorum de fraternitate instituat priorem singulis annis infra octavas Paschae, vel alio, supradictus magister habeat consilium cum antiquioribus de fraternitate, super amotione vel confirmatione prioris: et sic priorem confirmare vel amovere poterit, secundum quod ipse cum praefatis iudicaverit expedire. Consimiliter etiam de consilio dicti magistri et aliquorum de fraternitate magis antiquorum, poterit prior fraternitatis ordinare de superiore vel vicario fraternitatis et etiam postmodum confirmare vel amovere, secundum quod eisdem visum fuerit expedire. Qui superior vel vicarius tantam potestatem habeat quantam prior sibi concedet: et haec eadem forma de institutione priorissae vel subpriorissae modo simili observetur.

CAP. XVIII.

De officio prioris et priorissae.

Prioris officium erit cum omni diligentia servare in se, quae in regula scripta sunt, et sollicitam dare operam, ut ab aliis confratribus observentur: si quos vero viderit transgredientes aut etiam negligentes, caritative corripiat et emendet, vel si magis sibi videbitur expediens, fraternitatis magistro et directori, ut corrigat, poterit intimare. Priorissae etiam erit officium sollicite ecclesiam visitare, caeteras etiam sorores excitare ad observantiam regularem. Diligenter etiam per se ipsam

et alias quibus imponet observare, quod in incessu, statu, habitu, nil per aliquam sororem fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectum; praecipue autem attendat, ne sorores cum quocumque viro, cuiuscumque conditionis existat, familiaritatem contrahant, et maxime iuniores, nisi forsan talis vir sorori illi attineat infra tertium consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc existens bonae vitae et famae.

## Cap. XIX.

De correctione fratrum atque sororum.

Si quis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta, et ter admonitus per praelatum, se non emendaverit, excludatur ad tempus a capitulo et consortio caeterorum confratrum. Quod si nec sic se correxerit, tunc de fratrum consilio discretorum, de ipsorum penitus consortio publice excludatur, nec admittatur de caetero nisi confratribus omnibus videatur esse correctus. Item si quis confratri vel alteri cuicumque opprobrium dixerit, quod sonare infamiam videatur, aut ex ira quemquam percusserit, vel ad locum prohibitum ire praesumpserit, seu inobedientiam quamcumque commiserit, aut etiam praelato mendacium ex industria dixisse deprehensus fuerit, abstinentia panis et aquae vel exclusione a capitulo aut etiam a consortio aliorum fratrum, plus vel minus, secundum conditionem personae et exigentiam delicti, gravius vel levius corrigatur. Item si quis crimen mortale commiserit, talis de consilio maioris partis fratrum professorum fraternitatis illius loci, secundum exigentiam culpae et conditionem personae, gravius vel levius puniatur, sic tamen quod sit caeteris in exemplum. Quam punitionem si facere recusaverit, de consilio discretorum de isto Ordine expellatur. Circa vero sororum correctionem illud idem volumus per omnia observari.

## Cap. XX.

De eorumdem dependentia a generali magistro et prioribus provincialibus fratrum Praedicatorum.

In quolibet autem mense semel certa die et hora per supradictum magistrum vel vicarium deputandis, ad Ecclesiam fratrum Praedicatorum conveniant fratres omnes Ordinis fraternitatis, Dei verbum et etiam missam, si hora competens fuerit, pariter audituri, et tunc per ipsum magistrum ipsis legatur regula ista et exponatur, et tunc de agendis fratres informet et negligentes corrigat et emendet, prout secundum Deum et istam vivendi formulam viderit expedire. In cuiuslibet etiam mensis prima sexta feria, sorores ad ecclesiam Praedicatorum conveniant similiter Dei verbum et missam auditurae communiter, quibus etiam legatur regula ista et exponatur, de suisque excessibus corrigantur per magistrum deputatum eisdem. Volumus autem, quod in qualibet civitate et castro ubi fuerint fratres huiusmodi, habeant in magistrum et directorem aliquem idoneum fratrem sacerdotem de Ordine Praedicatorum, quem postulaverint a generali magistro vel provinciali illius provinciae dicti Ordinis Praedicatorum, aut quem ipsi, generalis magister sive provincialis, per se vel alium eisdem concedere et assignare decreverit; insuper et statuentes, universos fratres et sorores huiusmodi de Poenitentia Sancti Dominici ubicumque existant, directioni et correctioni ipsius generalis magistri Ordinis antedicti et prioris provincialis illius provinciae eiusdem Ordinis, pro eorumdem ampliori conservatione et promotione, totaliter subiacere, quantum ad illa videlicet, quae eorumdem vivendi modum et formulam concernere dignoscuntur.

## Cap. XXI.

De dandis dispensationibus.

Prior fraternitatis cum fratribus suis, et priorissa cum sororibus suis, magister autem et director eis deputati, cum utrisque, in abstinentiis et austeritatibus aliis, in supradictis capitulis contentis ex causa

legitima et rationabili, cum expedire viderint, poterint dispensare.

CAP. XXII.

*De obligatione huius regulae.*

Demum quemadmodum in constitutionibus Ordinis fratrum Praedicatorum continetur, ita volumus et ordinamus, quod in ista regula seu vivendi formula habeatur, quod praeter divina et ecclesiastica praecepta atque statuta in ea contenta, in reliquis huiusmodi regulae constitutionibus sive ordinationibus fratres et sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solum ad poenam, quae cum a praelato vel magistro continget ex quavis transgressione imponi, per transgressorem humiliter et prompte suscipiatur et similiter opere perficiatur, cooperante gratia Domini et Redemptoris nostri Iesu Christi. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

*Clausulae*

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, communitionis, voluntatis et mandati infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum sexto kalend. iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 26 iunii 1405, pont. anno I.

II.

*Quod vicarii et feudatarii ad solutionem antiquorum censuum Romanae Ecclesiae debitorum teneantur, etiamsi in eorum investituris censuum huiusmodi mentio nulla facta fuerit* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. 2. Bonifacius IX hac super re, praevia constitutione, — 3. Ea statuit, quae in rubrica retulimus. — Clausulae.

**Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

*Exordium.*

Rationi congruit et convenit honestati, ut ea, quae de voluntate Romani Pontificis processerunt et conservationem iurium Ecclesiae Romanae concernunt, robur obtineant et ad exequutionem plenariam deducantur.

*Bonifacius IX hac super re, praevia constitutione,*

§ 1. Nuper siquidem fel. rec. Bonifacius PP. IX praedecessor noster pontificatus sui anno undecimo inter caetera salubriter apostolica auctoritate decrevit, quod si in aliquibus concessionibus vicariatuum, gubernationum seu feudorum, emphiteoticarum seu aliarum administrationum de aliquibus civitatibus, terris, castris seu locis ad praefatam Romanam Ecclesiam spectantibus per ipsum praedecessorem nostrum vel alios quibuscumque de causis factis quomodolibet apparet, quod census antiqui, affictus, fumantariae (1), salinae, tracta quorumcumque victualium, aut alia regalia Beati Petri Romanae Ecclesiae et Apostolicae Camerae debiti, remissi, extenuati vel diminuti cum censibus novis ratione vicariatuum, feudorum aut emphiteoticarum vel aliarum concessionum et inclusi seu confusi viderentur aut essent, concessiones ipsae, quantum ad dictos census antiquos, affictus, fumantarias, salinas, tractas et alia regalia supradicta, nullius essent roboris vel momenti.

§ 2. Et quod vicarii, rectores, gubernatores, administratores, feudatarii et emphiteotae huiusmodi perinde tenerentur ad praestationem et solutionem censuum antiquorum, affictuum, fumantariarum, salinarum, tractatuum et aliorum regalium, ac si de ipsis solvendi se personaliter obligassent, nec per solutionem novorum censuum, aut alias solutiones, quae in huiusmodi vicariatibus aut concessionibus imponuntur, antiqui census aut aliquod praedictorum regalium intelligerentur exclusi: sed ad ea solvenda teneantur adstricti, prout ante vicariatus aut concessionis huiusmodi universitates seu singulares personae provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum et locorum huius-

(1) Ex Regest. Vatic.

(1) *Fumantaria* vel *Fumanteria*, census a *fumo* dictus, quod per singulos focos seu domos exigeretur (Du Cange).

modi de consuetudine vel de iure Romanae Ecclesiae et Camerae supradictis, seu eius thesaurariis per provincias deputatis in genere vel specie tenebantur.

Ea statuit, quæ in rubrica retulimus.

§ 3. Nos igitur attendentes praemissa per dictum praedecessorem nostrum decreta iuri consona, et publicum bonum concernere, ea omnia ex certa scientia auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et ipsa de novo decernimus et volumus tam in vicariatibus quam in concessionibus huiusmodi iam factis et faciendis imposterum inviolabiliter observari per inde ac si in ipsis specialiter et per expressum appositi essent, constitutionibus apostolicis seu legibus imperialibus et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, constitutionis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Viterbii kal. februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 februarii 1406, pont. anno II.

---

# GREGORIUS XII

## PAPA CCV

*Anno Domini MCCCCVI.*

Die 2 decembris anni 1406, cardinales, qui Romae erant, in Pontificem elegerunt Angelum Corarium, natione Venetum, patriarcham Constantinopolitanum, et S. R. E. presbyterum cardinalem tituli S. Marci, qui Gregorii XII nomine sumpto, coronatus est die 19 mensis eiusdem. Ab electionis Gregorii die usque ad liberam cessionem ab eodem in concilio Constantiensi facta fluxerunt anni VIII, menses VII, ad electionem vero Alexandri V anni II, menses VI, dies XXIV. Obiit tandem Recineti (concilii Constantiensis patres eum cardinalem episcopum Portuensem esse voluerunt) anno 1417, et tumulatus est in templo maiori.

## I.

***Facultas Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis camerarii avocandi ad se causas quascumque Cameram Apostolicam quomodolibet tangentes*** (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Ex cognitione causarum extra Cameram damnis eidem obvenientibus; — 2. Camerario eas cognoscendi facultatem dat; — 3. Aliis iudicibus ne in iis ullo modo se immisceant interdicendi. — 4. Obstantibus quibuscumque derogat. — 5. Camerarium ipsum ad aequitatem exhortatur.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Antonio episcopo Bononiensi, camerario nostro, et eius in officio successoribus, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Apostolicae Camerae, per quam S. R. Ecclesiae necessitatibus incumbentibus oneribus multipliciter subvenitur sic tenemur indemnitatibus subvenire, intendere commodis et dispendiis obviare, quod ipsius iura debite possint repeti, eiusque officialibus suppetat opportunitas prosequendi.

Ex cognitione causarum extra Cameram damnis eidem obvenientibus;

§ 1. Sane, quia saepe contingit, sicut accepimus, quod extra praefatam Cameram super rebus et iuribus ad eam pertinentibus, ac super omnibus negotiis ipsam tangentibus litigatur, et saepe coram iudicibus de iuribus ipsius Camerae nullam vel modicam habentibus notionem, quique per fiscalem advocatum seu procuratorem, aut aliis ex officialibus eiusdem Camerae, qui circa ipsam habeant insistere, non possint commode super iis informari: propter quod causae nimium prolongantur, et quandoque pereunt iura nostra.

Camerario eas cognoscendi facultatem dat;

§ 2. Nos super iis providere volentes, ac gerentes de vobis fiduciam in Domino specialem, quibus principaliter est eiusdem Camerae cura commissa, praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes,

(1) Ex Regest. Vatic.

cognoscendi auctoritate apostolica per vos vel alium seu alios de omnibus et singulis quaestionibus, controversiis, causis et litibus praesentibus et futuris, spiritualibus et temporalibus, ecclesiasticis et civilibus ac criminalibus, nedum ad ipsam Cameram pertinentibus, sicut est hactenus consuetum, sed etiam de quibuscumque iura et negocia ipsius Camerae directe vel indirecte quoquo modo tangentibus, seu etiam, quae secundum vestrum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsasque cum emergentibus et ab eis dependentibus ac connexis, et eos, quos tangere poterunt, tam personas ecclesiasticas, quam saeculares, necnon capitula, collegia et conventus Ecclesiarum et monasteriorum ac Ordinum exemptorum et non exemptorum, communitatesque ac universitates locorum, prout et quoties vobis videbitur, ad vos et eamdem Cameram advocandi, et citandi per literas vel nuncium intra vel extra Curiam et ad partes, etiamsi causae ipsae de natura sui non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem aut alias legitime devolutae, nec in ea tractandae seu etiam finiendae, et etiamsi coram iudicibus ordinariis, auditoribus, inquisitoribus, legatis, subdelegatis, commissariis, executoribus, arbitris, arbitratoribus, compromissariis seu aliis quibuscumque etiam per Sedem Apostolicam deputatis seu deputandis in praefata Romana Curia vel extra, ubilibet penderent, seu pendere nunc vel imposterum dicerentur, et si in ipsis ad litis contestationem processum fuerit vel ulterius quantumcumque et etiam super iis ad nos seu Sedem eamdem per viam appellationis seu simplicis querelae vel alias habitus sit vel imposterum haberetur recursus, dictas causas resumendi et resumi faciendi in statu, in quo fuerunt, sicut iuxta vestrum arbitrium videritis expedire, easque per vos, seu alium vel alios audiendi et examinandi summarie, simpliciter, de plano, sine strepitu et figura iudicii et sine debito terminandi et alias iustitiam omnimodam exhibendi.

*Aliis iudicibus ne in iis ullo modo se immisceant interdicendi.*

§ 3. Iudicibus quoque ordinariis, auditoribus et aliis supradictis inhibendi, ne de causis ipsis post advocationem huiusmodi cognoscere vel se intromittere quoquo modo praesumant, et quaslibet alias inhibitiones ac etiam revocationes in ipsis causis cum interpositione decreti et sententiarum excommunicationis, suspensionis et interdicti per eos promulgatarum, relaxationes et absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, mandata, decreta, monitiones, executiones et processus quoslibet faciendi et sententias proferendi et omnia alia et singula exercendi, quae circa praemissa, vel ea tangentia iuxta vestrum liberum arbitrium videbuntur opportuna, contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, etiamsi regali, pontificali vel maiori, aut alia quavis fulgeant dignitate, eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam compescendo.

*Obstantibus quibuscumque derogat.*

§ 4. Non obstantibus generalis concilii et aliis constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinationibus seu inhibitionibus quibuscumque iuramentorum, aut excommunicationum, suspensionum vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum vel promulgandarum munimine, aut quibusvis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et literis generalibus vel specialibus Ecclesiis, monasteriis, locis,

collegiis, Ordinibus ac universitatibus seu personis ecclesiasticis seu saecularibus quibuscumque, cuiuscumque fuerint præeminentiae vel dignitatis, ab Apostolica Sede concessis vel imposterum concedendis, sub quacumque forma vel expressione verborum, per quae præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, etiamsi talia sint, de quibus et ipsarum personarum et locorum, Ordinum et statutorum propriis nominibus specialis, ac de totis ipsarum tenoribus plena et expressa ac de verbo ad verbum mentio sit habenda, quae omnia haberi volumus pro hic expressis specialiter et insertis, et ipsa vel eorum aliqua contra praemissa nolumus in aliquo suffragari, plenam et liberam tenore praesentium ex certa scientia concedimus facultatem.

Camerarium ipsum ad aequitatem exhortatur.

§ 5. Ad hoc vestri potestatem officii ampliantes et etiam prorogantes, vos attentius exhortantes, ut sic in praemissis vos fideles exhibeatis et etiam studiosius omnibus iustitiam ministrando, quod tam eidem Camerae, quam aliis quibuscumque sua iura serventur, et vestra circumspectio inde possit merito commendari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum decimo octavo kalendas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 14 iunii 1407, pontif. anno I.

---

## II.

*Institutio canonicorum et clericorum saecularium in Ecclesia Sancti Georgii in Alga Venetiarum, Castellanensis diœcesis.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Habita a Bonifacio IX facultate, episcopus Kissamen. hanc erexit collegiatam. — 2. Capituli petitio. — 3. — Erectionem confirmat Gregorius, et statuta Kissamen. episcopi. — 4, 5. Confectum hac de re ab episcopo instrumentum. — 6, 7. Bonifacii PP. literae commissoriales episcopo Kissamensi de monasterio S. Georgii visitando et reformando. — 8. Quo pacto facta fuerit ab episcopo Kiss. monasterii visitatio. — Qua de causa monasterium reformari non posset. — 9. Illud in collegiatam mutat. — Canonicos, clericosque inibi instituit, — 10. Et de bonis monasterii eiusdem investit. — 11. Priori antiquo consulit de redditibus annuis. — 12. Mortuo eodem, prioratum regularem extingui vult, et in saecularem verti. — 13. De ipso saeculari priore eligendo. — 14. Prioris auctoritas quae sit. — 15. Annuatim eligendus. — 16. Eius facultas canonicos instituendi et destituendi. — 17. Ætas admittendorum in canonicos. — 18. De praebendis non dividendis. — 19. Dormitorio et refectorio communi. — 20. Poenae absentium absque prioris licentia. — 21. De vestium forma. — 22. Numero canonicorum. — 23. Proprietariorum poena. — 24. Officio divino. — 25. Conversorum admissione, — 26. Et delinquentium expulsione. — 27. Contrariorum irritatio. — 28. Priori data facultas nova condendi statuta. — 29. Secus attentata nulla omnino et irrita. — 30. Impugnatores vero anathemate percussi. — Testes instrumento praesentes. — 31. Instrumenti huius legalizatio. — 32. Clausulae.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Illis, quae pro divini cultus augmento auctoritate apostolica processerunt, ut illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis adiicimus firmitatem.

Habita a Bonifacio IX facultate, episc. Kissamen. hanc erexit collegiatam.

§ 1. Sane petitio dilectorum filiorum Ludovici prioris et capituli saecularis et collegiatae Ecclesiae S. Georgii in Alga, Castellanensis dioecesis, nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster Angelus episcopus Kissamensis auctoritate quarumdam literarum fel. rec. Bonifacii Papae Noni praedecessoris nostri, eamdem Ecclesiam, quae tunc monasterium Ordinis S. Augustini erat, necnon per priorem regi consueverat, in

collegiatam erexerat, et in ea priorem et canonicos saeculares capitulum facientes, necnon quosdam alios etiam clericos saeculares in perpetuos vicarios seu beneficiatos, in eadem Ecclesia instituit, et impugnatores huiusmodi erectionis, et aliorum quae praedictus episcopus in praemissis et circa ea ordinavit, excommunicationis vinculo innodavit, a qua nisi auctoritate praedicta munus absolutionis nequirent obtinere, etiam si tales impugnatores episcopali vel quacumque alia ecclesiastica vel saeculari praefulgerent dignitate, necnon quaedam alia circa haec fecit, statuit et ordinavit, prout in quodam publico instrumento inde confecto, praedicti episcopi sigillo munito, cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur.

Capituli petitio.

§ 2. Quare pro parte ipsorum prioris et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni et institutioni praedictis et aliis in ipso instrumento contentis, robur apostolicae confirmationis adiicere, de speciali gratia dignaremur.

Erectionem confirmat Gregorius, et statuta Kissamen. episcopi.

§ 3. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem praedictas, necnon alia in ipso instrumento contenta et quaecumque inde secuta sub infrascripta modificatione rata habentes et grata, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem. Nihilominus huiusmodi clausulam in eodem instrumento contentam, sive articulum excommunicationis eiusdem contra impugnatores ipsos, ut praemittitur, latae, auctoritate praedicta dumtaxat cassamus, ac volumus nullius existere firmitatis. Tenor vero praedicti instrumenti talis est.

Confectum hac de re ab episcopo instrumentum.

§ 4. Angelus, Dei et Apostolicae Sedis gratia, episcopus Kissamensis, sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Bonifacii divina providentia PP. noni ad infrascripta specialiter delegatus, universis et singulis praesentes nostras literas inspecturis, et quos infrascriptum tangit negocium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam.

§ 5. Cum deceat maxime in ecclesiasticis ministeriis docere cuius auctoritate quisque ministret, universitati vestrae, nec non et vestrum singulis tenore praesentium intimamus, quod venerabilis et religiosus vir dominus frater Ludovicus prior loci monasterii et Ecclesiae S. Georgii in Alga, Ordinis S. Augustini de Venetiis, Castellanensis dioecesis, die 22 mensis septembris proxime decursi, nobis quasdam literas apostolicas, cum earum vera bulla plumbea ad cordulam canapis, more Romanae Curiae, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes praesentavit (licet alias pro eius parte nobis praesentari fecerit), petens humiliter et devote, quatenus ipsas literas executioni mittere dignaremur, quod nobis per ipsas apostolicas literas mandabatur, quarum literarum tenor per omnia sequitur et est talis:

Bonifacii PP. literae commissoriales episcopo Kissamensi de monasterio S. Georgii visitando et reformando.

§ 6. Bonifacius episcopus servus servorum Dei, venerabili Angelo episcopo Kissamensi in loco de Venetiis Castellanensis dioec. commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 7. Ad Ecclesiarum et monasteriorum omnium statum salubriter dirigendum, iuxta pastoralis officii debitum intendentes, ad reformationem illorum, quae deformata sentimus, partes apostolicae sollicitudinis adhibemus. Sane petitio pro parte dilecti filii Ludovici prioris monasterii S. Georgii in Alga per priorem soliti gubernari, Ordinis S. Augustini Castellanensis dioecesis, nobis nuper exhibita, continebat, quod monasterium prædictum, in quo ab olim laudabiliter viguit observantia regularis, et eius instituta re-

gularia fuerunt per Sedem Apostolicam approbata, a longis retroactis temporibus extitit, prout existit huiusmodi regulari observantia destitutum, ac in spiritualibus et divinis officiis ibidem peragendis multipliciter deformatum. Quare pro parte dicti prioris, qui, ut asserit, ad reformationem ipsius monasterii ferventer anhelat, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad monasterium praefatum personaliter accedens, et habens prae oculis solum Deum, super praemissis, eorumque circumstantiis universis, auctoritate nostra te diligenter informes et huiusmodi informatione per te sic recepta, ipsum monasterium et quicquid in eo correctionis seu reformationis ministerio cognoveris indigere, tam in capite quam in membris eadem auctoritate hac vice corrigas et reformes, ac statuas et instituas in perpetuum vel ad certum tempus, augmentando, diminuendo seu mutando praefati monasterii statum, statuta, constitutiones et alia etiam pro divinis officiis huiusmodi peragendis, rationabilia et salubria in ipso monasterio observanda ordines et disponas, ac omnia alia, quae episcopus Castellanensis existens pro tempore cum dilectis filiis Capitulo Castellanensi circa praefatum monasterium facere posset seu quomodolibet exercere, facias et exerceas, prout secundum Deum pro utilitate dicti monasterii et personarum in illo degentium animarum saluti tibi videbitur expedire. Ac nihilominus per te sic facienda, ordinanda, disponenda, instituenda et statuenda, facias auctoritate praedicta inviolabiliter observari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non statutis et consuetudinibus monasterii et Ordinis praedictorum ac aliis contrariis quibuscumque seu si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romae apud S. Petrum, idus martii, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*Quo pacto facta fuerit ab episcopo Kiss. monasterii visitatio.*

§ 8. Nos igitur cupientes omnibus apostolicis semper parere mandatis, praedictas apostolicas literas, licet alias receperimus, iterum recepimus reverenter, et communicato consilio saepesaepius cum dicto D. Priore, aliisque quampluribus venerabilibus viris ecclesiasticis, morum gravitate et scientia, necnon et experientia decoratis, tractatibus et consiliis multis praecedentibus, ac ipsius domini prioris, apud quem solum ad praesens totum ius capituli et conventus dictorum monasterii et Ecclesiae pertinere dignoscitur, accedente consensu et devota precum instantia, solum Deum prae oculis habentes, pro perpetua reformatione dictorum monasterii et Ecclesiae, ad dictum monasterium personaliter accessimus, et, informatione praehabita, cum non invenerimus in dicto monasterio, nisi D. Ludovicum priorem, et fratrem Honorium de Venetiis et fratrem Ludovicum de Florentia, fratres conversos tacite professos, nullumque alium religiosum reperimus in dicto monasterio; sed et ipsum invenerimus omni bona religione et observantia regulari destitutum, nec spem aliquam haberemus reformationis ipsius monasterii, et religiosi in dicto monasterio morari consueti cum in tam parvo numero reperiantur, ut propriis monasteriis, in quibus degunt, deservire minime valeant, nec etiam in ipsis monasteriis vigeat observantia regularis; consideratisque difficultatibus et mature ac diligenter examinatis, cum D. priore et aliis venerabilibus viris et

*Qua de causa monast. reformari non posset.*

peritis difficillimum et longissimum ac quasi impossibile reputavimus, ad reperiendum fratres seu religiosos alterius Ordinis et religionis, per quos dictum monasterium posset in bona et regulari observantia reformari.

Illud in collegiatam mutat.

§ 9. Quapropter scientes venerabiles viros D. Martinum Quirinum et socios eius clericos saeculares, qui ad praesens moram trahunt in supradicto monasterio, magnarum virtutum et morum esse gravitate decoratos, ac in eisdem clericalem honestatem adeo enitentem, ut vitae ipsorum odore status ecclesiasticus mirabiliter venustetur; et dictorum exemplo ad disciplinam ecclesiasticam et mundi contemptum quamplurimum attrahantur: sicque habilem, exemplarem, certum et clarum reformationis praedicti monasterii modum de personis nobis plenissime cognitis, necnon et clero et populo civitatis huius habentes, vias incertas et personas incognitas, ac, ut supra diximus, difficultates quamplurimas declinantes, de consilio plurium venerabilium et approbatorum virorum, ac etiam de consensu antedicti D. prioris, auctoritate apostolica tenore praesentium praedicti monasterii, capituli et Ecclesiae statum antiquatum praesentialiter mutamus; transferentes in novum statum collegiatae Ecclesiae saecularis, canonicorum saecularium et clericorum simul conviventium, convescentium, commorantium et Deum collaudantium, officiis nocturnis pariter et diurnis, ac ad hoc venerabiles viros, videlicet D. D. Antonium Corario, Gabrielem Condolmerio, Stephanum Mauroceno, Franciscum Barbo de Venetiis, Matthaeum de Strada de Papia, Romanum de Roduillo de Mediolano, Lucamque Philippi de Este sacerdotes, et dominos Marinum Quirino, Michaelem Condolmerio, Laurentium Iustiniano de Venetiis, Ioannem de Pizzinardis, Simonem de Persicis de Cremona, Hieronymum de Mussis de Papia diaconos, ac etiam DD. Augustinum de Gastaldis de Papia, Angelum Serdonati de Culcitris, Marcum Condolmerio, Dominicum Mauroceno de Venetiis subdiaconos, coram nobis evocatos, et flexis genibus constitutos, eadem auctoritate recepimus in canonicos et fratres dictae Ecclesiae seu loci S. Georgii in Alga, et ipsos omnes et singulos instituimus et praesentialiter investimus, cum omni plenitudine iuris canonici per annulum nostrum.

Canonicos, clericosque inibi instituit;

Et de bonis monasterii eiusdem investit.

§ 10. Statuentes ipsos canonicos et ipsorum successores per eosdem canonice recipiendos et instituendos, de caetero constituere collegium et capitulum dictae Ecclesiae sive loci, in quod collegium omnia iura spiritualia et temporalia, necnon et curam animarum, prioratum ac quamcumque aliam praesidentiam et dignitatem tam in spiritualibus quam in temporalibus, circa res et personas spectantes monasterio, Ecclesiae, capitulo et conventui praelibatis, praesentialiter transferimus pleno iure.

Priori antiquo consulit de redditibus annuis.

§ 11. Inducentes omnes et singulos canonicos saeculares supradictos in corporalem possessionem, vel quasi, dictorum canonicatuum saecularium, per pannum maioris altaris dictae Ecclesiae S. Georgii, stallo in choro et loco in capitulo sibi assignatis ipsorum propriis nominibus et omnium aliorum praesentialiter absentium, reservato tamen semper praefato venerabili viro D. Ludovico priori dumtaxat titulo ipsius prioratus, itaut de cura seu regimine dictorum canonicorum et aliorum clericorum, conversorum, oblatorum et aliorum cuiuscumque conditionis laicorum in dicto loco morantium, se nullatenus valeat impedire, ac etiam pro suo honesto victu, reservata sibi tertia parte omnium reddituum, fructuum et proventuum dictae Ecclesiae, sive loci, defalcatis et deductis expensis faciendis pro recolligendis et conducendis fructibus Venetias, et omnibus aliis expensis, quae faciendae erunt extra corpus dictae Ecclesiae sive loci. Expensas autem circa

locum sive Ecclesiam opportunas fieri volumus sumptibus dictorum canonicorum, qui praesentialiter sunt, sive pro tempore erunt, nulla detractione seu defalcatione facienda de dicta tertia parte dicti D. prioris, cui ipsa tertia pars integre assignetur pro mensa, victu, vestitu et aliis necessariis et opportunis et pro libito dispensanda. Et ne alicui, quod absit, dicta divisio sit suspecta, volumus quod per supradictum D. Ludovicum priorem et vicarium saecularem seu rectorem cum capitulo constituantur unus vel duo syndici de praefato capitulo, qui exigant et recipiant omnes fructus, redditus et proventus dicti loci, et partes faciant et dividant, dentque tertiam partem D. Ludovico priori et medietatem regalium, et alias duas designent vicario seu rectori et capitulo dispensandas prout ipsius collegii requiret necessitas. Volentes quod quicquid circa possessiones ipsius loci extra corpus dictae Ecclesiae sive loci fuerit tractandum, modificandum et innovandum, absque ipsius D. Ludovici prioris consensu fieri nequeat.

Mortuo eodem, prioratum regularem extingui vult, et in saecularem verti.

§ 12. Cum autem dictus D. Ludovicus prior suo assensu ad aliud beneficium fuerit translatus, sive religionem mutaverit, vel vita functus fuerit, ac etiam si ipsum prioratum vacare contigerit per spontaneam renunciationem dicti D. Ludovici prioris, vel alio quovis modo, ex nunc, prout ex tunc, prioratum regularem annullamus et infringimus, et auctoritate praedicta statuimus, nullum priorem fore, et in prioratus canonicorum saecularium clericorum dignitatem transferimus et innovamus.

De ipso saeculari priore eligendo.

§ 13. Statuentes ut dicti canonici vocem habentes in capitulo praefato, unum de ipsorum collegio sacerdotem virum probatae prudentiae et oculati regiminis, quousque D. Ludovicus prior in dignitate permanserit prioratus, sibi vicarium, deinceps vero priorem saecularem sive rectorem annis singulis eligant vel confirment, cuius prioris saecularis electioni vim tribuimus et confirmamus.

Prioris auctoritas quae sit.

§ 14. Statuentes ut quilibet vicarius et prior saecularis sive rector electus per maiorem partem dicti capituli, sine alia solemnitate dictos canonicos saeculares secundum Deum statim regere et gubernare incipiat, et per annum continuum curam gerat in spiritualibus et temporalibus, et tam de rebus quam de personis cum omni potestate et auctoritate ordinaria, quam habent priores perpetui in locis regularibus sive saecularibus.

Annuatim eligendus.

§ 15. Completo vero anno, talis vicarius et prior saecularis, sive rector, ipso iure sit solutus officio, et alius per capitulum eligatur modo supradicto, nisi praeteritus denuo confirmetur.

Eius facultas canonicos instituendi et destituendi.

§ 16. Institutionem autem et destitutionem canonicorum huiusmodi ad ipsum vicarium et priorem saecularem sive rectorem et capitulum volumus pertinere.

Ætas admittendorum in canonicos.

§ 17. Verum nullus in canonicum assumi valeat, nisi ad decimumoctavum aetatis suae pervenerit annum, et per annum continuum in eorum probatus fuerit congregatione, et a maiori parte capituli electus.

De praebendis non dividendis.

§ 18. Praebendas siquidem nolumus esse distinctas, sed volumus et districte praecipiendo mandamus, omnes redditus et proventus esse communes et per vicarios, priores seu rectores saeculares huiusmodi, qui per tempora erunt, taliter ordinentur, quod omnibus detur, quod unicuique opus esse iudicabitur.

Dormitorio et refectorio communi.

§ 19. In uno autem dormiant dormitorio, ac in uno comedant refectorio, et sic continue sint praesentes et residentes nisi fuerint licita et honesta causa absentati, et cum licentia vicarii, rectoris, sive prioris saecularis praedicti.

Poenae absentium absque prioris licentia.

§ 20. Absentes vero extra locum, sine licentia vicarii seu prioris vel rectoris saecularis, nisi poenituerint infra mensem satisfactione condigna, ad vicarii, prioris seu rectoris et capituli praedictorum ar-

bitrium privari valeant canonicatu et licentiari.

De vestium forma,

§ 21. Vestes quoque eorum, secundum quod ius disponit deferant, nec nimia longitudine aut brevitate notentur, ut merito dici valeant temporalium contemptores.

Numero canonicorum;

§ 22. Numerum autem canonicorum taxatum seu certificatum esse nolumus.

Proprietariorum poena;

§ 23. Si quis vero canonicorum, quod absit, propria bona habere voluerit, nisi post trinam admonitionem se correxerit, et ea libenter voluerit, ut decens est, esse communia ad arbitrium vicarii, prioris seu rectoris et capituli praedictorum, canonicatu privari valeat et extra locum licentiari.

Officio divino;

§ 24. Porro officium divinum secundum ritum Romanae Curiae horis congruis collegialiter persolvatur.

Conversorum admissione,

§ 25. Ne vero cultus divinus impediatur pro ministerio mensarum et aliorum operum manualium, volumus et auctoritate praedicta potestatem tradimus praedicto vicario, priori sive rectori saeculari praedicto, ut ipse cum capitulo suo possit recipere laicos Deo dicatos, sive conversos et oblatos, nullatenus uxoratos, volentes vivere in communi sine proprio: quos gaudere volumus privilegiis conversorum, dummodo in decimo octavo sint anno constituti, qui recepti honeste et decenter induantur. Conversi autem tacite professi existentes in loco supradicto, videlicet frater Honoratus et frater Ludovicus, si secundum Deum vivere volunt, de bonis ipsius loci et Ecclesia nutriantur, vivantque una cum D. Ludovico priore secundum regulam suae professionis, in quantum eis erit possibile et humana fragilitas vivere sinet. Qui quidem prior deinceps in praedicto monasterio ad suae professionis regulam quemquam assumere non valeat.

Et delinquentium expulsione.

§ 26. Si vero inter praedictos canonicos aut conversos sive laicos Deo dicatos aut oblatos, fuerit aliquis perditionis seu iniquitatis filius, et commonitus, quod absit, se emendare noluerit, ad arbitrium vicarii, prioris seu rectoris et capituli praedictorum canonicatu privari possit et de loco expelli.

Contrariorum irritatio.

§ 27. Constitutiones autem alias, sive statuta, ultra praedicta, in quantum spectant et spectare possint ad praedictam Ecclesiam sive locum, auctoritate praedicta revocamus, annullamus, infringimus et irritamus, et pro irritatis, revocatis et annullatis haberi volumus et mandamus.

Priori data facultas nova condendi statuta.

§ 28. Praedictis vero vicario, priori saeculari sive rectori cum suo capitulo plenam dantes auctoritatem, ut possint novas sibi constitutiones seu statuta condere, corrigere, addere vel minuere, prout eis secundum Deum videbitur, quotiescumque voluerint et quaecumque alia ordinandi, quae ipsis utilia visa fuerint et opportuna, ad augmentum divini cultus et clericalis honestatis et pro observatione huiusmodi reformationis, institutionum et statutorum. Quae omnia et singula approbamus et volumus esse perpetua. Addentes, ut non obligent ad culpam aliquam mortalem aut venialem, sed tantummodo per vicarium, priorem seu rectorem saecularem praedictum delinquentibus poenitentia imponatur.

Secus attenta nulla omnino et irrita.

§ 29. Et si quid in contrarium a quoquam fuerit attentatum quavis auctoritate, ex nunc prout ex tunc statuimus et dicta auctoritate apostolica decernimus ipso facto irritum et inane.

Impugnatores vero anathemate percussi.

§ 30. Impugnatores autem huiusmodi excommunicationis vinculo innodantes, a quo nisi eadem auctoritate apostolica munus absolutionis nequeant obtinere; etiam si tales impugnatores episcopali vel quacumque alia ecclesiastica vel saeculari praefulgeant dignitate, reservata nobis usque ad annum, a data praesentium computandum, addendi, minuendi, corrigendi, mutandi, reformandi, in omnibus et singulis praemissorum, prout nobis videbitur secundum Deum, nihilominus potestate.

In quorum omnium testimonium praesentes fieri iussimus, nostrique pontificatus sigilli munimine roborari. Datum et actum Venetiarum in loco supradicti S. Georgii in Alga Castellanen. dioecesis, anno nativitatis Domini 1404, indictione duodecima, die Iovis trigesimo mensis octobris; praesentibus vener. viro domino presbytero Ioanne de Puteo archidiacono et diacono Ecclesiae Nigropontensis, Petro Mauroceno filio quondam D. Marini canonico Ecclesiae Thaurisinae, nob. viro D. Alberto Dente quondam D. Andreae de parochia S. Iuliani, D. Bartholomeo Faba filio quondam D. Donati de parochia S. Vitalis, et aliis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Innocentii divina providentia electi Papae septimi anno primo.

Testes instrumento praesentes.

§ 31. Ego Luchinus filius q. D. Marci civis et habitator Venetiarum, apostolica et imperiali auctoritate notarius publicus, prædictarum literarum apostolicarum præsentationi et ipsarum executioni, seu ipsius D. executoris et commissarii apostolici dispositioni, modificationi, mutationi prioratus praedicti et novae reformationis ipsius loci S. Georgii in Alga et omnibus aliis et singulis supradictis una cum supradictis testibus praesens fui et sic fieri vidi et audivi, eaque, rogatus, de mandato praelibati D. commissarii et executoris apostolici, scripsi et in hanc publicam formam redegi, signoque meo et nomine solitis me subscripsi in fidem et testimonium praemissorum omnium et singulorum.

Instrumenti huius legalizatio.

§ 32. Nulli ergo omnino hominum *etc.* Si quis *etc.*

Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum quinto kalend. iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 27 iunii 1407, pontif. anno I.

## III.

*Institutio congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, in domo de Silvalacus Senen. dioecesis.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Domus S. Salvatoris de Silvalacus in prioratum conventualem erecta. — Canonicis huiusmodi praescriptae vestes. — 3. Huiusmodi vero prioratus Sedi Apost. immediate subiectus. — 4. Data facultas priorem eligendi. — 5. Prior electus ipso facto ab Apost. Sede confirmatus censendus. — 6. Prior singulis annis eligendus. — 7. Communicata eis privilegia totius Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini. — 8. Dati praesides ad condendas constitutiones. — 9. Secus acta irritata.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Excitat nostrae mentis arcanum specialis et affectuosa dilectio, qua domum prioratus S. Salvatoris de Silvalacus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem Ordinis S. Augustini, Senensis dioecesis, sumus hactenus prosecuti et paterno prosequi studio non cessamus, ut circa statum eius attentae considerationis intuitum dirigentes, opem impendentes et operam, ut illa ad Dei laudem et gloriam non solum in suis bonis et iuribus conservetur, sed etiam prosperis iugiter gratuletur eventibus et votivis, favente Domino, in spiritualibus et temporalibus successibus augeatur.

Exordium

§ 1. Hinc est quod nos motu proprio non ad dilectorum filiorum fratrum dictae domus, quae hactenus Ordinis fratrum Eremitarum d. S. Augustini extitit vel alicuius alterius, pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia eamdem domum in prioratum conventualem auctoritate apostolica erigimus, per priorem sub conditione et modo infrascriptis perpetuo gubernandam.

Domus S. Salvatoris de Silvalacus in prioratum conventualem erecta.

Canonicis huiusmodi praescriptae vestes.

§ 2. Volentes et eadem auctoritate statuentes, quod ipsi fratres actu in eadem domo residentes, eorumque successores, qui erunt pro tempore, canonici regulares, et secundum regularia instituta huiusmodi canonicorum regularium deinceps vivere et fratres S. Salvatoris nuncupari debeant, et quorum quilibet sub scapulari rochetum, superius autem cappam grisei coloris lanae mordentis, ad instar capparum conversorum Carthusiensium Ordinis, gestabit, qua quidem cappa ipsi fratres utantur, cum eos exire contigerit septa prioratus seu domus huiusmodi ad populum sive turbam.

Huiusmodi vero prioratus Sedi Apost. immediate subiectus.

§ 3. Necnon prioratum sive domum huiusmodi cum eisdem fratribus et conversis et personis in ea degentibus, praesentibus et posteris, cum omnibus membris, necnon bonis mobilibus et immobilibus ipsius domus sive prioratus, ad domum sive prioratum huiusmodi, tam ratione domus sive prioratus, quam personarum huiusmodi quomodolibet pertinentibus, et devolutis et devolvendis pro tempore, ab omni superioritate, dominio et potestate prioris generalis dicti Ordinis fratrum Eremitarum, necnon episcopi existentis pro tempore, ac dilectorum filiorum capituli Senensis, ac quorumlibet aliorum superiorum, saecularium et regularium, auctoritate praedicta prorsus eximimus et totaliter liberamus. Ita quod prior generalis, episcopus, capitulum, et alii superiores praedicti nullam possint in eos visitationem, correctionem vel aliam iurisdictionem exercere, sed nobis et Apostolicae Sedi immediate sint subiecti.

Data facultas priorem eligendi.

§ 4. Et insuper praesentibus adiicimus, quod ipsi canonici seu fratres, qui regularem vitam eorumdem canonicorum regularium pro tempore professi fuerint, et sub eadem observantia regulari dictorum canonicorum regularium pro tempore in domo huiusmodi residebunt, possint, quoties opportunum fuerit, tamen iuxta eadem regularia instituta canonicorum regularium, idoneum fratrem, etiam eiusdem Ordinis professorem, in priorem eorum et eiusdem domus eligere.

Prior electus ipso facto ab Apostolica Sede confirmatus censendus.

§ 5. Qui tamen postquam electioni de se factae praestiterit consensum, dioecesano loci vel eius vicario in spiritualibus generali, qui erit pro tempore, per electores huiusmodi dumtaxat debeat reverenter et humiliter praesentari. Quique postquam taliter praesentatus extiterit, censeatur eo ipso a Sede praefata confirmatus: et ex tunc dictum prioratum in eisdem spiritualibus et temporalibus libere et licite valeat gubernare.

Prior singulis annis eligendus.

§ 6. Qui quidem prior semper uno anno completo intelligatur absolutus, nisi tunc per maiorem partem eorumdem fratrum domus praedictae in electione dicti prioris vocem habentium determinatum fuerit, ipsum priorem in dicto debere prioratus officio domus eiusdem ulterius remanere. Quodque dicta domo prioris solatio destituta per mortem prioris eiusdem, vel aliquo alio casu eadem vacatione contingente, quod durante vacatione huiusmodi, praedictum officium per antiquiorem fratrem dictae domus in sacerdotio constitutum exerceatur, quousque nova electio alterius prioris iuxta praefatum modum fiat, et ad effectum debitum perducatur.

Communicata eis privilegia totius Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini.

§ 7. Volentes etiam et auctoritate præfata concedentes eisdem priori et fratribus sive canonicis, conversis et personis, quos pro tempore in domo huiusmodi residere contigerit, ut praefertur, quod ipsi potiri et gaudere possint et debeant libere et absolute omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus et libertatibus eis hactenus ac Ordini fratrum Eremitarum et canonicis regularibus huiusmodi, ac monasteriis et locis eorum, tam per Sedem praefatam, quam per alios quoscumque concessis et quibus ipsi fratres Ordinis Eremitarum, ac caeteri canonici regulares, ac eorum domus, monasteria et loca quomodolibet potiuntur et gaudent.

§ 8. Et insuper volumus et ordinamus, quod ven. frater noster Antonius episcopus

Dati praesides ad condendas constitutiones.

Bononiensis, camerarius, ac dilecti filii Gabriel electus Senensis, thesaurarius noster, necnon Ioannes electus Ragusin. eisdem priori et fratribus sive canonicis conversis et personis, de conventibus, constitutionibus et norma vivendi pro conservatione prioris et fratrum, sive canonicorum, conversorum et personarum praedictorum provideant, et omnia alia et singula faciant, ordinent et disponant in praemissis et circa ea, prout eis visum fuerit expedire.

Secus acta irritata.

§ 9. Decernentes ex nunc irritos et inanes omnes processus, ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quos forsan circa haec quacumque auctoritate contigerit promulgari, et etiam ex nunc ratum et firmum motu simili habemus quicquid per eosdem camerarium, thesaurarium et electum Ragusinum in praemissis et circa ea dispositum fuerit seu quomodolibet ordinatum.

Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Lucae nonis aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 5 aprilis 1408, pontif. anno II.

---

## IV.

***Confirmatio fratrum Eremitarum S. Hieronymi de Fesulis; Ordini, alias ab Innocentio VII approbato, alia accipiendi loca, fratresque alios admittendi facultas conceditur.***

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Petita ab Innocentio VII Ordinis huius confirmatio; — 2. Concessa ab eodem Pontifice; — 3. Literis vero super hoc ab eodem non confectis supplet apost. auctoritate Gregorius: — 4. Acquisitaque usque adhuc bona confirmat. — 5. Nova petitio ab illis Gregorio facta. — 6. Aliae eis confirmatae domus. — Alios recipiendi, coemeteriumque habendi data facultas. — 7. Obstantium derogatio.

**Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sacrum nonnullorum fratrum Eremitarum, fratrum S. Hieronymi nuncupatorum, loci eiusdem, scilicet Fesulan., Ordinem, quem evidens ex eo utilitas Deo vivere volentium proveniens perhibet approbatum, ampliari patimur, et ut ad bonam ampliationem perveniat, cum a nobis petitur, favorem Apostolicae Sedis et gratiam impartimur.

Petita ab Innocentio VII Ordinis huius confirmatio;

§ 1. Dudum siquidem fel. rec. Innocentio Papae VII praedecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Caroli, quondam Antonii comitis Montisgranelli nati, presbyteri Sarsinatensis dioecesis, et nonnullorum eius sociorum exposito, quod ipsi de vita eremitica, quam zelo piae vitae, mundanis abiectis illecebris, amplexatam aliquandiu duxerant, ad frugem vitae melioris adspirantes, in humilitatis spiritu et paupertate desideraverant sub aliqua regulari observantia virtutum Domino famulari, ac propterea supplicato, ut eos, qui numero duodecim vel circa fuerint, in huiusmodi laudabili proposito confovere de benignitate apostolica dignaretur.

Concessa ab eodem Pontifice;

§ 2. Idem praedecessor cupiens huiusmodi eorum pium propositum ad laudem divini Nominis adimpleri, Carolo et sociis antedictis, ut ipsi in aliquo loco eis fidelium largitione dato vel dando vitam huiusmodi sub regula secundum constitutiones S. Hieronymi ducere, et regularem professionem, iuxta regulam et constitutiones huiusmodi emittere libere et licite valerent, auctoritate apostolica concessit.

Literis vero super hoc ab eodem non confectis supplet apost. auctoritate Gregorius:

§ 3. Ipsoque praedecessore, sicut Domino placuit, super huiusmodi concessionis gratia literis non confectis sublato de medio; nos, divina favente clementia, ad apicem Summi Apostolatus assumpti,

ne ipsi Carolus et socii huiusmodi concessionis frustrarentur effectu, voluimus et apostolica auctoritate decrevimus quod concessio ipsa perinde a die datae ipsius concessionis valeret, et plenam obtineret roboris firmitatem, ac si super ea eiusdem praedecessoris literae sub ipsius diei data confectae fuissent, quodque nostrae literae ad probandum plene concessionem huiusmodi ubique sufficerent, nec ad id alterius probationis adminiculum requireretur.

Acquisitaque usque adhuc bona confirmat.

§ 4. Et nihilominus, quod quidam locus eis, post concessionem huiusmodi, in civitate Fesulana ad hoc congruus et honestus, in quo idem Carolus et fratres, etiam ultra numerum praedictum, secundum regulam et statuta praefata, regularem professionem, per huiusmodi fratres Eremitas emitti consuetam, emiserunt primo, et successive eis plura alia loca, possessiones et bona dicta largitione donata fuerunt, nos dicta loca, possessiones et bona, ubicumque consisterent, quae tunc eisdem Carolo et sociis, largitione praefata, donata fuerant, habentes pro sufficienter expressis, ac donationes et professionem praedictas, et etiam illorum, ultra praefatum numerum professorum, ratas et gratas habentes, auctoritate apostolica confirmamus: supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenissent quomodolibet in eisdem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

Nova petitio ab illis Gregorio facta.

§ 5. Quare iidem Carolus et fratres, qui, in humilitatis spiritu, quantum eis permittit humana fragilitas, ambulantes, divina mansuetudine suffragante, quamplurimos eligentes secum, pompis mundanis abiectis, circa divina obsequia finire labiles dies suos dietim (1) inveniunt, nobis humiliter supplicarunt quatenus eis et successoribus eorum duo alia loca, ultra obtenta, ac quoscumque ad eos venire et ipsorum habitum assumere, professionemque, secundum instituta praefata, in eisdem locis emittere volentes recipiendi, eaque cum coemeteriis pro se ipsis dumtaxat habere libere et licite possint, licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur.

(1) *Dietim*, per singulos dies, quotidie.

Aliae eis confirmatae domus.

§ 6. Nos, qui cultum divinum nostris cupimus temporibus adaugeri, huiusmodi supplicationibus inclinati, duo alia loca, ultra ea, quae in praesentiarum habent, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, quae eisdem Carolo et fratribus alias canonice concedentur, vel eos illa alias iusto titulo continget adipisci; necnon quoscumque ad ipsos venire, pompis mundanis abiectis, divina gratia suadente, habitum assumere et professionem, per fratres praedictos emitti consuetam, emittere volentes, recipiendi et admittendi in eisdem solummodo locis, ac coemeteria in locis ipsis pro eis dumtaxat habendi, iuribus parochialium et aliarum quarumcumque Ecclesiarum in omnibus aliis semper salvis, eisdem Carolo et fratribus ac successoribus eorum in Fesulano et aliis locis praedictis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem et licentiam elargimur.

Alios recipiendi, coemeteriumque habendi data facultas.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstante (1) tam fel. rec. Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, prohibente ne fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere aut recepta mutare praesumant, absque dictae Sedis licentia speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum in castro Montisflorum Ariminensis dioecesis, VIII idus iulii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 8 iulii 1415, pontif. anno IX.

(1) Deest *constitutione*.

# ALEXANDER V

## PAPA CCVI

*Anno Domini MCCCCIX.*

Alexander V, antea Petrus Philargus, Cretensis (Bononiensem illum fuisse nonnulli asserunt (1)), Vicentinus olim episcopus, mox S. R. E. presbyter cardinalis tituli Ss. Duodecim Apostolorum et Mediolanensis archiepiscopus, sessione XIX concilii Pisani, die 26 iunii 1409, a cardinalibus conclavi inclusis, Pontifex factus est sub Alexandri V nomine, qui die 7 sequentis iulii coronatus est. Pontificali munere functus, menses X, dies VIII (2), temporibus Roberti regis Romanorum et Emmanuelis II in Oriente imperatoris, obiit Bononiae die 4 maii 1410, et sepultus est in ecclesia Fratrum Minorum. A die obitus Alexandri ad Ioannis XXIII electionem fluxerunt dies XIV (3).

---

## UNICA CONSTITUTIO.

*Contra se ingerentes, vel regimen et administrationem Ecclesiarum, monasteriorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet exercentes, literis apostolicis suae provisionis minime expeditis* (4).

### SUMMARIUM

Exordium. — Causae faciendae constitutionis. — 2. Constitutio (*de qua in rubrica*). — 3. Poenae contra inobedientes. — 4. Rescissio secus actorum. — Clausulae.

**Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper onere ministerii pastoralis, ad illa libenter intendimus per quae animarum periculis, Ecclesiarum et monasteriorum dispendiis obviatur.

Causae faciendae constitutionis.

§ 1. Sane ad audientiam nostram fide dignorum nuper relatione perducto, nonnullos ad patriarchales, metropoliticas, episcopales, abbatiales et alias dignitates spirituales tam regulares quam saeculares promotos, seu de quibus per nos aut auctoritate nostra praedictis Ecclesiis, monasteriis sive prioratibus conventualibus hactenus quomodolibet provisum fuit, in expeditione literarum apostolicarum super provisionibus sibi factis negligentes, in grave huiusmodi praeiudicium, dispendium et gravamen existere, quosdam vero ex praedictis, quod deterius arbitramur, absque huiusmodi literis, ea ductos cupidine ac in suae salutis interitum, ad Ecclesias, monasteria et prioratus eis collata, praeter et contra stylum et morem Romanae Curiae hactenus laudabiliter observatos, ac etiam contra prohibitionem felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, quae incipit *Iniunctae*, accedere praesumpsisse, ac Ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum huiusmodi regimini, gubernationi et administrationi se etiam ingessisse ac immiscuisse, et ingerere ac se immiscere damnabiliter etiam de praesenti.

Constitutio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos cupientes huiusmodi damnis instantibus et futuris remedium adhibere, praemissis et nonnullis aliis rationabilibus causis ad hoc nostrum moventibus animum, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, auctoritate apostolica et ex certa scientia, praesenti constitutione statuimus atque decernimus quod omnes et singuli patriarchae, archiepiscopi, episcopi, electi, administratores et commendatarii, abbates et priores huiusmodi, de quibus per nos aut auctoritate nostra hactenus alicui patriarchali, metropolitanae vel episcopali Ecclesiis aut monasteriis seu prioratibus conventualibus etiam in administrationem vel commendam provisum extitisset, et

(1) Ghirardaccius, Hist. Bononien., lib. XXVIII. (2) Ab electionis die computandos. (3) Inclusis extremis. (4) Ex Regest. Vatic.

eorum literas usque ad totalem expeditionem ac receptionem earumdem literarum inclusive expediri hactenus non fecissent, sub poena privationis Ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum huiusmodi, et omnis iuris eis ex provisionibus praedictis quomodolibet acquisiti, quam quemlibet negligentem incurrere volumus eo ipso, et quae Ecclesias, monasteria ac prioratus negligentium praemissa ad effectum perducere, ex nunc, prout ex tunc, praefata auctoritate, vacare et Apostolicae Sedis dispositioni specialiter reservata declaramus et decernimus, teneantur et debeant literas huiusmodi super provisionibus ipsis, per se vel alios, usque ad praefatam earumdem totalem expeditionem ac receptionem, ut praemittitur, inclusive expediri fecisse infra annum a data huiusmodi provisionis factae continue computandum. Illi vero, de quibus provideri contigerit quomodolibet in futurum Ecclesiis, monasteriis aut prioratibus huiusmodi seu alicui eorum, eadem poena simili, et quam, ut praefertur, incurrant etiam infra annum a die provisionis faciendae continue computandum, similiter teneantur et debeant literas ipsas, usque ad praedictam totalem expeditionem et receptionem inclusive expediri fecisse: et interim, sub eadem poena, per se vel alios, absque literis provisionum in forma de regimine, gubernatione seu administratione, vel quasi Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum praedictorum vel alicuius eorum, sive bonorum eorumdem in spiritualibus vel temporalibus nullatenus se ingerere vel aliter immiscere, aut super his vel eorum aliquo, seu dependentibus vel connexis, iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere praesumant.

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Caeteris quoque poenis contra praedictos a iure vel ab homine, etiam ratione negligentiae muneris, consecrationis non susceptae, statutis aut inflictis et aliis in suo robore permansuris.

Rescissio secus actorum.

§ 4. Irritum et inane censentes ex nunc, si secus vel aliter super his a quoquam et quavis auctoritate scienter vel ignoranter imposterum contigerit quomodolibet attentari.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, decreti, declarationis, reservationis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum Bononiae quarto nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 2 aprilis 1410.

---

# IOANNES XXIII

## PAPA CCVII

*Anno Domini MCCCCX.*

Post Alexandri V mortem cardinales, qui Bononiae cum eo erant, conclave ingressi, die 17 maii 1410 in Pontificem elegerunt Balthasarem Cossam, patria Neapolitanum, diaconum cardinalem S. Eustachii, qui Ioannis XXIII nomine sumpto, solemniter consecratur et coronatur die 25 mensis eiusdem. Perlatam depositionis suae in concilii Constantiensis sessione XII, habita die 29 maii 1415, sententiam ipsemet comprobavit, quinquennio postquam Papa electus fuerat. Martinus V Balthasarem resipiscentem, humique provolutum S. R. E. cardinalium decanum et Portuensem episcopum esse voluit die 23 iunii anno 1419. Ille vero sex post menses Florentiae, Papae curiam sequens, mortuus est, et sepultus in baptisterio S. Ioannis.

I.

*Declaratio poenarum contra dantes aliquid vel promittentes aut recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam* (1).

SUMMARIUM

1. Mala ex illicitis pactionibus provenientia narrat. — 2. Gratias quascumque praevia qualibet pactione factas irritat. — 3. Illas qui inierint, poenas a canonibus et constitutionibus apost. statutas incurrisse declarat. — 4. Insuper anathemate ferit, a quo nonnisi in mortis articulo, aliisque hic expressis perfectis conditionibus absolvi vult. — 5. Poenas adiicit temporales. — Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Mala ex illicitis pactionibus provenientia narrat.

§ 1. Cum ex debito pastoralis officii nobis, quamquam immeriti, superna dispositione commissi, periculis animarum, quantum cum Deo possumus, et ut caeca cupiditas ac insatiabilis ardor habendi formidine poenae ab illicitis arceantur, de salutari providere remedio reddamur obnoxii, et ad audientiam nostram fuerit fide dignorum relatione perductum, nonnullos tam curiales Curiamque Romanam sequentes, quam alios, post assumptionem nostram ad apicem summi apostolatus, multa tam gratiam, quam iustitiam concernentia, et in beneficiis vacantibus ac vacaturis, et in data etiam circa rotulos, ac in dispensationibus et absolutionibus et aliis spiritualibus negotiis seu causis obtinuisse retrolapsis temporibus per simoniacam pravitatem, considerantesque, quod talia vergunt in dispendium animarum tam dantium et recipientium, quam mediatorum et procurantium illa fieri et in denigrationem nominis Romanae Curiae et sollicitantium actus huiusmodi detestabiles et infandos.

§ 2. Nos igitur, quorum interest talibus detestandis criminibus obviare, et volentes, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem rigor ecclesiasticae disciplinae compescat, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica praesenti constitutione perpetuo valitura decernimus, statuimus et etiam declaramus, quascumque gratias per quoscumque et in quibusvis causis seu negotiis gratiam seu iustitiam concernentibus factas, et quæ imposterum fierent, in quibus intervenit sive interveniet in futurum simoniaca pravitas, illicita pactio, seu etiam corruptela, et omnia et singula inde secuta et quae sequerentur imposterum, necnon descriptiones quorumcumque facta ac etiam facienda in rotulis (1) expectativarum vel aliarum gratiarum, cardinalium praedictorum regum, prælatorum, ducum, principum et aliorum dominorum contra, seu praeter voluntatem illorum, pro quorum parte rotuli sunt descripti seu describendi de caetero, et etiam presentati ac praesentandi, fuisse et esse nullas, ac nullius efficaciae, roboris vel momenti, et nullum ius potuisse vel posse propterea, vel ob id in iudicio seu extra alicui quomodolibet resultare.

Gratias quascumque praevia qualibet pactione factas irritat.

Illas qui inierint, poenas a canonibus et constitution. apostol. statutas incurrisse declarat.

§ 3. Et nihilominus tales dantes, paciscentes vel promittentes, simoniace recipientes, proxenetas, mediatores seu tractatores, cuiuscumque status, gradus, habitus seu conditionis existant, incidisse in poenas et sententias a sacris canonibus et nostris praedecessoribus Romanis Pontificibus hactenus contra simoniacos editas et institutas.

Insuper anathemate ferit, a quo nonnisi in mortis articulo, aliisque hic expressis perfectis conditionibus absolvi vult.

§ 4. Si quis autem in futurum contra prohibitionem et constitutionem nostram huiusmodi, cuiuscumqne status, gradus seu conditionis fuerit, ut praefertur, aliquid dederit, promiserit, pactus fuerit vel receperit seu tractaverit pro praedictis vel aliquo ipsorum, quod pensata qualitate dantis ac recipientis, et quanti-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. — Non dissimilia statuit Bonifacius VIII anno 1295, Const. II, pag. 126.

(1) *Rotulus*, *rotula*, est scheda seu charta in modum *rotulae* vel *rotae* convoluta; veteribus *volumen* (Du Cange).

tate promissi vel donati simoniacam pravitatem sapiat, excommunicationis et anathematis sententiis eo ipso percellatur, a quibus nullus absolutionis beneficium ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi dumtaxat in mortis articulo, nec ad absolutionis huiusmodi beneficium, nisi prius tantumdem eius, quod dederit vel receperit, aut eius condignam aestimationem miserabilibus aut infirmis pauperibus integraliter largiatur seu restituat, ullatenus admittatur, nisi forte ad hanc restitutionem sit penitus impotens, quo casu, facta compensatione alterius boni operis, possit absolvi. Ita tamen quod si ad fortunam pinguiorem pervenerit, restitutionem ipsam faciet dicto modo.

Poenas adiicit temporales.

§ 5. Laicales quoque personae etiam cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, quae praemissa, vel eorum aliqua contempserint seu neglexerint observare, eo ipso simili sententia innodentur. Et nihilominus eas omnibus honoribus, dignitatibus, privilegiis, exemptionibus et gratiis, nec non feudis et retrofeudis et bonis aliis, quae a Romana, vel aliis Ecclesiis, monasteriis aut singularibus personis ecclesiasticis, etiam in quibusvis dignitatibus constitutis quomodolibet obtinuissent, privamus et privatas declaramus atque decernimus eo ipso: ipsaque feuda et alia bona ad concedentes esse protinus devoluta, ac illas inhabilitamus ad similia et alia imposterum obtinenda. Et praemissa trahi, extendique volumus ad praeterita post assumptionem huiusmodi praesentia et futura.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, declarationis et privationis infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum kalendis iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 iunii 1411, pontif. anno II.

## II.

*Erectio cathedralis Ecclesiae Leopolien. in partibus Russiae cum privilegiorum concessione* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Quibus de causis novae erigendae sint Ecclesiae: — 1. Petente itaque Wladislao Poloniae rege, — 2. Archiepiscopatum Leopoliensem erigit. — Ad illum transfert Kalitien. Ecclesiae metropolicum ius. — 4. Archiepiscopis caetera metropolitanorum privilegia concedit. — 5. Suffraganeas designat Ecclesias. — 6. Antiqua novae metropoli confirmat privilegia. — 7. De obedientia eius archiepiscopo exhibenda. — 8. Leopolien. Ecclesiae consulit indemnitati. — 9, 10 et 11. Obstantibus derogat. — 12. Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

In eminenti specula militantis Ecclesiae Romanus Pontifex beati Petri caelestis clavigeri successor, ac in terris ab Eo, qui coelum terramque regit solus, habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, ex throno suae ineffabilis potentiae super universas orbis Ecclesias, terraeque latitudinem praecipuum facultatis obtinens principatum, pervigilis more pastoris suae providentiae oculis universum orbem terrarum ac nationum in illo degentium qualitates paterna consideratione discutiens ac examinans diligenter, ex iniuncto sibi desuper pastoralis officii onere singulorum salutem appetens et exquirens, superna fulctus potentia, diversis diversa pro mundanorum eventuum casibus ac pro meritis praemia distribuens, quosdam exaltat et sublevat, et ad alta rerum fastigia magnitudine dignitatis attollit, et tamquam dispensator munificus donis specialibus ac electivis muneribus erga devotos filios sinum aperit apostolicae largitatis: praesertim erga loca illa, in quibus in agro irriguo Ecclesiae sanctae Dei novellae

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

plantationis in odorem suavitatis fructus in ubertate succedit, et quae fidelis ex nova plantatione huiusmodi et celeber incolit populus: in iis praecipue, quae exaltationem catholicae fidei ac etiam Ecclesiarum incrementa respicere dignoscuntur, ut si, et quemadmodum ipsarum Ecclesiarum necessitas exigat, catholici populi profectus exposcat, requirat animarum salus et accedat commoditas populorum, ac locus alias populositate ac reliquis ad humanae vitae commodum necessariis celeber ac insignis, ubi sedes episcopalis aut metropolis non consuevit existere, videatur merito illustrandus decore praecipuo Ecclesiarum, in illo statum immutet, ac illi per erectionis ac translationis ministerium titulum adaugeat sublimioris excellentiae atque gradus honoris, tituli pariter et decoris, ut per harum distributionem providam partes sibi creditae sollicitudinis, prout in Altissimo conspicit expedire, salubriter exequatur.

*Quibus de causis novae erigendae sint Ecclesiae:*

§ 1. Cum itaque nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Wladislai regis Poloniae illustris ac domini Russiæ nobis expositum fuerit et summa cum instantia supplicatum, ut pro defensione fidei orthodoxae, ac etiam incremento, fideliumque salute, ac reductione ad ovile dominicum infidelium et oberrantium populorum oppidum Lamburiga alias Lywowen. seu Leopole vulgariter nuncupatum in partibus Russiae Kalitien. dioecesis in civitatem, et parochialem Ecclesiam Sanctae Mariae in dicto oppido situatam in cathedralem et metropolitanam Ecclesiam erigere, et civitatis ac metropolicae dignitatum titulis decoraremus, ac Kalitien. metropolitan. ad Leopolien. Ecclesias et locum, utpote celebriorem ac insigniorem, et cunctis opportunitatibus et populi magnitudine atque frequentia potiorem transferre de benignitate apostolica dignaremur.

*Petente itaque Wladislao Poloniae rege:*

§ 2. Nos igitur attendentes maximum ex praemissis profectum catholicae fidei emersurum, ac paterna illis benignitate ac maturitate discussis, suadentibus nonnullis aliis rationabilibus causis ad id nostrum inducentibus animum, ac praefati regis in hac parte supplicationibus inclinati, matura cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super hoc deliberatione praehabita, ac de eorumdem consilio et assensu, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac ex certa scientia, ad honorem omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatae semperque Virginis Mariae, sub cuius vocabulo praefata Leopolien. Ecclesia fundata fore dignoscitur, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, totiusque caelestis Curiae laudem, gloriam et exaltationem status nostri et Ecclesiae sanctae Dei, divini cultus augumentum, fideliumque salutem, praefatum oppidum Lamburiga alias Leopolien. seu Lywowen. vulgariter nuncupatum, in civitatem Leopolien., ac praefatam parochialem Ecclesiam B. Mariae in cathedralem atque metropolim auctoritate apostolica praesentium tenore erigimus: ac ipsum oppidum Leopolien. civitatis, ac ipsam Ecclesiam B. Mariae metropoliticae dignitatis, honoris et decoris titulo de specialis dono gratiae decoramus ac etiam insignimus, et ipsam Leopolien. Ecclesiam in memoriam indelebilem eorum, quae in hac parte geruntur, metropolitan. perpetuis futuris temporibus volumus nuncupari.

*Archiepiscopatum Leopoliensem erigit.*

§ 3. Ac praefatam Kalitien. Ecclesiam, sedemque metropoliticam cum electo ipsius, cui nuper est de ipsa Kalitien. Ecclesia per nos gratiose provisum, prout in aliis nostris desuper confectis literis plenius continetur, ad sedem Leopolien. atque metropolim supradictam de consilio ac scientia et auctoritate praefatis transferimus per praesentes.

*Ad illum transfert Kalitiensis Ecclesiae metropolicum ius.*

§ 4. Statuentes, quod de caetero qui dictae praeficientur Ecclesiae Leopolien. in perpetuum archiepiscopi Leopolien. nuncupari debeant et censeri, ac archiepiscopalia et metropolitica insignia ge-

*Archiepiscopis caetera metropolitanor. privilegia concedit.*

rere, iura, iurisdictiones et caetera exercere, administrare ac exequi valeant, quae metropolitani in eorum civitatibus, dioecesibus atque provinciis de iure possint.

Suffraganeas designat Ecclesias.

§ 5. Ac etiam scientia et auctoritate praefatis de eorumdem fratrum nostrorum consilio nostras filias praedilectas, Praemislien., Chelmensem, Camenecen., Woldimurien., Cereten., Kyowien. Ecclesias et earum quamlibet, ipsarumque episcopos tam praesentes, quam qui eis pro tempore præesse contigerit, et quascumque alias in partibus illis secundum ritus Graecorum viventes Ecclesias, earumque episcopos cum earum et cuiuslibet ipsarum civitatibus et dioecesibus, iuribus et pertinentiis universis ipsi Leopolien. Ecclesiae, tanquam ipsarum metropoli et archiepiscopo Leopolien. pro tempore existenti pro eorum suffraganeis, atque provincia, harum serie decernimus perpetuo fore et esse subiectos atque subiectas, et subiicimus per praesentes: ita quod de caetero ad illa omnia et singula teneantur et astricti sint eisdem metropoli et archiepiscopo Leopolien. pro tempore existenti, ad quae suffraganei sui metropolitanae Ecclesiae atque metropolitano tenentur archiepiscopo secundum canonicas sanctiones.

Antiqua novae metropoli confirmat privilegia.

§ 6. Necnon quod archiepiscopus, Ecclesia et capitulum Leopolien. huiusmodi, qui sunt pro tempore, de caetero omnibus privilegiis, exemptionibus, gratiis ac indultis apostolicis et aliis quibuscumque potiantur et gaudeant, quibus de iure metropolitanae Ecclesiae et archiepiscopi et eorum capitula possunt, et quae poterant etiam ante erectionem et translationem huiusmodi archiepiscopus, Ecclesia et capitulum Kalitien. huiusmodi, necnon praefata parochialis Ecclesia B. Mariae Leopolien., ac rector, qui ei pro tempore præerat.

De obedientia eius archiepiscopo exhibenda.

§ 7. Quodque cuncti suffraganei, clerici et laici Leopolien. prius Kalitien. provinciae archiepiscopis Leopolien., qui erunt pro tempore, tamquam metropolitanis eorum debitos obedientiam, reverentiam et honores exhibeant, sicut archiepiscopis Kalitien., qui fuerunt pro tempore, exhibere hactenus consueverunt, ac etiam debuerunt.

Leopolien. Ecclesiae consulit indemnitati.

§ 8. Et quod nullus ipsius prius Kalitien. Ecclesiae seu metropolis possessiones auferre, aut ablatas retinere seu minuere, aut ipsum archiepiscopum, Ecclesiam et capitulum Leopolien. aliquibus molestiis fatigare seu perturbare praesumat: sed omnia eis integra et illibata serventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis perpetuis temporibus profutura, Sedis Apostolicae licentia semper salva.

Obstantibus derogat.

§ 9. Huiusmodi et aliis privilegiis, indultis et concessionibus eisdem Kalitien., Leopolien., Premislien., Chelmen., Camenecen., Woldimurien., Cereten. et Kyovien., et aliis Ecclesis supradictis concessis, quae possent praesentibus obviare, non obstantibus quibuscumque.

§ 10. Volumus autem statuentes, quod si quae ex Premislien., Chelmen., Camenecen., Woldimurien., Cereten. et Kyovien., seu aliis secundum ritus Graecorum viventibus Ecclesiis supradictis alicui metropoli christianorum subiecta existeret, quoad subiectam unam seu plures Ecclesias praesens concessio pro suffraganeis, caeteris tamen in suo robore duraturis, nullius existat efficaciae vel valoris.

§ 11. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum erectionis, decorationis, translationis, statuti, constitutionis, subiectionis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quinto kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 28 augusti 1412, pont. anno III.

III.

*Damnatio librorum seu tractatuum Ioannis Wiklef,* Dialogi *et* Trialogi *nuncupatorum cum prohibitione eos legendi seu exponendi in quibuscumque Universitatibus seu Studiis* (1).

SUMMARIUM

Cura Sedis Apost. succrescentes haereses extirpare. — 1. Libros Ioan. Wiklef erroribus scatentes, — 2. A sapientibus examinatos viris, — 3. Quorum confirmatur iudicium, — 4. Igni tradi iubet: — 5. A quoquam teneri vel doceri vetat. — 6. Episcopis imperat, ut perquisitos publice cremari faciant. — 7. Contra inobedientes tamquam de fide suspectos procedendum. — 8. Wikleffi defensoribus indicta dies. — 9. Clausulae.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Cura Sedis Apost. succrescentes haereses extirpaia.

In generali concilio inter omnes apostolicae Sedis instantias, quas ad regimen christani populi iugiter impendit, illa videtur esse praecipua, ut cum aliquam doctrinam suboriri senserit, quae oculos divinae Maiestatis offendere, et grave in se periculum animarum contineri possit, eam, ne propagetur ulterius, et per eam mentes fidelium damnabiliter capiantur, mox studeat extirpare.

Libros Ioan. Wiklef erroribus scatentes,

§ 1. Cum ergo in nonnullis mundi partibus quidam curiosi ea discere atque docere, non quae ad animarum salutem et augumentum fidei, sed ad suum fastum ampliandum, et catholicae fidei subversionem cedunt, quosdam libellos seu volumina vel tractatus et opuscula, quae dicuntur Ioannis Wiklef, videlicet Dialogum, Trialogum et alios plures libros, quos praesentibus haberi volumus pro expressis, nomine dicti Ioannis Wiklef inscriptos et intitulatos, non solum in scholis frequentare, sed etiam ad populum in sermonibus exponere nitantur; in quibus libellis, voluminibus seu tractatibus multa haeretica dogmata, multique continentur errores, et in fide minus recte sonantes, et per quos simplices et indocti a veritatis tramite deviari, experti vero atque docti nimium scandalizari perhibentur; quae ad nostram et huius sacri concilii deducta sunt publicam notionem.

A sapientibus examinatos viris,

§ 2. Nos, ut ex iniuncti nobis pastoralis officii debito tenemur, volumus in iis, quantum cum Deo possumus, occurrere animarum periculis, ne, quod ait Apostolus, variis et peregrinis doctrinis christifideles in devium abducantur, quos etiam summa cura Salvator ammonuit, ut caverent a fermento Phariseorum, cuius rei perniciosissimam pestiferamque malitiam optime frequenti manifestat exemplo: nam veluti fermentum, testimonio apostolico, totam massam corrumpit, sic haereticorum falsa doctrina omnem catholicam eruditionem, cui admiscetur, vel uti rabidum venenum, nisi occurreretur, inficeret. Quam etiam doctrinam abhominationem desolationis idem Salvator appellavit, dicens: Cum audieritis abhominationem desolationis; quem locum doctor sacer Hieronymus exponens abhominationem dicit posse intelligi omne dogma perversum: volentes autem in praemissis, licet notoria sint, mature procedere, et omne scrupulositatis dubium amputare, certis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, atque nonnullis episcopis sacrae theologiae utriusque iuris professoribus et aliis commisimus de praemissis inquirere, et negotium huiusmodi diligenti examinatione discutere.

Quorum confirmatur iudicium,

§ 3. Ex quorum processu et relatione nobis et eidem sacro concilio constitit atque constat praemissa tam per facti evidentiam, quam per plures diffinitivas sententias tam auctoritate apostolica, quam nonnullorum archiepiscoporum in suis conciliis et locis insignibus et diversis fuisse et esse notoria atque vera.

Igni tradi iubet:

§ 4. Nos igitur, eodem approbante concilio, declaramus et decernimus illa esse

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

notoria, quae nulla possint defensione tueri, et super illis fore tamquam super notoriis procedendum, et exurgentes in Dei virtute contra hanc falsam, perversam, pestiferamque doctrinam, eodem sacro approbante concilio, dictos libellos, tractatus et opuscula, videlicet, Dialogum, Trialogum et omnes alios huiusmodi libellos et alia, quae eiusdem Ioannis Wiklef nomine inscribuntur et intitulantur, cuiuscumque artis et facultatis existant, attento maxime, quod in eis licet aliqua vera scripta sint, falsa tamen illis, veluti lepra in humano corpore, permixta sunt, et in eorum lectione periculose, tamquam inter scorpiones et colubres, christifideles versarentur, damnamus et reprobamus atque Salvatoris sententiam exequentes dicentis: Si quis in me non manserit, mittetur foras, et sicut palmes arescet, et in ignem mittetur et ardet, igne iubemus publice concremari.

A quoquam teneri vel doceri vetat.

§ 5. Eiusdem etiam auctoritate concilii districtius inhibentes, ne quis Christi nomine insignitus audeat aliquem vel aliquos seu aliqua ex dictis libellis, tractatibus et opusculis dicti Ioannis Wiklef nomine inscriptos aut intitulatos legere et exponere, docere vel tenere, aut illis ac nomine et auctore illo Wiklef uti, vel illum ut auctorem, nisi forte in illorum reprobationem allegare publice vel occulte.

Episcopis imperat, ut perquisitos publice cremari faciant.

§ 6. Et ut de medio Ecclesiae illa periculosa spurcissimaque doctrina eliminetur omnino, iubemus, per locorum ordinarios, libros, tractatus et opuscula huiusmodi etiam auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam, etiam, si sit opus, cum adiectione, quod contra non parentes procedetur, tanquam contra fautores haeresis, diligenter inquiri, et repertos ignibus publice concremari.

Contra inobedientes tamquam de fide suspectos procedendum.

§ 7. Si quis autem huiusmodi sententiae, inhibitionis, decreti atque iussionis violator aut attemptator extiterit, statuimus, eodem approbante concilio, contra ipsum veluti suspectum de fide procedere.

Wicleffi defensoribus indicta dies.

§ 8. Monemus insuper auctoritate praemissa omnes et singulos, qui voluerint tueri memoriam dicti Ioannis Wiklef, ut infra novem menses proxime futuros, quos pro primo, secundo et tertio, atque peremptorio termino assignamus, compareant apud Sedem Apostolicam coram nobis vel nostro successore canonice intrante, vel in hoc sacro concilio vel alibi, ubi contigerit nos vel successorem praedictum residere, dicturi, allegaturi quidquid voluerint, ne idem Ioannes, licet ab humanis ereptus, de haeresi condemnetur.

Clausulae.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum declarationis, decreti, damnationis, reprobationis, iussionis, inhibitionis, statuti, monitionis et assignationis infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto nonas februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 2 februarii 1413, pont. anno III.

---

## IV.

*Indictio generalis concilii Constantiensis pro die 1 mensis novembris, anni 1414.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Ab Alexandro V statutum iam de generali indicendo concilio. — 2. A Ioanne convocatum concilium Romam. — 3. Vocatis non venientibus, aliud indictum. — 4. Instante vero Sigismundo Augusto, tempus convocationis prorogatum. — 5. Ab eiusdem regis oratoribus et Ioannis delegatis selecta ad hoc Constantiae urbs, et die prima novembris futuri. — 6. Haec ab eodem firmata Ioanne. — 7. Ecclesiarum praelatos, reges, aliosque, ut concilio intersint, hortatur.

**Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Ad pacem et exaltationem Ecclesiae et tranquillitatem christiani populi prompto corde et efficaci desiderio intendentes, ea

libenter ordinamus et quaerimus, per quae huiusmodi pax et exaltatio tranquillitatis merito valeant provenire.

Ab Alexandro V statutum iam de generali indicendo concilio.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander PP. V, antecessor noster, in sacro generali Pisano concilio tunc praesidens, ex quibusdam magnis et arduis causis eumdem moventibus, ipso approbante concilio, inter caetera decrevit iterum generale concilium ex tunc ad triennium, per se vel successorem suum, in loco, de quo sibi vel eidem successori videretur, fore solemniter convocandum. Idemque praedecessor ea, quae circa reformationem Ecclesiae expedienda restabant, pro tunc suspendit, ipsumque concilium usque ad tempus triennii praefatum continuandum statuit et prorogavit.

A Ioanne convocatum concilium Romam.

§ 2. Postmodum vero, ipso Alexandro, praedecessore nostro, sicut Deo placuit, vita functo, nobisque, divina favente clementia, ad apicem Summi Apostolatus assumptis, dum tempus eiusdem triennii iam advenerat, et nos per vestigia eiusdem praedecessoris incedere et ordinationem praefatam ab eo in concilio, ut praefertur, factam puro corde et recta voluntate adimplere properaremus, quibusdam rationibus tunc expressis animum nostrum moventibus, concilium huiusmodi in Romana Urbe (quae paulo ante de manibus hostium recuperata, praesentiam nostram pro ipsius conservatione plurimum flagitabat) debito tempore convocavimus.

Vocatis non venientibus aliud indictum.

§ 3. Verum quia, veniente postea tempore constituto, praelati et caeteri qui huiusmodi concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero convenerunt quantum rerum agendarum pondus et magnitudo requirere videbatur, nos, post alias prorogationes per nos factas, tandem concilium ipsum ad mensem novembris nunc praesentem solemniter prorogavimus ac celebrandum statuimus. Locum autem reliquimus infra certum tempus declarandum, ut interim super eo maturius consuleremus.

Instante vero Sigismundo Augusto, tempus convocationis prorogatum.

§ 4. Post haec vero, infradictum tempus nondum elapsum, per literas carissimi in Christo filii nostri Sigismundi, electi in regem Romanorum, et Hungariae regis illustris, instantissime requisiti ut non properaremus in declaratione huiusmodi loci pro concilio faciendo, sed tam in declaratione loci praedicti, quam etiam in tempore dicti concilii celebrandi supersedere vellemus, donec ipsi nuncios suos super hoc instructos ad nostram praesentiam destinaret.

Ab eiusdem regis oratoribus, et Ioannis delegatis selecta ad hoc Constantiae urbs, et die prima novembris futuri.

§ 5. Nos votis eiusdem regis, quae ex zelo devotionis et puritate fidei emanare conspiciebamus annuentes, adventum praefatorum nunciorum, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et praelatorum, qui Romae in generali concilio ad hoc vocati fuerunt, voluntate, consilio et assensu, duximus expectandum. Deinde cum, post Romanae Urbis miserabilem casum, ad nos tunc apud Florentiam existentes eiusdem regis nuncii accessissent, et ex parte eiusdem regis multa nobis circa materiam suggessissent, eorum auditis relatibus, pro pleniori expeditione, dilectos filios nostros Antonium, tituli S. Caeciliae presbyterum, et Franciscum, tituli Ss. Cosmae et Damiani diaconum, S. R. E. cardinales, cum plena potestate super huiusmodi electione loci et deputatione temporis, ac simul cum eis dilectum filium nostrum nobilem virum Manuelem Chrisoloram, militem Constantinopolitanum, ad praesentiam eiusdem regis transmisimus; qui ad eum venientes, tandem, de ipsius regis consilio et assensu, civitatem Constantiensem provinciae Moguntinensis, pro loco huiusmodi concilii celebrandi concorditer elegerunt, ac tempus ad initiandum huiusmodi concilium statuerunt diem primum mensis novembris proxime venturi.

Haec ab eodem firmata Ioanne.

§ 6. Deinde vero nos, qui pro quibusdam arduis et magnis negotiis cum eodem rege, iuxta nostrum et ipsius desiderium, personaliter convenientes, certificati ab eo de habilitate, capacitate et

securitate civitatis Constantiae antedictae, quam securitatem ipse rex praestiturum et in ipso concilio personaliter affuturum pollicetur, volentes et ab intimis cupientes ut praefata celebratio concilii salubriter impleatur et optatum consequatur effectum, huiusmodi electionem loci et temporis, ut praefertur, factam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu, ratificamus, approbamus et confirmamus, ac ei apostolici roboris adiicimus firmitatem, praefatumque concilium in civitate praedicta Constantiensi die 1 mensis novembris proxime venturi initiandum et, auctore Domino, exinde celebrandum, eadem auctoritate et consensu, harum serie statuimus, pronunciamus et decernimus.

Ecclesiarum praelatos, reges, aliosque ut concilio intersint, hortatur.

§ 7. Venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios electos, abbates et caeteros Ecclesiarum et monasteriorum praelatos requirentes, hortantes et monentes, ac in virtute praestiti iuramenti et sanctae obedientiae eisdem mandantes quatenus personaliter, necnon carissimos in Christo filios reges, et nobiles viros, duces, principes, marchiones et alios, qui huius modi concilio interesse debent, vel qui prodesse possunt quoquomodo, per viscera caritatis D. N. Iesu Christi invitantes et exhortantes quatenus, pro pace Ecclesiae et omnium christianorum, etiam personaliter, vel, si personaliter non possint, per solemnes oratores, congruo tempore . concilio dicto debeant interesse, ut sic, congregata fidelium multitudine copiosa, ea quae in eodem concilio agenda incumbunt, Deo auctore et adiutore, salubriter ordinentur. Nulli ergo *etc.*

Datum Laudae quinto idus decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 9 decembris 1413, pont. anno IV.

# MARTINUS V

## PAPA CCVIII

### *Anno Domini MCCCCXVII.*

Anno 1417, die 11 novembris, cardinales aliique a concilio Constantiensi nominati electores nationum universali Ecclesiae praefecere Odonem Columna S. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, qui Martinus V voluit appellari, et die 21 mensis eiusdem, consecratione suscepta, solemniter coronatus est. Hic, annis XIII, mensibus III, diebus X, quibus Summo praefuit Sacerdotio, regnante in Occidente Sigismundo, in Oriente vero Emmanuele II, mox Ioanne VII Palaeologo, tribus habitis promotionibus, decem et octo cardinales creavit, praeter Balthasarem Cossam, quem sacri cardinalium collegii decanum et Portuensem episcopum esse permisit, et quatuor pseudo-cardinales Petri de Luna, quos vera cardinalitia dignitate decoravit. Obiit vero Romae die 20 februarii 1431, et sepultus est in ecclesia Lateranensi. Vacavit sedes dies XI.

Mortuo Petro de Luna anno 1424, tres ii, quos pseudo-cardinales ante obitum dixerat, eius loco, non absque enormi simonia, mense iunio sequentis anni, Papam dixere Ægidium Sancii Munionis, canonicum Barcinonensem, qui Clemens VIII appellatus est. Hic, quintum post annum, papalia deponens insignia, ac Martinum V pro legitimo Pontifice agnoscens, exemplum suis dedit pacem Ecclesiae hac quoque ex parte reddendi, quod praestiterunt.

I.

*Damnatio errorum Ioannis Wikleff, Ioannis Huss, Hieronymi de Praga et aliorum de sacramentis Ecclesiae male sentientibus, eorumque complicum et fautorum: ac forma haereticos suspectosque de haeresi examinandi* (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Episcoporum negligentia novas haereses a Wiclefo, Io. Huss et Hieronymo de Praga disseminatas deplorat. — 2. Eos itaque concilium Constantiense a fidelium coetu segregavit: — 3. Sed nonnullis eorum sectatoribus illorum legentibus libros, haeresesque tuentibus: — 4. Martinus PP. Ecclesiarum mandat prælatis, ut eosdem tamquam haereticos iudicatos saeculari tradant Curiae puniendos: 5. Receptatores eorum coerceant: — 6. Cum obduratis, praeviis monitionibus, severe utantur; — 7. Principesque omnes moneant eosdem ut expellant suis ex dominiis. — 8. Haereticos ecclesiastica privari vult sepultura, eorum autem bona confiscari. — 9. De suspectis. — 10. Innovata Bonifacii VIII in cap. 18, *De hæret.*, constitutio. — 11. Formam praescribit interrogatoriorum suspectis de haeresi, infamatisque faciendorum. — 12. Tenor articulorum Ioannis Wikleff. — 13. Tenor articulorum Ioannis Huss. — 14. Tenor interrogatoriorum iuxta quae haeretici aut de haeresi suspecti interrogari debent. — 15. De modo procedendi contra infamatos vel suspectos de haeresi. — 16. De hac publicanda constitutione: et denunciandis excommunicatis huiusmodi haereticis, *etc.* eos defendentibus, *etc.* — 17. De poenis contra huiusmodi errores tenentes, dogmatizantes, *etc.* — De modo abiurandi. — 18. Obstantibus quibuscumque derogatur.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis, episcopis ac inquisitoribus haereticae pravitatis ubilibet constitutis, ad quos literae praesentes pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Inter cunctas pastoralis curae solicitudines, quibus premimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, ut haereticis de finibus christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis et erroribus perversis penitus, quantum nobis ex alto conceditur, extirpatis, orthodoxa et catholica fides integra et illibata permaneat, ac populus christianus in eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis et inviolatus persistat.

Episcoporum negligentia novas haereses a Wiclefo, Io. Huss et Hieronymo de Praga dissemin. deplorat.

§ 1. Sane dudum, plusquam omnibus retroactis temporibus, in nonnullis regionibus et dominiis, praesertim in regno Bohemiae et marchionatu Moraviae ac locis et districtibus illis vicinis, adversus fidei catholicae dogmata insurrexerunt quidam haeresiarchae, circumcelliones, schismatici et seditiosi, luciferina superbia et rabie lupina evecti, daemoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diversis mundi partibus oriundi) convenientes, et caudas colligatas habentes, damnatae videlicet memoriae Ioannes Wicleff de Anglia, Ioannes Huss de Bohemia et Hieronymus de Praga, qui utinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam, ubi huiusmodi pestilentes personae perversa dogmata pertinaciter seminabant, in suae doctrinae pestiferae primordio praelati et alii iudiciariae potestatis regimina exercentes, tamquam canes muti non valentes latrare, nec ulciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientem, haeresiarchas ipsos pestiferos et dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim, ut adstricti fuerant, canonice coercere, eosque de domo Domini corporaliter eiicere non curarunt, sed sacrilegam, falsam et perniciosam ipsorum doctrinam per longas moras negligenter convalere permiserunt: populorum multitudo, illorum opinionibus falsis decepta, pro veris accepit quae diu mendaciter et perniciose ac damnabiliter seminaverant, eisque credendo, a recta fide cecidit turba multa, et errore devio involvitur, proh dolor! paganorum, adeo quod, per diversa illarum eisdemque convicinarum partium climata, oves Christi catholicas haeresiar-

(1) Damnatum alias a Ioanne XXIII Vicleffum vidimus sup. in Constit. eiusd. Pontif., pag. 661.

chae ipsi successive infecerunt, et in stercore mendaciorum fecerunt putrescere.

Eos itaque concilium Constantiense a fidelium coetu segregavit:

§ 2. Quapropter generalis Constantiensis synodus, tantam fidelium et fidei orthodoxae plagam et ruinam videns, exclamare compulsa est cum Augustino: Quid faciet Ecclesiae medicina, salutem omnium materna caritate conquirens, tamquam inter phreneticos et lethargicos aestuans? Numquid contemnere, numquid desistere vel debet vel potest? Certe non, secundum eumdem, imo utrisque sit necesse est molesta, quae neutris est inimica. Nam et molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio, ille ligando, iste caedendo, sed ambo diligendo. Si autem negligant, et eos perire permittant, inquit Augustinus, ista falsa mansuetudo potius crudelitas est. Proinde synodus praefata, ad omnipotentis Dei gloriam ipsiusque catholicae fidei ac christianae religionis conservationem, augmentum et animarum salutem et praeservationem, eosdem Ioannem Wicleff et Ioannem Huss et Hieronymum, qui, inter caetera, de sacro Eucharistiae sacramento et aliis sacramentis Ecclesiae et articulis fidei aliter quam sancta Romana Ecclesia credit, et tenet et praedicat et docet quamplurima temere et damnabiliter credere ac tenere, praedicare atque docere pertinaciter attentabant, velut haereticos et pertinaces ac obstinatos iam a communione fidelium separatos, de domo Dei corporaliter eiecit, et spiritualiter eiectos declaravit, et alia nonnulla circa praemissa utilia et salubria statuit et decrevit, per quae alii, qui, causantibus haeresiarchis eorumque falsis doctrinis huiusmodi, spiritualiter de domo Dei exierant, per vias canonicas reducerentur ad semitas veritatis.

Sed nonnullis eorum sectatoribus illorum legentibus libros, haeresesque tuentibus:

§ 3. Et quia, sicut dolenter accepimus, non solum in regno Bohemiae et marchionatus dominiis et locis supradictis, verum etiam in quibusdam partibus et provinciis contiguis seu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex sectatoribus et sequacibus haeresum ac errorum haeresiarcharum praedictorum, timore divino et pudore humano prorsus abiectis, nec de ipsorum, et praesertim Ioannis Huss et Hieronymi, interitu miserabili sumentes conversionis et poenitentiae fructum, sed tamquam in profundum pressi peccatorum, Dominum Deum blasphemare non cessant, ducentes in irritum nomen Eius, quorum mentes pater mendacii sic damnabiliter excaecavit, ut praedictos libros, codices et opuscula, haereses et errores continentes seu continentia, dudum etiam per synodum praefatam damnatos et damnata, ac ignibus concremanda deputata et concremata legunt, student, ac ex eis in sui et multorum simplicium periculum, nedum contra statuta, decreta et ordinata in synodo supradicta, sed etiam contra canonicas sanctiones dogmatizare praesumunt in animarum periculum ac puritatis fidei denigrationem et scandalum plurimorum.

Martinus PP. Ecclesiar. mandat praelatis, ut eosdem tamquam haereticos iudicatos saeculari tradant Curiae puniendos:

§ 4. Nos igitur, attendentes quod error, cui non resistitur, approbari videtur, ac malis et perniciosis erroribus huiusmodi resistere ac eos de medio Christi fidelium, et praesertim de supradictis Bohemiae et Moraviae dominiis et districtibus ac confinibus et viciniis eorum, ne amplius et latius se extendant, funditus evellere cupientes, discretioni vestrae, sacro approbante concilio Constantiensi, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos, archiepiscopi et episcopi ac electi, et quilibet vestrum, per se seu alium vel alios, quos graves et idoneas personas spiritualem iurisdictionem habentes esse volumus, omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis, officii, præeminentiae, status vel conditionis existant, et quibuscumque nominibus censeantur, qui, de præexcelso, salutifero et supermirabili sacramento Corporis et Sanguinis D. N. Iesu Christi, vel de Baptismate seu peccatorum Confessione, Poenitentiae pro peccatis iniunctione vel reliquis ecclesiasticis sacramentis seu fidei articulis aliter sentire aut docere, quam sacrosancta Romana Ecclesia et univer-

salis docet, praedicat et observat, aut articulos seu libros et doctrinas praefatorum haeresiarcharum Ioannis Wicleff et Ioannis Huss et Hieronymi, per eamdem Constantiensem synodum, cum suis auctoribus, ut praedicitur, damnatos et damnatas, tenere, credere et dogmatizare, ac vitae finem ipsorum haeresiarcharum publice vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare vel approbare praesumpserint, eorumque receptatores, defensores et fautores quoslibet, etiam contemplatione praedictorum errorum, necnon credentes et adhaerentes eisdem, tamquam haereticos iudicetis, et velut haereticos saeculari curiae relinquatis.

Receptatores eorum coerceant.

§ 5. Receptatores quoque, fautores et defensores huiusmodi pestiferarum personarum, quae erroribus ipsis crediderint, nec favore aut contemplatione errorum ipsorum, sed forte carnalis amoris causa vel occasione alia huiusmodi personas pestiferas receptaverint, praeter poenas ab utroque iure talibus inflictas, per iudices competentes, tanta severitate poenarum, in tam enormi scelere, ultionem accipiant, quod cedat caeteris crassantibus in exemplum, ut, quos Dei timor a malo non revocat, saltem coerceat severitas disciplinae.

Cum obduratis, previis monitionibus, severe utantur;

§ 6. Cum reliquis vero huiusmodi secta damnabili quomodolibet infectis, qui, post competentem monitionem ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos, spe correctionis et emendationis ac ad melioris vitae frugem conversionis, usum est, a praedictis erroribus et secta noluerint resipiscere, et ad gremium unitatemque sanctae matris Ecclesiae ac fidem catholicam, quae sola salvare potest, sine qua nulli verae salutis subsidium contingit, plene recognoscere et confiteri, iustitiae severitas, prout facti poposcerit qualitas, dulcore misericordiae temperetur.

§ 7. Et nihilominus omnes christianae et catholicae fidei professores, imperatorem, reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, milites, potestates, rectores, consules, proconsules, scabinos, communitates et universitates regnorum, provinciarum, civitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum huiusmodi, necnon caeteros iurisdictionem temporalem exercentes, iuxta iuris formam et exigentiam, auctoritate apostolica, exhortando moneatis et requiratis ut de regnis, provinciis, civitatibus, oppidis, castris, villis, terris et omnibus aliis locis ac dominiis supradictis omnes et singulos haereticos huiusmodi, secundum tenorem Lateranensis concilii, quod incipit, *Sicut ait*, ad instar etiam irretitorum crimine usurarum, quos publice vel manifeste per facti evidentiam cognoverint esse tales, tamquam oves morbidas gregem Domini inficientes expellant, donec et quousque a nobis seu vobis vel aliis iudicibus ecclesiasticis vel inquisitoribus fidem et communionem Romanae Ecclesiae tenentibus aliud recipiant in mandatis, nec eosdem in suis districtibus praedicare, domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negociationes et mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittant.

Principesque omnes moneant eosdem ut expellant suis ex dominiis.

Haereticos ecclesiastica privari vult sepultura, eorum autem bona confiscari.

§ 8. Et si tales haeretici publici ac manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tam gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura, nec oblationes fiant aut recipiantur pro eisdem: bona tamen ipsorum a tempore commissi criminis, secundum canonicas sanctiones, confiscata, non occupentur per illos ad quos alias pertinerent, donec per huiusmodi iudices ecclesiasticos super hoc potestatem habentes sententia declaratoria super ipso haeresis crimine fuerit promulgata.

De suspectis.

§ 9. Qui autem de haeresi, per iudicem competentem ecclesiasticum, inventi fuerint sola suspicione notati seu suspecti, nisi, iuxta considerationem et exigentiam suspicionis qualitatemque personae, ad

arbitrium iudicis huiusmodi, propriam innocentiam congrua devotione monstraverint, in purgatione eis canonice indicta deficientes, et se canonice purgare non valentes, aut pro huiusmodi purgatione facienda, obstinatione damnabili, iurare renuentes, tamquam haeretici condemnentur. Qui vero dictam innocentiam monstrare, ex quadam negligentia seu desidia, et purgationem huiusmodi facere omiserint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur; ita quod, si per annum in excommunicatione huiusmodi perstiterint, ex tunc velut haeretici condemnentur. Si quis vero, super aliquo saepedictae pestiferae doctrinae haeresiarcharum praedictorum, vel aliquibus articulis dumtaxat scandalosis, temerariis, seditiosis vel piarum aurium offensivis, culpabilis repertus fuerit, canonice puniatur. Si vero, propter solam infamiam aut suspicionem dictorum articulorum vel alicuius ipsorum, quis repertus fuerit suspectus, et in purgatione canonica propter hoc sibi indicta deficeret, pro convicto habeatur, et tamquam canonice convictus puniatur.

Innovata Bonifacii VIII in cap. 18 De Haeret. constitutio.

§ 10. Et insuper dispositionem felicis recordationis Bonifacii Papae octavi, praedecessoris nostri, quae incipit: *Ut inquisitionis negotium*, renovantes et etiam exequentes, universas potestates et dominos temporales et iudices antedictos, quibuscumque dignitatibus vel officiis seu nominibus censeantur, exhortando requirimus et mandamus eisdem ut, sicut reputari cupiunt et haberi fideles, ac filii Ecclesiae nuncupari, et in Christi nomine gloriari, ita, pro defensione fidei vobis archiepiscopis, episcopis et electis ac inquisitoribus haereticae pravitatis et aliis iudicibus seu personis ecclesiasticis, per vos ad hoc, ut praemittitur, deputandis, fidem et communionem sanctae matris Ecclesiae tenentibus, pareant, et intendant praebeantque auxilium et favorem in haereticorum, necnon credentium, fautorum, receptatorum et defensorum ipsorum investigatione, captione, custodia diligenti cum ab eisdem fuerint requisiti, ut praefatas personas pestiferas, alios secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per vos archiepiscopos, episcopos, electos et inquisitores praedictos, aut deputandos a vobis, vel ad locum de quo vos vel ipsi mandabitis, infra eorumdem dominorum potestatem, rectorum seu iudicum districtum ducant vel duci faciant sine mora, ubi per viros catholicos a vobis archiepiscopis vel episcopis, electis, seu inquisitoribus seu deputandis personis huiusmodi, vel vestrum aliquo deputato sub arcta et diligenti custodia, ne fugiant, ponendo, eos etiam compedibus et manicis ferreis teneant, donec eorum negotium per Ecclesiae iudicium terminetur, et quod de haeresi a iudice ecclesiastico competenti, qui fidem et communionem dictae sanctae Romanae Ecclesiae teneat, condemnentur, praefati domini temporales seu rectores, iudices vel eorum officiales seu nuncii sibi relictos recipiant indilate animadversione debita puniendos.

Formam praescribit interrogatoriorum suspectis de haeresi, infamatisque faciendorum.

§ 11. Verum ne praeiudicium et scandalum praefatae fidei orthodoxae religionis christianae, praetextu ignorantiae, quemquam in hoc circumveniri, aut versutos homines sub frivolae excusationis velamine in hac materia palliare contingat, et ut de convincendis seu cognoscendis haereticis, receptatoribus, defensoribus, fautoribus, credentibus et adhaerentibus, necnon de haeresi suspectis et aliis huiusmodi perversa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in futurum instructio, tam ad regnum Bohemiae et convicinas illi, quam alias quaslibet partes in quibus haec superstitiosa doctrina quomodolibet pullulaverit, articulos infra scriptos sectam dictorum haeresiarcharum concernentes, pro directione dictae fidei decernimus transmittendos et etiam destinandos, super quibus vobis et aliis omnibus archiepiscopis, episcopis et electis ac commissariis et inquisitoribus in vir-

tute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut quilibet eorum infra limites et loca suae iurisdictionis, necnon regno et marchionatu et locis eis vicinis praedictis, etiam si loca ipsa extra iurisdictionem eamdem ultra duas dietas consistant, circa extirpationem et correctionem errorum ac haeresum, ac huiusmodi sectae pestiferae, in favorem ipsius fidei orthodoxae, diligenter invigilent, et omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe sub confessati criminis, excommunicaticationis, suspensionis, interdicti aut alia formidabili poena canonica vel legali, prout, quando et quemadmodum eis videatur expedire, et facti requireret qualitas, ad singulos huiusmodi articulos per iuramentum corporaliter praestitum, tactis sacrosanctis Evangeliis seu sanctorum reliquiis, imagine Crucifixi, secundum quorumdam locorum observantiam, iuxta infrascripta interrogatoria ad quemlibet articulum convenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes et singulos archiepiscopos, episcopos, et electos, et inquisitores, qui super extirpando haereticae pravitatis fermento, et expurgando suum territorium, districtum seu locum de talibus malis et sceleratis hominibus, negligentes fuerint seu remisse egerint, usque ad privationem seu depositionem pontificalis dignitatis procedere intendimus et procedemus, ac procedi faciemus, aliosque loco illorum substituemus, qui pravitatem haereticam possint et valeant confundere, et ad alias poenas contra tales a iure inflictas et alias graviores, si expediat, infligendas, procedemus, procedique faciemus, iuxta iuris et facti exigentiam, ac huiusmodi culpae et criminis foeditatem.

Tenores vero eorumdem articulorum seu capitulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur per ordinem in haec verba.

§ 12. *Tenor articulorum Ioannis Wicleff.*

Tenor articulorum Ioannis Wicleff.

1. Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali.

4. Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

9. Post Urbanum VI non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, sit ex hoc haereticus vel excommunicatus.

12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni.

13. Illi, qui dimittunt praedicare, sive audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei iudicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui diacono vel presbytero praedicare verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae sive episcopi catholici.

15. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solum actu, delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani, propter peccata suorum praelatorum, ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, caeteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam possessionatorum quam mendicantium, redditur ineptior et inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis non sunt de religione christiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere et non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa et praesumptuose asserta, pro quanto sic generaliter et indirecte loquitur, et secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio praesciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

29. Universitates, Studia, collegia, graduationes et magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, et prosunt Ecclesiae sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papae vel cuiuscumque praelati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra; et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Silvester Papa et Constantinus imperator erraverunt Ecclesiam dotando (1).

34. Omnes de Ordine Mendicantium sunt haeretici: et dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum coelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent; et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici.

37. Ecclesia Romana est sinagoga Satanae, nec Papa est proximus et immediatus vicarius Christi et Apostolorum.

38. Decretales epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti qui student eas.

39. Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent (2) bonis temporalibus.

40. Electio Papae a cardinalibus a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.

(1) *Ditando*. (2) *Ditarent* (Cocquelines).

42. Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum.

43. Iuramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandum humanos contractus et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones et instituerunt et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt haeretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductae sunt a diabolo.

§ 13. *Tenor articulorum Ioannis Huss.*

Tenor articulorum Ioannis Huss.

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas, *et infra sequitur*: Universalis sancta Ecclesia tantum est una, sicut tantum unus est numerus omnium praedestinatorum.

2. Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod praedestinationis caritas, quae ipsam ligat, non excidet.

4. Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus.

5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctae Ecclesiae: et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non secundum praesentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non est nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae.

8. Sacerdotes quilibet criminose viventes, sacerdotii polluunt potestatem: et sic, ut filii infideles, sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, Papae praefectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiae sanctæ, nisi Deus eum praedestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatus requiritur, et morum conformitas et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro: et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Iudae Scarioth. Et, pari evidentia, cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Iesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes: Nobis non licet interficere quemquam, Ipsum saeculari iudicio tradiderunt, et quod tales sint homicidae graviores quam Pilatus.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiae, praeter expressam auctoritatem Scripturae.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel

vitiosa: quia si homo est vitiosus et agat quidquam, tunc agit (1) virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem eius et habentes Scripturae notitiam et effectum ad aedificandum populum, debent praedicare, non obstante praetensa excommunicatione; *et infra:* Quod si Papa vel aliquis praelatus mandat sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit et viam praeparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si Papa est malus et praesertim praescitus, tunc, ut Iudas apostolus, est diabolus, fur et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum eius.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti, immo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiam si ascenderet per rectam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Iudas Scarioth rite et legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde in ovile ovium.

25. Condemnatio quadraginta quinque articulorum Ioannis Wicleff per doctores facta, est irrationabilis et iniqua et malefacta, et ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo electores vel maior pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius apostoli in officio ecclesiastico: unde sive electores bene, sive male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.

27. Non est scintilla apparentiae, quod opporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli et fideles sacerdotes strenue Domini in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa usque ad diem iudicii.

30. Nullus est dominus civilis, nullus

(1) Addenda e Raynaldo verba: *vitiose; et si est virtuosus et agat quidquam, tunc agit* etc., quae forsan officinatoribus mainardianis ceciderunt.

est praelatus, nullus est episcopus dum est in peccato mortali.

§ 14. *Tenor interrogatoriorum iuxta quae haeretici aut de haeresi suspecti interrogari debent.*

Tenor interrogatoriorum iuxta quae haeretici aut de haeresi suspecti interrogari debent.

1. Super praemissis autem articulis, quilibet de eis suspectus, seu in eorum assertione deprehensus, iuxta modnm interrogetur infrascriptum: in primis, utrum cognoverit Ioannem Wicleff de Anglia, Ioannem Huss de Bohemia, Hieronymum de Praga, seu aliquem eorum, et unde habuerit eorum notitiam, et utrum cum eis vel eorum aliquo, dum viverent, conversationem vel amicitiam habuerit.

2. Item, utrum sciens ipsos seu aliquem ipsorum excommunicatos, scienter participaverit cum illis reputans et dicens talem participationem non esse peccatum.

3. Item, utrum post mortem eorum, pro eisdem seu aliquo eorum oraverit, et publice vel occulte opera pietatis exercuerit, asserens eos fore beatos et salvos.

4. Item, utrum eos vel aliquem eorum sanctos reputaverit, et dixerit, et eis venerationes velut sanctis exhibuerit.

5. Item, utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet concilium generale et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet.

6. Item, utrum credat, quod illud quod sacrum concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit et approbat in favorem fidei et ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christifidelibus approbandum et tenendum (1), pro condemnato credendum et asserendum.

7. Item, utrum credat quod condemnationes Ioannis Wicleff, Ioannis Huss et Hieronymi de Praga factae de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale Constantiense concilium, fuerint rite et iuste factae, et a quolibet catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendæ.

8. Item, utrum credat, teneat, asserat Ioannem Wicleff de Anglia, Ioannem Huss de Boemia et Hieronymum de Praga fuisse haereticos et pro haereticis nominandos ac reputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos, propter quos et quas, et per eorum pertinacias, per sacrum concilium Constantiense pro haereticis sunt condemnati.

9. Item, utrum habeat in sua potestate aliquos tractatus, opuscula, epistolas vel quaecumque alia scripta in quocumque idiomate per Ioannem Wicleff, Ioannem Huss, et Hieronymum haereticos, seu eorum pseudodiscipulos et sequaces editos vel translatos, edita vel translata, quod illos vel illa ordinario loci, vel eius commissario seu inquisitori sub iuramento praesentet. Quod si apud se scripta huiusmodi se habere non cognoverit, sed alibi, quod iuret illa circa suum ordinarium vel alios supradictos infra certum terminum sibi praefigendum deponere.

10. Item, utrum sciat aliquem vel aliquos habentes praefatorum tractatus, opuscula, epistolas, vel quaecumque alia scripta in quocumque idiomate composita sive translata, quod illum vel illos detegat, vel manifestet, pro purificatione fidei sive executione iustitiae.

11. Item specialiter literatus interrogetur, utrum credat sententiam sacri Constantiensis concilii super quadraginta quinque Ioannis Wicleff et Ioannis Huss triginta articulis superius descriptis, latam, fore veram, et catholicam, scilicet, quod supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Wicleff et Ioannis Huss triginta non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi.

12. Item, utrum credat et asserat, quod in nullo casu sit licitum iurare.

13. Item, utrum credat, quod ad mandatum iudicis iuramentum de veritate di-

(1) Desunt hic quoque, procul dubio, eademque ratione qua in pag. praeced., verba haec, aut aequipollentia: *et quod condemnavit et condemnat, hoc* etc.

cenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiae faciendum, sit licitum.

14. Item, utrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conservatione vitae corporalis propriae vel alterius, etiam in favorem fidei, sit peccatum mortale.

15. Item, utrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiæ, caeremonias exorcismi et cathechismi, aquae baptismatis consecratae, peccet mortaliter.

16. Item, utrum credat, quod post consecrationem sacerdotis in Sacramento Altaris sub velamento panis et vini non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus, qui fuit in cruce passus, et sedet ad dexteram Patris.

17. Item, utrum credat et asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum, et praeter speciem vini, sit vera caro Christi et sanguis, et anima, et deitas, et totus Christus, ac idem corpus absolute, et sub una qualibet illarum specierum singulariter.

18. Item, utrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia universali observata, et per sacrum concilium Constantiae approbata, sit servanda, sic quod non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum praemissorum, tamquam haeretici vel sapientes haeresim sint arcendi et puniendi.

19. Item, utrum credat, quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis vel Extremae Unctionis aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter.

20. Item, utrum credat, quod christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis quantumcumque bonis et devotis.

21. Item, utrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum a peccatis absolvere et sibi poenitentiam iniungere.

22. Item, utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet et vere conferat alia sacramenta.

23. Item, utrum credat, quod B. Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi et solvendi super terram.

24. Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.

25. Item, utrum credat auctoritatem iurisdictionis Papae, archiepiscopi et episcopi in solvendo et ligando, esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat.

26. Item, utrum credat, quod Papa omnibus christianis vere contritis et confessis, ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices. Et utrum credat, quod ex tali concessione visitantes Ecclesias ipsas et manus adiutrices eis porrigentes, huiusmodi indulgentias consequi possint.

27. Item, utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis, secundum limitationem sacrorum canonum, huiusmodi indulgentias concedere possint.

28. Item, utrum credat et asserat, licitum esse sanctorum reliquias et imagines a Christifidelibus venerari.

29. Item, utrum credat, quod Papa vel alius praelatus, propriis nominibus Papae pro tempore expressis, vel ipsorum vicarii, possint suum subditum ecclesiasticum sive saecularem, propter inobedientiam sive contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

30. Item, utrum credat, quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, praelati vel eorum vi-

carii in spiritualibus habeant potestatem aggravandi et reaggravandi, interdictum ponendi et brachium saeculare invocandi, et quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

31. Item, utrum credat, quod Papa vel alii praelati et eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem sacerdotes et laicos inobedientes et contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu Ecclesiae et administratione ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.

32. Item, utrum credat, quod liceat personis ecclesiasticis absque peccato huius mundi habere possessiones et bona temporalia.

33. Item, utrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat; immo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tamquam sacrilegi puniendi, etiam si male viverent personae ecclesiasticae bona huiusmodi possidentes.

34. Item, utrum credat, quod huiusmodi ablatio et invasio cuicumque sacerdoti, etiam male viventi, temere vel violenter factae vel illatae, inducant sacrilegium.

35. Item, utrum credat, quod liceat laicis utriusque sexus, viris scilicet et mulieribus, libere praedicare verbum Dei.

36. Item, utrum credat, quod singulis sacerdotibus libere liceat praedicare verbum Dei, ubicumque et quandocumque placuerit, etiamsi non sint missi.

37. Item, utrum credat, quod omnia peccata mortaliter et specialiter manifesta sint publice corrigenda et extirpanda.

De modo procedendi contra infamatos vel suspectos de haeresi.

§ 15. Volumus insuper ac statuimus et decernimus, quod si quis per secretam informationem per vos recipiendam vel alias repertus fuerit infamatus seu suspectus de quacumque specie haeresis, pestiferae sectae vel doctrinae pestilentium Ioannis Wicleff, Ioannis Huss et Hieronymi de Praga, haeresiarcharum praedictorum, aut de fovendo, receptando, defendendo praefatos damnatos homines, dum viverent in humanis, vel ipsorum perfidos sequaces et pseudodiscipulos, aut ipsorum erroribus credendo, pro ipsis defunctis vel aliquo ipsorum post obitum orando, vel inter catholicos nominando et defendendo, vel ipsos ut sanctos colendo, praedicando vel adorando, vel alias circa eos suspecte agendo, citetur per vos vel alterum vestrum personaliter coram vobis vel altero vestrum compariturus, semotis procuratore et advocato, responsurus, medio iuramento per ipsum sic (ut praedictum est) corporaliter praestito de plena et mera veritate dicenda, super praedictis articulis seu eorum singulis vel aliis opportunis, secundum exigentiam casus et occurrentium circumstantiam ad arbitrium vestrum et prout vobis seu alteri vestrum videbitur expedire, vel alias contra eosdem ipsorum singulos, prout praesentibus exprimitur, vel alias canonice procedatis.

De hac publicanda constitutione, et denunciandis excommunicatis huiusmodi haereticis, etc., eos defendentibus etc.

§ 16. Nec non praesentes literas, exclusis articulis et interrogatoriis superius positis atque omissis, in civitatibus, dioecesibus, terris et locis aliis, ubi tute fieri poterit, auctoritate nostra, solemniter publicetis et publicari faciatis, omnes et singulos haereticos huiusmodi, necnon sectatores ipsarum haeresum et errorum utriusque sexus, tuentes et etiam defendentes eosdem, aut haereticis ipsis quomodolibet publice vel occulte in divinis vel alias participantes, etiam si patriarchali, archiepiscopali, episcopali, regali, reginali, ducali aut alia quavis ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, necnon advocatos et procuratores quoslibet, qui haereticos huiusmodi aut eorum credentes, sequaces, fautores, defensores et receptatores super crimine haeresis aut credulitatis, sequelae, fautoriae, defensionis et receptationis huiusmodi defenderint, excommunicatos singulis diebus dominicis et festivis in praesentia populi nuncietis et per alios nunciari faciatis.

De poenis contra huiusmodi errores tenentes, dogmatizantes, etc.

§ 17. Et nihilominus contra eosdem omnes et singulos utriusque sexus huiusmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac fautores et receptatores et defensores eorumdem exemptos et non exemptos et quemlibet ipsorum, cuiuscumque dignitatis, status, præeminentiae, gradus, ordinis vel conditionis (ut praefertur) existant, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, et eos, quos per inquisitionem huiusmodi diffamatos, vel per confessionem eorum, seu per facti evidentiam vel alias huiusmodi haeresis et erroris labe respersos reperietis, auctoritate praedicta etiam per excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon privationis dignitatum, personatuum et officiorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum ac feudorum, quae a quibuscumque Ecclesiis, monasteriis ac aliis locis ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum et dignitatum saecularium ac graduum scientiarum quarumcumque facultatum et per alias poenas, sententias et censuras ecclesiasticas ac vias et modos, quos ad hoc expedire seu opportunos esse videritis, etiam per captiones et incarcerationes personarum et alias poenas corporales, quibus haeretici puniuntur seu puniri iubentur aut solent iuxta canonicas sanctiones. Similiter vel clericos ipsos et ecclesiasticas personas, usque ad degradationem inclusive, si eorum culpa ac pertinacia vel rebellio id exigat aut requirat, corrigatis et puniatis ac diligenter corrigi et puniri faciatis. Necnon contra eosdem et ipsorum, laicorumque bona secundum canonicas sanctiones et legales contra haereticos et eorum sequaces editas, quibus eosdem sectatores sive sequaces subiacere decernimus, animose consurgatis iuxta modum et formam supradictos. Et qui de praemissis haeresibus vel articulis vel aliquo praemissorum infamati fuerint, ad arbitrium vestrum se purgare teneantur. Alii vero, qui per testes seu propriam confessionem vel alias legitimas probationes convicti fuerint de praemissis haeresibus vel articulis vel aliquo praemissorum, eosdem articulos et errores solemniter et publice revocare, abiurare, poenitentiam condignam, etiam ad immurationem (si delictum exegerit) subire cogantur. Necnon quod errores et haereses huiusmodi, cuiuscumque generis vel speciei censeantur, de caetero verbo, nutu vel facto non fovebunt, seu alios ad credendum illis verbo, de facto, publice vel occulte, directe vel indirecte aut alio quovis modo inducent, sufficientem et idoneam cautionem praestare teneantur. Quod si forsan eosdem articulos solemniter et publice revocare et abiurare, et poenitentiam condignam, etiam ad immurationem perpetuam vel temporalem iuxta vestrae discretionis arbitrium sine dilatione subire, ac sufficientem cautionem, quod errores et haereses ipsas de caetero non tenebunt, nec fovebunt, nec alios ad credendum vel verbo vel facto, publice vel occulte, directe vel indirecte vel quovis quaesito colore inducent, præstare, seu aliquod praemissorum facere noluerint, ex tunc contra ipsos iuxta qualitatem errorum ad delictorum suorum, etiam (si expediat) tamquam contra haereticos aut haeretica labe respersos, auctoritate nostra iuxta canonicas et legales sanctiones summarie et simpliciter ac de plano sine strepitu et figura iudicii et etiam ex officio, appellatione seu appellationibus quibuscumque cessantibus, procedatis, ac ipsos iuxta easdem canonicas traditiones puniatis, etiam, si opus fuerit, Curiae saeculari relinquendo, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio eiusdem brachii saecularis.

De modo abiurandi.

Obstantibus quibuscumque derogatur.

§ 18. Non obstantibus tam felic. record. Bonifacii Papae Octavi praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra civitatem et dioecesim suam, nisi in

certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede Apostolica deputati, extra civitatem et dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine dioecesum eorumdem trahere praesumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus Romanorum Pontificum, tam a iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis, quae possint in hac parte vestrae iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu ultra vel extra loca ad iudicium evocari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis et ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua, cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Datum Constantiae, octavo kal. martii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 22 februarii 1418, pont. anno I.

---

## II.

*Contra impedientes executionem literarum apostolicarum, praetextu concessionis vel indulti Urbani VI.*

SUMMARIUM

Proœmium. — 1. Quae fuerit Urbani VI concessio. — 2. Quae mala inde provenerint. — 3. Illam concessionem revocat Martinus: literasque apostolicas libere vult executioni mandari: — 4. Sententiasque e contrario latas irritat: — 5. Secusque agentes debitis coercet poenis.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Proœmium.

Quod antidota morbis, hoc praestare solent statuta negotiis; sed plerumque contingit ut quod profuturum putabatur iudicio, noxium inveniatur experimento.

Quae fuerit Urbani VI concessio.

§ 1. Sane cum dudum in exordiis pestiferi et antiquati schismatis, iam per Dei gratiam extincti, ad tollendum scandala, quae propter executionem diversarum literarum, quae ab iis, qui pro Romanis Pontificibus in diversis obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, Urbanus sextus in sua obedientia nuncupatus, concesserit quibusdam praelatis quod in eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri executio aliquarum literarum apostolicarum, nisi prius huiusmodi literae praelatis ipsis vel eorum officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatae forent.

Quae mala inde provenerint.

§ 2. Verum, quia etiam deinde ipsi praelati seu officiales in consuetudinem traxerunt, et aliqui, praetextu statutorum provincialium seu synodalium similiter servant et servari faciunt quod literas apostolicas nullus exequi audeat, nisi postquam praelati seu officiales ipsi, per suas literas, quas *Vidimus* seu *Placet* nuncupant, mandant et concedunt quod possint exequi per iudices in eis deputatos, propter quod executio literarum apostolicarum plus debito plerumque retardata fuit, et saepe ipsae literae apostolicae executione caruerunt totaliter, in gravem iniuriam Sedis Apostolicae et enorme impetrantium praeiudicium et gravamen.

Illam concessionem revocat Martinus.

§ 3. Nos igitur, censentes rationi consonum ut, quod huiusmodi schismatis calamitas introduxit, pacis tempore auferatur, concessionem praedictam et quaecumque statuta circa praemissa quomodolibet facta, auctoritate apostolica, tenore praesentium,

hoc sacro Constantiense approbante concilio, revocamus, cassamus et etiam annullamus. Ac volumus et decernimus quod iudices et executores quibuscumque in literis apostolicis deputati et deputandi, et alii quicumque ad quos spectabit, nec non notarii et tabelliones super iis requisiti vel requirendi, absque huiusmodi litera *Vidimus* seu *Placet* nuncupata, ac etiam licentia vel assensu quorumcumque praelatorum, patriarchali aut alia quavis dignitate insignitorum, et locorum ordinariorum aut officialium eorumdem, libere huiusmodi literas apostolicas exequi debeant atque possint.

Literasque apostolicas libere vult executioni mandari:

§ 4. Nos enim eadem auctoritate decernimus omnes et singulas sententias, quas praedicti praelati et scriptores aut eorum officiales contra huiusmodi iudices vel executores seu impetrantes propter excommunicationes huiusmodi per eos faciendas forsan inflixerint et promulgaverint, irritas et inanes ac nullius existere roboris vel momenti.

Sententiasque e contrario latas irritat

§ 5. Necnon quemcumque, qui contra praemissa aliquid attentare praesumpserit, ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae, per tres menses, ipso facto suspensum. Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Secusque agentes debitis coercet poenis.

Datum Constantiae, secundo kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 30 aprilis 1418, pontif. anno I.

---

## III.

*Ordinis Mendicantium professoribus quibusvis ad alios, quam Carthusiensem Ordinem, transitum, absque Sedis Apostolicae licentia speciali, interdicit* (1).

SUMMARIUM

1. Ordinum Mendicantium professis ad alios Ordines, Carthusiensi excepto, transire prohibet. — 2. Secus acta irritat. — 3. Quemque in ordine, in quo novam emisit professionem stare praecipit. — 4. Vagos autem ad suam religionem vult remeare. — 5. Hunc vero transitum fieri in posterum vetat. — 6. Obstantibus derogat. — 7. Clausulae.

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

§ 1. Viam ambitiosae cupiditati religiosis, potissime Mendicantibus, praecludere cupientes, ad alios Ordines praesertim monasticos, fucatis tamen coloribus, asserentibus, ob frugem melioris vitae aut arctioris observantiae, tam Sancti Benedicti, quam Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosae, Canonicorum Regularium Sancti Augustini vel aliorum monasticorum Ordinum convolare nitentibus licentiam a Sede Apostolica seu legatis aut nuntiis eiusdem Sedis de transferendo se a Mendicantium Ordinibus, ea ratione praesertim, ut verisimiliter, prout facti evidentia docet, est putandum, quod liberius degant, dignitatesque et beneficia monastica consequi valeant, et ex certis aliis causis honestati non consonis obtinentibus, ac volentes conservationi Ordinum Mendicantium etiam providere, auctoritate apostolica, ex certa scientia, tenore praesentium declaramus ac decernimus, statuentes quod de caetero nullus religiosus de Ordinibus Mendicantium quorumcumque, cuiuscumque status, conditionis vel religionis existat, quomodocumque aut qualitercumque possit vel debeat, virtute cuiuscumque licentiae ac indulti apostolici, seu Poenitentiariae nostrae curam gerentis, vel alia quavis auctoritate hactenus etiam per bullas apostolicas facultatum quarumvis, tam legatorum et nuntiorum Sedis praefatae, nec non Poenitentiariae huiusmodi pro tempore curam gerentis, quam aliorum quorumcumque, sub quavis potestate aut auctoritate, maxime de transferendis fratribus aut aliquibus praesertim Ordinum Mendicantium professoribus in genere vel in specie ab Ordinibus huiusmodi Mendicantium ad monasticos, sub quacumque verborum conceptione appareant, admitti

Ordinum Mendicantium professis ad alios Ordines, Cartusiensi excepto, transire prohibet.

aut recipi per aliquos, etiam superiores Ordinis seu monasterii aut loci monastici, seu alias in monacum vel in fratrem alicuius ex Ordinibus monasticis supradictis, vel aliis expressis et non expressis, Ordine Carthusiensi dumtaxat excepto, sub poena excommunicationis, in quam tam recipientes quam recepti ipso facto incurrant, et quam ex nunc, prout ex tunc, contra quemlibet transgressorem quomodolibet in praemissis, scientia et auctoritate praefatis, proferimus in his scriptis, et a nemine, nisi dumtaxat a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, excommunicati huiusmodi possint absolutionis beneficium quomodolibet obtinere.

Secus acta irritat:

§ 2. Et nihilominus secus vel aliter facta non teneant, et nullius existant efficaciae, roboris vel momenti.

Quemque in Ordine, in quo novam emisit professionem, stare praecipit.

§ 3. Decernentes etiam et volentes quod si quis hactenus, virtute cuiusvis licentiae seu indulti huiusmodi fuisset receptus ad aliquem monasticum Ordinem, et habitum consuetum gestari per monacos talis Ordinis suscepisset, sive professionem emiserit sive non, sub dicta poena teneatur in monasterio in quo receptus fuit, etiamsi beneficia ecclesiastica seu rectorias Ecclesiarum quarumvis obtineat, stare in eius totali vocatione in huiusmodi Ordine monastico et Altissimo deservire.

Vagos autem ad suam religionem vult remeare.

§ 4. Si quis autem, praetextu huiusmodi licentiae, cum habitu vel sine, quomodolibet vagando incederet, monitione praevia, teneatur et debeat, infra terminum quindecim dierum a die monitionis huiusmodi computandorum, ad eius Religionem et Ordinem, unde cum licentia vel sine recesserat, remeare: quod si efficere neglexerit, post ipsum terminum, tamquam notorius apostata et excommunicatus in omnibus et per omnia debeat per quemlibet reputari et tractari, etiam per invocationem brachii saecularis, quoties fuerit opportunum.

Hunc vero transitum fieri in posterum vetat.

§ 5. In futurum autem nullus ex professoribus alicuius ex Ordinibus Mendicantium huiusmodi ad aliquem monasticum Ordinem, Carthusiensi dumtaxat excepto, possit aut debeat per quemcumque recipi vel admitti, virtute alicuius licentiae vel indulti, absque Sedis eiusdem licentia speciali, sub dictis poenis; et nihilominus secus facta non teneant ipso iure.

Obstantibus derogat.

§ 6. Huiusmodi licentiis et indultis, necnon constitutionibus apostolicis et Mendicantium Ordinum praedictorum, etiamsi de his specialis et expressa ac de verbo ad verbum in nostris literis mentio habenda foret, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, decreti, statuti, prolationis et voluntatis infringere, *etc.*

Datum Gebennis, quarto kalendas augusti, anno primo.

Dat. die 29 iulii 1418, pontif. anno I.

---

## IV.

*De officio et qualitatibus scriptorum et abbreviatorum literarum apostolicarum, custodisque Cancellariae ac examinatorum, bullatorum et registratorum, auditorumque, procuratorum et notariorum Rotae et advocatorum consistorialium.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Praedecessorum Pontificum editas hac de re constitutiones confirmat. — De non exigendo ultra taxam. — Poena praeter taxam exigentibus infligenda, — Et abbreviatorum examine. — 3. De literis rescribendis, et poena errantium in scribendo vel abbreviando. — 4. De distributionibus absentibus non dandis. — 5. Scriptoria Cancellariae, et scriptoria Poenitentiariae incompatibiles. — 6. De assistentibus praevio examine probandis. — 7. Cancellariae officiales singulis diebus in ea praesentes esse debent. — 8. De iuramento a custode emittendo; eiusque officio. — 9. De constitutionibus Cancellariae petenti dandis. — 10. De expeditione literarum iustitiae. — 11. De examinato-

rum officio et qualitatibus. — 12. De bullatoribus: — 13. Registratoribus. — 14. De auditorum causarum qualitatibus, — 15. Et huiusmodi qualitatum perquisitione. — 16. Disputatio publica habenda antequam aliquis in auditorem admittatur. — 17, 18. Auditorum munus, moresque esse qualia debeant. — 19. De causis cognoscendi, et iudice competenti. — 20. In cohabitatione notarii cum auditore quid cavendum. — 21. De qualitatibus adsciscendorum in notarios. — 22. A notariis exercendum officium per se. — 23. De notariorum moribus. — 24. Si beneficium aliquod acquisierit notarius, officium dimittat. — 25. De excessibus notariorum puniendis. — 26. Taxa ab eis servanda. — 27. Notanda circa huiusmodi taxam. — 28. Advocatorum consistorialium admittendorum qualitates. — 29. In consistorio male se gerentium poena. — 30. Procuratorum Rotae qualitates. — 31. Munus eorumdem. — 32. Vita, moresque. — 33. Sacerdotes non sint vel beneficiati. — 34. Salarium advocatorum et procuratorum. — 35. De hisce legibus publicandis.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

In apostolicae dignitatis specula super gregem dominicum, licet immeriti, constituti, iniunctum nobis desuper apostolatus officium, debite, ut tenemur, exequi, coadiuvante Domino, cupientes, ad ea libenter nostrae dirigimus considerationis intuitum, ut diligenter conspiciamus quae reipublicae utilitatem respiciunt et commodum, ut, per nostrae provisionis auxilium, evellantur vitia, plantentur virtutes, destruantur iniqua, et reædificentur honesta, ac prava transeant in directa, et, sublatis deformibus, reluceant debitae reformationis decor et pulchritudo, ut totius aequitatis et iustitiae exinde proveniant incrementa.

Praedec. Pontificum editas hac de re constitutiones confirmat:

§ 1. Sane, licet felicis recordationis Ioannis XXII, Benedictus XII et Gregorius XI, Romani Pontifices praedecessores nostri, necnon de mandato apostolico nonnulli auditores audientiae contradictarum literarum apostolicarum, et demum bonae memoriae Gaufridus episcopus Cabillonensis, et Petrus tunc electus Vivariensis, dictae audientiae auditores, nonnullas constitutiones et ordinationes regimen et gubernationem officialium ac officiorum Cancellariæ et Poenitentiariæ apostolicarum, necnon praedictarum contradictarum et causarum Palatii Apostolici audientiarum et aliorum in Romana Curia iudicum seu commissariorum, eorumque notariorum, necnon advocatorum consistorialium et procuratorum in audientia praedictis concernentes laudabiliter ediderint; quia tamen, huiusmodi crescente malitia, postmodum aut debite non observatae aut additionibus utilibus indigere noscuntur; nos igitur super hoc intendentes, prout ex debito pastoralis officii nobis iniuncti, licet immeriti, obligamur, laudabiliter et utiliter providere, tenore praesentium, praefatas constitutiones et ordinationes (quas hic haberi volumus pro expressis), auctoritate apostolica, tenore praesentium, innovantes, ac eas cum additionibus infrascriptis praecipientes firmiter observari, eadem auctoritate statuimus et etiam ordinamus.

De non exigendo ultra taxam.

§ 2. Quod si notarii apostolici ac eorum abbreviatores et alii in iustitia et etiam gratia literarum apostolicarum abbreviatores taxam nimiam pro minutis suis petierint, ac etiam si literae apostolicae excessive taxatae fuerint, super excessibus huiusmodi per partes ad vicecancellarium aut de mandato suo, vel, ipso absente, ad eius locumtenentem seu praesidentem in Cancellaria praedicta habeatur recursus; qui, deliberatione habita cum abbreviatoribus assistentibus eidem vicecancellario in expeditione literarum apostolicarum in Cancellaria, et aliis de quibus sibi videbitur in hoc peritis, excessus praedictos ad debitam reducant moderationem, ac medietatem huius quod excessive petierint, a scriptoribus vel abbreviatoribus, qui illud petierint, necnon taxatoribus literarum earum, qui illas sic excessive taxa-

Poena praeter taxam exigentibus infligenda,

verint, exigant, in usus cappellae scriptorum praedictorum, aut alia pia opera convertendum. Quodque notarii praedicti pro minutis literarum provisionum patriarchalium, metropolitanarum, ac aliarum cathedralium Ecclesiarum et monasteriorum quorumcumque consistorialiter factarum, cum aliae non pertineant ad ipsos, recipere valeant, sicut plus vel minus pro communi servitio solvitur ab eisdem, videlicet pro primo centenario florenorum communis servitii ultra quinque, et pro quolibet alio similium florenorum centenario, si plura sint, ultra unum; et si servitium huiusmodi ad centum florenos non ascenderit, pro quolibet decenario numero florenorum huiusmodi ultra medium florenum nullatenus recipiant vel exigant, quocumque quaesito colore, alioquin eorum quemlibet poenas in dictarum literarum abbreviatores plus debito a minutis quas faciunt exigentes latas inferius declaratas, incurrere volumus ipso facto. Quod si eorum et cuiuscumque alterius abbreviatoris culpa literae, quarum fecerint minutas, et pro quibus salaria seu emolumenta recipiunt, fuerint rescribendae, eorum sive illius expensis rescribantur, qui fuerint vel fuerit in culpa, sub poenis infra dictis. Et insuper cum praefati notarii expertos et sufficientes habere debeant abbreviatores, quandoque recipiunt in arte abbreviatoria minus expertos, ex quibus secuta sunt quandoque detrimenta atque damna, statuimus, quod nullus dictorum notariorum aliquem in suum abbreviatorem recipere valeat neque possit, nisi primitus ad id per assistentes vicecancellario in expeditione literarum apostolicarum et alios, quibus sibi videbitur, abbreviatores in minutis super ipsis de iustitia formandis experti et sufficientes reperti fuerint, et etiam approbati.

Et abbreviatorum examine.

§ 3. Statuimus et etiam ordinamus, quod si litera fuerit in Cancellaria rescribenda iudicata, quod infra tres dies naturales, a die requisitionis partis prosequentis, aut solicitatoris expeditionis eiusdem, ille cuius culpa iudicata fuerit rescribenda, expensis suis propriis sine quocumque alio salario quantumcumque modico, etiam gratis oblato, teneatur rescribere aut rescribi facere sub poena suspensionis ab officio scriptoriae literarum praedictarum et ingressu Cancellariae, si scriptor fuerit literarum praedictarum quadraginta dierum continuorum tempore, nec interim literam alicuius taxae sibi distribuat distributor, sive referendarius literarum earumdem sub excommunicationis poena, quam si contrarium faciat scienter, incurrat ipso facto, a qua absolvi non possit, nisi a Romano Pontifice, prius satisfacto realiter et cum effectu parti laesae de damnis et interesse, et tres ducatos solvat applicandos eidem cappellae scriptorum literarum praedictarum pro poena. Si vero fuerit abbreviator, similiter compellatur literam facere scribi infra praedictum terminum, sub poena suspensionis ab eius officio et eius ingressu Cancellariae per tres menses, quo suspensionis tempore durante, nihil sibi distribuat vicecancellarius. Quod si inadvertenter vel alias vicecancellarius quicquam sibi distribuat, et ipse recipiat, huiusmodi suspensionis tempore durante, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua nullo modo possit absolvi, nisi a Romano Pontifice, prius satisfacto parti laesae de damnis et interesse, et donec realiter solverit tres ducatos convertendos, ut praefertur; et ad reiterationem delicti sive excessus locum habeat multiplicatio poenae.

De literis rescribendis, et poena errantium in scribendo vel abbreviando.

§ 4. Et quod nulli ex scriptoribus praedictis, qui per se ipsum eius officium scriptoriae literarum praedictarum personaliter non exercet aut non valet exercere, quicquam distribuatur aut aliquod ex eodem officio percipiat emolumentum nisi causa infirmitatis aut alio legitimo extiterit impedimento detentus; quo casu

De distributionibus absentibus non dandis.

cum eo possit per vicecancellarium praedictum per literas eiusdem causam distributionis continentes prius in ipsa Cancellaria publicandas, ad tempus, de quo sibi videbitur, dispensari. Quodque de caetero nullus huiusmodi officium scriptoriae praedictae cum officio Poenitentiariae literarum valeat retinere, et si quis hoc attentare praesumpserit, utroque privatus existat ipso facto.

Scriptoria Cancellariae, et scriptoria Poenitentiariae incompatibiles.

§ 5. Illi quoque, qui huiusmodi abbreviaturae vel scriptoriae apostolicarum, cum officio scriptoriae Poenitentiariae literarum praedictarum insimul nunc obtinent, infra decimam diem proxime futuram huiusmodi officium Poenitentiariae vel scriptoriae literarum dimittere teneantur. Alioquin, si contrarium fecerint, poenam incurrant proxime dictam.

De assistentibus praevio examine probandis.

§ 6. Sane cum deceat abbreviatores literarum praedictarum assistentes vicecancellario aut locumtenenti seu praesidenti praedictis in huiusmodi literarum in Cancellaria praedicta expeditione, abbreviaturae literarum ipsarum officio fore sufficientes et expertos ac etiam circumspectos, prudentes et probos, similiter statuimus et ordinamus, quod nullus de caetero ad assistendum praedicto vicecancellario seu locumtenenti vel praesidenti in literarum apostolicarum expeditione, nisi per dictam maiorem partem abbreviatorum continuantium Cancellariam antedictam primitus examinatus fuerit, et ad id repertus sufficiens et etiam approbatus, nullatenus admittatur.

Cancellariae officiales singulis diebus in ea praesentes esse debent.

§ 7. Et quod praedicti assistentes hora super hoc per vicecancellarium praedictum deputanda, singulis diebus, quibus ipsa Cancellaria tenebitur, ad eam venire, et in ipsa quando tenta fuerit, residere debeant, nec interim ab ipsa recedere possint, cessante excusatione legitima, quam eidem vicecancellario aut locumtenenti seu praesidenti, si praesentes fuerint, vel in eorum absentia, praedictis assistentibus exprimere debeant vel iurare se legitimam excusationem habere, nisi super hoc a vicecancellario vel locumtenente licentiam habuerint specialem. Quodque singuli assistentium praedictorum, qui post tertiam partem horae praedictae venerint, sex, et similiter qui ante dictam Cancellariam finitam recesserint, sex alios, qui vero eadem die ad dictam Cancellariam non venerint, duodecim grossos turonenses singulis diebus, quibus haec commiserint, capellae scriptorum praedictorum pro poena contemptus statuti et ordinationis nostrae huiusmodi, infra tres dies tunc immediate sequentes, solvere sint adstricti; nec ob id appellantes, nisi prius satisfacto de principali et expensis, si quae inde factae fuerint, ad huiusmodi appellationis prosecutionem quomodolibet admittantur. Similiter idem per alios abbreviatores sufficientes ad continuandum eamdem Cancellariam per assistentem praedictos ex aliis abbreviatoribus eligendos, necnon in officialibus dictae Cancellariae, sub similibus poenis volumus observari.

De iuramento a custode emittendo; eiusque officio.

§ 8. Statuimus insuper et etiam ordinamus, quod senescallus dictae Cancellariae, qui custos nuncupatur, iuramentum in manibus dicti vicecancellarii in sua primaria receptione ad officium senescalliae Cancellariae praedictae, necnon singulis annis, de huiusmodi officio fideliter exercendo, et alias iuxta formam iuramenti praedicti per nos noviter appositam, et in libro Cancellariae infrascriptam, praestare teneatur. Quodque ipse in quibuscumque literis de gratia, diem receptionis earumdem, qua sibi in dicta Cancellaria praesentabuntur, scribat, et pro scriptura huiusmodi nihil recipiat etiam gratis oblatum, literasque praedictas secundum ordinem receptionis earumdem sine fraude in expeditione praesentet expediendas. Nec literas, rotulos ac supplicationes in literarum expeditione traditas vel traditos ante vel post nostrarum literarum expeditionem in dicta Cancellaria, celabit vel occultabit aut malitiose retinebit, seu earumdem literarum expeditionem differet aut retardabit per se vel

alium seu alios contra ordinem suprascriptum. Quod si contrarium scienter fecerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a qua absolvi non possit nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus. Quodque si senescallus praedictus contra huiusmodi suum iuramentum fraude vel dolo aliqua fecisse reperiatur, sit dicto officio eo ipso privatus: et quia de talibus et similibus delictis, quae secrete committuntur, potest cum difficultate constare, sex de scriptoribus vel abbreviatoribus praedictis non suspecti, ac bonae famae et boni nominis, ipsum senescallum huiusmodi suum officium illegaliter exercuisse deponant, et de hoc etiam sit publice diffamatus, dicto suo officio sit eo ipso privatus, et nisi de eo per dictum cancellarium infra tres dies inde sequentes provisum fuerit, ex tunc possit de sufficienti abbreviatore literarum praedictarum (qui iuramentum similiter praestare et omnia praedicta eidem senescallo incumbentia adimplere teneatur) provideri. Et insuper quod nullus alius quam senescallus praedictus aliquam literarum gratiam continentem expediendam in loco expeditionis ponat.

De constitutionibus Cancellariae petenti dandis.

§ 9. Similiter statuimus et etiam ordinamus, quod nulla constitutionum dictae Cancellariae cuiquam, ut de ea in iudicio vel alibi fidem faciat, tradere, nisi primitus per dictos assistentes fuerit iudicatum danda, et postmodum per duos ex eis tunc praesentes videatur, et signetur in dorso, ac per duos ex abbreviatoribus in forma debita ausculteter cum libro praedicto, qui se subscribant in eadem, et deinde per vicecancellarium subscribi debeat, et suo signo more debito signari, et parti petenti dari, pro qua quidem constitutione ultra quatuor grossos avinionenses, quorum sexdecim valent unum florenum auri de Camera, pro signo, sigillo et scriptura, et alias per secretarium vel cubicularium dicti vicecancellarii et senescallum praedictum vel alios quoscumque nullatenus recipiatur vel etiam exigatur.

De expeditione literarum iustitiae.

§ 10. Praeterea ut literae iustitiam concernentes absque partium damno ac brevius expediantur, statuimus et ordinamus, quod Cancellaria literarum iustitiae, quae si ad hoc literae sufficiant, ter singulis septimanis, prout antiquitus teneri consueverat: si vero ad id huiusmodi literae non sufficiant, singulis septimanis saltem semel teneatur; ad quam notarii, qui sex esse debent, eorumque, et alii in formandis notis de iustitia, vel in iure sufficientes abbreviatores (quorum nomina sint in matricularia abbreviatorum dictarum literarum inscripta), necnon praelati et alii doctores famosi ac practici in dicta Curia praesentes, et primitus per eosdem praelatos et doctores, solito praestito iuramento, debeant convocari, prout hactenus extitit laudabiliter observatum. Quodque in eadem Cancellaria literae executoriae super sententiis in Romana Curia latis, nisi stylus in causis in eadem Curia servari solitus servatus fuerit per ordinem, prout in literis praedictis iuxta stylum Cancellariae praedictae narrari consuevit, aut in aliquibus expensae factae in causis ipsis excessive contra constitutiones super editas notorie taxatae fuerint, donec de partium vel partis victricis consensu vel alias iuridice moderatae fuerint, minime possint et debeant expediri.

De examinatorum officio et qualitatibus.

§ 11. Et insuper statuimus et ordinamus, quod examinatores in gratia speciali, antequam exerceant huiusmodi officium, de illo fideliter exercendo in manibus dicti vicecancellarii praestent iuramentum, ipsique postmodum huiusmodi officium diligenter per se ipsos exerceant. Impetrantes de literatura, scientia et idoneitate, et illos beneficia, curam animarum aut iurisdictionem habentia petentes, rigide examinent, ac de vita et moribus informationem recipiant diligentem, et praedictas sufficientiam et

idoneitatem in scriptis sub signeto suo referant examinatores, pro qua quidem scriptura, signeto, salarioque et labore eorum, ultra unum grossum turonensem, et clericus scripturam faciens praedictam, ultra similis grossi quartam partem, aliquid, etiam gratis oblatum, nullatenus recipere praesumant. Quod si examinator vel clericus in contrarium attentaverint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, a qua non possint absolvi donec fuerit satisfactio facta.

De bullatoribus.

§ 12. Similiter statuimus et ordinamus, quod bullatores dictarum literarum apostolicarum, pro ipsis literis bullandis, sive gratiam, sive iustitiam contineant, ultra illud quod antiquitus, et ante ultimum schisma, videlicet tempore Greg. Papæ XI praedicti, pro similibus recipiebant literis, nihil recipere praesumant, nec de litera duplicata, ultra quatuor, et de litera correcta iterum bullanda, necnon de litera super sumpto habito de registro, ultra octo, necnon de literis alias bullatis, et iterum (non tamen propter defectum partium) bullandis, et in dicto registro corrigendis, ultra unum turonensem grossum recipere aut exigere praesumant.

Registratoribus.

§ 13. Et idem volumus per dictarum (1) registratores in praedictis omnibus observari. Quodque prædicti registratores literas registratas, causa aliquid exigendi vel extorquendi a prosequentibus ipsas, plus debito differri non faciant registrari, vel eas de mala expeditione malitiose redarguant, sed ad quaestum accusent, aut in salariis clericorum in registro praedicto scribentium participent; quod si contrarium fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, a qua (mortis casu excepto) per alium quam Romanum Pontificem nequeant absolutionis beneficium obtinere, et insuper suo officio huiusmodi, si hoc per testes, vel alias praesumptive probari poterit, eo ipso sint privati, et perpetuo inhabiles ad quodcumque officium exercendum si in Romana Curia existant. Quodque clerici in dicto registro scribentes, qui literas eis traditas infra tres dies ex tunc immediate sequentes (cessante impedimento legitimo) non registraverint, a dicto registro penitus amoti existant, nec ad ibi scribendum de caetero admittantur.

De auditorum causarum qualitatibus,

§ 14. Et nihilominus cum iustitiam in iudicio contradictorio pure deceat exerceri, statuimus et etiam ordinamus, quod nullus deinceps causarum Palatii Apostolici in auditorem recipiatur, nisi doctor fuerit iuris famosus, et post doctoratum ab eo receptum per triennium ad minus legerit in eodem, sitque commendatus de vita ac morum honestate, aliisque virtutibus, ac ab omni munere sint mundae manus eius, et bonum habeat testimonium, habeatque ad minus sive in beneficiis, sive in bonis temporalibus ducentos florenos auri de Camera annuatim in portatis, de quibus valeat in dicta Curia ipse sustentari.

Et huiusmodi qualitatum perquisitone.

§ 15. Quodque postquam fuerit concessum per Papam aliquem in auditorem causarum dicti Palatii admitti, antequam ulterius ad ipsius admissionem procedatur, decanus auditorum praedictorum de praemissis facere teneatur inquisitionem diligentem, et quicquid per eam repererit, fideliter referat vicecancellario praedicto, qui hoc similiter Papae exponere teneatur, quod si aliquid de praemissis defuerit, ad ipsius admissionem in auditorem ulterius minime procedatur, nisi aliud mandaret Papa antedictus.

Disputatio publica habenda antequam aliquis in auditorem admittatur.

§ 16. Si vero per informationem huiusmodi, ipsum constiterit famosum doctorem, aliaque praemissa fore vera, idem vicecancellarius, vocatis quatuor ex dictis auditoribus, si canonista, decretalem, si vero legista fuerit, legem, quam infra unius mensis spatium a die sibi assignata computandum, in dicti vicecancellarii aut locumtenentis praesentia (et ad hoc vocatis omnibus dictae Sedis notariis et praedictis auditoribus et consistorialibus advocatis tunc in eadem Curia praesentibus; invitatis ad id etiam praelatis et aliis famosis et

(1) Adde *literarum*.

literatis viris, qui tunc in eadem Curia extiterint) repetere teneatur, singulos qui arguere voluerint idem repetens audire teneatur, quodque quatuor ultimi ex auditoribus et quatuor ultimi ex advocatis praedictis tunc praesentes arguere sint adstricti.

Auditorum munus, moresque esse qualia debeant.

§ 17. Quod si idem repetens in huiusmodi repetitione taliter se habuerit, quod sit merito commendatus, dictus vicecancellarius secundum relationem maioris partis notariorum et auditorum ac advocatorum praedictorum ad eius admissionem in auditorem ulterius procedat: si vero secundum relationem praedictam repertus fuerit diminutae scientiae vel iudicii, relatione super hoc per dictum vicecancellarium Papae facta, ab huiusmodi admissione repellatur.

§ 18. Et insuper quod praedicti auditores, et eorum loca exercentes, libros iuris ordinarios ad minus, continuo secum habere teneantur, processusque causarum agitatarum coram eis personaliter videant et visitent, ac testes in causis huiusmodi si ponderis fuerint (maxime si pars aliqua hoc requisiverit) examinent, in aliis vero per duos notarios faciant examinari diligenter, nec cuiuscumque notarii vel alterius relationi credant; nec ad sententiarum prolationem in causis huiusmodi procedant registris praedictis per eos, ut praemittitur, non visis et diligenter examinatis. Hoc etiam volumus per quoscumque iudices et commissarios in dicta Curia praesentes similiter perpetuo observari. Et nihilominus, quod si quis ex auditoribus fuerit notatus de praecipitatione iustitiae, negligentia, seu non promptitudine iurium, propter non continuationem librorum, aut alias, et specialiter de corruptione et acceptione munerum, seu vagus fuerit, seu alias male versetur in dicta Curia, per praefatum vicecancellarium vel eius vicesgerentem caritative reddatur attentus, ut ab iis se abstineat et emendet, bonamque famam acquirat, et in ea perseveret. Quod si se emendare neglexerit, et per tres menses continuos post avisationem huiusmodi, eadem nota vel infamia respersus fuerit, per dictum vicecancellarium aut eius vicegerentem commissiones sibi nullatenus committantur. Et si per alios tres menses simili nota vel infamia notatus fuerit, et notorie se non emendaverit, tunc praedictus vicecancellarius aut vicesgerens cum duobus auditoribus, praemissa Papae referre teneatur, qui provideat prout salubriter fuerit providendum.

De causis cognoscendi, et iudice competenti.

§ 19. Verum si contingat inter easdem personas et super eadem re diversis auditoribus aliquam causam committi, is cui primo fuerit praesentata commissio, super causa huiusmodi, remaneat eiusdem causae iudex. Quod si de iurisdictione alterius extiterit pro parte adversa data exceptio, tunc cuius fuerit iurisdictio primitus cognoscatur, et si ulterius procedatur ante cognitionem huiusmodi, non valeat processus, et iudex teneatur parti ad restitutionem expensarum inde factarum, suumque interesse. Notarius vero, qui ausus est talem contentionem appetere propter lucrum, scripturae, ac totius causae commodum perdat, teneaturque suis expensis parti dare, quod expendit in causa huiusmodi. Quod si idem auditor et notarius contrarium fecerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi donec super iis satisfecerint, ut praefertur. Et hoc etiam ad quoscumque iudices ac commissarios ac eorum notarios in dicta Curia praesentes pro tempore duximus extendendum.

In cohabitatione notarii cum auditore quid cavendum.

§ 20. Praeterea statuimus et etiam ordinamus, quod nullus ex notariis cuiusvis ex auditoribus praedictis cum eo moram trahat, quod si forsan aliquis ex ipsis cum eo morari voluerit, pro habitatione domus et expensis, ultra quod iustum et debitum fuerit, et rationabile salarium, non solvat; et si quacumque causa vera vel simulata, respectu officii, aliquid auditori dederit vel solverit, notarius dando et auditor recipiendo, eo ipso excommunicationis sen-

tentiam incurrant, a qua nequeant nisi per Papam absolvi, ac duplo, quod notarius ultra debitum solverit et auditor receperit, per eorum quemlibet in usus pauperum de mandato dicti vicecancellarii distributo.

De qualitatibus adsciscend. in notarios.

§ 21. Et quod nullus in notarium cuiuslibet auditorum praedictorum, nisi vigesimumquintum suae aetatis annum attigerit, et alias notariatus officium exercuerit, sitque boni nominis et bonæ famæ, ac sufficiens et idoneus ad dictum notariatus officium causarum dicti palatii exercendum, et post diligentem informationem super iis habitam, ac ipsius examinationem, et de praemissis constiterit, admittatur.

A notariis exercendum officium per se.

§ 22. Et quod notarii dictorum auditorum sua notariatus officia personaliter exerceant, et si quis (cessante causa necessaria) a sui notariatus officii exercitio per mensem continue se absentaverit, sit dicto officio eo ipso privatus, et de causa necessaria propter quam ipsum oporteat dictum officium per substitutum exercere, et de illo per substitutum exercendo, a dicto vicecancellario petat licentiam, quam idem vicecancellarius, postquam de causa huiusmodi sibi constiterit, per suas literas causam ipsam continentes, concedere poterit ad tempus, de quo sibi videbitur faciendum.

De notariorum moribus.

§ 23. Et insuper quod notarii praedicti in habitu decenti incedant ac honesto, et convenienti clerico saeculari. Tabernas non frequentent, nec concubinarii existant, cum ex hoc suum vilescat officium, et malam famam acquirant; et si contrarium fecerint, suis priventur officiis.

Si beneficium aliquod acquisierit notarius, officium dimittat.

§ 24. Quodque quilibet ipsorum quam primum presbyter factus, seu dignitatem vel personatum in cathedrali vel collegiata Ecclesia, aut parochialem Ecclesiam pacifice assecutus fuerit, huiusmodi notariatus officium omnino dimittat, et ad huiusmodi officii exercitium in dicta audientia amplius non admittatur.

De excessibus notariorum puniendis.

§ 25. Et insuper, quod notarius qui notatus aut diffamatus fuerit, quod maliliose, negligenter, vel per dolum scripserit aliud, quam in processu aut in iudicio deductum vel actum fuerit inter partes, seu diffamatus quod sit personarum, in quarum causis scribit, acceptor, plus uni quam alteri favendo, et ei causae secreta detegendo, eo ipso a suo notariatus officio suspendatur; et per auditorem Camerae, cui hoc per dictum vicecancellarium committatur, summarie, simpliciter et de plano de huiusmodi infamia et aliis praemissis inquiratur diligenter, et si per inquisitionem huiusmodi culpabilis repertus fuerit, aut si purgatio extiterit indicenda, et debite se non expurgaverit, privetur quibuscumque officiis, quae in dicta Curia obtinebit, et ab eadem Curia perpetuo sit proscriptus, necnon in quingentis florenis auri de Camera, per ipsum eleemosynario Romani Pontificis realiter tradendis, et in usus pauperum convertendis, condemnetur; et idem volumus de quibuscumque notariis quorumcumque cardinalium, iudicum et commissariorum in Curia pro tempore deputatorum inviolabiliter observari.

Taxa ab eis servanda.

§ 26. Et nihilominus quod dicti notarii in exactione salariorum suorum taxationes pro suis processibus et scripturis in causa huiusmodi, taxas super hoc ordinatas per dictum Ioannem XXII servare teneantur, quod si ultra dictam taxam aliquid petierint aut receperint, super excessu huiusmodi ad vicecancellarium seu locumtenentem praedictum super hoc habeant recursum, qui, vocatis in hoc peritis, excessus praedictos iuxta taxationes praedictas ad debitum reducat moderamen, et medietatem huius, quod excessive petierint, a notariis exigant in usus pauperum convertendam.

Notanda circa huiusmodi taxam.

§ 27. Quodque pro citationibus compulsoriis, et inhibitionibus, decretis in partibus, procuratoriis, instrumentis, remissionibus ad partes, examinationibus testium, et quibuscumque aliis scripturis bis scriptis in processu, nisi semel dumtaxat taxentur, neque solvantur. Termini

quoque superflui, seu ultra debitum extensi, et quaecumque aliae superfluae scripturae pro resecatis habeantur, taxenturque clausulae et dictiones proportionabiliter, prout poterant scribi in processu, quodque nullus notarius, qui de petia notae registri sententiae definitivae duodecim grossos turonenses receperit, de petia instrumenti super eo confecti, cum sit copia dictae notae, nisi sicut de copia in publica forma redacta, iuxta constitutionem dicti Ioannis XXII, recipiat. Et si de petia huiusmodi instrumenti similes duodecim turonenses receperit, de huiusmodi nota sententiae sicut de copia recipere possit: quod si contrarium attentaverit, quod ultra receperit, parti restituat, et totidem pro cappella praedictorum auditorum vel cursorum infra octo dies tunc immediate sequentes realiter solvat, alioquin a sui officii exercitio per mensem sit suspensus, quod si se illi ingesserit, gravius per vicecancellarium, prout sibi videbitur, puniatur.

Advocatorum consistorialium admittendorum qualitates.

§ 28. Verum cum, sicut iudicum, similiter advocatorum requiratur consilium, maturitas et circumspectio magna, insuper statuimus etiam et ordinamus consimiliter advocatum nullatenus admittendum, nisi primitus servaverit, quae in auditoribus servari statuuntur. Quodque iidem advocati, pro singulis per eos commissionibus de iustitia extra consistorium proponendis, uno floreno de Camera sint contenti, nec aliquid ultra petere sint ausi, quod si contrarium fecerint, illud quod ultra exegerint, partibus restituere, et totidem dare pauperibus teneantur.

In consistorio male se gerentium poena.

§ 29. Et quod, si quis advocatus in consistorio proponat aliqua quae ex sui natura sint iniuriosa, et in alterius diffamationem et notam cedant, licet hoc in commissione sive supplicatione per ipsum proponenda scriptum non fuerit, nisi pars principalis, cuius nomine proponitur, sit praesens, et dicat et asserat hoc facere proponi ad effectum accusandi, vel partem denunciationis assumendi in forma iuris, seu eius procurator ad hoc habeat mandatum speciale, aut sint substantialia causae, ipse, actione iniuriarum, teneatur ei, contra quem organum vocis suae praestiterit, et in decem florenis Camerae Apostolicae condemnatus existat. Quodque si quis advocatus in consistorio vel audientia clamorosus, iniuriosus et tumultuosus fuerit, vel etiam temere vel immoderate se ingerat replicationi aut defensioni causarum in consistorio, sine requisitione et informatione partis, eo ipso sit ab eius officio suspensus per duos menses, et quinque florenos Camerae pro qualibet vice, qua hoc egerit, eidem Camerae solvere sit adstrictus. Caeterum, quod si duo advocati unam causam defendant in consistorio, eorum altero dumtaxat duplicetur, habeant tamen prius consultationem ad invicem, vel in ipso consistorio insimul se iniungant, ita quod, si proponens, alias reallegans aliquid, quod faciat ad causae defensionis, emittat, illud submissa voce et sine tumultu hoc dicat, ita quod in similibus iunior semper deferat antiquiori advocato, nisi ex causa aliter inter eos fuerit concordatum.

Procuratorum Rotae qualitates.

§ 30. Praeterea statuimus et etiam ordinamus quod nullus ad publicum procurationis officium in eadem Curia de caetero admittatur, nisi in eodem officio in dicta Curia sit exercitatus et practicus, aut in iure graduatus, ac de diligentia, fidelitate et probitate commendatus, et super iis et aliis ad huiusmodi officii exercitium necessariis per vicecancellarium, uno vel duobus ex auditoribus et totidem ex advocatis praedictis ad id vocatis et praesentibus, fuerit diligenter examinatus et repertus idoneus.

Munus eorumdem,

§ 31. Et quod nullus ex dictis procuratoribus sit iniuriosus verbo vel scriptura in causarum patrocinio, nec causas, quas noverit iniustas seu iniquas vel alias desperatas, recipiat, nec pro causarum defensione, ad eas diutius malitiose protra-

hendas, materias subiungat admissibiles, quas non veras esse sciat aut credat, vel probabiles per partem suam, quod praesumi poterit, videlicet si pars, pro qua causa dicitur, debilem aut minus plenam informationem dederit aut miserit super ea. Quod si quis procuratorum praedictorum in hoc culpabilis repertus fuerit, per causae auditorem vel iudicem, qui hoc noverit, aut in altero praemissorum eum deprehenderit, seu si hoc neglexerit, per vicecancellarium vel eius locumtenentem, quando sibi de hoc constiterit, perpetuo vel ad tempus, prout casus exiget, a procurationis officio in dicta Curia suspendatur, et alias, secundum casus exigentiam, per praedictum vicecancellarium vel locumtenentem puniatur. Idem volumus, si procurator, per corruptionem vel aliam malitiam, in causis quas defendendas susceperit, et eas scienter vel per eius negligentiam perdiderit in laesionem iuris suae partis, observari: quo casu ad quaecumque damna et expensas, ultra praedicta eidem parti restituenda, teneatur. Similiter in procuratores, qui, postquam pro una parte causam dixerint, eam contra ipsam et pro eius adversa parte defendunt et ducunt. Quodque, si quis ex procuratoribus praedictis vel aliis, post appellationem interpositam in dicta Curia, huiusmodi appellationis causam finxerit esse commissam, ut partem adversam decipiat, et eam ad dicendum contra huiusmodi fictam commissionem citari fecerit, in viginti florenos Camerae puniatur, in piis operibus, per manum eleemosynarii praedicti, convertendis. Et huiusmodi procuratores, qui, ut lites diu durare faciant, fictis appellationibus et commissionibus utuntur, nisi probaverint causas appellationum et commissionum huiusmodi veras esse, et ipsas relevantes ad iuris sui declarationem, iudicis vel vicecancellarii seu praesidentis praedictorum arbitrio puniantur, et parti adversae, quam indebite vexaverint, de damnis et interesse, quae propterea incurrerit, teneantur.

*Vita, moresque.*

§ 32. Verum, cum dicti procuratores gravia gerant negocia, similiter in moribus graves, in gestu, habitu et conversatione honesti esse debent; quod praefati procuratores in habitu decenti et honesto et statu saeculari convenienti incedant, tabernas non frequentantes, nec sint concubinarii. Si quis autem contrarium fecerit, ab huiusmodi procurationis officio, per auditores, iudices et commissarios praefatos repellatur et penitus excludatur, et alias per dictum vicecancellarium vel eius locumtenentem animadversione debita puniatur.

*Sacerdotes non sint vel beneficiati.*

§ 33. Et nihilominus quod de caetero nullus in sacerdotio constitutus, aut dignitatem vel personatum cathedralis vel collegiatae Ecclesiae pacifice obtinens, ad huiusmodi procuratoris officii exercitium quomodolibet admittatur, nec in eo toleretur; et si de hoc in causis per partem adversam data fuerit exceptio, ex tunc processus non valeat; eadem tamen pars adversa de sua in huiusmodi causa defensione confisa iterato denuo in eam causam vocetur, nisi sit in dicta Curia alius procurator, qui onus causae huiusmodi in se velit suscipere defendendae.

*Salarium advocatorum et procuratorum.*

§ 34. Caeterum, cum advocati et procuratores praefati, iuxta sui laboris meritum sint praemiandi, statuimus et etiam ordinamus quod in causis, in quibus simpliciter et de plano aut per audientiam contradictarum sive in contumaciam partis adversae, vel alias in causis levibus, in quibus non sit magna iurium discussio, advocati in prima viginti, in secunda duodecim, in tertia instantia octo; procuratores similiter in prima decem, et in secunda septem, ac in tertia instantia huiusmodi quatuor florenis similibus sint contenti. Praeterea volumus et etiam ordinamus decem grossos turonenses circa taxam literarum apostolicarum et Poenitentiariae praedictarum, ac minutarum earumdem literarum apostolicarum, necnon in bulla et regestris apostolicis ac dictae Poenitentiariae, necnon salarii notariorum et

aliorum quorumlibet, pro uno dumtaxat floreno de Camera computari.

De hisce legibus publicandis.

§ 35. Verum, ut huiusmodi nostrae constitutiones et ordinationes ad omnium perveniant notitiam, eas in audientia praedicta singulis annis in kalendis octobris publicari, necnon in libris Cancellariae praedictae inscribi et regestrari volumus per praesentes. Nulli ergo *etc.*

Datum Gebennis, kalendis septembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 1 septembris 1418, pont. anno I.

---

## V.

*In officio provincialatus non possunt fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini reeligi nec confirmari, biennio vel triennio completo, nec ad eorum vitam in ipso remanere* (1).

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. Ambitionem fratrum huius Ordinis curans cohibere: — 2. Constitutionem (*de qua in rubrica*) addit. — 3. Provinciales ultra terminum in officio permanere vetat. — 4. Priori generali super hoc dispensandi adimit facultatem. — 5. Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Pro cunctorum christianae religionis Ordinum statu prospere et salubriter dirigendo, libenter nostrae solicitudinis partes adhibemus, et iis quae in eorum offensam redundare conspicimus, quantum possumus obviamus.

Ambitionem fratrum huius Ordinis curans cohibere:

§ 1. Sane, sicut nuper non sine mentis displicentia veridica relatione percepimus nonnulli Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini professores, etiam in theologia magistri, in officiis provincialatus, secundum instituta et laudabilem consuetudinem eiusdem Ordinis pro tempore constituti, spiritu inanis gloriae et ambitionis ducti, et sua sorte non contenti, ut in huiusmodi officiis, quibus praesunt, continue seu ad eorum vitam remanere, seu iterum confirmari vel reeligi possint, variis ingeniis, subtilibusque et exquisitis modis ac coloribus, etiam contra ipsius Ordinis instituta et consuetudines huiusmodi, perquirunt, insistunt et procurant: unde plerumque accidit quod eiusdem capitula provincialia secundum morem et consuetudinem ipsius Ordinis celebrari prohibentur, seu alias indirecte impediuntur, delinquentium excessus non corriguntur, corruptiones quoque et alia pacta illicita committuntur, divisiones etiam et odia ac alia scandala plurima oriuntur in Ordine eodem, in non modicam dicti Ordinis confusionem et offensam ac perniciosum exemplum plurimorum.

Constitutionem (de qua in rubrica) addit.

§ 2. Nos igitur in praemissis, prout ex debito tenemur pastoralis officii, salubriter providere cupientes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, volumus etiam et ordinamus quod quilibet prior provincialis dicti Ordinis, qui est vel erit pro tempore, qui, iuxta instituta ac consuetudines praedicta, in sua provincia anno quolibet capitulum provinciale ipsius Ordinis, diebus et locis in huiusmodi capitulo provinciali in ipsa provincia immediate antea celebrato deputatis, celebrari non fecerit cum renunciatione sui provincialatus officii, et singuli, sit dicto officio eo ipso privatus; et quod si ex tunc administrationi dicti officii se immiscuerit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, et provinciam regant illi quibus in hoc casu, per instituta et consuetudines praedicta, eius regimen est commissum, quodque nullus ex huiusmodi fratribus ad huiusmodi provincialatus officium iam electus, vel in futurum eligendus, si in huiusmodi theologia magister, ultra tres; si vero alius fuerit, ultra duos annos, si tamen rite ad illud vocatus extiterit, eligi aut confirmari quoquo modo possit aut debeat; nec ipsorum aliquis, infra biennium a fine

(1) Edidit Empolus in Bullar. Ordinis huius.

termini huiusmodi sui provincialatus officii computandum, ad idem officium aliquatenus de novo recipiatur.

Provinciales ultra terminum in officio permanere vetat.

§ 3. Ita etiam, quod illi, qui ad praesens in huiusmodi provincialatus officiis existunt, si huiusmodi tempus compleverint aut transcenderint, officiis eisdem omnino cedant: si autem nondum compleverint, possint tempus ipsum complere modo suprascripto.

Priori generali super hoc dispensandi adimit facultatem

§ 4. Neque etiam liceat priori generali eiusdem Ordinis quidquam contra praemissa quomodolibet attentare aut alias super eorum aliquo, praeterquam super mutatione loci ad huiusmodi capitulum, pro tempore celebrandum, si expedierit.... iuxta tamen diffinitorum capitulorum provincialium huiusmodi significationem et determinationem et non alias dispensare, quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dicti Ordinis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Mediolani, decimo sexto kalendas novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 17 octobris 1418, pont. anno I.

---

## VI.

*Expositis iis, quae peracta sunt in condemnatione errorum Nicolai Serurarii, archiepiscopis et episcopis mandatur, ut inquirant contra eius sectatores* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Ab episcopo Tornacensi confectus processus super propositionibus Nicolai Serurarii; — 2. Eiusdem propositiones. — 3. Serurarii causae cognitio a concilio Constantiensi patriarchae CP. demandata. — 4. Martinus post suam electionem patriarchae eamdem cognitionem commisit. — 5. Propositiones illas eiuravit idem Nicolaus. — 6. Patriarcha definivit Nicolaum illis propositionibus populos scandalizasse: — 7. Impositaque ei poenitentia, in gremium Ecclesiae recepit, — 8. Data praelatis facultate eum, si in suis dioecesibus reperiant, canonice puniendi. — 9. Pertinax si foret, haereticum voluit declarari. — 10. Haec patriarchae sententia per Martinum exposita examini: — Et a Martini delegato approbata. — 11. Haec Pontifex publicari praecipit per Ecclesiarum praelatos: — Illarumque assertionum defensores canonicis coerceri poenis. — 12. Obstantium derogatio.

(1) Ex Regest. Vatic. et Raynald. ad annum 1420.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, et aliis ecclesiarum et monasteriorum praelatis, et inquisitoribus haereticae pravitatis, ad quos praesentes literae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

Ad hoc praecipue, disponente Domino, universali Ecclesiae praesidentes, ut Christifideles sub orthodoxae fidei sinceritate, quibusvis erroribus intacti permaneant, vigilamus, adversus quoque bases fidei et Ecclesiae praedictarum doctrinas, decreta, observantias et ordinationes quomodolibet dogmatizata solicitis studiis angimur extirpare, ne ager ipse dominicus haeresis et errorum contagio valeat maculari.

Ab episcopo Tornacensi confectus processus super propositionibus Nicolai Serurarii.

§ 1. Dudum siquidem, postquam venerabilis frater noster Ioannes episcopus Tornacensis dilectum filium Nicolaum Serurarii, Ordinis fratrum Eremitarum Sancti Augustini professorem, in Sacra Theologia magistrum, qui, maligno inflatus spiritu, credens plus sapere, quam oportet, et civitatibus et dioecesibus Tornacensi et Cameracensi ac partibus illis contiguis immaculatae Ecclesiae puritatem inficere et dirumpere, ac simplices et vulgares christianos populos in aeternæ damnationis interitus viam ponere satagens, eis articulos et assertiones infra-

scriptos, haeretica labe et erroribus infectos, scandalosos, seditiosos, temerarios et iniuriosos per nonnulla tempora in suis publicis sermonibus et alias publicaverat, praedicaverat et divulgaverat, et quod illos defendere, tanquam veros, se iactabat in suae dictique populi animarum periculum; necnon cleri illarum partium turbationem gravissimam perniciosumque scandalum, ad inquisitionem auctoritate ordinaria descenderat, et in causa huiusmodi diutius processerat, testes et alias probationes recipiendo super articulis et assertionibus memoratis, quorum tenores sequuntur in haec verba:

Seruntur propositiones

§ 2. Charitas est ad Deum et proximum, et non ad se ipsum.

Deus non remisit, neque remittere potest culpam peccatori absque praevia contritione.

Presbyteri publici concubinarii non habent auctoritatem seu potestatem absolvendi peccatorem, et peccator confessus sacerdoti publico concubinario recedit absque absolutione.

Orationes et preces missales talium sacerdotum publicorum concubinariorum sunt nullius valoris, et missae per tales concubinarios celebratae pro defunctis aut vivis sunt nullius valoris.

Oratio non debet dirigi nisi ad Deum solummodo, et non ad Sanctos.

Curati dicunt parochianis suis, quod saltem semel in anno parochianus tenetur confiteri suo proprio curato.

Religiosi putati sunt proprii sacerdotes et veri curati.

Curati impediunt parochianos suos, ne dent, nec faciant eleemosynas, dona aut legata Mendicantibus, et ne dicti parochiani eligant sepulturas suas in domibus eorumdem Mendicantium.

Mendicantibus praesentatis, ipsis confessus licite potest recipere Corpus Christi, et non potest, nec debet curatus confessor Mendicantibus praefatis denegare Corpus Christi; quod si deneget, dictus curatus peccat mortaliter et est excommunicatus.

Statim, mortali peccato commisso, peccator sub poena peccati mortalis debet illud confiteri priusquam obliviscatur.

Non est mulieri opus purificari, quinimo, hoc scilicet purificari, est iudaizare.

Presbyteri publici concubinarii sunt peiores Iuda, qui de loculis apostolorum nutrivit suam concubinam et suas proles.

Presbyteri publici concubinarii sunt excommunicati, et sanctum (1) publice scienter participantes.

Plures sacerdotes a modico tempore citra licentiaverunt ficte suas concubinas; ficte, inquam, quia occulte bibunt et comedunt cum suis concubinis, quod nullus debet pati, immo cum eisdem sacerdotibus concubinariis publicis conversantes et eos favorizantes sunt in pari peccato, et peccant qui eos nituntur excusare falsis glossis.

Si parochiani alicuius curati concubinarii publici bene Deum diligerent, deberent inhibere suo curato publico concubinario ne missam aut aliud divinum officium coram eis parochianis celebraret.

Facientes celebrare missas per sacerdotes concubinarios publicos peccant mortaliter.

Audientes scienter missas sacerdotum publicorum concubinariorum peccant mortaliter.

In aliquibus sermonibus suis vocavit obfirmatos et reprobatos, adiiciens ulterius, quod non sine causa presbyteri vocantur ribaldi.

Deferre honorem feretro beati Antonii erat crimen idololatriae.

Illi, qui dant ad comedendum porcis baiulantibus campanulam beati Antonii, peccant mortaliter ratione praecedente.

Multum mirabatur quomodo praelati sustinebant tale quid, scilicet (2), deferre huiusmodi feretrum per patrias, sicut

(1) Raynaldus legit *secum*. (2) Raynaldus legit: *tale, quod.* — Sequenti versu legit *per patrias suas propter* etc.

propter larga denaria, quae a religiosis Sancti Antonii habebant.

Deputati ad portandum huiusmodi feretrum non sunt nisi trumpatores et abusatores (1).

Non credebat quod religiosi praefati super deportatione feretri cum caeteris, quae ibi fiunt, obtinuerunt aliqua privilegia.

Hoc faciunt indebite et iniuste populum seducendo.

Non credebat fore verum, quod habeant illi religiosi indulgentias a Papa pro dando aliquid beato Antonio, seu nunciis eius, seu porcis portantibus campanulam beati Antonii; addens, quod nunquam aliquis Papa dedit indulgentias pro dando victum animali.

Tales religiosi et nuncii ipsorum intulerunt timorem audientibus, et praesertim in villagiis, quod Sanctus Antonius comburit eos, et ideo timore perterriti, si non habeant nisi unum denarium, darent eumdem.

Serurarii causae cognitio a concilio Constantiensi patriarchae CP. demandata.

§ 3. Sacrosancta synodus Constantiensis, ad quam dictus Nicolaus propterea personaliter accesserat, et ad cuius synodi articuli et assertiones praedictae notitiam pervenerant, tunc Apostolica Sede vacante, tantum scelus, ne satore zizaniae procurante in huiusmodi christiana fide et populo per amplius pullularet, radicitus extirpare cupiens, et de praemissis certam notitiam non habens, venerabili fratri nostro Ioanni patriarchae Constantinopolitano in dicta synodo et ipsius potentissimum membrum existenti causam inquisitionis huiusmodi ad se advocans, eam ad instantiam dilecti filii Michaelis de Brodatheutumcali (2) clerici promotoris et instigatoris causarum fidei catholicae, cum idem Nicolaus tunc apud Sedem existeret praedictam, ut praefertur, audiendam commisit, et fine debito terminandam.

Martinus post suam electionem patriarchae eamdem cognitionem commisit.

§ 4. Et deinde, postquam idem patriarcha ad dictorum articulorum et assertionum, ad id vocatis et praesentibus Nicolao praedicto, magnoque archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et aliorum in eadem theologia, necnon iure canonico et civili magistrorum et doctorum numero, discussionem et examinationem diligentem, necnon circa illorum per Nicolaum praedictum assertionem et defensionem, informationem processerat; nos, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti, iuxta debitum apostolatus officii nobis iniuncti, huiusmodi haereses et errores cupientes a fide et populo eliminari (1) praedictis, praefato patriarchae commisimus, ut causam praedictam in eo statu, in quo tempore assumptionis nostrae huiusmodi coram eo remanserat, resumeret, eamque ulterius audiret, et fine debito terminaret, iuxta tenorem commissionis antedictae.

Propositiones illas eiuravit idem Nicolaus.

§ 5. Postea vero per eumdem patriarcham super articulis et assertionibus memoratis cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, caeterisque magistris et doctoribus praefatis, discussione et examinatione et super eorum praedicatione et assertione huiusmodi per Nicolaum memoratum factis, ut praefertur, sufficientibus probationibus tam per fide dignorum testium in huiusmodi causa productorum et examinatorum attestationem fidelem, quam alias etiam per processum per dictum Ioannem episcopum eadem auctoritate factum, ut praefertur, praehabitis, praedictus Nicolaus Spiritus Sancti gratia ad viam veritatis reductus, in praemissis se turpiter errasse et deliquisse cognoscens, dicta durante synodo, certo peremptorio termino competenti sibi per eumdem patriarcham super hoc assignato, coram eo in iudicio comparens, non compulsus, non coactus, sed sponte et libere, puro corde et animo, ut ore proprio dicebat, asseruit et confessus fuit, se cum determinatione dictae synodi firmiter credere, nonnullos ex eisdem articulis et

(1) Raynaldus hic addit: *idest impostores.*
(2) Rayn. *Brodathentonitali.*

(1) Raxnaldus legit *exterminari.*

assertionibus fore haeretica labe infectos, alios erroneos, aliquos scandalosos et seditiosos, et aliquos temerarios ac iniuriosos, ac eos penitus revocavit. Et nihilominus iuramento solemniter professus fuit, se semper stare firmiter et fideliter cum sancta catholica et apostolica Romana Ecclesia in suis determinationibus et ordinationibus, illis semper obediendo, in his praesertim, quae ad fidem pertinent eamdem, etiam quoad damnatae memoriae Ioannis Wiclef et Ioannis Huss condemnatos articulos, cum quibus aliqui ex eisdem articulis et assertionibus per eumdem Nicolaum praedicatis et publicatis, ut praefertur, connexionem habere noscuntur; anathematizans et detestans omnes et singulas haereses et errores articulorum praedictorum, quodque in sacramentis et clavibus dictae Ecclesiae, veneratione sanctorum, et illorum reliquiis ac indulgentiis, in unitate ipsius Ecclesiae integre et perfecte absque dubio permaneret, et si ipse contra praedicta aliquid senserit aut praedicaverit publice vel occulte, verbo vel in scriptis, canonum severitati se subiecit, ipsamque confessionem manu sua propria subscriptam ad regnum Franciae et Studium Parisiense ac nobiles et communitates praedictarum Tornacensis et Cameracensis civitatum et dioecesum ac oppidorum circumiacentium dirigi voluit, ne quis nomine sui articulos et assertiones suprascriptas approbaret, quos voluit, rogavit, et obsecrabatur, ne ulterius pias aures offenderent, publice ad eorum detestationem notoriam concremari.

Patriarcha definivit Nicolaum illis propositionibus populos scandalizasse:

§ 6. Et successive praefatus patriarcha, visis per eum et diligenter inspectis omnibus actis et actitatis, habitis, probatis et confessis in causa huiusmodi, ipsisque cum diligentia recensitis et examinatis, et super his cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus ac magistris et doctoribus praedictis, deliberatione matura et fideli praehabitis, ad exaltationem fidei et veritatis manifestationem, per suam diffinitivam sententiam, etiam per venerabilis fratris nostri Thomae, episcopi Caputaquensis, et dilectorum filiorum Roberti, abbatis monasterii Cluniacensis Matisconensis diœcesis, ac Mauritii de Praga, Guillelmi Pulchrinepotis, canonici Aniciensis, in eisdem theologia et iuribus magistrorum et doctorum subscriptionem manibus propriis factam et approbatam, pronunciavit, decrevit et declaravit eumdem Nicolaum in civitatibus Tornacensi et Cameracensi ac partibus praedictis, per suas falsas dogmatizationes, populum infecisse in scandalum Ecclesiae, et contra veritatem fidei atque bonorum morum, illosque periculosissime seduxisse et circumvenisse.

Impositaque ei poenitentia, in gremium Ecclesiae recepit.

§ 7. Et quia quorumlibet delictorum qualitas et quantitas inspiciendae sunt, ut iuxta illas poenitentia inducatur, civitates et dioeceses Tornacenses et Cameracenses praedictas et regionem eis contiguam, triginta leucarum spatio, eidem Nicolao, quoad viveret, ac civitatem et dioecesim Parisiensem, usque ad decem annos a die latae sententiae huiusmodi computandos, sub poena incarcerationis perpetuae absque spe cuiusvis remissionis, interdixit, ipsum, si contrafecerit, brachio saeculari relinquendo; necnon apparentibus de praemissis erroribus in eodem Nicolao contritionis et compunctionis signis, ac ipsius voluntaria super salubriter imponendis sibi subiectione, et illorum humili petitione praeviis, praefatum Nicolaum ad gremium sanctae matris Ecclesiae devote redeuntem suscepit, et ab excommunicationis sententia et aliis censuris ecclesiasticis, quibus tenebatur adstrictus, sui Ordinis regulari correctione excepta, absolvit, et communioni Ecclesiae praefatae reconciliavit, sibique, si poenitentiam sibi iniunctam salubriter peregerit, misericorditer rigorem iuris attemperans, ut inclusus per duos annos continuos in domo Metensi eiusdem Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et illius totum ambitum pro carceribus assignavit, omni collatione et communicatione quo-

rumcumque laicorum, sub poenis praefatis, quas ipso facto eum incurrere voluit, penitus interdicta.

Data praelatis facultate eum si in suis dioecesibus reperiant canonice puniendi.

§ 8. Decrevit denique, concessit et iniunxit omnibus et singulis praelatis ecclesiasticis, alias iurisdictionem ecclesiasticam habentibus, in quorum iurisdictione dictus Nicolaus repertus fuerit, quod illum, si contra praemissa vel eorum aliquid attentaverit, iuxta sanctiones canonicas, quibuscumque non obstantibus, punirent.

Pertinax si foret, haereticum voluit declarari.

§ 9. Si vero dictus anathematizationes, detestationes et revocationes huiusmodi recusaverit, vel etiam neglexerit adimplere, et huic sententiae parere subterfugerit, ipsum tamquam pertinacem haereticum actualiter degradandum et exuendum in forma Ecclesiae omni ordine et gradu ecclesiastico, et brachio saeculari relinquendum fore declaravit.

Haec patriarchae sententia per Martinum exposita examini:

§ 10. Postmodum vero, cum ab aliquibus, praesertim Praedicatorum, Minorum, praedicti Eremitarum Sancti Augustini et Beatae Mariae de Monte Carmelo Ordinum in Romana Curia tunc praesentibus, an sententia ipsa mature et iuste contra dictum Nicolaum lata haesitatum foret, nos dilecto filio nostro Antonio, tituli Sanctae Susannae presbytero cardinali, commisimus ut de sententia ipsa cognoscens, legitime eam confirmaret vel infirmaret, prout de iure foret faciendum. Idemque cardinalis, ad praedictorum magistri Simonis Bolleboux, archidiaconi Ecclesiae Cavallicensis, baccalaurei in decretis, causae huiusmodi specialiter deputati, procuratorum instantiam, prout vigore commissionis huiusmodi poterat, in huiusmodi causa procedens legitime, visis omnibus et singulis actitatis et habitis in causa huiusmodi, illisque cum diligentia recensitis et examinatis, ac habito super his cum venerabilibus fratribus nostris Petro archiepiscopo Cretensi, Gundissalvo Astoricensi, Thoma Vigintimiliensi episcopis et dilectis filiis magistro Hermanno Alberg, notario nostro, Nicolao abbate monasterii Sancti Wandregisilii et magistris Iacopo Morressoni, Ioanne de Fabrica, Ioanne Gundissalvi, cappellanis nostris, causarum Palatii Apostolici auditoribus, Ioanne de Francfordia et Conrado de Suto et aliis in eadem theologia et utroque iure doctoribus et peritis consilio maturo, de illorum consilio et assensu per suam diffinitivam sententiam pronunciavit, decrevit per eumdem patriarcham in causa huiusmodi bene fuisse et esse processum, sententiatum et diffinitum, ipsiusque sententiam antedictam confirmandam fore, et confirmavit, illaque executioni debitae demandandam fore, et demandavit, prout in instrumentis publicis inde confectis, eorumdem cardinalis et patriarchae sigillis munitis, dicitur, plenius continetur.

Et a Martino delegato approbata.

Haec Pontifex publicari praecipit per Ecclesiarum praelatos:

§ 11. Nos itaque huiusmodi articulos et assertiones Nicolai praedicti penitus cupientes extirpari, discretioni vestrae per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et quilibet vestrum, per se vel alium seu alios, praefatas sententias executioni debitae demandantes, illasque et praesentes literas, in civitatibus et dioecesibus praefatis ac locis eis vicinis et alibi ubilibet, ubi vobis videbitur expedire, auctoritate nostra, solemniter publicetis, et publicari faciatis, ac praefatum Nicolaum, si praedictae sententiae ipsius patriarchae in singulis suis partibus non paruerit cum effectu, iuxta ipsius sententiae tenorem et alias sacrorum canonum exigentiam, puniatis. Et nihilominus contra Nicolaum praefatum, necnon sibi adhaerentes et dictorum articulorum et assertionum sectatores, ac huiusmodi articulos et assertiones vel eorum aliquem approbantes, tenentes, defendentes vel dogmatizantes, exemptos et quemlibet ipsorum, de quibus vobis constiterit, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existant, diligenter inquirere studeatis, et eos quos

Illarumque assertionum defensores canonicis coerceri poenis.

per inquisitionem huiusmodi diffamatos, vel errorum huiusmodi labe respersos repereritis, auctoritate praedicta, etiam per excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon privationis dignitatum et beneficiorum ac feudorum, quae a quibuscumque Ecclesiis sive monasteriis et aliis locis ecclesiasticis obtinent, etiam bonorum saecularium, et per alias poenas, sententias et censuras ecclesiasticas ac vias et modos, quos ad hoc quomodolibet expedire seu opportunos esse videritis, etiam per captiones et incarcerationes personarum et alias poenas corporales, quibus haeretici puniuntur seu puniri solent, corrigatis et puniatis ac corrigi et puniri faciatis; contradictores per censuras et poenas ecclesiasticas (1), invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 12. Non obstante tam fel. rec. Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis, extra civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede Apostolica deputati, extra civitatem et dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos, ultra unam dietam a fine dioecesis eorumdem, trahere praesumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis, tam de iudicibus delegatis, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis, quae possent in hac parte vestrae iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si praefato Nicolao vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam nostrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Datum Florentiae, octavo idus ianuarii, anno tertio.

Dat. die 6 ianuarii 1420, pont. anno III.

(1) Deest fortasse *compescendo*.

## VII.

*Exemptio Ordinis Fratrum Cartusianorum a solutione primitiarum et decimarum.*

SUMMARIUM

Cartusiensis Ordinis encomium. — 1. Exemptio ei concessa (*de qua in rubrica*). — 2. Obstantium derogatio.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Cartusiensis Ordinis encomium.

Fons parvulus, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus, in aquas plurimas redundavit, Cartusiensium est utique Ordo praelucidus, quia in sui ortus exordio parvus et humilis abiectione habitus, tenuitatis substantia, humilitatis professione ac numero professorum, sub fontis similitudine non indigne describitur, cui, diversarum illi proprietatum conformitate respondens, non immerito comparatur. Hic enim fons est hortorum irriguus, caeteras irrigans Religiones et Ordines, ac exemplis salubribus scaturiens. Hic est fons amoenus varietate virtutum, praeclarus munditiae puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate, horum meritorum illustratus, ita nomen fontis ampliavit, ut fluvius esse censeatur. Cuius professio laudabilis, de virtute in virtutem progrediens, ut Deum deorum in Sion videat, universalis Ecclesiae laetificet civitatem, in qua, per meritorum evidentiam, clarae lucis splendorem adeptus, quasi stella matutina refulget in

medio nebulae mundi huius. Huius siquidem Ordinis sacra Religio, a suae institutionis auspiciis quasi deserta et invia, paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris et honestatis fructus parturiens, ramos quidem honoris et gratiae, generationes germinans, religionis sinceritatem et austeram vitae continentiam ampliavit. Ea propter exultat iam in multitudine numerosa spectabilis, quae olim in solitudine dilatebat.

Exemptio ei concessa (de qua in rubrica).

§ 1. His itaque considerationibus inducti, Religionis eiusdem perseverantiam ac personarum sub illius habitu divinae vacantium servituti, utilitates et commoda sinceris affectibus procurantes, maioris et aliarum quarumcumque domorum praedicti Ordinis ubilibet consistentium priores et fratres, praesentes et posteros, a praestatione et solutione primitiarum et decimarum ex fructibus, proventibus, ex eorum pratis, pascuis, terris, vineis, hortis, agris, sylvis, nemoribus, montibus, aliisque praediis et possessionibus, in quibuscumque mundi partibus consistentibus, tam ante quam etiam post generale concilium habitis vel acquisitis, illis videlicet quae de praesenti manibus propriis aut eorum laboribus vel expensis excolunt vel excoli facient in futurum, necnon ex foetibus animalium eorumdem debitarum, auctoritate apostolica, perpetuo immunes reddimus et constituimus et liberamus, ac etiam immunes et liberos esse volumus et decernimus et censemus, eisque nihilominus, ne primitias et decimas huiusmodi cuiquam solvere vel praestare teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant compelli, tenore praesentium indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 2. Concilii praedicti ac aliis per nos sive praedecessores nostros Romanos Pontifices editis constitutionibus apostolicis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos octavo kal. octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 24 septembris 1420, pont. anno III.

## VIII.

*Iurisdictio consulum artis mercaturae pannorum de Urbe iuxta artis eiusdem statuta cognoscendi causas quascumque ad ipsam artem spectantes.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Facultas consulum causas eorum mercaturam respicientes cognoscendi. — 2. Mercatorum huiusmodi libris pro summa 20 ducat. auri danda fides. — 3. Declinatio huius fori prohibetur. — 4. Poenae mercatorum in suis libris praeter veritatem scribentium.

**Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, consulibus artis mercantiae pannorum Urbis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Cum inter caeteras alias artes atque laudabiles negociationes, mercantia pannorum utilior sit, et ad vitam humani generis necessaria, decens ac congruum arbitramur, ut eiusdem artis rectores pro veritatis ac iustitiae cultu digna eorum industriae praerogativa extollantur, quo sublatis calumniantium obiectionibus, ac reorum dilationibus reiectis, veritas debitum suum prosequens effectum elucescere valeat, et mercatores huiusmodi artis ad gratificandum liberaliores et proniores creditores efficiantur.

Facultas consulum causas eorum mercaturam respicientes cognoscendi.

§ 1. Vestris itaque in hac parte supplicationibus inclinati, atque sincerae et singularis devotionis fervore inducti, quam erga nos et Romanam Ecclesiam, magistra experientia, gerere comprobamini, ius dicendi, lites, controversias et causas iudicandi, cognoscendi, tractandi, terminandi, definiendi, et terminatas ac definitas exequendi, ad instantiam mercatorum praedictae artis vel eorum institorum motas seu movendas iuxta seriem et ordinationem statutorum ipsius artis, de quibuscumque debitis et creditis vigore huiusmodi artis nunc usque contractis, ac etiam de quibuscumque aliis rebus ad praedictam artem nunc, in futurum et in posterum, quomodocumque perpetuo con-

trahendis, spectandis et pertinendis, contra et adversus quascumque personas saeculares dumtaxat, vestrasque et vestrorum praedecessorum sententias principaliter et realiter exequendi, et quod una via realis per aliam personalis executionis minime tollatur vobis, et omnibus posteris consulibus dictae artis auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuam iurisdictionem ac potestatem concedimus.

Mercatorum huiusmodi libris pro summa 20 ducat. auri danda fides.

§ 2. Vobisque et omnibus futuris consulibus, ut eorumdem mercatorum codicibus ac libris (dummodo ipsi mercantiles sint, et mercatorum ordine et more scripti et confecti, et cum debitis circumstantiis rationabili suspicione carentes, discrete etiam ipsius mercatoris scribentis circumspecta vita et qualitate pensatis) usque ad quantitatem viginti ducatorum auri inclusive, occasione mercantiae vel cuiuslibet alterius rei ad artem huiusmodi pertinentium, ita tamen, ut agentium et exigere volentium interveniat iuramentum, perinde plenam fidem debiti adhibeatur, ac si legitime probatum esset (legibus et canonibus contrarium disponentibus non obstantibus quibuscumque), et super iis iudicare et decernere possitis, auctoritate apostolica harum serie indulgemus.

Declinatio huius Fori prohibetur.

§ 3. Intendentes et decernentes per praesentes, ut huiusmodi mercatorum iurisdictio, ac eorum Curia et Forum a conventis in eisdem nequaquam declinari possit.

Poenae mercatorum in suis libris praeter veritatem scribentium.

§ 4. Volentes insuper, quod si forsan aliquis mercatorum cuiuscumque gradus et conditionis existat, etiamsi is consulatus huiusmodi artis fungatur officio, ex confidentia huiusmodi nostri indulti, in suis codicibus et libris aliquid contra et praeter veritatem conscripserit, ex nunc ab exercitio memoratae artis privatus existat, et aliis poenis a iure institutis et inflictis puniatur. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, quinto nonas maii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 3 maii 1421, pontif. anno IV.



## IX.

*Unio omnium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ubique professorum in unam congregationem cum innovatione constitutionum, et communicatione sive extensione privilegiorum* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Enumeratio domorum quas unit Pontifex. — 2. De capituli generalis celebratione et auctoritate. — 3. Derogatio Bullae Benedicti XII circa statuta huius Ordinis. — 4. De statutis in capitulo editis observandis, et transgressorum poenis. — 5. De rectoris generalis electione et officio. — De definitoribus. — 6. Praelatorum Ordinis auctoritas qualis: — 7. Officia eorum quamdiu durent. — 8. Rector generalis iterato eligi nequit: — 9. Caeteri autem praelati possunt. — 10. Vacationis tempore officia per vicarios sunt exercenda. — 11. De translatione canonicorum. — 12. Obedientia quibus et quo ordine praestanda. — 13. Facultas accipiendi monasteria. — 14. Extensio privilegiorum. — 15. Clausulae derogatoriae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Solicitudinis pastoralis officium, quod super omnes orbis Ecclesias et monasteria, dispensatione divina, licet immeriti, gerimus, pulsat et excitat mentem nostram, ut cunctorum fidelium et praesertim personarum regularium, quae, mundanis relegatis illecebris, sub arctioris vitae observantia, se perpetuo divinis obsequiis manciparunt, commodis intendamus; ac in his, quae divini cultus et religionis augmentum, ac animarum salutem concernunt, eos apostolici favoris praesidio foveamus.

Enumeratio domorum quas unit Pontifex.

§ 1. Hinc est, quod nos dilectos filios S. Mariae de Faxionaria, S. Leonardi, S. Ioannis de Monte Bononiensi et San-

(1) Ista congregatio Lateranensium Canonicorum nuncupatur forte quia eis Ecclesiam Lateranensem administrandam demandavit Paschalis II, prout videre est in eius constitut., quae incipit: *Quanto* (tom. II, pag. 246).

cti Victoris ei canonice annexi, S. Mariae in Portu, S. Ioannis de Cereto prope Sanctum Archangelum, S. Mariae de insula Tremiti, S. Mariae de Blancis loci Caxoreti, S. Salvatoris, S. Mariae de Caritate et Ss. Quadraginta Martyrum, Lucanensis, Veronensis, Bononiensis, Ravennatensis, Ariminensis, Teatinensis, Mediolanensis, Brixianensis, Castellanensis et Tarusiensis dioecesum Ordinis Sancti Augustini monasteriorum, priores, praepositos, rectores, canonicos et conventus de Frisionatia vulgariter nuncupatos, ut Deo quietius perpetuo famulari valeant, favoribus gratiosis prosequi volentes, ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis Dei, eiusque Matris Virginis gloriosae, necnon B. Augustini confessoris, ac pro religionis incremento, auctoritate apostolica, tenore praesentium statuimus, sancimus et ordinamus perpetuis futuris temporibus irrefragabiliter observandum, quod de caetero priores, praepositi, rectores, canonici et conventus praefati, pro eorum perpetua soliditate ac conservatione, quamquam diversorum monasteriorum et locorum professi existant, nihilominus unum corpus, unaque congregatio similiter et invicem connexa censeantur, ac sub una et eadem lege ac observantiae regularis unitate, morumque conformitate, et eisdem consuetudinibus, privilegiis, ordinationibus ac statutis subsint.

De Capituli generalis celebratione et auctoritate.

§ 2. Ad cuius quidem religionis et congregationis ipsius conservationem, augumentum, et felicem in Domino in observantia vera et sanctitate successum, iidem priores, praepositi, rectores, canonici et conventus singulis annis, sive bienniis, aut saltem trienniis, prout opportunum et utilius pro eadem religione expedire noverint, capitulum generale celebrent nullatenus dissolvendum, nisi de subsequenti celebrando fuerit per ipsum capitulum locus idoneus determinatus, qui quidem locus nisi evidenti et magnae necessitatis causa et de ipsius religionis regiminis principalis consensu nequeat commutari. In quo quidem capitulo pro stabilimento congregationis religionis praefatae quomodolibet in eis occurrentia praeservationem ac statum sanctae religionis praefatae et observantiae regularis concernentia, pro tempore, eadem auctoritate terminare, statuere et ordinare, et ordinationes atque statuta condere: ac inde statuta condita et ordinata successu temporis, prout eidem capitulo magis congruum videbitur et utilius secundum Deum et pro communi omnium pace et conservatione regularis observantiae, valeant; eis nihilominus innovandi, alterandi, commutandi in totum vel in partem: obscura quoque et dubia, etiam circa eorum regulam, constitutiones atque statuta (salva ipsius regulae substantia) declarandi, interpretandi, disponendi et ordinandi, secundum gratiam a Deo eis tributam, facultatem concedentes.

Derogatio Bullae Benedicti XII circa statuta huius Ordinis.

§ 3. Aliis autem ipsius Ordinis antiquis constitutionibus, praesertim Benedicti Papae XII praedecessoris nostri, minime teneantur adstricti, quoniam mores, observantias et consuetudines abundantiores habent illis, et in rigiditatibus, ac disciplina Ordinis strictiores, et observantiae regulari aptiores, ad conservandum religionis debitae statum. Universos quoque congregationis religionis eiusdem praelatos, priores, rectores et subditos, pro eorum excessibus sive delictis corrigere possint, prout eidem capitulo sive regimini principali eorum, melius et utilius secundum Deum religionisque debitum videbitur convenire.

De statutis in capitulo editis observandis, et transgressorum poenis.

§ 4. Statuta quoque et ordinata per ipsum capitulum, sive maiorem et saniorem eius partem, ab omnibus et singulis dictae congregationis religionis praedictae, tam prioribus, praepositis, rectoribus et canonicis, quam subditis inviolabiliter observentur. Non intendentes tamen ob hoc transgredientes simpliciter ad peccatum aliquod aggravare: sed poenitentiae tan-

tum, et temporali poenae, sive correctioni superiorum subiacere debere, donec se humiliter emendaverint.

De rectoris generalis electione et officio.

§ 5. Praeterea eadem auctoritate statuimus, ut pro deductione atque expeditiva determinatione causarum contingentium de tempore in tempus, et occurrentium de locis suis, de canonicorum gremio dictae religionis valeant unum idoneum rectorem maiorem vel conservatorem seu visitatorem principalem, prout eis visum fuerit, eligere et creare iuxta formam de eorumdem electione et confirmatione rectoris dictis ipsorum monasteriis alias ab Apostolica Sede concessam, quemcumque maluerint; etiam si in dicta congregatione religionis praefatae aliquo regiminis officio sic electus fuerit deputatus, qui tamen ob hoc, a suo titulo ac regiminis officio nullatenus censeatur destitutus; sed officium utrumque gerere valeat et exercere. Cui rectori vel conservatori seu visitatori principali, caeterisque prioribus, praepositis et rectoribus monasteriorum et locorum dictae religionis, quot eidem capitulo videbuntur, de religione eadem definitores et socii idonei valeant deputari per capitulum antedictum, sine quorum consilio, et eorum maioris partis consensu, dictus rector vel conservator seu visitator principalis ac caeteri priores, praepositi atque rectores locorum ipsorum ea quae huiusmodi generalis capituli iudicio ardua videbuntur, nequeant terminare.

De definitoribus.

Praelatorum Ordinis auctoritas qualis:

§ 6. Qui tamen rector vel conservator seu visitator principalis, ac caeteri priores, praepositi sive rectores congregationis religionis eiusdem, cum suis sociis et definitoribus deputatis illam tantam auctoritatem habeant, bayliam et potestatem super fratribus et canonicis et subditis antedictis, ac eorum monasteriis et locis et super tota congregatione religionis praedictae, et tam in visitationibus locorum omnium et conventuum dictae congregationis et religionis praefatae, quam in agendis omnibus spiritualibus et temporalibus, quam dictum capitulum sanius et utilius, pro communi omnium pace et conservatione regularis observantiae ac eorum humilitate servanda dignum fore censebit.

Officia eorum quamdiu durent.

§ 7. Officium vero huiusmodi rectoris vel conservatoris seu visitatoris principalis, caeterorumque priorum, praepositorum atque rectorum locorum omnium dictae religionis et congregationis ipsius, praesentium et futurorum, et deputatorum sibi sociorum, sive definitorum, elapso anno ab eorum creatione, ipso facto expiret, secundum formam in eorum privilegiis contentam, ac dictis eorum monasteriis et locis, ab Apostolica Sede concessis, aut eisdem non obstantibus privilegiis, anno secundo expleto, sive tertio tantum successive finito ad plus; tunc eo ipso vacet et expiret dictorum regimen et officium, prout in praemissis idem generale capitulum pro dictae religionis et congregationis conservatione, commoditate atque utilitate, secundum Deum, sanius et utilius decreverit exequendum.

Rector generalis iterato eligi nequit:

§ 8. His tantum adiectis et declaratis, quod talis rector, conservator seu visitator principalis praedictus, ultra tertium annum successive finitum, in eodem suo regimine et officio, pro quarto sequenti anno amplius reeligi, et in dictum regimen et officium assumi non possit, pro illa vice tantum. Ad aliud tamen regimen et officium eligi possit in alio monasterio et loco.

Caeteri autem praelati possunt.

§ 9. Caeteri vero priores, praepositi sive rectores et officiales praedicti monasteriorum et locorum omnium dictae religionis et congregationis ipsius, praesentium et futurorum, reeligi possint, et in idem regimen et officium assumi totiens, quotiens dicto visum fuerit capitulo generali, etiam in eodem loco et in diversis regiminibus et officiis; servatis tamen in caeteris omnibus dictorum privilegiorum debitis modis et formis.

§ 10. Interim autem, quo dicti priores, praepositi et officiales, sive rectores, sta-

Vacationis tempore officia per vicarios sunt exercenda.

tutum sibi regiminis et officii sui tempus expleverint, circa huiusmodi officia sive regimina gubernanda per vicarios in locis deputandos ipsi capitulo generali, sive eorum regimini principali, providendi onus incumbat, donec alii eorum loco fuerint, ut praefertur, canonice subrogati, aut ipsi, quorum cessavit regimen et officium, suis exigentibus meritis, reeligantur de novo per capitulum antedictum, iuxta modum qui continetur in praefata concessione apostolica.

De translatione canonicorum.

§ 11. Porro ne monasteria ipsa in contingentibus mutationibus praefatorum canonicorum in suis locis et conventibus damnum aliquod quomodolibet patiantur, quotiescumque aliquis fuerit per dictum capitulum de uno ad aliud eorum monasterium pro conventuali transmissus et deputatus, ipso facto a priore sive praeposito aut rectore loci, in quo professionem emisit, illa vice censeatur absolutus, et eius ad quod, ut praefertur, fuerit monasterium destinatus, quousque in eo deputabitur permanere, ibi veluti proprius canonicus reputetur, et pro conventuali habeatur ibidem in omnibus capitularibus aliisque singulis actibus, ac si foret ibidem expresse professus, ut in dictis privilegiis et concessionibus apostolicis plenius continetur.

Obedientia quibus et quo ordine praestanda.

§ 12. Et ut omnis via scandali praecludatur, singuli canonici conversi, ac oblati, sive commissi congregationis religionis praedictae, sub obedientia generalis capituli ac dicti rectoris vel conservatoris seu visitatoris principalis, et sociorum deputatorum nomine congregationis eiusdem, principaliter submittantur, et inde consequenter sub illorum rectorum, sive priorum aut praepositorum, in quorum locis et monasteriis fuerint pro conventualibus deputati.

Facultas accipiendi monasteria.

§ 13. Valeantque canonici dictae congregationis cum consensu eorum capituli generalis, sive regiminis dictae congregationis principalis, auctoritate apostolica acceptare et acquirere iusto titulo loca et monasteria, tam facta, quam de novo construenda a quocumque praelato, ecclesiasticaque persona, necnon rege, duce, principe vel barone, dominio sive communitate, omnique Christifideli.

Extensio privilegiorum.

§ 14. Statuentes insuper eadem auctoritate pariter et ordinantes, ut tam huiusmodi statuta, ordinationes et voluntates, nostraque caetera privilegia, concessiones, immunitates et gratiae singulis antedictis monasteriis ac locis ipsius religionis et congregationis praedictae per Romanos Pontifices prædecessores nostros seu pro Romanis Pontificibus se gerentes, imperatores, reges, duces, barones et principes, dominia communitatesque concessae et concessa (quae omnia praesentibus haberi volumus pro expressis) et in posterum, favente Domino, concedenda, in omnibus et per omnia, ad universa et singula loca et monasteria, prioratus et praeposituras, et domos, eorumque personas, quae nunc et praecedente tempore ad huiusmodi religionem ac congregationem ipsius et ad eiusdem fratres et canonicos reducta vel unita sunt, seu reduci vel uniri contigerint; cum illius, aut illorum suppositis vel unitis, aut per eosdem canonice acquisitis et iusto titulo acquirendis, ut praefertur, extendi debeant.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Omnibus dictae congregationis et religionis moribus et modis, consuetudinibus et observantiis, ordinationibus et privilegiis atque statutis, constitutionibus et reservationibus apostolicis, atque nostris generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super praemissis a quoque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo *etc.*

Datum Tibure, secundo kal. iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 30 iunii 1421, pontif. anno IV.

## X.

*Erectio cathedralis Ecclesiae Fortisventuræ in Insulis Canariis, quae Ispalensi subiecta declaratur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Insulae Fortunatae. — Causæ faciendae erectionis. — 2. Erectio (*de qua in rubrica*). — 3. Ecclesia sic erecta Ispalensi subiicitur. — 4. Obstantium derogatio. — Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Illius coelestis Agricolae, Iesu Christi videlicet Salvatoris, Domini Dei nostri, cuius vices in terris, licet immeriti, divinitus suscipimus exequendas, pulsamur doctrina, et scriptis evangelicis edocemur, ut ad messem multam, cui operarii pauci praefuerint, transmittamus operarios, per quorum ministerium messis ipsa debitae culturae adiuta suffragiis, uberes exhibeat fructus in coeleste horreum opportuno tempore reponendos.

Insulae Fortunatae.

§ 1. Sane ad apostolatus nostri auditum, fama publica proferente, multorumque fide dignorum relatione pervenit, quod in Insulis Fortunatis in partibus meridianis consistentibus, de Canaria nuncupatis, in quibus inter caeteras una Lancellotti, alia Fortisventurae, alia Grandiscanariae, alia Inferni, alia Gomerae, alia Palmae et alia Ferri nuncupatae insulae ab olim populis Deum minime agnoscentibus populatae habentur, per dilecti filii nobilis viri Ioannis de Betenturia militis, et aliorum multorum Christifidelium potentiam et industriam ac religiosorum virorum praedicationis doctrinam et diligentiam indefessam Lancellotti, Fortisventurae et Ferri insulae praedictae totaliter christianae fidei cultoribus subditae, ipsarumque omnes, necnon Grandiscanariæ et Gomeræ insularum praedictarum, pro certis earum dumtaxat partibus, populi ad fidem catholicam sunt conversi, ac Lancellotti quodam in honore et sub vocabulo Sancti Martialis etiam in cathedralem erecta, Rubricen. nuncupata, et cui extitit de pastore provisum, ac in Fortisventurae alia sub Sanctae Mariae de Betenturia, et reliqua sub de Lapalma Ecclesiae; Gomerae vero insulis antedictis quaedam cappella sub eiusdem Beatae Mariae de Lapalma vocabulis constructae fuerunt, quodque si in praedicta insula Fortisventurae, quae ad alias, videlicet Grandiscanariae, Inferni, Gomerae, Ferri et Palmae insulas, in quibus etiam, conversionis huiusmodi novitate causante, clericorum et personarum ecclesiasticarum ad haec operam dantium raritas habetur pro huiusmodi conversionis negocio feliciter prosequendo, propinquior et magis opportuna existit, pastor proprius, qui conversus in fide catholica instrueret, et etiam roboraret, ac de conversione infidelium populorum huiusmodi specialem et fidelem et sollicitam curam gerere deputetur, nedum in Grandiscanariae et Gomerae, quoad residuas partes earum, sed in Palmae et Inferni insulis antedictis poterit, inspirante Domino, magna conversionis populorum huiusmodi et animarum utilitas provenire.

Causae faciendae erectionis.

Erectio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos igitur, ad instar eiusdem Agricolae, cuius actio est nostra instructio, cupientes, ut messis populorum huiusmodi, quae, ut praemittitur, admodum copiosa et ad suscipiendam fidem praedictam disposita fore conspicitur, nostrae operationis ministerio, prout nobis est possibile, suffragante, per proprios operarios, ac eorum opem et operam in Ecclesiae Sanctae Dei et tandem in caeleste horreum huiusmodi reponatur, Ecclesiam Beatae Mariae de Betenturia praedictam ad Omnipotentis Dei, ac eiusdem Sanctae Mariae laudem et gloriam et honorem, divini quoque cultus augumentum et animarum salutem, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine in cathedralem erigimus et etiam constituimus, et Ecclesiae cathedralis titulo et honore ac insigniis decoramus, eamque ad memo-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

riam indelebilem volumus et censemus Ecclesiam Fortisventurae perpetuis futuris temporibus nuncupari, sponsum idoneum cum officii pontificalis plenitudine, Deo auctore, per apostolicae diligentiae ministerium habituram, cui sponsus ipse præsit pariter atque prosit, atque volumus (1).

Ecclesia sic erecta Ispalensi subiicitur.

§ 3. Apostolica quoque auctoritate decernimus, quod episcopus Fortisventurae, qui pro tempore fuerit, Grandiscanariae, Inferni, Gomerae, Ferri ac Palmae insularum praedictarum, et incolarum et habitatorum ipsorum episcopalem in spiritualibus et temporalibus curam gerat, quodque Ecclesia Fortisventurae praedicta Ecclesiae Ispalen., cui praedicta Rubicen. Ecclesia subiicitur, iure metropolitico sit subiecta, quousque omnes huiusmodi habitatores et incolae fuerint ad praedictam fidem conversi, et ex tunc donec per Sedem Apostolicam super iis aliter fuerit ordinatum.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus Ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum erectionis, constitutionis, decorationis, decreti et voluntatis infringere *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos duodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 20 novembris 1423, pont. anno VII.

---

## XI.

*Confirmatio Regulae fratrum et sororum Tertii Ordinis Servorum B. Mariae Virginis* (2).

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. Fratres et sorores has regulas confirmari petunt. — 2. Eas confirmat Martinus. — 3. De recipiendis in Ordinem. — 4. Habitus fratrum et sororum. — 5. Caeremoniae in dando habitu noviter receptis observandae. — 6. Forma professionis. — 7. Professis a religione praeclusus regressus. — 8. De horis canonicis, aliisque vocalibus orationibus: — 9. Tempore horarum dicendarum: — 10. Confessione et Communione: — 11. Silentio in Ecclesia: — 12. Reverentia episcopis, parochis aliisque exhibenda: — 13. Ieiuniis: — 14. Esu carnium: — 15. Choreis, conviviisque fugiendis: — 16. Armis non deferendis: — 17. Infirmorum cura: — 18. Mortuorum suffragiis: — 19. Electione correctoris generalis et priorissae: — 20. Correctoris et priorissae officio: — 21. Peccantium correctione et emenda: — 22. Congregationibus mense quolibet in ecclesia FF. Servorum et subordinatione Generali Ordinis: — 23. Correctoris et priorissae dispensandi ab abstinentiis facultate. — 24. Regula non obligat ad culpam, sed ad poenam. — 25. Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Sedis Apostolicae providentia circumspecta personas sub regulari observantia vacantes assidue studio piae vitae benigno favore prosequitur, et ea, quae pro earum statu salubriter dirigendo provide ordinata sunt, ut illibata persistant, apostolico consuevit munimine roborare.

Fratres et sorores has regulas confirmari petunt.

§ 1. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum prioris generalis et fratrum ac dilectarum in Christo filiarum sororum Ordinis Servorum Sanctae Mariae, secundum regulam et instituta beati Augustini viventium, qui quidem fratres et sorores, de consortio Servorum Sanctae Mariae nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi quamdam regulam sive religiose vivendi formam, in qua nonnulla honesta et rationabilia ac regulari disciplinae congruentia statuta et ordinamenta fore noscuntur, hactenus laudabiliter observarunt prout observant: quodque licet fratres, sorores et Ordo huiusmodi variis per Sedem Apostolicam sint

(1) Delenda forsan verba *et volumus*. (2) Quae Servitarum Ordinem concernunt, notavi in Const. II Benedicti XI, *Dum levamus*, sup. pag. 177.

privilegiis communiti, tamen pro solidiori eorum subsistentia, et ut, clementia Altissimi operante, de virtute in virtutem gradientes, devotiorem reddere valeant Domino famulatum, desiderant huiusmodi regulam seu vivendi formam per Sedem eamdem approbari. Quare pro parte prioris et fratrum ac sororum eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut regulæ, sive vivendi formae huiusmodi, robur apostolicae confirmationis adiicere, illamque per ipsos fratres et sorores in perpetuum observari mandare de benignitate apostolica dignaremur.

Eas confirmat Martinus.

§ 2. Nos igitur, qui super praemissis omnibus et singulis relatione plenaria et fideli fuimus clarius informati, huiusmodi supplicationibus inclinati, regulam seu vivendi formam, quam per singula eius capitula, clare et distincte, ac de verbo ad verbum praesentibus fecimus annotari, necnon statuta et ordinationes praedicta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, et nihilominus regulam sive vivendi formam eamdem per ipsos fratres, sorores praesentes et posteros, volumus et mandamus perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari.

*Tenor vero Regulae, sive vivendi formae huiusmodi, sequitur et est talis.*

## Cap. I.

De recipiendis in Ordinem.

§ 3. In primis, ut hic Ordo continuum et perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, volumus et ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem huius fraternitatis, nisi de licentia prioris generalis eiusdem vel ipsius vicarii seu correctoris fraternitatis pro tempore deputati illius loci, praemissa tamen diligenti examinatione, quod sit honestae vitae et bonae famae, ac de haeresi nullatenus suspectus, quinimo sit veritatis et catholicae fidei zelator praecipuus, qui etiam antequam habitum huius religionis recipiat, de alienis, si qua habuerit, satisfaciat ad plenum, et proximis reconcilietur, necnon paratum sive conditum testamentum tenere studeat, iuxta consilium et ordinationem confessoris discreti, et eadem examinatio fiat de mulieribus ingressum huius Ordinis petentibus: habentibus tamen viros non pateat ingressus ad consortium dictae fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia et consensu fiat publicum instrumentum. Idem quoad haec servari volentes in viris uxores habentibus, nisi obstaret in ipsius vel altero ipsorum aliqua causa, quae legitima iudicaretur consilio discretorum.

## Cap. II.

Habitus fratrum et sororum.

§ 4. Omnes autem tam fratres, quam sorores dictae fraternitatis induantur panno nigro, qui nec in colore nec in valore minimam preciositatem praetendat, sicut convenit honestati Servorum Christi et Beatae Mariae. Tunicae quoque habeant manicas usque ad pugnum et sint strictae et clausae, corrigias de corio tantum habeant quibus sorores cingantur. In bursis etiam, calceamentis et caeteris omnem mundanam resecent vanitatem. Vela vero sororum et bindae sint alba de panno lineo vel canabino.

## Cap. III.

Caeremoniæ in dando habitu noviter receptis observandae.

§ 5. Recipiatur recipiendus in loco capituli fraternitatis vel ante altare Ecclesiae fratrum illius loci, et a priori generali, sive vicario vel correctore dicti Ordinis Servorum Sanctae Mariae praedictis, qui prior vel vicarius seu corrector, existente inducendo et petente humiliter flexis genibus recipi, praesentibus aliquibus aliis fratribus Ordinis eiusdem, et quibusdam de confratria viris discretis, benedicat prius habitum eius, qui debet recipi hoc modo, videlicet: ***Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Dominus***

*vobiscum. Oremus: Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, etc.* Postea vero, tali habitu benedicto, et per receptum seorsum induto, atque ad gradum altaris reverso, et ante priorem sive vicarium vel correctorem genuflexo, dicit prior vel vicarius seu corrector: *Veni, Creator Spiritus*, et fratres, qui ei assistent, ipsum prosequantur usque ad finem. Deinde dicatur: *Kirie eleison, Christe eleison. Pater noster, etc. Emitte spiritum tuum, etc. Salvum fac servum tuum, etc. Dominus vobiscum, etc. Oremus: Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, etc.*, et *Praetende, Domine, famulo tuo, etc.*, et responso *Amen*, aspergatur sic indutus a priore vel vicario seu correctore aqua benedicta, deinde omnes fratres fraternitatis praesentes ipsum recipiant ad osculum pacis, et eo modo ante altare recipiantur mulieres quemadmodum est de fratribus supra dictum.

CAP. IV.

Forma professionis.

§ 6. Completo anno, vel ante, si priori vel vicario seu correctori praedictis aut cui commiserit et etiam maiori parti fratrum professorum fraternitatis visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur; profitebitur autem hoc modo, videlicet:

Ad honorem Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti et Beatae Mariae Virginis, ego N. coram vobis priore seu vicario vel correctore fratrum Ordinis Servorum Sanctae Mariae de consortio talis loci, profiteor velle me de caetero vivere secundum formam et regulam fratrum et sororum dicti Ordinis usque ad mortem.

Mulieres vero eodem modo profiteantur coram priore vel ut supra, et priorissa vel cui commiserit.

CAP. V.

§ 7. Statuimus autem, ut nullus frater nec soror huius fraternitatis et Ordinis, post talem supradictam professionem de hoc Ordine egredi valeat, nec eisdem ad saeculum reverti liceat, sed bene, libere possint transire ad unam de approbatis religionibus, tria vota solemnia profitentibus.

Professis a religione praeclusus regressus.

CAP. VI.

De horis canonicis, aliisque vocalibus orationibus:

§ 8. Fratres et sorores dicant quotidie omnes horas canonicas, nisi infirmitate impediantur. Pro matutinis dicant vigintiocto *Pater noster*, pro vesperis quatuordecim, et pro qualibet aliarum horarum septem. Ad honorem vero beatae Mariae semper Virginis, pro qualibet hora tot *Ave Maria* quot *Pater noster* dicere teneantur. Pro benedictione autem mensae dicant unum *Pater noster*; cum vero surgunt de mensa, similiter dicant unum *Pater noster* pro gratiarum actione, vel psalmum, *Miserere mei Deus*, vel *Laudate*, qui sciunt; omnes etiam, qui sciunt Symbolum Apostolorum, videlicet, *Credo in Deum*, dicant illud semel in principio matutinarum et etiam ante primam, et quando completorium fuerit terminatum: qui autem sciunt et dicunt horas canonicas quemadmodum faciunt clerici, prædicta *Pater noster* et *Ave Maria* dicere minime teneantur.

CAP. VII.

Tempore horarum dicendarum:

§ 9. Ad matutinas, dominicis diebus et festivis, a festo Omnium Sanctorum usque ad festum Resurrectionis Dominicae, omnes surgunt. In Adventu autem Domini et quadragesima surgant omni nocte. Qui vero occupantur quotidiano opere manuali, horas suas dicere poterunt de mane usque ad vesperas exclusive, de sero vesperas et completorium simul dicant.

CAP. VIII.

Confessione et Communione:

§ 10. Omnes quater in anno ad minus, videlicet in festo Nativitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes et Assumptionis aut Nativitatis Beatae Mariae

Virginis, peccata sua confiteantur diligenter, et Eucharistiae devote studeant recipere sacramentum, nisi forsan ex aliqua causa rationabili alicui ex ipsis esset a suis confessoribus interdictum. Qui autem ex devotione sua saepius voluerit infra annum communicare, petita a suo praelato licentia et obtenta, devotionem suam cum Dei benedictione poterit executioni demandare.

CAP. IX.

Silentio in Ecclesia:

§ 11. In Ecclesia dum celebrantur missae vel decantatur divinum officium seu actualiter proponitur ibidem verbum Dei, omnes silentium servare studeant, et orationi ac divino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali et occurrente necessitate aliquid submisse loquatur.

CAP. X.

Reverentia episcopis, parochis aliisque exhibenda:

§ 12. Fratres et sorores Ecclesias, quarum parochiani existunt, iuxta canonicas sanctiones et bonos mores, cum omni devotione studeant visitare, et Ecclesiarum suarum praelatos, videlicet episcopos et inferiores, summe revereantur. Ipsorumque iura absque omni diminutione fideliter eis solvant, et hoc tam in decimis quam in obligationibus alias quomodolibet consuetis.

CAP. XI.

Ieiuniis:

§ 13. A dominica prima Adventus usque ad Nativitatem Domini, quotidie tam fratres quam sorores ieiunent. Et similiter a dominica in Quadragesima usque ad Pascha Resurrectionis Domini idem observent; ferias autem sextas ieiunabunt omni tempore. Et ieiunia omnia ab Ecclesia instituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare, seu austeritates alias facere, poterunt, habita licentia a suo prælato vel de consensu confessoris discreti.

CAP. XII.

Esu carnium:

§ 14. Fratres et sorores huiusmodi fraternitatis uti poterunt carnibus diebus dominicis et tertia et quinta feria. Caeteris vero diebus se abstineant, nisi sint infirmi aut multum debiles, vel nisi praecipuum festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti.

CAP. XIII.

Choreis, conviviisque fugiendis:

§ 15. Vagos curiososque discursus per civitatem non faciant. Sorores vero solae non discurrant, maxime iuniores: ad nuptias et choreas, sive ad dissoluta et mundana convivia, sive ad vana spectacula nullo modo accedant: de civitate vero seu castro vel loco ubi habitant non exeant, etiam causa peregrinationis, absque speciali licentia prioris, vicarii vel correctoris dictae fraternitatis.

CAP. XIV.

Armis non deferendis:

§ 16. Insinuationis sive impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi pro defensione fidei christianae aut ex alia rationabili causa, et de suorum praelatorum licentia.

CAP. XV.

Infirmorum cura:

§ 17. Deputentur per correctorem duo ex fratribus, qui, cum quempiam ex eisdem noverint infirmari, ipsum, quam citius poterunt, caritative studeant visitare, et statim a principio ad recipiendum poenitentiam et alia ecclesiastica sacramenta eumdem efficaciter exhortentur, et, si necesse fuerit, ministerium corporale, prout commode poterunt, eidem studeant exhibere: si vero fuerit pauper, necessaria de bonis propriis vel communibus, prout facultas permiserit, sibi ministrare procurent, et idem faciant sorores circa infirmas ex eis.

CAP. XVI.

Mortuorum suffragiis:

§ 18. Quando continget aliquem ex fratribus ab hac luce migrare, caeteris confratribus, qui sunt in hac civitate vel castro, nuncietur, ut procurent defuncti exequiis personaliter interesse, a quibus non recedant donec corpus traditum fuerit

sepulturae: hoc idem inter sorores decedentes volumus observari. Praeterea, infra octo dies post ipsius defuncti sepulturam immediate sequentes, quilibet frater et soror dicat pro anima eius, sacerdos unam missam, sciens vero psalterium psalmos quinquaginta. Illiterati vero centum *Pater noster* dicant, et in fine cuiuslibet *Requiem aeternam* etc. Et, praeter haec, quilibet infra annum, pro fratrum et sororum tam vivorum quam defunctorum salute, tres missas faciat celebrari; qui vero sciunt psalterium, illud dicant, et caeteri quinquaginta *Pater noster* dicere teneantur.

## Cap. XVII.

Electione correctoris generalis et priorissae:

§ 19. Correctore fraternitatis mortuo vel amoto, prior seu vicarius, cum consilio antiquiorum de fraternitate, alium instituat correctorem; singulis autem annis infra octavas Paschae vel alio tempore, privatus prior vel vicarius habeat consilium cum antiquioribus de fraternitate super amotione vel confirmatione correctoris; sic eumdem confirmare vel movere poterit, secundum quod ipse cum praefatis iudicaverit expedire. Consimiliter, etiam de consilio dicti prioris vel vicarii et aliquorum de fraternitate magis antiquorum, poterit corrector ordinare de subcorrectore vel vicario fraternitatis, et etiam postmodum confirmare et amovere. secundum quod eis visum fuerit expedire. Qui subcorrector vel vicarius tantam potestatem habeat, quantam corrector sibi concedet. Et eadem forma in institutione et destitutione priorissae servetur.

## Cap. XVIII.

Correctoris et priorissae officio:

§ 20. Correctoris officium erit cum omni diligentia servare in se quaeque in regula descripta sunt, et solicitam dare operam ut ab aliis confratribus observentur. Si quos vero viderit transgredientes aut etiam negligentes, caritative corripiat et emendet, vel, si magis sibi videatur expediens, priori vel vicario praedictis, ut corrigat, poterit intimare. Priorissae etiam erit officium solicite Ecclesiam visitare, caeteras etiam sorores excitare ad observantiam regularem, diligenter etiam per se ipsam, et alias quibus imponet, observare quod in incessu, statu et habitu nihil per aliquam consororem fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectum; praecipue tamen attendat ut sorores cum quoquam viro, cuiuscumque conditionis existat, familiaritatem non contrahant, maxime iuniores, nisi forsan talis vir sorori illi attingat infra tertium consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc quod sit bonae vitae et famae.

## Cap. XIX.

Peccantium correctione et emenda:

§ 21. Si quis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta, et ter admonitus per praelatum si non se emendaverit, excludatur ad tempus a capitulo et consortio caeterorum confratrum, et, de consilio discretorum, ab ipsorum penitus consortio publice excludatur, nec admittatur de caetero, nisi cum fratribus omnibus videatur esse correctus. Item, si quis confratri vel alteri cuicumque opprobrium dixerit, quod sonare infamiam videatur, aut ex ira quempiam percusserit, vel ad locum sibi prohibitum ire praesumpserit, seu inobedientiam quamcumque commiserit, aut etiam praelato mendacium ex industria dixisse deprehensus fuerit, abstinentia panis et aquae, vel exclusione a capitulo aut etiam consortio aliorum fratrum, plus vel minus, secundum conditionem personae et exigentiam delicti, gravius corrigatur. Item, si quis commiserit peccatum carnale, talis, de consilio maioris partis professorum fraternitatis illius loci, secundum exigentiam culpae et conditionem personae, gravius vel levius puniatur, sic tamen quod sit caeteris in exemplum: quam punitionem si ferre recusaverit, de consilio discretorum de Ordine expellatur. Circa sororum correctionem, illud idem volumus in omnibus observari.

Cap. XX.

Congregationibus mense quolibet in ecclesia FF. Servorum et subordinatione Generali Ordinis.

§ 22. In quolibet autem mense semel, certa die et hora, per supradictos priores vel vicarios ad Ecclesiam fratrum Servorum Sanctae Mariae convocentur fratres omnes confratriae praedictae, verbum Dei et etiam missam, si hora competens fuerit, pariter audituri, et tunc per ipsos priores vel vicarios ipsis legatur Regula ista et exponatur, ac de agendis fratres informent, et negligentes corrigant et emendent, prout, secundum Deum et istam vivendi formam, viderint expedire. In quolibet etiam mense, prima sexta feria, sorores ad Ecclesiam huiusmodi conveniant, similiter verbum Dei et missam communiter auditurae, quibus etiam legatur haec Regula et exponatur, de suisque excessibus corrigantur ut supra. Volumus quod in qualibet civitate et terra, ubi fuerint fratres et sorores confratriae huiusmodi, habeant in correctorem vel vicarium aliquem idoneum fratrem sacerdotem de Ordine praedicto, quem postulaverint a prioribus praefatis, aut quem ipsi priores vel vicarii, per se vel per alios, eis assignare decreverint. Volentes insuper et statuentes universos fratres et sorores huiusmodi confratriae, ubicumque existant, directioni et correctioni ipsius generalis vel prioris provincialis, pro eorumdem ampliori conservatione et promotione totaliter subiacere, quantum ad illa videlicet, quae eorumdem vivendi modum et formam concernere dignoscuntur.

Cap. XXI.

Correctoris et priorissae dispensandi ab abstinentiis facultate.

§ 23. Corrector fraternitatis cum fratribus, et priorissa cum sororibus suis, cum vicario eis deputato, cum ipsis in abstinentiis, ieiuniis et austeritatibus aliis in supradictis capitulis contentis, ex causa legitima, cum expedire viderint, poterunt dispensare.

Cap. XXII.

§ 24. Demum, quemadmodum in constitutionibus Ordinis S. Augustini continetur, item volumus et ordinamus quod in ista Regula seu forma vivendi habeatur, videlicet quod, praeter divina et Ecclesiae praecepta atque statuta in ea contenta, in reliquis huiusmodi regulae constitutionibus sive ordinationibus fratres et sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solum ad poenam, quae, cum a praelato vel generali continget, ex quavis transgressione, imponi, per transgressorem humiliter et prompte suscipiatur, et etiam opere perficiatur, cooperante gratia Domini Redemptoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Regula non obligat ad culpam, sed ad poenam.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, decimoseptimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 16 martii 1424, pontif. anno VII.

---

## XII.

*Privilegium exemptionis monacorum S. Benedicti Ordinis Cisterciensis a solutione decimarum.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1, 2. Exemptio (*de qua in rubrica*). — 3. Obstantium derogatio.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, praepositis, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos praesentes literae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.**

Procemium.

Militanti Ecclesiae, licet immeriti, disponente Domino, praesidentes, circa curam Ecclesiarum ac monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, ut, iuxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina cooperante clementia, salubriter intendamus.

§ 1. Cum abbates Cisterciensis Ordinis ad commonitionem *etc.* (1).

Exemptio (de qua in rubrica).

§ 2. Nos enim propagationem Ordinis et tranquillitatem praedictorum abbatum, priorum, abbatissarum et conventuum dicti Ordinis, intentis desideriis affectantes, praefatis et pluribus aliis favoribus prosequi volentes, eorum supplicationibus inclinati, de speciali gratia necnon ex consideratione nonnullorum regum et principum, qui nobis suas destinarunt literas, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum abbatem et omnes et singulos abbates, priores et abbatissas et omnia et singula monasteria et singulares personas dicti Ordinis praesentia et futura, ubicumque pro tempore existentia, a praestatione decimarum tam de possessionibus habitis ante et post concilium memoratum, quam de caetero habendis, et tam de novalibus sive ante sive post concilium huiusmodi acquisitis et acquirendis, quae propriis sumptibus excolunt seu excolent, quam alias quomodocumque vel qualitercumque excolantur, et etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus percepit, necnon de hortis, virgultis et piscationibus suis et de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino servetis immunes. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 3. Quibuscumque constitutionibus, ordinationibus apostolicis ac aliis in contrarium editis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, non obstantibus. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, nono kalendas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 23 septembris 1424, pont. anno VII.

(1) Omittitur haec narrativa, quia eadem est in Constit. LXXIII Honorii III, *Cum abbates*, tom. III, pag. 408.

## XIII.

***Statuta et ordinationes nonnullae sanciuntur ab auditoribus Rotae Romanae, advocatisque, procuratoribus et notariis eius Curiae observandae, quibus vita, moresque probi praescribuntur.***

### SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Nonnullas constitutiones hac de re editas infirmat. — 2. Hasce vero, et quas hic laudat servari mandat. — 3. De punitione excessuum. — 4. Auditor, cui prius commissa causa fuerit, eius sit iudex; et in dubiis antiquior iudex procedat. — 5. De notariorum admissione. — 6. Officia notarii non locent, nec vendant, nec absint a Curia. — 7. Eorum mores quales esse debeant. — 8. Fideliter quisque suum exerceat officium. — 9. Taxa Ioannis XXII per eos servanda. — 10. Pro pauperibus gratis a notariis, advocatisque scribendum. — 11. Iniustas causas defendendas non suscipiant. — 12. A clamoribus abstineant. — 13. Qui partem defendit semel, alteram in eadem causa non suscipiat defendendam. — 14. Procuratores examini subiic. — 15. Eorum officia. — 16. Maiores in Ecclesiis dignitates obtinentes procuratoris officio non fungantur. — 17. Procuratores et notarii concubinas non habeant. — 18. Honeste vivant. — 19. Ordo servandus in causis summariis in prima instantia: — 20. In secunda: — 21. In tertia. — 22. Quae omissiones nullum reddant processum. — 23. De causis, in quibus proceditur in figura iudicii. — 24. De secunda instantia. — 25. De tertia. — 26. Procuratores quid advertere debeant in observatione terminorum. — 27. Causæ omni brevitate cognoscendae, et infra duos menses expediendae. — 28. Auditores quid servare teneantur pro expeditione causarum. — 29. Causae beneficiales infra summam 60 flor. S. R. E. cardinalibus non committendae. — 30. Quae fieri debeant pro habenda expeditione sententiarum. — 31. De feriis et diebus ad audientiam deputatis.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Romani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam gesta per eum, ratio-

nabilibus et honestis suadentibus causis, moderatur et commutat in melius, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Nonnullas constitutiones hac de re editas infirmat.

§ 1. Nuper siquidem, videlicet pridie nonas februarii, pontificatus nostri anno sexto, quaedam constitutiones et ordinationes, quae reformationes officialium Romanae Curiae concernere videbantur, in audientia literarum contradictarum lectae fuerunt et etiam publicatae. Et quia nonnulla nimium rigorosa continebantur in illis, quae in ipsorum officialium nimis grave dispendium et praeiudicium redundabant, eas per nostrae provisionis officium, habitaque super his deliberatione matura, in melius duximus commutandas. Illas igitur constitutiones et ordinationes, ut praemittitur, publicatas, auctoritate praesentium perinde haberi volentes, ac si in eadem audientia lectae et publicatae minime extitissent, et a nobis nullatenus emanassent.

Hasce vero, et quas hic laudat servari mandat.

§ 2. Infrascriptas constitutiones et ordinationes nostras in eadem audientia legi et publicari volumus et iubemus, easque praecipimus ab omnibus inviolabiliter observari. Et licet fel. rec. Ioannes XXII et Gregor. XI Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas constitutiones et ordinationes circa regimen et ordinationem officialium et officiorum eiusdem Curiae laudabiliter ediderint; quia tamen illae, mundi crescente malitia, aut debite non observantur, aut additionibus utilibus indigere noscuntur, nos super his intendentes, prout ex debito pastoralis officii obligamur, salubriter providere, constitutiones et ordinationes dictorum praedecessorum tenore praesentium auctoritate apostolica innovantes, eas cum additionibus infrascriptis, quas vim perpetuae constitutionis habere decernimus, praecipimus firmiter observari. Mandantes ex nunc venerabili fratri nostro Ioanni episcopo Ostiensi S. R. E. vicecancellario et in Cancellaria apostolica praesidenti, eorumque successoribus, quatenus illas faciant diligentius observari. Quae, ut attentius observentur, statuimus, quod singuli Sedis Apostolicae notarii, et tam praedictae (1), quam Palatii Apostolici causarum auditores, corrector, scriptores, abbreviatores literarum apostolicarum, advocati, procuratores et notarii causarum dicti palatii, necnon senescallus, qui custos est dictae Cancellariae, constitutiones et additiones praedictas infra mensem a die publicationis praesentium computandum habere, et de hoc, infra alium mensem immediate sequentem, dictum vicecancellarium certificare, et alia circa praemissa facere et observare teneantur, prout in constitutionibus dictorum prædecessorum ac praesentibus plene continetur.

De punitione excessuum.

§ 3. De auditoribus autem causarum Palatii Apostolici et aliis in Romana Curia iudicibus, eorumque notariis, constitutiones dictorum praedecessorum super hoc laudabiliter editas volumus firmiter observari, quas auditores et notarii praedicti apud se cum caeteris huiusmodi teneantur, ut praefertur, habere et circa illarum observationem diligenter intendere. Verum si quis ex eisdem auditoribus de praemissarum constitutionum transgressione, seu de praecipitatione iustitiae, negligentia, corruptione et munerum acceptione notatus fuerit, seu vagus, aut alias male vel inhoneste versetur in dicta Curia, per præfatum vicecancellarium vel eius vicesgerentem caritative moneatur, ut ab his se abstineat et emendet, bonamque famam acquirere studeat, et in vita laudabiliter perseveret. Qui si sic monitus, se emendare neglexerit, et per tres menses continuos post monitionem huiusmodi eadem nota vel infamia respersus in proposito suae opinionis permaneat, per vicecancellarium aut vicesgerentem praedictum causæ sibi nullatenus committantur, et si per alios tres menses simili nota vel infamia notatus fuerit et se non emendaverit, tunc idem vicecancellarius aut vicesgerens

(1) *Cancellariae.*

praemissa nobis referre teneantur, ut super hoc possit salubriter provideri.

Auditor, cui prius commissa causa fuerit, eius sit iudex; et in dubiis antiquior iudex procedat.

§ 4. Caeterum statuimus et etiam ordinamus, quod si contingat inter easdem personas super eadem re diversis auditoribus aut iudicibus aliquam causam committi, is cui primo fuerit praesentata commissio super causa huiusmodi, remaneat eiusdem causae iudex. Quod si de iurisdictione alterius extiterit pro parte adversa data exceptio, tunc, cuius fuerit iurisdictio, primitus cognoscat ille, coram quo excipitur, et exceptio alteri iudici intimetur. Quod si constare non potest, cui primo fuerit commissio praesentata, antiquior auditor iudex sit causae, et iunior causam ipsam eidem auditori antiquiori dimittat, nec ulterius quivis eorum iudicum in causa procedat, donec fuerit iudicatum. Et si ulterius procedatur ante cognitionem huiusmodi, non valeat processus. Auditor vero, aut iudex alius vel notarius, qui circa hoc ad retinendum causam aliquid dolose egerit, excommunicationis sententiam incurrat eo ipso, a qua non possit nisi per vicecancellarium praedictum absolvi, aut de eius mandato, et refusis prius parti laesae expensis et damnis.

De notariorum admissione.

§ 5. Statuimus etiam, quod nullus in notarium alicuius auditoris dicti Palatii, nisi vigesimum quintum suae aetatis annum attigerit et alias notariatus officium exercuerit, sitque boni nominis et laudabilis famae, ac sufficiens et idoneus ad notariatus officium causarum dicti Palatii exercendum, et post diligentem examinationem et informationem super his habitam per ipsum vicecancellarium aut deputandum ab eo de praemissis constiterit, admittatur.

Officia notarii non locent, nec vendant, nec absint a Curia.

§ 6. Quodque notarii dictorum auditorum sua notariatus officia non locent, nec vendant, alioquin et officium, et precium perdant, ipsumque precium apostolicae Camerae applicetur, et officium alteri conferatur. Et si quis ex eisdem notariis, cessante causa necessaria, vel absque sui auditoris licentia, per tres menses continuos ab eadem Curia absens fuerit, dicto officio eo ipso privatus existat.

Eorum mores quales esse debeant.

§ 7. Volumus insuper, quod praefati notarii in habitu decenti incedant, honesto et convenienti clerico saeculari. Tabernas non frequentent, nec concubinarii existant, cum per hoc eorum vilescat officium, et ex huiusmodi incontinentia vitae infamiam consequantur; et si contrarium fecerint, suis priventur officiis.

Fideliter quisque suum exerceat officium.

§ 8. Quodque notarius, qui notatus aut diffamatus extiterit, quod malitiose, negligenter vel per dolum aliquid egerit vel scripserit, quod in processu vel iudicio deductum vel actum non fuerit inter partes, seu quod ipse personarum, in quarum causis scribit, acceptor sit eis secreta causae detegendo, aut alias in alterius partis praeiudicium aliquid committendo, eo ipso sui notariatus officio sit privatus, et de huiusmodi infamia et aliis praemissis per dictum vicecancellarium vel ab eo deputandum summarie, simpliciter et de plano fiat diligens inquisitio. Et si per inquisitionem huiusmodi ipse notarius culpabilis repertus fuerit, aut purgatio extiterit indicenda, et in dicta se debite non purgaverit, privetur quibuscumque aliis officiis, quae in eadem Curia obtinebit. Et idem volumus de quibuscumque notariis quorumcumque S. R. E. cardinalium, iudicum et commissariorum in eadem Curia pro tempore deputatorum inviolabiliter observari.

Taxa Ioannis XXII per eos servanda.

§ 9. Et nihilominus quod dicti notarii in exactionibus salariorum suorum pro suis processibus et scripturis, taxas super hoc ordinatas per dictum Ioannem XXII cum illarum moderationibus observare teneantur. Quod si, ultra dictam taxam, aliquid petere aut exigere quoquomodo praesumpserint, super excessu huiusmodi ad vicecancellarium vel locumtenentem praedictum habeatur recursus, qui, vocatis super hoc peritis, huiusmodi excessus, iuxta taxas praedictas, reducat ad debitum moderamen. Et si notarius ipse de facto plus receperit, duplum parti laesae refun-

dere teneatur. Quodque pro citationibus, compulsoriis et inhibitionibus, decretis in partibus, procuratoriis, instrumentis ac remissionibus ad partes, examinationibus testium et quibuscumque aliis scripturis, bis scriptis in eodem processu, nisi semel dumtaxat taxatio fiat.

Pro pauperibus gratis a notariis, advocatisque scribendum.

§ 10. Praeterea statuimus et etiam ordinamus, quod tam notarii causarum dicti Palatii, quam etiam procuratores et advocati pauperibus clericis in dicta Curia super quibusvis beneficiis ecclesiasticis litigantibus, qui iuraverint se pro suis causis defendendis pecunias non habere, gratis in huiusmodi scribant, scripturasque tradant, eisque procurationis et advocationis officium, patrocinium et favorem etiam gratis impendant; ad quae facienda eos per auditorem, coram quo causa pendebit, compelli posse volumus remediis opportunis.

Iniustas causas defendendas non suscipiant.

§ 11. Advocatos etiam et procuratores constitutiones Ioannis XXII et Gregorii XI praedecessorum praedictorum super hoc editas, quas secum teneantur habere, diligenter praecipimus observare et praesertim in examinatione causae, si iusta sibi vel iniusta esse videatur, ita ut nullam agendam iniustam causam vel defendendam scienter suscipiant, et de hoc iuramentum praestent et observent, prout in dictis constitutionibus extitit salubriter ordinatum.

A clamoribus abstineant.

§ 12. Caveant autem a tumultuosis clamoribus in concistoriis et audientiis, nec umquam plures simul loquantur, et donec advocatus proponens vel respondens sermonem compleverit, alius sive eiusdem, sive adversae partis advocatus, quicquam dicere non praesumat. Liceat etiam procuratori causae proponenti advocato retro assistere, ut si quid forsan ille omiserit, procurator ad memoriam revocet et reducat.

Qui partem defendit semel, alteram in eadem causa non suscipiat defendendam.

§ 13. Statuimus autem, prout etiam iura disponunt, ut nullus advocatus vel procurator, qui semel uni parti in aliqua causa consilium vel patrocinium dederit, parti adversae in eadem causa patrocinium vel consilium praestet, seu causam ipsius agat vel defendat, nisi, facta advocatorum aut procuratorum distributione, auctoritate iudicis compellatur. Quo casu de his, quae ab illa prima parte in causa didicerit, numquam alteram doceat, aut ex illis, nisi ab eadem parte didicerit, patrocinium praestet. Et si contra praemissa fecerit, excommunicationis sententiam et alias poenas iuris incurrat, ac suo privetur officio, ad interesse partis nihilominus condemnandus.

Procuratores examini subiiciendi.

§ 14. Et quia, propter procuratorum imperitiam aut inertiam, partes saepe in causis dispendium et praeiudicium patiuntur; statuimus, quod nullus de caetero ad procuratoris officium in dicta Curia publice pro salario exercendum in iudiciis admittatur, nisi prius per ipsum vicecancellarium, vel deputandos ab eo, in literatura, industria et stylo Curiae examinatus, atque habita debita informatione de moribus, fidelitate et honesta conversatione, repertus fuerit idoneus, et per eumdem vicecancellarium ad huiusmodi publicum officium per eius patentes literas admissus, omnesque procuratores admissi in aliorum matriculam inscribatur, sicut in praefati Benedicti praedecessoris constitutionibus de advocatis habetur.

Eorum officia.

§ 15. Et quia saepe in advocatorum absentia, causae in iudiciis per procuratores aguntur et defenduntur, procuratores ipsi ab iniuriis, et contumeliosis verbis, et malo modo dicendi et loquendi cessent, et cum haec agunt, eadem studeant observare, quae de advocatis superius duximus statuenda. Quod si contrarium fecerint, formidabilibus poenis per iudicem causae taliter puniantur, ut per hoc caeteri a similibus arceantur.

Maiores in Ecclesiis dignitates obtinentes procuratoris officio non fungantur.

§ 16. Et insuper dignitatem in cathedrali maiorem post pontificalem, vel in collegiata Ecclesia principalem obtinentes, ad officium publici procuratoris in dicta Curia praecipimus de caetero non assumi.

Procuratores et notarii concubinas non habeant.

§ 17. Iubemus etiam eisdem procuratoribus et notariis causarum dicti Palatii et aliis clericis in dicta Curia actu sua officia exercentibus, ne concubinas publice teneant, mandantes quod eas de praesenti publice tenentes, infra mensem a die publicationis praedictae, dimittere teneantur. Alioquin sententiam excommunicationis incurrant, et suis officiis sint privati.

Honeste vivant.

§ 18. Honestum praeterea gerant habitum, congruentem clerico saeculari, nec tabernas frequentent, et si contrarium fecerint, ab eorum officiis per ipsum vicecancellarium ad tempus, de quo sibi videbitur, suspendantur.

Ordo servandus in causis summariis in prima instantia:

§ 19. Et quoniam lites super quibusvis causis beneficialibus, profanis et aliis, quae pro tempore per quascumque personas ecclesiasticas vel saeculares in Romana Curia ex apostolica commissione moventur atque tractantur, intendimus fieri breviores, et ut litigantes ad ipsam Curiam pro defensione suorum iurium venientes, et huiusmodi causas prosequentes, releventur a laboribus et expensis; statuimus et etiam ordinamus, quod in causis, in quibus de iure vel alias per rescriptum, sive per commissionem proceditur, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura iudicii talis ordo servetur, videlicet, quod in prima instantia causae principalis, terminus ad libellandum servetur ad primam. Ad iurandum de calumnia ad primam. Ad ponendum et articulandum ad duodecimam. Ad dicendum contra articulos ad secundam. Ad producendum omnia ad secundam. Ad dicendum contra producta ad secundam. Ad declarandum ad primam. Ad dicendum contra ad primam.

In secunda:

§ 20. In secunda vero instantia terminus ad libellandum ad primam. Ad iurandum ad primam. Ad articulandum ad octavam. Ad dicendum contra ad primam. Ad producendum omnia ad primam. Ad dicendum contra ad primam. Ad declarandum ad primas dies.

In tertia.

§ 21. In tertia autem instantia serventur similes termini, qui in secunda servantur instantia, ad primam, praeter terminum ad articulandum, qui servatur ad sextam diem.

Quae omissiones nullum reddant processum.

§ 22. Verum cum termini ad articulandum et dicendum contra articulos, ad producendum omnia et dicendum contra producta de substantia iudicii censeantur existere, statuimus atque decernimus, quod ipsorum alicuius omissio reddat eo ipso processus nullos; aliorum vero terminorum, alicuius omissio, dum tamen malitiose non fiat, sed casualiter, quo contingente processum non vitiet.

De causis, in quibus proceditur in figura iudicii.

§ 23. In causis autem, in quibus proceditur in figura iudicii, serventur termini secundum stylum Curiae consuetum, praeterquam in terminis ad respondendum libello, et ad iurandum de calumnia, qui serventur ad primam. Et in termino ad articulandum, qui in prima instantia, tam ex parte actoris, quam rei, servetur ad decimum quintum diem.

De secunda instantia.

§ 24. In secunda vero instantia similiter ad respondendum libello ad primam. Ad iurandum de calumnia ad primam. Ad articulandum ad octavas dies. Reliqui vero termini serventur prout secundum stylum antiquum est solitum observari.

De tertia.

§ 25. In tertia vero instantia serventur omnes termini ad primam, secundum quod consuevit antiquitus observari, praeter terminum ad articulandum observetur ad sextam diem. Volumus insuper, quod praemissa vendicent sibi locum, non solum ad futura negocia, sed ad pendentia etiam per appositionem, ita tamen, quod processus primo factus propter hoc non vitietur, sed in pristino suo robore et firmitate persistat.

Procuratores, quid advertere debeant in observatione terminorum.

§ 26. Praeterea illum usum, quo procuratores in observantia terminorum dicunt se dare libellum et articulos verbo, et dicere contra verbo, et ita servant omnes terminos, et cum iam deberet pro-

nunciari sententia, tunc incipiunt processum et dant articulos, et caetera faciunt realiter, quae dixerunt verbo, sic duximus moderandum, quod procuratores ipsi, post terminum ad dicendum contra producta, et ante terminum ad declarandum articulos facto, et omnia quae de iure volunt et possunt, producere teneantur.

Causae omni brevitate cognoscendae, et infra duos menses expediendae.

§ 27. Et quoniam aliquando contingit, quod post observationem omnium terminorum, notarii registrum ordinare et auditori causae praesentare, et postquam registrum huiusmodi auditori praesentatum fuerit, auditores plus debito causam differunt expedire; statuimus et etiam ordinamus, quod servatis omnibus terminis, in quacumque causa notarius, qui scripsit in causa, registrum infra quindecim dies conficere teneatur et ordinare, ac deinde de salario sibi debito satisfacto, illum statim suo auditori tradere et assignare debeat. Et deinde idem auditor, postquam registrum ipsum sibi fuerit praesentatum, terminum habeat duorum mensium, infra quos causam ipsam expedire teneatur, nisi forsan a nobis vel dicto vicecancellario propter arduitatem causae, sicut saepe contingit, maiorem dilationem habuerit, de qua per nostram commissionem in registro causae constet. Alioquin notarius sententiam excommunicationis incurrat. Et si de negligentia in expeditione, dolo vel fraude coram suo auditore fuerit accusatus, salarium suum perdat, ad expeditionem ad eumdem auditorem nihilominus compellendus. Et nihilominus, qui infra dictos menses, non habita a nobis vel ipso vicecancellario maiore dilatione temporis, causam expedire contempserit, ex tunc iurisdictionem amittat, et causa alteri auditori committatur, et ab ingressu Rotae suspendatur per mensem; et idem de iudicibus aliis extra Rotam praecipimus observari, quibus, si negligentes fuerint causas expedire infra dictos menses, aliquae causae per trimestre tempus nullatenus committantur. Et si fuerit contrafactum, commissiones nullius existant roboris et momenti.

Auditores quid servare teneantur pro expeditione causarum.

§ 28. Praeterea, quia saepe contingit, quod literae apostolicae, ad impediendum partes et eas involvendum laboribus et expensis, absque causa rationabili, in bullarum et dictarum literarum apostolicarum registro arrestantur, et suum nequeunt sortiri effectum: statuimus et etiam ordinamus, quod postquam litera arrestata ad auditorem causae fuerit reportata, idem auditor adversae parti terminum octo dierum praefigere, per eum postea, si expediat, prorogandum, infra quem ex suo iure et interesse coram dicto auditore legitime docere et fidem facere teneatur.

Causae beneficiales infra summam 60 flor. S. R. E. cardinalibus non committendae.

§ 29. Statuimus insuper et etiam ordinamus, ad parcendum laboribus et expensis quorumlibet litigantium, quod causae, super quibusvis beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, quorum fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, S. R. E. cardinalibus nullatenus committantur, et commissiones sint nullae, si fuerit contrafactum.

Quae fieri debeant pro habenda expeditione sententiarum.

§ 30. Et quoniam frustra ferrentur sententiae, nisi essent qui exequerentur easdem, et in habendis literis executorialibus, sub bulla quandoque duorum vel trium mensium dilationes fiunt, pro quibus expediendis occurrunt graves expensae, quae aliquando ad quindecim, aliquando ad decem et octo florenos ascendunt, et notarii dictae Sedis, qui illarum minutas deberent conficere, non conficiunt, sed per suos abbreviatores, quorum aliqui sunt minus periti, faciunt, et cum illas quandoque non bene conficiant, ad peritiores oportet habere recursum, et sic partes ipsas executores prosequentes, plus oportet expendere, quam ab antiquo consuetum sit solvere, et qui non laborant, plus salarii accipiunt, unde partes magna temporis dilatione plus quam deceat gravantur laboribus et sumptibus in earum

procuratione, qui in expensarum taxatione non veniunt: Nos ad evitandum huiusmodi inconvenientiam, et ut partes in procurandis praedictis executoribus, opportunum recipiant relevamen, statuimus et etiam ordinamus, quod sit in electione partis si velit habere sub bulla simplicem literam executoriam, sive confirmationem sententiae, quae in effectu contineant, quod in causa, quae inter tales partes super tali revertebatur, lata fuit per talem iudicem seu tales iudices talis sententia, cuius effectus ponatur in litera et mandetur executoribus, quod sententiam ipsam debitae executioni demandent, et tales literae non taxentur ultra duodecim grossos turonenses. Si vero pars malit habere executoriam cum confirmatione sententiae iuxta morem, quia tunc in confectione minutae maior labor occurrit, et necessarium est totum processum causae recensere, servetur quod hucusque extitit observatum, ita tamen quod confectio minutarum, quae concernunt iustitiam, ad notarios ipsos pertineant: et praeter hoc, salarium habeant: minutae per eos fiant vel expensis eorum, et hoc idem in omnibus aliis literis iustitiae et provisionum ad Ecclesias cathedrales et monasteria quaelibet factarum et fiendarum in consistorio nostro, quae per manus ipsorum notariorum transeunt, praecipimus observari. Verum intelleximus, quod procuratores, qui causas, super quibus expediuntur literae executoriales in iudicio, in eadem Curia egerunt vel defenderunt, quando literae huiusmodi in dicta audientia contradictarum leguntur: ubi ipsi procuratores intersunt, mediam partem taxae dictarum literarum executores de novo a partibus nituntur exigere et saepe exigunt, illud reputantes abusum, fieri prohibemus. Volentes eosdem procuratores communi salario pro aliis in dicta audientia legendis literis, quando ibidem intersunt, esse contentos, ubi forsan ipsi per totam huiusmodi literam executoriam procuraverint, quo casu competens salarium a partibus petere et recipere possint secundum quod in taxationibus praefati Ioannis XXII praedecessoris habetur.

*De feriis et diebus ad audientiam deputatis.*

§ 31. Caeterum cum saepe contingat quod in omnibus diebus unius hebdomadae, quibus teneri solet audientia, et aliquando in duabus coniunctis hebdomadis feriae celebrantur, unde lites prorogari contingit: statuimus et etiam ordinamus, ut quotiescumque in una hebdomada tres illi dies, quibus teneri solet audientia, quomodolibet sint feriati, praeterquam in octavis Nativitatis et Resurrectionis D. N. Iesu Christi, videlicet per septem dies ante, et septem post, die Iovis in hebdomada tali, si illa dies feriata non fuerit, alioquin die sabbati audientia teneatur.

Dat. Romae, apud S. Petrum *etc.* (1).

---

## XIV.

*Sanctorum canoni adscribit B. Sebaldum de Daciae regum prosapia genitum, oppido Nuremburgensi Bambergen. dioec. clarum, cum institutione festivitatis pro die 19 augusti* (2).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Quibus de causis Nurimbergenses B. Sebaldum canonizari petierint. — 2. Eius nomen Ss. cathalogo adscribendum censet Martinus. — 3. Indulgentias eius sepulchrum visitantibus elargitur. — 4. Bona nonnulla fabricae eius Ecclesiae addicit. — 5. Rectori huiusmodi bona ad hoc applicandi dat facultatem. — 6. Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

*Procemium.*

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas devotorum consuevit iustis annuere

(1) Hasce literas datas cum censuerim hoc anno 1424, in iis siquidem Martinus meminit alterius constitutionis a se anno pontificatus sui sexto datae, quam non secus ac supervacaneam omisi, post finem anni VII positas volui (Cocquelines).
(2) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

votis, et illis, per quae divini cultus ac status Ecclesiarum omnium, aliorumque piorum locorum ad divini Nominis propagationem erectorum adaugeri valeant, ipsis etiam fervor christianae religionis accrescat, sui vices officii libenter intromittit, et ea, quae devotionis causa Romanorum aliorumque Pontificum auctoritate et ordinatione rite processisse comperit, ut illibata persistant, libenter apostolici muniminis perstringit firmitate.

Quibus de causis Nurimbergenses B. Sebaldum canonizari petierint.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum consulum et proconsulum ac communitatis oppidi Nuremburgensis Bambergen. dioecesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod beatus Sebaldus, qui de regum Daciae prosapia genitus fuit, in oppido ipso, quod imperiale et inter alia illarum partium oppida multum solemne et insigne, famosumque existit, multis et innumeris in illo et eius circumvicinio coruscat miraculis, adeo quod pro sancto et patrono oppidi eiusdem per quingentos annos et ultra palam ab omnibus fuit reputatus, prout et in illo eiusque circumvicinio dietim reputatur, praedictique Beati corpus gloriosum in quodam solemni sarcofago auro et argento decorato in Ecclesia, quae dicti oppidi Ecclesia parochialis principalis est, clausum honorifice conservatur, ac ipsa et nonnullae aliae Ecclesiae, cappellae et altaria in praedicto oppido et locis aliis ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, eiusque Genitricis gloriosae beatae Virginis ac omnium superiorum civium sub vocabulo ipsius beati Sebaldi sumptuose et magnifice fundata et erecta venerabiliter conspiciuntur: quae etiam multiplicibus dotata fructibus, aliisque indulgentiarum et gratiarum muneribus auctoritate diversorum Romanorum, aliorumque Pontificum praedecessorum nostrorum Sedisque Apostolicae legatorum, necnon locorum ordinariorum pro visitantibus Ecclesias, cappellas et altaria praedicta ac eorumdem conservatione et constructione manus inibi adiutrices porrigentibus existant adornata: quodque etiam dicti Beati Sebaldi in oppido eodem, anno quolibet, in die, qua illum, post devictum triumphatumque mundum, in perpetuas aeternitates praesens vita parturiit, videlicet quarto decimo kalendas septembris, festum ipsius et officium proprium et speciale una cum legenda sui historia etiam speciali, sicut pro uno Confessore non Pontifice diversorum ordinariorum loci auctoritate extitit celebrari annis singulis institutum, prout etiam die illa ab illarum partium christicolis devote et solemniter celebratur, ita quod propterea eius nomen gloriosum in plerisque breviariis et aliis orationum libris inter alia sanctorum nomina adscriptum reperitur.

Eius nomen Ss. cathalogo adscribend. censet Martinus

§ 2. Quare pro parte consulum, proconsulum et communitatis praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro divini Nominis huiusmodi propagatione, et ad dictum Beatum fidelium illarum partium ferventiori devotione, ac Ecclesiarum, cappellarum et altarium prædictorum statu, necnon visitatione, conservatione, constructione et erectione eorumdem, præmissis omnibus et singulis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur, qui divini Nominis propagationem, statum et indemnitatem Ecclesiarum, cappellarum, altarium et locorum ecclesiasticorum quorumlibet, nostris potissime temporibus, adaugeri intensis optamus affectibus, ac de praemissis fama publica ac fide dignorum relatibus certiorati, ipsa veritate fulciri, praedictumque beatum Sebaldum sanctum esse, et ut talem haberi et reputari, eiusdemque festum in dicta die, videlicet quartodecimo kalendas septembris, ab omnibus christifidelibus per universum orbem annis singulis celebrandum et recolendum, ac eius nomen cathalogo aliorum Sanctorum Patrum adscribendum fore declaramus: necnon omnia et singula præmissa, ac concessiones, indulgentias, pri-

vilegia et indulta parochiali et aliis Ecclesiis, cappellis et altaribus praedictis sub vocabulo dicti Sancti Sebaldi erectis per quoscumque Romanos et alios Pontifices concessa ante obitum fel. rec. Gregorii Papae XI praedecessoris nostri, ac inde secuta, rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et approbamus ac praesentis scripti patrocinio communimus; supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem.

Indulgentias eius sepulchrum visitantibus elargitur.

§ 3. Et ut ad venerabile sepulchrum ipsius Sancti ardentius ac affluentius christifidelium confluat multitudo, et eiusdem Sancti celebrius colatur festivitas, et eius nomen celebrius recolatur, auctoritate prædicta omnibus vere poeniten. et confessis, qui sepulchrum eius apud dictam Ecclesiam in eiusdem festi die devote visitaverint, annuatim septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus.

Bona nonnulla fabricae eius Ecclesiae addicit.

§ 4. Et insuper omnia et singula bona mobilia ad incertas causas, ac ad quae veri haeredes non supersunt, nec pro tempore legitimi reperiuntur successores, in parochia aut apud rectorem et parochianos eiusdem Ecclesiae quomodolibet reperta, deposita vel relicta, necnon etiam illa, quae ad similes causas in praedicta parochia, dicto praecedente tempore, modo praemisso relinqui, deponi, ac deputari aut reperiri contigerit, pro fabrica Ecclesiae Sancti Sebaldi praedicti deputamus.

Rectori huiusmodi bona ad hoc applicandi d t facultatem.

§ 5. Ac volumus et ordinamus quod rector ac alii in Ecclesia et parochia praedictis, pro tempore in divinis ministrantes, omnibus utriusque sexus hominibus, apud quos praemissa bona consistunt, reperta tunc fuerunt, ut illa ad fabricam Ecclesiae praedictae tradant et assignent, in remissionem suorum peccaminum in foro poenitentiae auctoritate apostolica iniungant, super quibus eisdem plenam et liberam concedimus tenore præsentium de specialis dono gratiae facultatem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac aliis contrariis quibuscumque; proviso tamen, quod bona tradenda et assignanda huiusmodi ad fabricam Ecclesiae praedictae integre convertantur.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationis, confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis, relaxationis, deputationis, voluntatis, ordinationis et concessionis infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, septimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 26 martii 1425, pont. anno VIII.

---

## XV.

*Reintegratio antiqui officii et iurisdictionis magistrorum viarum Urbis eiusque districtus.*

SUMMARIUM

Exordium. — Causae huius dicti restituendi officii. — 2. Restituitur. — 3. Magistri creantur. — 4. Qualis eorum sit iurisdictio. — 5. Notarii eis dati. — 6. Officialibus caeteris praecipitur ut eis obediant. — 7. Syndicari et molestari in officio non debent. — 8. Contrariorum derogatio.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, dilectis filiis nobilibus viris Baptistae Petri Matthaei, et Bocio de Stinchis, civibus Romanis, viarum Urbis nostrae Rom. magistris, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Etsi in cunctarum orbis provinciarum, iuxta commissum nobis desuper officium, decore atque florentia delectemur, dignum tamen non immerito reputamus et congruum, ut Urbis nostrae Rom., quam Principes apostolorum Petrus, et in sortem similem vocatus Paulus, fidei orthodoxae cardines, aliique victoriosi innumeri martyres sui sanguinis aspersione inundarunt, amplior nos cura perstringit,

ut Urbs ipsa, quae divinis et humanis legibus perantea floruit, illiusque districtus, nostris in temporibus, divina favente clementia, bonis assurgat moribus, et salutaribus in antea successibus commendetur.

Causae huius dicti restituendi officii.

§ 1. Cum itaque (sicut rei evidentia palam edocet) Urbs districtusque praedicti, quos paterno amplectimur affectu, ex defectu officii magistrorum, quod antiquitus pro viarum, stratarum, platearum et locorum aliorum tam publicorum quam privatorum, necnon aedificiorum lapideorum et ligneorum, parietum tignorum, banchorum, tectorum, tabulatuum, mignanorum, apothecarum et pontium, portarum, passorum, aquarum decursuum, canalium et meatuum, necnon urbanorum et rusticorum praediorum, pratorum, hortorum atque vinearum, finium, restaurationum, servitutum et libertatum administratione, institutum et ordinatum extitit, in praemissis et eorum singulis grandem deformitatem seu ruinam potius abhominabilem patiantur et iacturam. Et (sicut accepimus) nonnulli ex civibus, habitatoribus et incolis Urbis et districtus praedicti, macellarii videlicet, piscarii, sutores, palamantellarii, diversique artifices, loca ac etiam ergasteria Urbis inhabitantes, suasque inibi artes exercentes, viscera, intestina, capita, pedes, ossa, cruores, necnon pelles, carnes et pisces corruptos, resque alias foetidas atque corruptas in viis, stratis, plateis et locis publicis atque privatis huiusmodi proiicere atque occultare: nonnulli etiam ex civibus, habitatoribus et incolis eiusdem (quos aeque fatigat ambitio et repudianda conducit temeritas) mala malis invenientes, vias, stratas, plateas, loca publica, privata et ecclesiastica, ausu temerario atque sacrilego occupare, diripere, alienare et in usus proprios deducere, de illis quoque pro suo nutu disponere non verentur, intelligere nolentes, quantum huiusmodi sui excessus humanorum corporum sanitatem, aeris puritatem et animarum salutem impediant.

Restituitur.

§ 2. Nos igitur praemissas deformitates et excessus huiusmodi sub dissimulatione ulterius praeterire non valentes, attendentes propterea, quod in eadem Urbe, multo temporis decursu, neglectum fuit, in usum plurimum pullulasse, et praemissis incommodis posse tenus occurrere cupientes; officium magistratus huiusmodi, iuxta illius antiquam institutionem, auctoritate apostolica renovamus, suscitamus et reintegramus atque restituimus.

Magistri creantur.

§ 3. Vobis quoque, quos nostros et Urbis praedictae zelatores existere non ambigimus, quosque fides, legalitas et prudentia, circumspectio atque multiplicia virtutum merita apud nos efficaciter recommendavit, magistratus officium huiusmodi, usque ad nostrum beneplacitum, cum solitis ab antiquo iurisdictionibus, potestatibus, honoribus, privilegiis, libertatibus atque oneribus universis, et cum potestate ad opus vestrum quoties et iuxta modum, qui vobis videbitur, submagistros faciendi et ordinandi, eadem auctoritate conferimus, et de illo etiam vobis providemus; vos quoque in praemissis et ea quomodolibet concernentibus ac ab illis dependentibus et eis annexis, magistros facimus, constituimus, ordinamus, et etiam deputamus.

Qualis eorum sit iurisdictio.

§ 4. Ut exinde omnes et singulas deformitates et excessus, in praemissis vel circa ea, pro tempore quomodolibet occurrentes, absque cuiusvis vocatione seu citatione, sed per viam regiam, iuxta datam vobis a Domino prudentiam, etiam per demolitionem quorumcumque aedificiorum aut rerum aliarum, seu modum alium, quaecumque reparandi, corrigendi et commendandi, necnon praemissorum seu eorum occasione gravatos, ut praemittitur, absque lite, sed summarie, simpliciter et de plano (oppositione seu contradictione aut quacumque temporis etiam centenali praescriptione, legibus et consuetudinibus

generalibus quibuscumque, caeterisque contrariis non obstantibus) relevandi, restituendi et etiam reponendi, contradictores quoque quoslibet et rebelles privandi, bandiendi, arrestandi, incarcerandi atque omnia et singula faciendi et exercendi, quae magistri praedecessores vestri, qui fuerunt pro tempore, facere, gerere et exercere potuerunt seu etiam debuerunt, vobis, huiusmodi durante beneplacito, mandatum damus ac etiam potestatem.

Notarii eis dati.

§ 5. Et, ut officii vestri huiusmodi liberior et facilior sit exercitatio, Nardum de Bustachiis, procuratorem, necnon ipsum et Nicolaum de Mutis, nobiles viros cives romanos, notarios vestri officii, eadem auctoritate, facimus et ordinamus.

Officialibus caeteris praecipitur ut eis obediant.

§ 6. Mandantes exinde omnibus et singulis nostri Capitolii marescallis, caeterisque officialibus, ut vobis et submagistris vestris atque vestrum cuilibet, in similibus, quae vestri exercitationem officii concernunt, pareant et obediant pariter et intendant. Insuper quascumque excommunicationis aut interdicti sententias, poenas et multas alias per nos seu praedecessores nostros in magistros pro tempore existentes forsan promulgatas (quarum formam et tenorem volumus haberi pro expressis) auctoritate praedicta cassantes et irritantes.

Syndicari et molestari in officio non debent

§ 7. Vobisque, et occasione per vos in vestro officio factorum, ordinatorum seu quomodolibet administratorum aut quavis occasione gerendorum, fundorum (1) seu administrandorum nullibi locorum in causam trahi, syndicari aut alias quovis modo per quemcumque, etiam auctoritate apostolica, molestari valeatis, eadem auctoritate concedimus.

Contrariorum derogatio

§ 8. Antedictis constitutionibns et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus Urbis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque; decernentes exinde irritum et inane quicquid contra praemissa seu aliquod praemissorum a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

(1) Leg. forsan *fiendorum*.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, secundo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

Dat die 31 martii 1425, pont. anno VIII.

---

## XVI.

*Iudaeis, ut a christifidelibus secernantur, signum deferendum decernit cum poenarum praefinitione contra non deferentes* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Iudaeorum nonnulla scelera enumerat. — 2. Signum, ut a christianis distinguantur, ab eisdem deferri mandat. — 3. Poenas contra huiusmodi signum non deferentes statuit. — 4. Has leges publicari praecipit. — 5. Obstantibus derogat. — Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Sedes Apostolica pietatis et clementiae suae gremium Iudaeis continuo reserans, quo ad gratiam recolligat, si viam velint agnoscere veritatis, adversus illos ex eis, qui religionem et profitentes eamdem offendere non verentur, eo gravius dedignatur et dedignantius commovetur, quo benignius et favorabilius illos in terris christianorum, sub spe conversionis eorumdem, noscitur sustinere.

Iudaeorum nonnulla scelera enumerat.

§ 1. Ad audientiam siquidem nostram fide dignis relatibus nuper, non sine gravi nostrae mentis turbatione, pervenit quod nonnulli Iudaei utriusque sexus, qui in Caffensi et Cannensi ac aliis ultramarinarum partium civitatibus, terris et locis christianorum ditioni subiectis commorantur, de eorum obstinatione non contenti, sub fraudis et malitiae palliatione, tamquam nullum in eorum habitu speciale signum, quo pro Iudaeis agnosci

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

valeant, deferentes, quamplurimis etiam utriusque sexus christianis civitatum, terrarum et locorum praedictorum eos minime noscentibus se christianos ostentare, multaque exinde atque varia enormitates et scelera detestabilia temerariis ausibus committere non formidant, et inter alia, quod utique solo auditu horrendum est, Zichorum, Rossorum, Alanorum, Mingrellorum et Anogusiorum, sub christiani nominis professione iuxta Graecorum ritum baptizatorum, personas utriusque sexus, quotquot possunt, emunt, et emptas Saracenis aliisque infidelibus, eiusdem nominis perpetuis et immanissimis hostibus, etiam pro decuplo pluri quam eas emerunt pretio, crudeliter vendunt ac exactissimas mercantias de eis faciunt, personas ipsas nonnunquam ad eorumdem Saracenorum et infidelium terras, ob eam causam, corporaliter abducendo, ex quo inde sequitur quod Saraceni et infideles ipsi personas easdem sic eis venditas fidem catholicam abnegare compellunt, eisque, etiam per enorme et nefarium sodomitium, abutuntur, in earum perpetuae supplantationis et perditionis miserabilem iacturam, christianae religionis opprobrium ac scandalum fidelium plurimorum.

Signum, ut a christianis distinguantur, ab eisdem deferri mandat.

§ 2. Quare christifidelium indemnitatibus, prout nostra interest, salubriter providere, et Iudaeorum talia patrantium praedictorum fraudibus atque nequitiis resistere intendentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et etiam ordinamus quod quilibet dictorum Iudaeorum utriusque sexus in habitu suo aliquod speciale et eminens signum, sibi, vigore praesentium, per locorum ordinarios, ut a christifidelibus discernantur, induendum seu imponendum deinceps in perpetuum deferant, quo in oculis omnium Iudaeus, si masculus, et si foemina fuerit, Iudaea evidenter appareat, et absque illo nunquam incedere, nec ullus ipsorum aliquam vel aliquas personam seu personas huiusmodi, per se vel alium, seu etiam pro se vel alio, publice vel occulte, aliqua ratione vel causa, praefatis Saracenis seu infidelibus vendere, dare, tradere, accommodare, donare seu alienare, aut alias ipsis infidelibus auxilium vel favorem in christianorum dispendium praestare quoquomodo praesumant.

Poenas contra huiusmodi signum non deferentes statuit.

§ 3. Nos vero quemlibet ex ipsis Iudaeis, qui huiusmodi sibi indicium vel impositum signum deferre neglexerit, eo ipso poenas et sententias contra Iudaeos in civitatibus et terris et locis nobis et Romanae Ecclesiae immediate subiectis commorantes, signum eis indictum vel impositum non deferentes inflictas incurrere, illisque puniendos fore decernimus: et quod quicumque ex eis, qui contra huiusmodi constitutionem et ordinationem nostram, in personae vel personarum venditione seu alias auxilii vel favoris infidelibus praestatione huiusmodi, venire praesumpserit, res et bona sua omnia, in quibuscumque et ubicumque, ac quibusvis pondere, numero et mensura consistant, prorsus amittat, ea in redemptionem ipsius vel ipsarum venditae seu venditarum personae vel personarum, si redimi poterit aut poterunt, alioquin in fabricam, reparationem et conservationem ecclesiarum, hospitalium et aliorum piorum locorum, aut in defensionem praelibatae fidei contra eius inimicos, seu civitatis, terrae vel loci, cuius idem contraveniens incola vel habitator fuerit, fortificationem et utilitatem integre convertenda; quodque idem contraveniens a civitate, terra vel loco huiusmodi expellatur, et ab illa vel illo perpetuis temporibus exulet, nec in aliqua alia civitate, terra vel loco christianorum morari valeat: si inde capi possit, debite puniatur et castigetur, iuxta canonicas sanctiones.

Has leges publicari praecipit.

§ 4. Monentes et in Domino exhortantes venerabiles fratres nostros Caffensem et Cannensem episcopos ac alios

huiusmodi aliorum locorum ordinarios, necnon dilectos filios venerabiles viros gubernatores, consules, potestates, capitaneos, rectores, officiales, communitates et universitates civitatum, terrarum et locorum praedictorum; eis universis et singulis nihilominus per apostolica scripta mandantes ut omnia et singula supradicta in eisdem civitatibus, terris et locis, auctoritate nostra, solemniter publicent et faciant per alios publicari, ne aliquis Iudaeorum praefatorum imposterum valeat de praemissis ignorantiam praetendere seu etiam allegare, necnon indicent Iudaeis ipsis huiusmodi signum per eos, ut praemittitur, deferendum, ac faciant huiusmodi constitutionem et ordinationem nostram inviolabiliter observare: ac eam in omnibus et per omnia, cum necesse fuerit, studeant per se vel per alios executioni debitae demandare. Contradictores quoslibet et rebelles, videlicet episcopi et ordinarii per censuram ecclesiasticam, si ei locus fuerit, gubernatores vero et alii saeculares praedicti districtione, qua convenit, temporali, postposita appellatione, compescant, et in praesentibus contentas litteris in favorem fidei catholicae diligenter et efficaciter exequantur.

*Obstantibus derogat.*

§ 5. Non obstantibus privilegiis et litteris eisdem Iudaeis, per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, seu dignitate fulgentes ecclesiastica vel mundana, concessis, ac municipalibus et aliis statutis, necnon consuetudinibus ibidem hactenus observatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

*Clausulae*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, monitionis, exhortationis et mandati infringere, *etc.*

Datum Romae apud Ss. Apostolos, tertio nonas iunii, anno octavo.

Dat. die 3 iunii 1425, pontif. anno VIII.

## XVII.

*Contra ementes, rapientes seu alias quomodolibet allicientes christicolas, ut infidelibus vendant, mercesque eorum loco recipiant excommunicationis aliasque poenas decernit* (1).

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae edendae constitutionis. — 2. Christianos Saracenis et infidelibus vendi prohibet. — 3. Inobedientes percellit anathemate. — 4. Hanc legem publicari mandat.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

*Exordium.*

Pastoralis sollicitudinis debitum in hoc praecipue exsolvere nos convenit, ut his, quae in christianae religionis emergunt offensam, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter occurramus, eoque solertius et diligentius, quo remotioribus in partibus illa committuntur, ubi difficilior nobis est adhibitio remedii super eis.

*Causae edendae constitutionis.*

§ 1. Sane lamentabilis querela multorum nostrum nuper turbavit auditum quod nonnulli iniquitatis filii baptismatis fonte renati, christianum nomen contemnentes, propriaeque salutis immemores, qui in partibus ultramontanis, praesertim in Caffensi et Cannensi civitatibus ac aliis illis circumvicinis locis pro tempore conversantur, Zichorum, Rossorum, Alanorum, Mingrellorum et Anogusiorum *etc.* (*prout in praecedenti Constit.*, § 1).

*Christianos Saracenis et infidelibus vendi prohibet.*

§ 2. Quare tam graves et detestabiles excessus nullatenus sustinere, sed illis, prout nostra interest, resistere efficaciter intendentes, felicis recordationis Nicolai Papae quarti et nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, qui quoscumque arma, equos, ferrum, lignamina, victualia et alia quaecumque mercimonia infidelibus deferentes in nonnullas poenas et sententias incidere statuerunt, vestigiis inhaerentes, auctori-

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic. Consule Raynaldum, ann. 1425.

tate apostolica, tenore praesentium, statuimus, volumus et ordinamus quod nullus aliquam vel aliquas personam seu personas ex Zichis, Rossis, Alanis, Mingrellis et Anogusiis seu aliis sub Christi nomine baptizatis huiusmodi, per se vel alium, seu etiam pro se vel alio, publice vel occulte, aliqua ratione vel causa, praefatis Saracenis sive infidelibus vendere, dare, tradere, accommodare, donare seu alienare aut alias ipsis infidelibus auxilium vel favorem in christianorum dispendium præstare quoquomodo praesumat.

Inobedientes percellit anathemate

§ 3. Nos vero quemlibet, qui contra huiusmodi constitutionem, voluntatem et ordinationem nostram ausu temerario venire praesumpserit, excommunicationis sententiae decernimus subiacere, a qua sententia idem contraveniens, nisi tantum de bonis propriis in ipsarum venditarum personarum redemptionem, si redimi poterunt, alioquin in Ecclesiarum, hospitalium et aliorum piorum locorum dedicatorum sub nomine Iesu Christi fabricam, reparationem et conservationem, aut in praefatae fidei contra eius inimicos defensionem integre convertendum exolverit et erogaverit cum effectu, quantum detrimenti et damni propterea eisdem venditis personis intulerit, aut absque mandato nostro vel Sedis Apostolicae speciali, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit, et sit inhabilis ad quaecumque per eum imposterum prosequenda.

Hanc legem publicari mandat.

§ 4. Monentes et in Domino exhortantes venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos, necnon dilectos filios nobiles viros duces, marchiones, comites, gubernatores, consules, potestates, capitaneos, rectores, officiales, communitates et universitates quarumcumque civitatum, terrarum et locorum, quae per christianos tenentur ultramarinarum partium praedictarum, eis universis et singulis nihilominus iniungentes, ut videlicet archiepiscopi et episcopi omnia et singula supradicta in civitatibus eorum et in locis singulis suarum dioecesum coram populo publicent et faciant per alios solemniter publicari, iubeantque et procurent illa ab omnibus ducibus, marchionibus, comitibus, gubernatoribus, consulibus, potestatibus, capitaneis, rectoribus, officialibus, communitatibus et universitatibus praedictis, ac personis singularibus civitatum, terrarum et locorum eorumdem auctoritate nostra inviolabiliter observari: districtius insuper inhibentes universis Christifidelibus, ne contra praemissa quidquid attentare praesumant, quod si secus scienter egerint, praedictis poenis et sententiis, conditionibus et praeceptis iuxta constitutionem eamdem noverint se ligatos.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Romae, apud Sanctos Apostolos tertio nonas iunii, anno octavo.

Dat. die annoque eodem.

---

## XVIII.

*Homicidas in terris baronalibus in districtu Urbis existentibus recipi minime posse, poenasque contra receptatores decerni, omnemque iurisdictionem senatori Urbis circa illorum punitionem deberi declarat* (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Causa edicti. — 2. Baronibus, ut bannitos senatori Urbis puniendos tradant, praecipit. — 3. Inobedientes pœnis addicit. — 4. Hasce literas valvis Capitolii iubet affigi. — 5 Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Improbis quorumdam conatibus et ausibus temerariis, qui horrenda inhumanitate mortem sitiunt aliorum, tanto est propensiori studio per Apostolicae Sedis providentiam occurrendum, quanto ipsorum detestanda et inordinata voluntas

(1) Ex Regest. in Archiv. Vatic.

praeberet aliis execrabilis exempli perniciem sine poenae formidine similia perpetrandi.

Causa edicti.

§ 1. Cum itaque, sicut fide digna relatione didicimus, nonnulli barones, potestates, communitates ac alii civitates, oppida, castra, fortalitia, terras et alia loca quaecumque obtinentes seu regentes aut custodientes, homicidas etiam condemnatos receptare et, neglecta iustitia, in suis libertatibus confovere praesumant in reipublicae laesionem ac abhominabilis criminis defensionem et periculum plurimorum.

Baronibus, ut bannitos senatori Urbis puniendos tradant, praecipit.

§ 2. Nos igitur, ne dictorum homicidarum horrenda temeritas quoquomodo transeat impunita, et sine vindicta crescat audacia malignandi, ut saltem formidine poenae ab huiusmodi temeritatis audacia refraenentur, tanto periculo paternae sollicitudinis studio occurrere cupientes, volumus et auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, constituimus et etiam ordinamus, quod omnes et singuli barones, potestates, communitates et aliae quaecumque personae ecclesiasticae vel saeculares cuiuscumque dignitatis, gradus, status et conditionis aut cuiuscumque præeminentiae fuerint, omnes et singulos homicidas, seu de homicidio convictos vel condemnatos, quacumque ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate, in eorum civitatibus, oppidis, castris, fortalitiis, terris et aliis locis quibuscumque, infra quinquaginta milliaria ab Urbe constitutis, a duobus annis proxime praeteritis citra receptatos et imposterum receptandos capi, detineri et carceribus mancipari, illosque manu forti detentos senatori eiusdem Urbis pro tempore existenti ad omnem ipsius senatoris vel alterius eius nomine requisitionem praesentari procurent, qui senator, si homicidam praedictum clericum esse contigerit, eum ad iudicem competentem remittere procurabit.

Inobedientes poenis addicit.

§ 3. Et ne statutum, constitutio et ordinatio praedictae fiant ludibrio, debitoque frustrentur effectu, et nedum verbis, sed etiam rebus et executione seu (*sic*) ipsa imposita censeatur, baronibus, potestatibus, communitatibus, universitatibus, officialibus et aliis quibuscumque personis ecclesiasticis vel saecularibus praedictis homicidas praedictos receptantibus et imposterum receptaturis sub poena perditionis civitatis, terrae, castri seu loci in quo dictum homicidam receptaverint, necnon mille florenorum auri, quos Camerae Apostolicae, dum secus actum fuerit, applicari volumus, per apostolica scripta praecipimus et mandamus, ut homicidas huiusmodi iuxta tenorem et formam statuti, constitutionis et ordinationis praedictorum ad omnem senatoris praedicti vel alterius ipsius nomine requisitionem absque morae dispendio, praesentare festinent cum effectu.

Hasce literas valvis Capitolii iubet affigi.

§ 4. Ut autem praedicta ad communem singulorum notitiam deducantur, ne de eis ignorantia praetendi valeat seu etiam allegari, praesentes literas valvis Capitolii almae Urbis mandavimus fecimusque affigi, ut quasi quodam sonoro praeconio et patulo indicio ad omnium notitiam valeant pervenire, decernentes auctoritate praedicta, ut huiusmodi literae, ut praefertur, affixae et publicatae omnes, quos concernunt, perinde arctent, ac si eis forent personaliter et praesentialiter intimatae, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter extitit omnibus intimatum.

Clausulae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis et ordinationis infringere *etc.*

Datum Romae, apud Sanctos Apostolos, kalendis septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 1 septembris 1425, pont. anno VIII.

XIX.

*Institutio Studii generalis in oppido Lovanii, tunc Leodiensis, nunc Mechliniensis dioecesis, et ducatus Brabantiae, cum privilegiorum et gratiarum elargitione, ac nonnullorum statutorum praefinitione.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1, 2. Ducis Brabantiae petitio pro Lovaniensi erigenda Universitate. — 3. Domum aptam ad hoc eligit cum rebus omnibus opportunis. — 4. Ducis Brabantiae petitioni addita nonnulla de rectoris auctoritate et scholarium: — 5. Ac doctorum privilegiis. — 6. Martinus studium ibidem in qualibet facultate, theologica excepta, instituit. — 7. Magistris et scholaribus caeterarum Universitatum privilegia elargitur. — 8. De licentiandis. — 9. Licentiati ubique docere possunt. — 10. Scholastico data facultas quascumque cognoscendi causas ad doctores scholaresque pertinentes. — 11. Obstantium derogatio. — 12. Nisi dux et communitas promissis infra annum steterint, has litteras irritas vult.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Sapientiae immarcescibilis, cuius inextinguibile eradiat lumen, cuiusque infinitus est thesaurus omnem habens vigorem, et virtutis Altissimi dispensator, omniumque chrismatum elargitor ipse Dominus ad hoc suae miserationis dignatione nobis, licet immeritis, sponsae suae universalis Ecclesiae regimen pia dispensatione commisit, et nostrae debilitatis oculo iugum imposuit apostolicae servitutis, ut in Petri specula positi, tamquam de supremo vertice ad infima mundi prothoplastique posteros, qui non nativitatis deposcunt fructus, sed intelligentiae spiritu eamdem, cuius initium verissima est disciplina, concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis adducantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandis mentibus pro huiusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxae, quid statui conveniat fidelium quorumlibet prospiciamus attentius; et qualiter a fidelibus ipsis, profugatis ignorantiae tenebris, illi, post supereminentissimam Summi Opificis notionem, per eiusdem sapientiae donum in via mandatorum directi veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes, eo ad quaerendum ipsius sapientiae alimenta litterarum studia, per quae divini Nominis et eiusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiae respublica in spiritualibus et temporalibus cum animarum salute geritur, pax et tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanae dilatatur prosperitas, nostrae provisionis, sollicitudinis ope, apostolicisque favoribus propensius excitemus.

Ducis Brabantiae petitio pro Lovaniensi erigenda Universitate.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Ioannis ducis Brabantiae ac praepositi, decani, scholastici et capituli Ecclesiae S. Petri, necnon burgimagistrorum, scabinorum et communitatis oppidi Lovaniensis, Leodiensis dioecesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in ducatu Brabantiae et aliis dominiis ipsius ducis, necnon etiam in Leodiensi, Cameracensi, Traiectensi, Morinensi et Tornacensi dioecesibus, caeterisque ibidem circumvicinis partibus et dominiis multa famosa et insignia loca populo christiano, et rerum copia admodum opulenta existant, nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem generale existat Studium litterarum, unde partium illarum plerique commodo et usu studii carentes, vel huiusmodi litterarum imperitiae subiacent, vel in remotis partibus degere habent, scientiae huiusmodi in eis sectantes incrementum. Verum oppidum praefatum, quod de temporali dominio ipsius ducis existit; adeo rerum copia, aeris temperie, multitudinis capacitate atque domorum et aliarum rerum necessariarum commoditate per Dei gratiam est refertum quod ad huiusmodi receptandum, confovendum-

que studium aptum plurimum et idoneum existere perhibetur.

§ 2. Quapropter ipsi dux, praepositus, decanus, scholasticus, capitulum, burgimagistri, scabini et communitas considerantes attentius quod, inter caetera virtutum opera, quae tamquam accepta summo rerum Auctori sacrificia, quae per manus offeruntur humanas, illa divinae Maiestati grata plurimum nullatenus ambiguntur, per quae ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earumdem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis et auxiliaribus commodis subventionis praesidium efficaciter impertitur, generale litterarum Studium in eodem oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinae atque sapientiae se studiis exercentes, sibi et aliis meliores effici valeant, et partium illarum prosperitatis, auctore Domino, facilius incrementum sequatur.

Domum aptam ad hoc eligit cum rebus omnibus opportunis.

§ 3. Et nihilominus dux ipse una cum burgimagistris, scabinis et communitate huiusmodi, domos aptas et loca convenientia illic cum scamnis et aliis necessariis officinis pro magistris, doctoribus et scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus et audientibus disputare, necnon eisdem magistris et doctoribus legentibus de salario competenti annis singulis vel alias de beneficiis ecclesiasticis providere.

Ducis Brabantiae petitioni addita nonnulla de rectoris auctoritate et scholarium:

§ 4. Necnon quod rector universitatis Studii huiusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis eiusdem et illorum servitores tam in civilibus, quam in criminalibus et aliis quibuslibet causis, negotiis et excessibus, sine impedimentis quibusvis, iurisdictionem, coercitionem et emendationem dictis duci, praeposito, decano, scholastico, capitulo, burgimagistris, scabinis et communitati communiter vel divisim in eodem oppido quomodolibet competentes exercere valeat, concedere, et iurisdictionem, coercitionem et correctionem huiusmodi a se penitus abdicare et in rectorem ipsum plenarie transferre, singulis quoque doctoribus, magistris et scholaribus causa studii ad dictum oppidum accedentibus vel de illo excedentibus pro tempore quaecumque sua res et bona secum asportandi, et ea pro suae voluntatis libito deportandi, sive ibidem vendendi, libertatem tribuere intendunt pariter et proponunt.

Ac doctorum privilegiis.

§ 5. Quare pro parte dictorum ducis, praepositi, decani, scholastici, capituli, burgimagistrorum, scabinorum et communitatis desiderantium etiam, quod magistri doctores et scholares supradicti pro potiori dicti Studii incremento condignis privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus et exemptionibus aliorum generalium Studiorum, quantum in ipsis duce, præposito, decano, scholastico, capitulo, burgimagistris, scabinis et communitate, et aliis ipsius ducis subditis fuerit, gaudentes utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto oppido generale litterarum Studium in qualibet licita facultate erigere et ordinare de benignitate apostolica dignaremur.

Martinus Studium ibidem in qualibet facultate, theologica excepta, instituit.

§ 6. Nos igitur, relatione fida, post informationem diligentem super habilitate loci et aliis circumstantiis praemissis de mandato nostro receptam, oppidum ipsum aeris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariarum ubertate refertum et alias pro huiusmodi Studio locum aptum didicimus, pium, meritorium eorumdem ducis, praepositi, decani, scholastici, capituli, burgimagistrorum, scabinorum et communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem et gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum et dogmatum ornatibus redimiti, succrescat, plurimum commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica praesentium serie statuimus et etiam ordinamus, quod amodo in dicto oppido generale in facultate qualibet,

praeterquam in theologia, sit studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat et observetur.

Magistris et scholaribus caeterarum Universitatum privilegia elargitur.

§ 7. Quodque omnes et singuli doctores, magistri et scholares inibi omnibus et singulis libertatibus, immunitatibus et indulgentiis, quibusvis doctoribus, magistris et scholaribus Coloniae, Viennae ac Lipsiensis, Pataviensis et Merseburgensis dioecesum oppidis studii causa commorantibus, per Sedem Apostolicam vel alias qualitercumque concessis, gaudeant pariter et utantur.

De licentiandis.

§ 8. Singuli vero, qui cursu feliciter consummato in ea facultate, ita inhaesere Studio ut bravium obtinere meruerint, sibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac doctoratus sive magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi doctores sive magistros praeposito, quem cancellarium Studii in oppido huiusmodi esse perpetuo volumus, si hic praesens fuerit, alioquin decano dictae Ecclesiae, pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis praesententur, et ab illis, si servatis consuetudine et modis super talibus in dictis Studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei sufficientesque reperti, licentiam et honorem sortiantur et reportent antedictos.

Licentiati ubique docere possunt.

§ 9. Qui quidem praesentati quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine et approbatione in ipsa facultate, qua licentiam et honorem attigerint, in eisdem legere et docere libere et licite ubique possint et valeant.

Scholastico data facultas quascumque cognoscendi causas ad doctores et scholar. pertinentes.

§ 10. Rursus quoque omnium et singulorum causarum et negotiorum cognitio atque decisio doctorum, magistrorum, scholarium, membrorum ac servitorum eorumdem, sive clerici sive laici fuerint, et etiam de quibuscumque criminibus et excessibus correctio et punitio, ac omnimoda super illis iurisdictio ad rectorem Studii in eodem oppido Lovanien. dictum scholasticum per primum quinquennium esse, et ex tunc annis singulis inibi iuxta consuetudinem studiorum huiusmodi eligi volumus, et non ad ducem, seu eius successores duces Brabantiae, praepositum, decanum, scholasticum, capitulum, burgimagistros, scabinos et communitatem praefatos, aut aliquem ex eis ipsorumve officiales pertinere omnimodo dignoscantur, praefatisque duci, successoribus, praeposito, decano, scholastico, capitulo, burgimagistris, scabinis, communitati et officialibus et aliis quibuscumque de causis et negotiis huiusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra et servitores huiusmodi vel ex eis aliquem pro criminibus et excessibus eisdem, aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem vel iurisdictionem exercendi facultate et auctoritate penitus interdictis.

Obstantium derogatio.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et aliis contrariis quibuscumque.

Nisi dux et commun. promissis infra annum steterint, has litteras irritas vult.

§ 12. Volumus autem, quod nisi infra annum, a data praesentium computandum, dux et praepositus, decanus, scholasticus et capitulum, ac burgimagistri, scabini et communitas supradicti, prout eos communiter vel divisim contingere censetur, privilegia et libertates concesserint, ac iurisdictionem a se abdicaverint, et eam in rectorem ac Universitatem prædictos transtulerint antedicta realiter et cum effectu, praesentes litterae et quaecumque inde secuta nullius existant roboris vel momenti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere *etc.*

Datum Romae apud Ss. Apostolos quinto idus decembris, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 9 decembris 1425, pont. anno IX.

## XX.

*De sacramento Eucharistiae laicis sub una tantum specie iuxta Constantiensis sancita concilii ministrando.*

SUMMARIUM

Martini PP. pro Constant. canonum observatione solicitudo. — 1. Procurator causarum fidei decretum de Communione sub una specie ministranda ex regestris actorum concilii extrahi petit. — 2, 3. Tenor laudati decreti. — 4. Copiae decreti fidem addit Papa. — 5. Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Martini PP. pro Constant. canonum observatione solicitudo.

Apostolicae Sedis praecellens auctoritas ad hoc libenter intendit, ut ea, quae per Constantiense concilium, praesertim pro extirpandis haeresibus provide et salubriter statuta sunt, ad notitiam Christi fidelium deducantur et firmiter observentur.

Procurator causarum fidei decretum de Communione sub una specie ministranda ex regestris actorum concilii extrahi petit.

§ 1. Hinc est, quod nos tenore quarumdam literarum a dicto concilio super quandam constitutionem dudum per ipsum concilium editam emanatarum, et in quodam libro in eodem concilio conscripto, in quo etiam aliae ipsius concilii constitutiones et literae registratae inveniuntur, quas nos in primordio assumptionis nostræ ad summum apostolatus apicem, ex certa scientia auctoritate apostolica approbando, duximus innovandas, repertum et registratum, ut de ipso etiam alibi, ubi opportunum fuerit, plena certitudo habeatur, ad dilecti filii magistri Michaelis de Brodatheutumcali rectoris parochialis Ecclesiae Sancti Adalberti sub Oderass Pragensi, procuratoris causarum fidei, asserentis se de ipso tenore pro stabilitate eiusdem fidei in Romana Curia et extra illam indigere, supplicationis instantiam de libro ipso extrahi et praesentibus annotari fecimus, qui sequitur per omnia in haec verba.

Tenor laudati decreti.

§ 2. Sacrosancta universalis synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata, catholicam Ecclesiam repraesentans, ad perpetuam rei memoriam. Apostolica docet sententia de matrice sancta et universali Ecclesia, quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut exhiberet sibi eam gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquod huiusmodi; quia vero in moribus et consuetudinibus partis dissentio universitatis Ecclesiae parit maculam, quae prorsus purganda est (turpis enim est omnis pars universo suo non congruens, qualis turpitudo est quorumdam assertio contra universalem Ecclesiae consuetudinem tradens, quod laici tenentur venerabile Eucharistiæ sacramentum sumere sub utraque, scilicet panis et vini, specie); quamobrem scientes Christi sponsam, ut immaculate conservaretur, nobis singulariter et fidenter esse commissam; Sponso dicente: Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi, statuimus praefatam maculam abstergere, et laudabilem Ecclesiae consuetudinem, qua laici hactenus non sumpserunt sacramentum Eucharistiae sub vini specie, decreto venerabiliter roborare, constitutionem nostram super hoc in nostra publica sessione promulgando, cuius tenor sequitur in haec verba:

§ 3. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere praesumant, populum christianum debere sacrum Eucharistiae sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere; et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post coenam, et alias non ieiunum communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiae consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur; hinc est, quod hoc praesens sacrum Constantiense generale concilium in Spiritu Sancto legitime congregatum, adversus hunc errorem saluti fidelium providere satagens, matura plurium

doctorum, tam divini quam humani iuris deliberatione praehabita, declarat, decernit et definit, quod licet Christus post Coenam instituerit, et suis discipulis ministraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile Sacramentum; tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque a Christi fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure vel ab Ecclesia concesso vel admisso. Et sicut haec consuetudo ad vitandum aliqua pericula et scandala rationabiliter introducta est, quod licet in primitiva Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum integrum Christi Corpus et Sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum huiusmodi consuetudo ab Ecclesia et Sanctis Patribus rationabiliter introducta et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiae auctoritate pro libito innovare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum; et pertinaciter asserentes oppositum praemissorum tamquam haeretici arcendi sunt et graviter puniendi per dioecesanos locorum sive officiales eorum, aut inquisitores haereticae pravitatis in regnis seu provinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid forsan fuerit attentatum aut praesumptum, iuxta canonicas et legitimas sanctiones in favorem catholicae fidei contra haereticos et eorum fautores salubriter adinventas. Item ipsa sancta synodus decernit et declarat super ista materia reverendissimis in Christo patribus et dominis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et eorum in spiritualibus vicariis ubilibet constitutis, processus esse dirigendos, in quibus eis committatur et mandetur auctoritate huius sacri concilii sub poena excommunicationis, ut effectualiter puniant contra hoc decretum excedentes eos, qui communicando populum sub utraque specie exorbitaverunt et sic faciendum esse docuerunt; si ad poenitentiam redierint, ad gremium Ecclesiae suscipiantur, iniuncta eis pro modo culpæ poenitentia salutari. Qui vero ex illis ad poenitentiam redire non curaverint animo indurato, per censuras ecclesiasticas per eos ut haeretici sunt coercendi: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ut autem nostrae constitutionis huiusmodi, ubicumque exhibita vel ostensa fuerit, ab omnibus adhibeatur maior fides, eam praesentibus fecimus annotari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Constantiae decimoseptimo kalendas iulii, anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, Apostolica Sede vacante.

*Copiae decreti fidem addit Papa.*

§ 4. Volentes igitur et eadem auctoritate decernentes, quod idem tenor plenam vim, plenumque robur per omnia habeat, et ei, quandocumque et ubicumque, sive in iudicio vel alibi exhibitus fuerit, stetur firmiter et adhibeatur plena fides ac si literae originales suprascriptae exhibitae fuerint vel ostensae.

*Clausulae.*

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et constitutionis infringere, *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, octavo kalendas februarii, anno nono.

Dat. die 25 ianuarii 1426, pont. anno IX.

## XXI.

*Prohibitio trahendi personas ecclesiasticas ad forum saeculare.*

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Abusus nonnullos hac in materia subortos dolet, tum ex parte iudicum, — 2. Tum ex parte officialium laicorum. — 3. Sub poenis itaque hic expressis causas, personasque ecclesiasticas ad laicalia tribunalia trahi vetat: — 4. Laicosque officiales, complicesque talia attentantes excommunicationi addicit: — 5. Et contra eosdem agi mandat. — 6. Contrariis derogat.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Ad reprimendas insolentias transgressorum, eorumque praesumptionem refraenandam, si nervus ecclesiasticae disciplinae lentescat, eorum voluntas proclivior fit ad peccandum, et exemplum impunitatis periculosius in alios derivatur. Propter quod ad praesidentis officium pertinet sic debitam executionem adhibere iustitiae, quod commissa iam puniat et committendorum in posterum audaciam interdicat.

Abusus nonnullos hac in materia subortos dolet, tum ex parte iudicum,

§ 1. Sane, sicut displicenter accepimus, nonnulli diversorum regnorum et terrarum iudices, aliique officiales laici et laicales personae, iurisdictionem in temporalibus exercentes, exercerique facientes, non attendentes, quod laicis in clericos et ecclesiasticas personas et illorum bona nulla sit attributa potestas; praetextu huiusmodi, quod asserant in suis dominiis ad se pertinere coercere via facti, quae vere et ficte attentata asseruntur, etiam in quocumque loco sacro vel religioso quantumcumque Deo dicato, ex quacumque causa, etiam si ratione delationis Corporis Christi, collationis sacramentorum et beneficiorum ecclesiasticorum, venditionis factarum aut aliarum rerum et bonorum ad Ecclesias et ecclesiasticas personas pertinentium quomodocumque, etiam si sola negatione vel affirmatione turbatio facti interveniat et ad eos recurratur, cognitionem ad se spectare, pro eo quod factum et novitas, quae praetenduntur, etiam sine alia violentia, quamvis in loco spirituali et in loco sacro sive religioso, eo quod immediate, ut praetenduntur, spiritualia non existant; propterea ministros Ecclesiae et personas ecclesiasticas, quantumcumque res, causa vel occasio unde dependeat et derivatur, pia, sacra vel ecclesiastica sit aut spiritualis, ad forum suum et ipsarum cognitionem trahunt et respondere cogunt.

Tum ex parte officialium laicorum.

§ 2. Necnon procuratores fiscales in curiis temporalibus multotiens agere procurant, ad quos (quod deterius est) nonnulli praelati et personae ecclesiasticae in superbiam et elationem dati, ad superandum et sibi subiiciendum per tales inventiones et cautelas alias personas ecclesiasticas et religiosas habent plerumque recursum, et propterea in eisdem regnis et terris, civitatibus, castris et locis, auctoritas et iurisdictio ecclesiastica penitus absorbentur, et nihilominus ipsi laici iudices, alios laicos respondentes in foro ecclesiastico super rebus quantumcumque ecclesiasticis vel spiritualibus, et concernentibus immediate ecclesiasticas personas, ne respondeant, et iudicibus ecclesiasticis, ne cognoscant, inhibitiones fieri sub gravibus poenis temporalibus faciunt et procurant, et si secus fecerint, emendam pecuniariam excessivam exigere, ac vastatores in domibus et piis aliis locis ecclesiasticis et religiosis inducere, ac loca ipsa, personasque ecclesiasticas iocalibus et paramentis ecclesiasticis et bonis mobilibus ac aliis spoliare, illaque vendere et alienare, fructus quoque et proventus ad temporalitatem ad manus suas ponere, necnon diversas iniurias et molestias reales et personales eisdem personis ecclesiasticis inferre non verentur, in Dei offensam, animarum suarum periculum, ecclesiasticae libertatis vilipen-

dium et plurimorum gravamen, praeiudicium et iacturam.

Sub poenis itaque hic expressis causas personasque ecclesiasticas ad laicalia tribunalia trahi vetat:

§ 3. Nos igitur adversus talia praesumentium temeritatem remedia apponere et super his salubriter providere cupientes, ac concilii Milevitani ac fel. record. Innocentii Papae III, praedecessoris nostri, constitutionibus super hoc editis, auctoritate apostolica, ex certa scientia ac nostra irrefragabili constitutione perpetuo duratura, tenore praesentium statuimus, decernimus ac etiam ordinamus, quod omnes et singulae personae ecclesiasticae saeculares et regulares Ordinum quorumlibet, quacumque exceptione suffultae, etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, abbatiali vel alia quavis praefulgeant dignitate, quae aliam personam ecclesiasticam, collegium vel conventum, in actione reali, mixta vel personali, civili vel criminali, etiam occasione cuiuscumque submissionis, etiam iuramento vallatae vel alias, ad forum sive iudicium laicale, directe vel indirecte (de qua in foro ecclesiastico ordinari consueverit, possit vel debeat, de iure vel de consuetudine aut alias cognosci) trahere praesumpserit, causam ipsam et omne ius ei sive eis, in possessorio vel petitorio, in re vel ad rem, causa vel occasione huiusmodi quomodolibet competentes, eo ipso perdant penitus et amittant, et singulares personae, excommunicationis; capitula vero et conventus, suspensionis et interdicti sententias incurrant ipso facto, et si personae ipsae et eis in praemissis adhaerentes et servientes in aliquo rebelles fuerint, et incontinenti non obedierint, omnes illas per privationem suorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, quae obtinebant et in quibus et ad quae ius quomodolibet competit, et inhabilitationem ad alias in posterum obtinenda, coerceri et compelli volumus antedictas.

Laicosque officiales complicesque talia attentantes excommunicationi addicit:

§ 4. Et nihilominus omnes et singulos iudices et executores, communitates, dominia, laicos et laicales personas, postquam exceptum fuerit de non iurisdictione eorum, aut evidenter appareat huiusmodi cognitionem ad eos de iure non spectare, talia praesumentes et ea fieri mandantes, seu eorum nomine et mandato facta rata habentes, vel eis faciendis dantes auxilium, consilium vel favorem, cuiuscumque præeminentiae, dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis existant, saeculares personas, eorum videlicet singulos officiales, quocumque nomine censeantur, et consiliarios et privatas personas, quae praemissorum principales perpetratores existerent, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, nullusque ab eisdem sententiis, per alium quam per Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi valeat sive possit, et praemissa omnia, non tantum ad futura, sed etiam ad praesentia et pendentia extendimus auctoritate memorata.

Et contra eosdem agi mandat.

§ 5. Quodque etiam procurator fiscalis causarum Curiae Camerae Apostolicae contra culpabiles in praemissis desuper, summaria informatione praehabita, per se vel alium seu alios agere et procedere possit et valeat, nihilominus concedentes.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de eorum propriis nominibus ac indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet constitutionibus, privilegiis, indultis et literis apostolicis, de quibus etiam plena et expressa ac de verbo ad verbum in nostris literis habenda est mentio specialis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, kalend. februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 1 februarii 1428, pont. anno XI.

## XXII.

*Iesuati, qui sub tutela Sedis Apostolicae suscipiuntur, a molestia qualibet inquisitorum haereticae pravitatis liberantur.*

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Iesuati cum ab inquisitoribus et eorum officialibus molestarentur: — 2. A Martino sub Sedis Apostolicae protectione suscipiuntur: — 3. Et inquisitoribus iurisdictionem quamlibet contra eosdem procedendi, locorum ordinariis inconsultis, adimit.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium.

Piae postulatio voluntatis, qua dilecti filii nonnulli Pauperes Christi, Iesuati communiter nuncupati, voluntariam paupertatem ducentes, dediti studio piae vitæ, in diversis Italiae oratoriis, domibus sive locis, mundanis abiectis illecebris, cum adoptione voluntariae paupertatis et virtutum Domino famulantur, non indigne merentur, ut Apostolica Sedes eos, eorum domos, oratoria atque loca benignis favoribus confoveat et specialibus gratiis prosequatur, in iis praesertim, quae animarum suarum salutem, statumque respiciunt et quietem.

Iesuati cum ab inquisitoribus et eorum officialibus molestarentur:

§ 1. Sane pro parte dictorum Pauperum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet ipsi cupientes suos in coelestibus thesauros collocare, et ut ex eorum laudabilibus actionibus ad bene recteque vivendum traherentur alii per exemplum, in diversis locis sive domibus, quae pro eorum usu et habitatione perpetuis piis christifidelium eleemosynis et suffragiis construxerunt, ut devotum sedulumque impendant Domino famulatum, ad quos plurimi, ob eorum laudabilem vitam et opera virtuosa, gerunt specialis devotionis affectum, tamen nonnumquam contingit, Pauperes ipsos per inquisitores haereticae pravitatis in illis partibus pro tempore residentes et deputatos ab eis sub diversis praetensis occasionibus, fictisque coloribus indebite molestari. Quare pro parte Pauperum eorumdem nobis fuit hubiliter supplicatum ut ipsorum paci et tranquillitati super iis paterna caritate consulere de benignitate apostolica dignaremur.

A Martino sub Sedis Apostolicae protectione suscipiuntur:

§ 2. Nos igitur cupientes, ut dicti Pauperes eo quietius et devotius in humilitatis spiritu Altissimo famulentur, quo se noverint Sedis eiusdem uberiori gratia communitos, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatos Pauperes praesentes, eorumque oratoria, domos atque loca constructa et construenda ubicumque fuerint constituta, cum personis, iuribus, pertinentiis, necnon possessionibus, terris, rebus et bonis suis, quae in quibusvis locis in praesentiarum legitime possident et in posterum, dante Domino, similibus fidelium suffragiis aut alias iustis titulis poterunt adipisci, sub beati Petri ac ipsius Sedis, necnon ordinariorum locorum, in quorum civitatibus et dioecesibus, domus, oratoria, atque loca praedicta consistunt, protectione, usque ad eiusdem Sedis beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium suscipimus, atque nostra.

Et inquisitoribus iurisdictionem quamlibet contra eosdem procedendi, locorum ordinariis inconsultis, adimit.

§ 3. Volentes, atque auctoritate praefata decernentes, quod, huiusmodi durante beneplacito, inquisitores praedicti nullam possint in dictos Pauperes, domos, loca, iura et bona huiusmodi, quacumque occasione, causa vel praetextu, iurisdictionem vel potestatem, sine praesentia et voluntate ordinariorum prædictorum, exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede vel eius delegatis aut ordinariis supradictis teneantur respondere, felicis recordationis Innocentii Papae quarti, praedecessoris nostri, et qualibet alia constitutione apostolica contraria non obstante. Decernentes insuper ex nunc omnes et singulos excommunicationum, suspensionum et interdicti processus et sententias, quos et quas contra effectum praesentium et tenorem promulgari contigerit vel haberi, irritos pariter et inanes.

Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, undecimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 22 octobris 1428, pont. anno XI.

---

## XXIII.

*Quod festivitas Sanctissimi Corporis Christi etiam per octavam celebrari possit, apertis ecclesiarum ianuis, tempore interdicti; et qui eam piis operibus venerantur, indulgentias consequantur* (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Hoc festum ab Urbano IV institutum, nonnullis concessis indulgentiis. — 2. Huiusmodi indulgentias ampliat Martinus. — 3. Festum hoc in locis interdicto suppositis quomodo celebrandum. — 4. Hanc Bullam dominica festum hoc praecedente publicari mandat. — 5. Transumptis danda fides.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Ineffabile Sacramentum, quod Sacerdos in aeternum Christus Dominus, instante, quam pro peccatoribus subire voluit, suae mortis tempore, nobis, ut digne eo refecti, divinitatis ipsius participes simus, in memoriale reliquit gloriosi Corporis et Sanguinis eius mysterium, praecipuis a fidelium quolibet attollendum fore recensentes honoribus, ac devotissimis laudum studiis amplectendum, mystica dispensatione thesauri fideles eosdem, quo tam pretiosissimi venerationi Sacramenti sinceris affectibus et dignis obsequiis ferventer intendant, excitare satagimus ut huiusmodi in eis fructum mors afferat, et illis caelesti pabulo vegetatis ipsius institutio sacramenti prosit iugiter ad salutem.

Hoc festum ab Urbano IV institutum, nonnullis concessis indulgentiis.

§ 1. Sane dudum felicis recordationis Urbanus Papa quartus, praedecessor noster, ad orthodoxae corroborationem et exaltationem fidei, digne ac rationabiliter statuens ut de tanto Sacramento, praeter illam, quae dietim in Ecclesia fit, annuatim memoria solemnior et specialior haberetur, et ad celebrandum eius tam excelsum tamque gloriosum festum quintam post octavas Pentecostes feriam designans, ipsosque fideles ad colendum illud donis spiritualibus animarum volens, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in matutinali officio festi eiusdem, in ecclesia, in qua illud celebraretur, interessent, centum; qui vero missae, totidem; et qui in primis ipsius festi vesperis, similiter centum; qui autem in secundis, totidem. Illis vero, qui primae, tertiae, sextae et nonae ac completorii horarum officiis, pro qualibet ipsarum, quadraginta. Iis autem qui, per octavas ipsius festi, matutinalibus, vespertinis, missae ac praedictarum horarum officiis interessent singulis octavarum ipsarum diebus, etiam centum dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxavit.

Huiusmodi indulgentias ampliat Martinus.

§ 2. Nos vero qui, huius verricula mundi, superstitiosis haeresum fomentis, guerrarum turbinibus, necnon pestis et aliarum, quae dietim, ex Divinae Maiestatis, ut formidamus, offensa, circumstrepunt calamitatum dispendiis fines (proh dolor!) adducere cernimus passim deteriores, amplioribus spiritualis recompensationis impendiis fideles eosdem ad impertienda pro veneratione Sacramenti huiusmodi, et ut illud, quo pascantur et serventur ipsorum corda, perlustrent, potiora reverentiae et devotionis exercitia firmare summopere cupientes, singulis ex eis vere poenitentibus et confessis, qui et quoties in ipsius Sacramenti profesto ieiunium vel, loco illius, aliud pium, iuxta suorum consilia confessorum, opus fecerint, centum; et qui praemissa, in ecclesiis quibus illa celebrari contigerit, officiis interfuerint, necnon episcopis et aliis praelatis superioribus, qui dictis officiis libenter interessent, sed quo minus eis in ipsius ecclesiis interesse possint pro

(1) De institutione huius festivitatis, eiusque indulgentiis, vid. in Urbano IV, Const. XIX, *Transiturus*, vol. III, pag. 705.

conservandis suarum dignitatum iuribus et alias legitime tunc impeditis, pro matutinali, ducentos, et pro missae officiis, totidem, ac pro qualibet vesperarum, etiam ducentos: reliquarum vero, videlicet primae, tertiae, sextae, nonae ac completorii festi, octuaginta. Rursus autem in quibusdam octavarum diebus, pro singulis matutinalium missarum et vesperarum, similiter centum, necnon reliquarum horarum officiorum huiusmodi, quadraginta. Illi praeterea qui processiones, in quibus ipsius vivificum Sacramentum, dicto festo, iuxta praefatarum ritus Ecclesiarum, deferetur, continuo secuti fuerint, a quibuslibet, in festo et octavarum diebus huiusmodi, pro pace et tranquillitate Ecclesiae missas devote celebrantibus, pro singulis ipsarum necnon aliis in eodem festo Eucharistiae sacramentum devote sumentibus, etiam centum, singulis annis. Profecto vice qualibet eis qui, dum Corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum incenso luminari praecedendo vel sequendo venerantur, similiter centum, et qui tunc illud alias devote secuti fuerint, etiam quinquaginta dies de Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi, de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus.

Festum hoc in locis interdicto suppositis quomodo celebrandum.

§ 3. Quodque in festo et diebus octavarum huiusmodi, in terris et locis ecclesiastico, quavis auctoritate, suppositis interdicto, pulsatis campanis, ianuis apertis et alta voce excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, ut citius reconciliari studeant, admissis; et illis, qui causam vel occasionem huiusmodi interdicti dederint altari tunc nullatenus appropinquantibus, missae et officia praemissa licite celebrari possint, auctoritate apostolica, concedimus per praesentes, aliis, quae circa observationem interdictorum a nostris sunt instituta praedecessoribus, in suo robore duraturis.

Hanc Bullam dominica festum hoc praecedente publicari mandat.

§ 4. Et insuper universos patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios Ecclesiarum praelatos monemus et hortamur in Domino, ac eisdem per apostolica scripta, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipiendo mandamus, et in remissione peccaminum iniungimus, ut, per se vel alios, eorum subditis, per singulas suarum civitatum et dioecesum Ecclesias, in dominica feriam et festum praedicta proxime praecedente salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti huiusmodi monitis et exhortationibus, praesentium literarum continentiam et effectum publicare et insinuare procurent, ut, eodem suffragante mysterio, subditi et fideles ipsi, gratiarum uberiori fulciantur augmento et ab Illo, qui se pro ipsis immolavit hostiam, post huius vitae cursum, ad gloriam perducantur aeternam.

Transumptis danda fides.

§ 5. Verum, quia difficile foret praesentes literas singulis exhiberi, volumus et eadem auctoritate decernimus quod ipsarum transumpto manu publica et sigillo alicuius episcopalis vel superioris ecclesiasticae Curiae munito, tamquam praefatis, si originales exhiberentur literae, plena fides adhibeatur, et perinde stetur ac si praedictae originales literae forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, septimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 26 maii 1429, pontif. anno XII.

---

## XXIV.

*Declarationes Regulae Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci ad ipsius Ordinis reformationem.*

### SUMMARIUM

Cardinalem S. Petri ad Vincula futuri capituli generalis praesidem facit. — 1. Opportunas ei dat facultates. — 2. Obedientiam ei vult exhiberi. — 3. Obstantibus derogat. — *Cardinalis praedicti literae.* — Bona reformationis exponit. — Quam sit in Ordine Minoritarum necessaria. — Has igi-

tur reformationes servari praecipit. — Cap. I Regulae. — Ad quae consilia evangelica fratres teneantur. — De pluralitate tunicarum. — Testamento B. Francisci: — Obedientia Sedi Apostolicae — Et praelatis Ordinis debita. — Paupertate. — Castitate. — Cap. II. De recipiendis intra Ordinem: — Qualitatibus recipiendorum: — Vestium humilitate. — Cap. III. De officii divini recitatione: — Ieiunio et equitatione. — Cap. IV. De pecuniis recipiendis, — Et infirmorum cura. — Cap. V. De labore manuum, laborisque mercede. — Cap. VI. De proprietate rerum. — Cap. VII. De poenitentia culparum. — Cap. VIII. De electione ministri generalis: — Eius sociis: — Eius auctoritate. — Cap. IX. De praedicatoribus: — Eorum examine et approbatione: — Qualitatibus approbandorum. — Quae ab ipsis cavenda sint. — De licentia praedicandi extra loca Ordinis. — Cap. X. De sociis ministrorum provincialium: — Contributionibus nec dandis, nec accipiendis: — Studiorum reformatione: — Caeremoniarum ecclesiasticarum observatione: — Ære alieno solvendo: — Fratrum correctione: — Reformatorum Ordine: — Conventuum aedificandorum modo: — Recursu ad praelatos Ordinis. — Cap. XI. De ingressu monasteriorum monialium, — Et horum clausura. — Cap. XII. De regimine locorum Terrae Sanctae. — Quoad expensas FF. inquisitoris munere fungentium. — Nihil solvendum pro gradibus recipiendis. — Obedientia a fratribus suis exhibenda praelatis. — Ad quid obligent praecepta Regulae. — De hisce constitutionibus observandis: — Quae propterea in generali capitulo lectae et publicatae fuerunt: — Et fratres inibi existentes easdem servare promiserunt. — Hinc publicum instrumentum confectum: — Et eædem publicatae constitutiones.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ioanni tituli S. Petri ad Vincula presbytero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.**

*Cardinalem S. Petri ad Vincula futuri capituli generalis praesidem facit.*

Cum generale capitulum Fratrum Minorum in civitate nostra Assisinate sit de proximo celebrandum, nos, qui eorum Ordinem, inter caeteros religiosos Ordines, ob singularem devotionis ardorem, quem erga beatum Franciscum gerimus, paterna caritate prosequimur, cupientes ut, per ministros, officiales et fratres in dicto capitulo congregatos, iuxta praedicti Ordinis instituta, talis reformatio fiat, quae Deo accepta, nobis grata, et ipsi Ordini conveniens existat ac christiano populo fructuosa, de tua circumspectione et sapientia, in nonnullis arduis nostris et Romanae Ecclesiae negotiis comprobata, sumentes in Domino fiduciam specialem, etiam de consilio venerabilium fratrum nostrorum eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalium, tibi, tenore praesentium, committimus et mandamus, quatenus te personaliter conferens ad civitatem praedictam, ipsi capitulo, auctoritate nostra, praesis, ipsumque pro tua prudentia dirigas, ordines et disponas, ac salubri maturitate provideas quod omnia et singula salubriter et sincere statuantur et ordinentur ad honorem Dei eiusque Ecclesiae ac nostrum et Apostolicae Sedis obsequium debitum et devotum, ipsius quoque Ordinis bonum regimen, tranquillitatem et pacem.

*Opportunas ei dat facultates.*

§ 1. Nos enim tibi dirigendi, disponendi, statuendi, praecipiendi, mandandi et quoscumque transgressores mulctandi, puniendi, corrigendi, privandi, absolvendi, ponendi, deponendi, approbandi, reprobandi, procedendi, iudicandi et exequendi, voces quoque ministrorum et custodum caeterorumque dicti Ordinis officialium absentium, aut alias commode interesse non valentium, supplendi, ac dictum Ordinem reformandi tam in capite quam in membris, contradictores, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, omniaque alia et singula faciendi, quae in praemissis vel quolibet praemissorum necessaria seu quomodolibet opportuna tibi videantur, auctoritate apostolica, plenam et liberam per praesentes concedimus facultatem.

Obedientiam ei vult exhiberi.

§ 2. Mandantes, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis excommunicationis, suspensionis et privationis officiorum et omnium actuum legitimorum, dilectis filiis generali et provincialibus ministris, caeterisque officialibus et fratribus in dicto capitulo congregatis, quatenus tibi in omnibus pareant et intendant. Nos enim sententias sive poenas quascumque inflixeris seu tuleris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Obstantibus derogat.

§ 3. Constitutionibus apostolicis ac statutis dicti Ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, indultis ac concessionibus per sacrum generale concilium Constantiense praefatis fratribus concessis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos, octavo idus iunii, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Dat. die 6 iunii 1430, pontif. anno XIII.

*Cardinalis praedicti literae.*

Ioannes miseratione divina tituli S. Petri ad Vincula sacrosanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis, reformator Ordinis fratrum Minorum ac legatus a latere, cum plenaria potestate, ad capitulum generale eiusdem Ordinis Assisii celebratum, sub anno Domini MCCCCXXX de mensis iunii die 15, in festo Corporis Christi a Sede Apostolica specialiter deputatus, venerabilibus fratribus generali, provincialibusque ministris ac universis et singulis fratribus Ordinis Minorum salutem et sinceram devotionem (1) in Domino Iesu Christo.

Bona reformationis exponit.

Non est novum si pro reparatione rerum ac temporum exigentia, leges innoventur humanae, quoniam etsi nihil sub caelo novum, plus tamen timeri solet quod specialiter iniungitur, quam quod generaliter inhibetur. Et centies repetita placebunt, ac diversa in unum collecta, facilius breviata servantur, et quae usu vilescunt antiquo, pariter renovata delectant. Renovamini, inquit ille praeco refulgens, spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis; et nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo Iesu, qui est caput nostrum, creator, dux, redemptor, dominus et magister. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quos non vocavit Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, ut veritatem annuncietis Illius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, evangelicae scilicet perfectionis Iesu Christi filii Dei, qui suae dilectissimae sponsae tenerrimus praedilector et vagus, non cessat quotidie providere de remediis et auxiliis opportunis, novellis eam floribus fulciendo pulcherrimis, sanctis scilicet desideriis divinorum chrismatum gratiarum, copiosius irrigando fructibus operum foecundorum, tribuens incrementa virtutum germine verbi. Sponsa siquidem Christi Ecclesia sancta est; sed in proposito nostro Minorum religio vertitur reformanda, quam altissimus Iesus Christus Dei filius sibi quodam singulari anulo mirifice desponsavit, quum eiusdem religionis institutorem et ducem, suae sanctissimae passionis privilegio decoravit, ac specialibus sigillis, sacris videlicet stigmatibus mirabiliter insignivit.

Quam sit in Ordine Minoritarum necessaria.

Quae quidem sacra religio, licet plantata sit super illo firmissimo fundamento, praeter quod nemo aliud ponere potest, quod est suum sanctissimum Evangelium, quasi ad modum fluctuantis naviculae, procellis agitata ventorum, tentationum scilicet pulsibus vulnerata quamplurimis, tot indiget semper almae matris

(1) Waddingus legit *dilectionem*.

Ecclesiae providentiis et favoribus, quot quatitur impulsibus et vitiorum (1) vulneribus sauciatur.

Has igitur reformation. servari praecipit.

Quum nuper igitur proximis temporibus retroactis nonnullae querulosae reclamationes, tum de scandalosis praedicatoribus, tumque de aliis discurrentibus et infectis fratribus eiusdem Ordinis sanctissimi domini Martini divina providentia Papae quinti saepius propulsaverint pias aures et auditum, hinc est quod pro universali reformatione Ordinis praelibati, infrascripta statuta recollegimus, ordinavimus, et qua supra apostolica auctoritate confirmamus, authenticamus et roboramus, ac ab omnibus et singulis fratribus eiusdem Ordinis volumus et mandamus inviolabiliter observari, tam a capitibus quam a membris, discurrentes secundum ordinem et processum dictae Regulae per duodecim capitula districte et particulariter ordinatae.

*Capitulum primum Regulae.*

Quoad primum capitulum regulae, quod incipit: Regula et vita fratrum Minorum, haec est, scilicet sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi observare *etc.*

Quia diu dubitatum et haesitatum extitit inter fratres, ad quae consilia Evangelica tenerentur;

Ad quae consilia evangelica fratres teneantur.

Dicimus et declaramus, quod ad illa consilia fratres tantummodo obligantur, quae in ipsa regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub verbis aequipollentibus sunt expressa, iuxta declarationem felicis rec. Clementis quinti in § 1 suae declarationis, *Exivi de Paradiso*, cuius verba et tenorem hic inseri mandavimus, videlicet: Declaravimus quod illud, quod ponitur in regula de non habendo plures tunicas, quam unam cum caputio, et aliam sine caputio: item, de non portandis calceamentis, et de non equitando extra causam (2) necessitatis: item, quod fratres humiliter induantur: item, quod ieiunare a festo Omnium Sanctorum usque ad Natale Domini et in sextis feriis teneantur: item, quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae: item, quod ministri et custodes pro necessitatibus infirmorum, et fratribus induendis solicitam curam gerant: item, quod si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debeant ei servire: item, quod fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, quum ab eo fuerit eis contradictum: item, quod nullus audeat populo penitus praedicare, nisi a generali ministro vel aliis quibus, secundum declarationem praedictam, id competit, fuerit examinatus et approbatus et ad hoc institutus: item, quod fratres, qui cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, debeant et possint ad suos ministros recurrere: item, omnia quae ponuntur in regula ad formam habitus, tam novitiorum quam etiam professorum, necnon ad modum receptionis ad professionem spectantia, sunt ab ipsis fratribus sicut obligatoria observanda, nisi recipientibus, quoad habitum novitiorum, sicut dicit regula, secundum Deum aliter videatur. Haec, inquam, omnia sunt a fratribus tamquam obligatoria observanda. Item, Ordo communiter sensit et sentit, tenet et tenuit ab antiquo, quod ubicumque ponitur in regula hoc vocabulum, *teneantur*, obtinet vim praecepti et servari debet a fratribus sicut tale.

De pluralitate tunicarum:

Post quae quidem verba declaratoria, nos Ioannes praefatus declaramus de tunicis ipsorum fratrum secundum quatuor magistros fratres, videlicet Gaufredum, Alexandrum de Ales, Ioannem de Rupella et Rigaldum (1), quod ministri et praelati possint plures concedere quum viderint necessarium, secundum loca et tempora et frigidas regiones.

Testamento B. Francisci:

Sciant etiam fratres se non obligari ad testamentum patris B. Francisci secundum declarationes Summorum Pontificum

(1) In Wadd. leg. *vitiosorum vulneribus.* (2) Wadd. *casum.*

(1) Wadd. *Richardum.*

fel. record. Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV, Nicolai III et Clementis V.

Obedientia Sedi Apostolicae,

Et quod omnes fratres, ut dignum et iustum est, reverentiam exhibeant et honorem, humilem obedientiam et firmissimam fidelitatem sanctissimo domino nostro Papae et sacrosanctae Sedi Apostolicae, prout in principio, medio et in fine regulae obligantur.

Caeterisque praelatis et clericis, prout congruum est, et intentio fuit sanctissimi patris B. Francisci, qui presbyteros monuit prae cunctis revereri.

Et praelatis Ordinis debita:

Item statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli fratres Gallici, Itali, Hispani et Theutonici, et quicumque alii per orbem terrarum constituti, obedire teneantur et debeant suis praelatis, scilicet generali ministro, provincialibus, custodibus, guardianis et quibuscumque aliis praelatis Ordinis secundum regulam datis, non obstante quocumque privilegio seu indulto, quomodocumque et qualitercumque concesso in generali vel speciali, in concilio Constantiensi, in Curia Romana, vel alibi ubicumque cassando, revocando et annullando, et nullius decernendo valitudinis, ac si numquam concessa fuissent. Et si quæ monasteria monialium ex aliqua bulla apostolica commissa fuerint aliquibus particularibus fratribus, ex nunc praedicti fratres, sive in Hispania sive alibi resignare debeant ea ministris provincialibus, nisi eisdem per praedictos denuo fuerit commissa, sub poena inobedientiae contumacis.

Paupertate.

Item quoad votum paupertatis, videlicet vivendo sine proprio, et quod fratres nihil sibi approprient; statuimus et ordinamus illud inconcusse tenendum, quod fel. rec. Nicolaus tertius declaravit in sua decretali: *Exiit qui seminat* (*De verbor. signif., lib. 6*). Porro successive et seriatim per ordinem usque ad § *Verum, quia expresse continetur in regula*). Et quod quilibet conventus habeat suum procuratorem secundum declarationem et privilegium dicti Nicolai III et Martini IV et sanctissimi D. N. Martini V.

Castitate:

Item quoad votum castitatis; statuimus et ordinamus, servandum fore statutum Guilelmi Farinerii factum in capitulo generali Assisii celebrato anno Domini MCCCLIV (1), cap. 7, ubi sic habetur: Fratres evidenter notati de suspectis consortiis et colloquiis mulierum, quae in regula prohibentur, si admoniti et correcti sufficienter, se non correxerint, si in officiis fuerint, ab omnibus officiis absolvantur et suspendantur. Nec taliter suspensi seu absoluti restituantur, nisi in capitulo provinciali per ministrum. Si vero in officiis non fuerint, priventur libris et omni actu legitimo. Et cui haec poena non competit, privationis (2) caputio et aliis poenis gravibus puniantur ad arbitrium ministrorum. Et ad hoc ministri firmiter teneantur. Et intelliguntur suspecta consortia non solum de mulieribus, sed etiam de suspectis familiaritatibus quibuscumque. Quicumque frater consuetus fuerit a socio suo fratre cum mulieribus sequestrari, de quibus iudicio praelati sui merito possit oriri suspicio, si canonice monitus et correctus, non se emendaverit, tamquam suspectus de mulieribus, omnibus officiis Ordinis et actibus legitimis sit privatus. Et si taliter punitus, iterato duobus fide dignis testibus convincatur de sequestratione praedicta, vel si sequestrationes huiusmodi suspicionem multum violentam facerent, sui praelati iudicio, et consilio discretorum, probentur legitime, absque admonitione vel punitione praemissa, arctetur ad veritatem dicendam. Si vero unus testis fide dignus de sequestratione praedicta appareat contra eum, et alius de lapsu carnis, arctetur gravius in domo disciplinae. Si vero aliquis de innominabili crimine, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiae, fuerit (quod absit) notatus et convictus, carceri perpetuo mancipetur. Ubi omni die igne circa ipsum

(1) Wadd. hic legit MCCCCLV. (2) Wadd. probationis.

accenso, corpore denudato, disciplinatus, panem et aquam quotidie comedens, defleat vitam suam in amaritudine et dolore: circa quod si praelati fuerint negligentes, ipso facto suis officiis sint privati.

*Cap. II Regulae.*

Quoad secundum capitulum regulae. Qualiter volentes venire ad Ordinem recipiantur.

De recipiendis intra Ordinem;

Statuimus et ordinamus illud servandum fore, quod fel. rec. Nicol. Papa III declaravit in praedicta Decretali, *Exiit qui seminat*, § *Sed quoniam*, ubi sic dicit: Sed quoniam in desideriis nostris hoc geritur ut ad Dei gloriam salus proficiat animarum, ac dictus Ordo, per quem iugiter ad amorem divinum affectio christianae religionis accenditur, et merito et numero augeatur, concedimus et praesenti statuto firmamus, licere non solum generali, sed etiam provincialibus ministris, personas fugientes a saeculo in fratres recipere, quae ministrorum provincialium licentia per ipsum generalem, siquidem expedire viderit, possit arctari. Vicarii vero provincialium ministrorum ex officio vicariae licentiam hanc sibi noverint interdictam, nisi per ministros eosdem, quibus hoc committere posse vicariis et aliis licere decernimus, hoc ipsis vicariis specialiter committatur. Caveant tamen ipsi provinciales, quod hoc non indiscrete, non passim, sed sic considerate committant, sicque illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus consiliis fulciant, quod omnia discrete procedant. Nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, sed illi tantum, qui, suffragantibus eis literaturae idoneitate vel aliis circumstantiis, possint utiles esse Ordini, sibique per vitae meritum ac aliis proficere per exemplum. Haec Nicolaus.

Qualitatibus recipiendorum:

Statuimus insuper et ordinamus quod nullus recipiatur ad Ordinem nisi annum quartumdecimum compleverit, etiam si oblatus fuerit a parentibus, nisi pro scandalo evitando, ut si forsan foret filius militis vel superioris dignitatis. Non recipiatur aliquis ad professionem, nisi annum compleverit probationis. Et venientes ad Ordinem diligenter examinentur de fide catholica et de ecclesiasticis sacramentis, ut in regula continetur, ita quod sint fideles catholici, et de nullo errore suspecti, matrimonio non ligati per copulam carnalem, corpore sani, animo prompti, legitime nati, debitis expediti, conditione liberi, nulla vulgari infamia notati, competenter literati, vel ad alios labores fratribus honestos et utiles apti, aut talis conditionis existentes, quod eorum receptio clero et populo non modicam ædificationem afferat.

Et quod venientes ad Ordinem de bonis suis faciant quicquid Dominus inspiraverit eis, secundum regulam et declarationem Clementis V in § *Caeterum quia Christi confessor*, ibi versiculo: Quum vero facere de rebus suis quod Dominus inspirabit eis, ipsam regulam ingredientibus liberum velit esse, non videtur prohibere quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus et moderaminibus declarationis iam dictae, si quid de bonis suis intrans, sicut et caeteris pauperibus per modum eleemosynae libere velit dare.

Vestium humilitate:

Item de qualitate habitus, quum regula dicat: Quod fratres omnes vestimentis vilibus induantur: statuimus et ordinamus, ut in generalibus Statutis praedicti Guilelmi continetur, cap. 2, quod vestimentorum vilitas attendatur in pretio pariter et colore, ita quod semper in vestimentis reluceat asperitas, vilitas et paupertas; et ut ignorantia nemini sit occasio delinquendi, ordinamus quod omnes fratres vestimentis talibus induantur, quod nec sint adeo pretiosa, ut videntes ea de curiositate et vanitate notare debeant, nec ita vilia et grossa, quod ipsa videntes in horrorem inducant, et provocent ad derisum. Longitudo autem habitus, ultra longitudinem fratris deferentis, talis sit, quod nec plica ultra quatuor digitos protendatur, nec ita brevis quin corda ex ea valeat operiri. Latitudo vero decem et

octo palmorum non excedat mensuram, nec sit minor quindecim. Caputium vero tali modo fiat, quod existens in capite, extremitas per longitudinem duorum digitorum cingulum non excedat, nec per duorum digitorum altitudinem super cingulum debeat remanere, cui longitudini correspondeat proportionabiliter latitudo secundum corporis quantitatem. De mantellis autem, de modo dormiendi, de camisiis, de cingulo et de calceamentis, in omnibus servetur generale Statutum praedicti Guilelmi in 2 cap.

*Cap. III Regulae.*

Quoad tertium capitulum regulae. De divino officio.

De officii divini recitatione.

Statuimus et ordinamus servandam esse constitutionem Benedicti XII, cap. 1, ubi sic dicit: In primis, circa agendum officium divinum in eodem Ordine, auctoritate apostolica ordinamus, quod ante missarum et horarum principia fratres dicti Ordinis omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum concurrant, praeparaturi Domino corda sua, ibique sine risu, murmure, discursu, et absque vagis et vanis aspectibus, sub silentio, in pace, cum debita gravitate permaneant, cantent et orent, et usque in finem unanimiter perseverent. Quia vero ecclesiasticus cantus, divinae laudis sacrificium, fructusque labiorum canentium, non solum eorum, qui psallunt, sed etiam auditorum aedificatio esse debet, eosdem fratres hortamur in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeste ac religiose persolvant, gestus leves et cantus dissolutos et fractos omnino declinent, sed tractim psallant, debito more incaepta, quae simul canenda fuerint, simul concinant, simul pausent, et caetera, ut in d. cap. habetur.

Hoc addito, quod de cantu in locis ubi pauci sunt fratres, qui non sufficerent ad cantandum, vel alia rationabili causa, prælati possint dispensare, quum viderint expedire.

Ieiunio et equitatione.

Item de ieiunio illa serventur, quae in regula continentur. Idem fiat de non equitando, praeterquam in casu necessitatis, attentis etiam verbis divi Bonaventurae in sua declaratione super hoc passu, qui dicit: Quod non debeant equitare, nec bigare, neque quadrigare, nisi manifesta necessitate, scilicet prolixi vel impediti itineris, vel negocii urgentis, vel infirmitate cogantur.

*Cap. IV Regulae.*

Quoad capitulum quartum regulæ. Quod fratres non recipiant pecuniam.

De pecuniis recipiendis,

Statuimus et ordinamus, iuxta declarationem Nicolai III et Clementis V, Martini IV et V, quod quilibet conventus sive locus habeat suum procuratorem, oeconomum (1), syndicum et actorem, cui omnes eleemosynae pecuniariae et alia, quae ad pecuniam reduci possunt, integraliter consignentur, qui easdem dispensare debeat legaliter et fideliter in reparationem conventuum et locorum, aliasque necessitates fratrum pro tempore occurrentes, et quod fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant. Si quis autem contrarium attentaverit, ipso facto omni actu legitimo sit privatus, et poena carceris puniatur.

In omnibus autem, quae ultra haec magis arctarent fratres dicti Ordinis, sive ex declaratione Clementis quinti, sive alia quacumque declaratione Summorum Pontificum vel aliorum quorumcumque, apostolica nobis auctoritate commissa, misericorditer dispensamus, non adstringentes propterea eos, qui voluerint praedictas declarationes servare, quin suo voto satisfacientes servare valeant et tenere.

Et infirmorum cura.

Item ministri et praelati pro necessitatibus infirmorum solicitam curam gerant, eis diligenter de necessariis providendo, ordinando infirmarios, vel alios fratres deputando servitiis eorumdem, qui deputati si culpabiles inventi fuerint vel notabiliter negligentes, praesidentium ar-

(1) Wadd legit *procuratorem idoneum, syndicum* etc.

bitrio puniantur; et alia fiant circa praedicta, sicut in generalibus Statutis Ordinis praedicti Guilelmi 4 cap. continetur.

*Cap. V Regulae.*

Quoad quintum capitulum regulae. De modo laborandi.

De labore manuum, laborisque mercede.

Statuimus et ordinamus, quod fratres habentes gratiam laborandi laborent fideliter et devote, et caet., prout in regula continetur. Mercesque laboris, si pecuniaria fuerit, per solventem statim consignetur procuratori conventus sive loci; quod si pecuniaria non fuerit, consignetur praelato eiusdem loci, de qua possit omnibus fratribus ibidem commorantibus communiter, prout necessitas exegerit, providere. Per hoc tamen nullus fratrum praesumat puerorum scholas regere in conventu, vel extra, saecularium personarum, sub poena privationis actuum legitimorum.

*Cap. VI Regulae.*

Quoad sextum capitulum regulae. Quod fratres nihil sibi approprient.

De proprietate rerum

Statuimus et ordinamus ab universis observandum, prout regula dictat. Et qui contrarium fecerit puniatur, ut supradictum est de pecuniariis. Item quod omnes fratres vadant pro eleemosyna confidenter, iuxta discretionem praelati praecipientis, cuius arbitrio committimus discernendum, qui congrue mittendi sunt pro eleemosyna, vel qui non.

*Cap. VII Regulae.*

Quoad septimum capitulum regulae. De poenitentia fratribus peccantibus imponenda.

Poenitentia culparum.

Statuimus et ordinamus, quod nullus frater provinciali ministro inferior, nisi ex speciali generalis vel provincialis licentia ministrorum, possit aliquem absolvere fratrem a peccato inobedientiae contumacis, proprietariae rerum detentionis, carnis lapsus, furti rei notabilis, iniectionis manuum violenter, falsi testimonii in iudicio facti, compositionis vel proiectionis aut publicationis libelli famosi, falsificationis sigilli cuiuscumque personae notabilis, falsae criminationis (1) in infamiam cuiuscumque. Si autem quis contrarium attentaverit, ipso facto actibus legitimis sit privatus. Et si legitime fuerit deprehensus, carceri mancipetur.

*Cap. VIII Regulae.*

Quoad octavum capitulum regulae. De electione generalis ministri. Quia, languescente capite, caetera membra dolent.

De electione ministri generalis:

Statuimus et etiam ordinamus, quod electio generalis ministri canonice celebretur in capitulo Pentecostes a ministris et custodibus, ut regula dictat: ipsi autem electores talem in tanta religione studeant habere pastorem, qui scientia, vita, moribus et exemplo, merito valeat magis prodesse, quam ambitiose præesse ovibus sibi commissis, omni postposito amore, odio, timore, prece, pretio vel rancore: quod si secus factum fuerit, electio nulla sit, et electores voce activa et passiva perpetuo sint privati.

Eius sociis:

Item statuimus et ordinamus, quod generalis minister non habeat secum plures duobus sociis notabilibus, uno cismontano et alio ultramontano, addito socio scriptore et alio servitore, cum uno famulo.

Et quod de caetero si generalis sit ultramontanus, cismontanus socius teneat sigillum Ordinis; et e contra, si generalis sit cismontanus, ultramontanus socius teneat sigillum Ordinis. Nec possit eos generalis ad libitum commutare, nisi morte interveniente, vel alia causa legitima, et casu notabili coarctante; tunc enim in loco illius substitutionem alterius socii facere possit de consilio discretorum.

Eius auctoritate.

Item, quod secundum declarationem quatuor magistrorum, generalis non possit immutare aliqua ordinata per ipsum et capitulum generale ipsius, sine capituli generalis assensu, in his quae tangunt regulae pu-

(1) Wadd. *testificationis.*

ritatem, nec possit aliquem licentiare ad cursum magisterii, nisi fuerit praesentatus per ministrum provincialem, qui neminem audeat praesentare, nisi de consilio et assensu ipsius capituli provincialis.

Item, quod praedictus generalis nullam exactionem pecuniariam facere possit, nec pro confirmatione ministrorum, neque pro visitatione provinciarum, neque pro magisterio, aut vestiario, vel literis officiorum aut suffragiorum, sive quacumque occasione vel colore quaesitis; quod si secus fecerit, ipso facto suo officio sit privatus, nec teneantur fratres sibi ulterius obedire. Et si exinde in posterum praesumpserit generalatus officium retinere, quod ipso facto sit periurus, infamis et inhabilis ad quaecumque officia vel beneficia, honores et dignitates, tam in Ordine, quam extra Ordinem obtinenda.

Item, quod non faciat vicarios in provinciis, nisi in casibus necessariis et opportunis, quibus expletis, vicariatus officium ipso facto volumus expirare.

*Caput IX Regulae.*

Quoad capitulum nonum regulae. De praedicatoribus.

De Praedicatoribus:

Statuimus et ordinamus quod fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, quum ab eo fuerit illis contradictum, sed cum omni humilitate et reverentia praelatos Ecclesiae debeant venerari.

Eorum examine et approbatione.

Item, quod nullus praesumat populo praedicare, nisi a generali ministro vel a provincialibus, in capitulis provincialibus, vel ab aliis, quibus per generalem ministrum fuerit commissum, examinatus extiterit et approbatus, et officium praedicationis sibi concessum. Possint nihilominus praefati ministri concessam praedicandi licentiam revocare, suspendere et arctare quoties, sicut et quando eis videbitur expedire, iuxta declarationem praedicti Nicolai tertii in praefata Decretali, *Exiit qui seminat*, § *Et quia in eodem*.

Et quod praedicti, quibus committitur auctoritas prædictam licentiam concedendi, nullum ad praedicationis officium admittere debeant, nisi extiterit admittendus sacerdos vel diaconus, aetatis ad minus vigintiquinque annorum, competentis literaturae, vita et moribus comprobatus, cuius doctrina merito populi aedificari valeant, sine scandalo.

Qualitatibus approbandorum.

Caveant autem praedicatores praedicti omnino, ne quando praedicant, praesumant quicquam contra libertatem sacrosanctae Romanae Ecclesiae, vel ecclesiasticis personis detrahere, vel (quod absit) scandalum contra clerum vel Religionem aliquam excitare, aut personam aliquam praesentem criminaliter nominare; sed potius contra haereses et schismata populos digne et fideliter animare, et in orthodoxae fidei veritate firmare. Maxime contra praesentem satanicam et damnatam haeresim Hussitarum; contra quos, in aliqua parte sermonis, prout videbitur expediens, invehatur. Si quis autem temerarie contra statum, honorem, dignitatem et ecclesiasticam libertatem praesumpserit praedicare, ipso facto, praedicationis officio et omni actu legitimo sit privatus: quod si, post praedictam privationem, praesumpserit praedicare, per suos praelatos, omni appellatione postposita vel alio subterfugio, carceribus mancipetur. Qui praelati, si in praedictis fuerint negligentes, in eamdem poenam se noverint incidisse, nisi rationabili et legitima causa de impotentia se valeant excusare. Super quos et praedictos praedicatores delinquentes ordinarii locorum plenam iurisdictionem habeant puniendi et carcerandi sine alio processu. Ad quod, quum opus fuerit, praedicti ordinarii invocare valeant brachium saeculare.

Quae ab ipsis cavenda sint.

Item, quod nullus frater audeat in alienis Ecclesiis praedicare (1), ad scandalum et dedecus Ordinis, nisi in his terris, ubi pro tempore fuerit consuetum, ut in Quadragesima, processionibus et similibus (2) et tunc nec sine licentia praelatorum Ordinis,

De licentia prædicandi extra loca Ordinis.

(1) Wadd. hic legit: *absque licentia Ordinarii, ne gignat scandalum aut perturbationem Ordinis; liceat tamen eisdem fratribus in iis terris* etc. (2) Wadd. hic addit *praedicare.*

nec praedicent novitates, vel materias quae scandalum possint verisimiliter generare.

*Cap. X Regulae.*

Quoad capitulum decimum regulae. De admonitione et correctione fratrum.

Statuimus et ordinamus quod praedictum capitulum diligenter per ministros executioni debitae demandetur; addentes insuper, quod minister quilibet in sua provincia uno provido et honesto socio sit contentus cum uno servitore.

De sociis ministrorum provincialium :

Et quod nullus minister, custos, guardianus vel lector vel quicumque alius frater quidquam exigat aliquo colore vel causa; quod si secus fecerit, ipso facto, suo officio sit privatus, et subditi deinceps obedire sibi minime teneantur. Et si quid aliquis ministrorum generali ministro praesumpserit contribuere, ipso facto, ut supra, suo officio sit privatus.

Contributionibus nec dandis, nec accipiendis:

Statuimus insuper, quod ministri diligenter et sollicite instent et invigilent reformationi Studiorum per quaslibet suas provincias, ita et taliter, quod cuilibet studenti pro posse provideatur de suis necessariis, tam pro libris, quam pro reliquis opportunis, de communibus eleemosynis per procuratorem receptis, pro quolibet conventu sive loco nativo fratris ad Studium promovendi. Exhortantes strictissime in visceribus Iesu Christi caeteros fratres aliorum locorum, quod cum viderint idoneos ad Studia promovendos, totis viribus eisdem impendant auxilium, consilium et favorem in quibuslibet opportunis, quaerendo pro eis eleemosynas, recommendando valentibus subvenire, eisque serviendo in visceribus caritatis. Quum scientia donum Dei sit armatura ad defendendam sanctam fidem catholicam, corona Ordinis, lumen veritatis et via in tenebris ambulantium populorum.

Studiorum reformatione :

Similiter attendant praedicti ministri, cum omni vigilantia et circumspectione, quod caeremoniae Ordinis, tam quoad divinum officium, quam quoad silentium, et alias caeremonias utriusque communitatis, spiritualis et temporalis, secundum antiquas consuetudines Ordinis, observentur.

Caeremoniarum ecclesiast. observatione :

Et si quae sunt debita de praeterito contracta, solvantur de expropriatione fratrum vel locorum, de vineis et possessionibus caeterisque rebus in Ordine repertis, quarum possessio, secundum puritatem nostri status, non potest Ordini convenire. Et si quid superesse poterit de pretio talium rerum vendendarum, vel ex reddenda ratione quorumcumque fratrum vel ministrorum vel aliorum subditorum, assignetur procuratoribus locorum quorumcumque per quaslibet provincias, pro communi utilitate et commoditate eorumdem fratrum vel locorum.

Ære alieno solvendo :

Ministri autem et alii praelati corrigant subditos suos humiliter, et caritative eos visitent secundum regulam, delinquentes misericorditer puniendo, iuxta tenorem septimi capituli Statutorum generalium praedicti Guilelmi, et vigesimiseptimi capituli Statutorum Benedicti XII, vel alias, prout eisdem ministris et praelatis melius videbitur expedire.

Fratrum correctione :

Item, cum in eodem Ordine aliqui fratres fuerint et sint excellentes in devotione et observantia strictiori huius professionis, ordinamus quod tales sic viventes per praelatos suos bene tractentur, et favorabiliter in suis devotionibus nutriantur in suis eremitoriis et locellis. Caveant autem praedicti praelati ne fratres aliquos ad eremitoria mittant, pro residentia ibidem facienda, nisi maturos, solidos et probatos in observantia (1) regulari, ubi fieri poterit bono modo.

Reformatorum Ordine :

Item, quod de caetero nullus audeat conventus aut loca seu eremitoria multiplicare, aut de novo aedificare seu aedificari facere, non solum pro fratribus, quin etiam pro sororibus, sine auctoritate D. N. Papae, dominorum dioecesanorum, generalis vel provincialium ministrorum licentia, sine praeiudicio conventuum propinquorum, in quorum terminis haec contigerit attentari. Salva etiam Decretali

Conventuum aedificandorum modo :

(1) Wadd. *in obedientia regulari.*

Bonifacii VIII *Cum ex eo*, in c. *De excessibus praelatorum*, lib. 6.

Recursu ad praelatos Ordinis.

Item, ubi regula dicit quod ubicumque sunt fratres, qui scirent et recognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, declaramus iustam esse causam recurrendi ad ministrum, cum tali loco est annexa proprietas vel cura animarum, pueros baptizandi et alia parochialia faciendi; aut quia ibi, domino reclamante, morantur fratres; aut quia, propter necessariorum penuriam, oportet eos in congregationibus vel quaestionibus (1) inhonestis, contra regulae puritatem et usum Ordinis generalem, excedere, aut propter societatem inhonestam vel importabilem fratribus, praesertim rudibus et infirmis; propter huiusmodi autem causas et similes, fratres debent et possunt ad suos ministros recurrere, per eosdem inde pie et paternaliter amovendi, et in locis devotis et spiritualibus collocandi.

*Cap. XI Regulae.*

Quoad undecimum capitulum regulae. Quod fratres non ingrediantur monasteria monacarum.

De ingressu monasteriorum monialium:

Statuimus et ordinamus illud esse servandum, quod praefatus Nicolaus III decrevit in eadem sua Decretali, *Exiit qui seminat*, § *Denique quia continetur*: ubi determinat prohibitum esse fratribus ne ingrediantur monasteria monacarum quarumcumque, intelligens nomine monasterii claustrum, domos et officinas interiores, pro eo quod ad alia loca, ubi homines saeculares conveniunt, possunt fratres ipsi, causa praedicationis vel eleemosynae petendae, accedere, quibus id a superioribus suis, pro sua maturitate vel idoneitate, fuerit concessum, exceptis semper praedictarum monasteriis inclusarum, ad quae nulli datur accedendi facultas, sine Sedis eiusdem licentia speciali. Quod etiam Gregorius IX determinavit.

Addentes nihilominus quod, si quis, sine ministrorum licentia, aliquod monasterium intrare praesumpserit, ipso facto, carceri mancipetur. Et diligenter attendant ministri, quod moniales sibi commissae debitam clausuram servent, tam fratrum quam saecularium accessus ad se compescendo, sub interminatione maledictionis aeternae.

Et horum clausura.

Item, statuimus et ordinamus quod nullus frater de caetero praesumat fieri compater virorum vel mulierum, et qui iam compaternitatem contraxerint, quantum in eis est, hoc nomine se a nemine nominari permittant, nec ipsi alios nominent. Et qui contrafecerit, carceri mancipetur.

*Cap. XII Regulae.*

Quoad duodecimum capitulum regulae. De euntibus inter Saracenos.

De regimine locorum Terrae Sanctae.

Statuimus quod servetur regula, et in praesenti capitulo et in quibuscumque aliis capitulis generalibus, quantum possibile est, provideatur et disponatur de bono regimine locorum Terrae Sanctae, tam quoad guardianum, quam quoad alios fratres, ita quod semper pro gubernatione illorum locorum eligantur in capitulis generalibus de melioribus et devotioribus fratribus Ordinis, qui vita, moribus et doctrina probati, lucis exemplum praebeant et aedificationem pariter infidelibus, cum quibus contigerit conversari.

Item, statuimus et ordinamus quod procuratores Ordinis in Curia Romana nihil exigant vel extorquere praesumant a fratribus advenientibus undecumque: quod si secus fecerint, ipso facto, suo officio sint privati. Et procurator cismontanus tractet negocia cismontanorum; fratrum ultramontanus autem tractet negocia ultramontanorum.

Quoad expensas FF. inquisitoris munere fungentium.

Item, statuimus et ordinamus, sub eadem poena, quod inquisitores haereticae pravitatis teneantur restituere communitati conventuum, ubi officium inquisitionis exercent, quicquid sibi advenire poterit vel competere ex officio inquisitionis, usque ad condignam satisfactionem expensarum, quas in praedictis conventibus perceperint dum officium inquisitionis exercent. Et si

(1) Wadd. *quaestibus inhonestis*.

eisdem inquisitoribus a communitate vel ab alia persona spirituali competenter provisum fuerit de expensis, non teneantur praedicti conventus providere eisdem de victu vel vestitu: quod si quid superfuerit, ultra praedictum victum vel vestitum, de eo quod sibi competeret ex officio, suo conventui nativo reddatur, distribuendum communiter inter fratres. Et quod nullus inquisitor eiusdem Ordinis in officio inquisitionis remaneat ultra duos annos, secundum eiusdem Ordinis generalia Statuta dicti Guilelmi, c. 6, § finali.

Nihil solvendum pro gradibus recipiendis.

Item, statuimus et ordinamus, quod de caetero nullus praelatorum, minister vel magister aliquem fratrem eiusdem Ordinis praesumat adstringere vel compellere ad aliquam pecuniariam solutionem, ratione cuiuscumque gradus scholastici, videlicet magisterii, lectoratus, baccalariatus vel alterius cuiuscumque, sub poena privationis gradus, tam in exigente, quam in contribuente.

Obedientia a fratribus suis exhibenda praelatis.

Insuper, quia parum est leges condere, nisi executioni debitae demandentur, volumus et mandamus, ac stricte praecipimus universis ac singulis fratribus eiusdem Ordinis, ubicumque fuerint et interierint, cuiuscumque gradus seu conditionis existant, quod in his omnibus supradictis suis praelatis teneantur firmiter obedire, scilicet generali in toto Ordine, ministris provincialibus in provinciis, custodibus in custodiis, guardianis in guardianatibus, caeterisque praelatis in his et aliis licitis et honestis, quae non sunt contra animam suam et regulam dicti Ordinis. Et si quis, quod absit, contrafecerit, trina admonitione praemissa, factis congruis intervallis, post quam, si rebellis et inobediens extiterit, carceri mancipetur.

Ad quid obligent praecepta Regulae.

In omnibus autem aliis statutis, constitutionibus, ordinationibus et declarationibus tam Summorum Pontificum, quam aliorum quorumcumque, sive de non edendo carnes in festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Dominicae, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis gloriosae Virginis, S. Francisci, S. Antonii et S. Ludovici episcopi, vel quibuscumque aliis temporibus per regulam vel per Ecclesiam non prohibitis (1), sive de quibuscumque aliis in aliis constitutionibus positis, quae non sunt contra legem Dei vel statutum Ecclesiae generale, auctoritate apostolica dispensamus. Nolentes aliquem dicti Ordinis ex praedictis statutis seu constitutionibus, ordinationibus vel declarationibus, de quibus in his praesentibus non fit mentio, mortalis peccati vinculo alligari, nisi tales essent casus vel excessus, qui divina lege, seu sacrosanctae Romanae Ecclesiae generali statuto, merito inducerent ad mortale. Et ubicumque in aliis constitutionibus eiusdem Ordinis, papalibus vel generalibus (2) poena excommunicationis imponitur, quatenus in aliam poenam temporalem valeat commutari, arbitrio praesidentium reservamus. Sententias vero excommunicationis inibi contentas, auctoritate praefata ex nunc tollimus, remittimus et laxamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

De hisce constitutionib. observandis.

Praedicta autem statuta, constitutiones, ordinationes seu declarationes et revocationes volumus ab omnibus tam praelatis, quam subditis integre et inviolabiliter observari. Mandantes et districte praecipientes omnibus praelatis, tam generali et provincialibus ministris, quam aliis praelatis Ordinis quibuscumque, quod omnia et singula supradicta servent, et faciant ab omnibus inviolabiliter observari. Quod si in praedictis fuerint negligentes, ipso facto, suis officiis sint privati. Et ne alicui ignorantia sit occasio delinquendi, sub interminatione divini iudicii mandamus praelatis praedictis, quatenus ea per quemlibet conventum et locum, ad minus semel in mense, legi faciant (3).

Quae propterea in generali capitulo lectae et publicatae fuerunt.

Has autem constitutiones, reformationes et ordinationes, per nos Ioannem, card. legatum et reformatorem praefatum,

(1) Wadd. hic addit *et ieiuniis*. (2) Wadd. legit *papalibus vel conventualibus*. (3) Wadd. hic addit: *et intelligibiliter divulgari*.

auctoritate apostolica factas et ordinatas, alta et intelligibili voce, in pleno capitulo, ad sonum campanae, ut moris est, congregato, coram multitudine copiosa fratrum eiusdem Ordinis propterea ibidem existentium, de verbo ad verbum, per organum venerabilis et religiosi viri fratris Ioannis de Capistrano, eiusdem Ordinis professoris, legi et publicari fecimus, et, ad perpetuam rei memoriam, per generalem et provinciales ministros, custodes, discretos et omnes ac quoscumque fratres et religiosos dicti Ordinis praesentes, absentes et futuros, in omnibus et per omnia, prout superius late scriptae sunt, sub poenis in eisdem contentis inviolabiliter teneri et observari mandavimus, et per praesentes mandamus.

Et fratres inibi existentes easdem servare promiserunt

Post quarum quidem constitutionum, reformationum et ordinationum publicationem et lecturam, omnes et singuli ministri, custodes, custodum discreti et alii in dicto capitulo existentes, tam nominibus suis propriis, quam suorum conventuum et fratrum praesentium et futurorum, dictis constitutionibus, ordinationibus et reformationibus, tamquam legitime, sancte, iuste factis et ordinatis, non coacti nec circumventi, libere et sponte, sine contradictione aliqua, in pleno capitulo acquieverunt, et in eisdem et eorum singulis, in omnibus et per omnia, consenserunt, alta et intelligibili voce unanimiter clamando et dicendo: Consentimus in eisdem in omnibus et per omnia, et volumus stare, vivere et mori in isto Ordine sancte, fraternaliter, secundum constitutiones et reformationes praedictas.

Hinc publicum instrum. confectum:

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum, praesentes nostras literas, sive praesens publicum instrumentum constitutiones, reformationes et ordinationes huiusmodi in se continentes, sive continens, exinde fieri, et per secretarium nostrum, notarium publicum infrascriptum, subscribi et signari mandavimus, nostrique sigilli cardinalatus iussimus et fecimus appensione communiri.

Et eædem publicatae constitutiones.

Lectae et in scriptis publicatae fuerunt hae constitutiones, reformationes et ordinationes supradictae per nos de mandato nostro, modo supradicto, Assisii, in monasterio fratrum Minorum, tempore generalis capituli in pleno capitulo, nobis ibidem de praefati D. N. PP mandato praesidentibus. Sub anno a nativitate Domini 1430, indict. 8, die vero Mercurii 21 mensis iunii, pontificatus praefati D. N. PP anno 13, praesentibus ibidem reverendo patre domino Bernardo Montis Albanensis episcopo, et Guilielmo Panze et Ioanne Abgeroloes (1), alias Frances, notariis apostolicis familiaribus nostris, et pluribus aliis, tam clericis quam laicis, quam fratribus dicti Ordinis testibus, ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Rodericus Gundisalvi de Moculeos, clericus Baganensis dioecesis, publicus auctoritate apostolica notarius, dictique reverendissimi in Christo patris et domini mei domini Ioannis cardinalis legati et reformatoris praefati, praemissis *etc.* Amen.

---

## XXV.

*Declaratio et modificatio constitutionum nuper editarum super reformatione fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci.*

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Factas a cardinali S. Petri ad Vincula legato Ap. S. reformationes — 2. Confirmat PP. et modificat — 3. Circa monialium curam, — 4. Prohibitumque ad eas ingressum: — 5. Divini Officii recitationem: — 6. Socios ministri generalis: — 7. Potestatem eiusdem generalis licentiandi fratres ad magisterium: — 8. Eleemosynas exigendi: — 9. Fratrum vestimenta: — 10. Exactionem praelatis interdictam: — 11. Iuramentum a generali

(1) Nomina haec Waddingus sic legit: ***Bernardo Montis Albani episc., Guilielmo Pacize et Ioan. Meroles;*** et infra: ***Robertus Gundisalvi de Mocuellos clericus, Burgen. dioecesis,*** etc.

praestitum de observandis dictis constitutionibus. — 12. Contrariorum derogatio. — 13. Clausulae.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Pervigilis more pastoris Romanus Pontifex animadvertens commissum sibi gregem dominicum, per laudabilia religiosorum exempla, in semitam mandatorum Altissimi dirigi, et ad salutarium actionem operum provocari, nonnunquam super his, quae, medio suae provisionis, ad commendabilem sacrae religionis reformationem processerunt, adiicit, declarat, modificat, ordinat et disponit, prout, rerum et temporum qualitate pensata, id in Domino conspicit salubriter expedire.

Factas a cardinali S. Petri ad Vincula legato Apost. S. reformationes.

§ 1. Cum itaque pridem dilectus filius noster Ioannes tituli Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis, cui de ven. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, per alias nostras literas super hoc plenæ legationis officium commiseramus, ac omnimodam concesseramus facultatem, vigore commissionis, concessionis et literarum huiusmodi generali capitulo fratrum Minorum, quod tunc in civitate nostra Assisii celebrabatur, praesidendo, nonnullas super reformatione Ordinis dictorum fratrum Minorum salubres et honestas constitutiones in eodem capitulo edidisse noscatur, prout in literis suis, eius sigillo munitis, vidimus plenius contineri.

Confirmat PP. et modificat.

§ 2. Nos constitutionum et literarum earumdem tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illasque, harum serie, approbantes et confirmantes, super eis, ut prosperioribus in posterum successibus gratulemur, motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de nostra mera providentia, additiones, declarationes et modificationes auctoritate apostolica ordinamus, edimus et facimus, quae sequuntur.

Circa monialium curam:

§ 3. Primo videlicet, quod ubi fratres particulares dicti Ordinis monialium et sororum Ordinis Sanctae Clarae, Sancti Damiani et Minorissarum, ac alia quaecumque monasteria sive loca regularia mulierum, per quascumque etiam apostolicas literas sibi commissa, sub certis poenis adstringuntur ministris provincialibus, ut illorum iurisdictioni subsint, prout convenit, resignare, nisi per illos eis denuo fuerint recommissa, adiiciendo decernimus, volumus et mandamus, sorores et moniales easdem, etiamsi in contrarium habeant quaevis privilegia vel indulta, necnon eisdem particularibus fratribus concessas literas huiusmodi, quae quoad hoc cassamus, irritamus et annullamus, ad subtrahendum se a subiectione et obedientia ipsorum particularium fratrum, et aliorum quorumcumque, nisi de novo illis recommittantur, ut praefertur, seque omnino ipsorum ministrorum, et per eos deputandorum visitatorum iurisdictioni et obedientiae submittendum, per eamdem constitutionem pari modo adstringi, et poenis similibus obligari.

Prohibitumque ad eas ingressum (1):

§ 4. Praeterea decernimus, quod exceptis iis, de quibus in constitutionibus felicis recordationis Benedicti Papae duodecimi praedecessoris nostri fit mentio, nulli omnino hominum tam regularium, quam saecularium, cuiuscumque status, gradus, præeminentiae, dignitatis, excellentiae, nobilitatis et conditionis fuerit, prætextu sibi desuper quavis auctoritate concessae cuiuscumque licentiae, quam similiter cassamus, irritamus et annullamus, monasteria sive loca sororum et monialium huiusmodi, sive aliquod ex eis ingredi, neque etiam protectori aut generali ministro dicti Ordinis Minorum pro tempore existentibus, seu praefatis provincialibus ministris et quibuscumque visitatoribus licentiam super ingressu huiusmodi, aliis ab exceptis antedictis, inconsulto Rom. Pontifice, concedere liceat quoquomodo.

(1) Vide cap. 2 superioris bullae.

Divini Officii recitationem (1):

§ 5. Item, ubi cavetur de divino officio secundum Ordinem dictae Romanae Ecclesiae peragendo, statuimus, quod de omnibus commemorationibus, et festis trium lectionum, festa novem lectionum fieri, et utrumque festum Sanctae Crucis sub duplici officio, sine commemorationibus sanctorum eisdem diebus occurrentium, celebrari, prout a piae memoriae Gregorio Papa undecimo, prædecessore nostro, fuit ordinatum. Quodque super rubrica de festis occurrentibus infra octavas, festa ipsa non de praecedentibus, sed solum intra easdem octavas existentibus, sicut etiam nonnulli alii Romani Pontifices, similiter praedecessores nostri declaraverunt, intelligi debeat.

Socios ministri generalis (2):

§ 6. Item, ubi praefato generali ministro duo socii notabiles, unus videlicet citramontanus et alius ultramontanus, addito socio scriptore et alio servitore, cum uno famulo dumtaxat decreti sunt, adiicimus eidem duos famulos, et unum eleemosynarium saecularem vel alterius religionis. Qui quidem eleemosynarius a procuratoribus provinciarum aut provincialium ministrorum conventuum vel domorum et locorum dicti Ordinis Minorum, omnia illa, quae pro victu, vestitu, equis, famulorum salario et aliis, quæ ipsi generali ministro, eiusque comitivae necessaria et opportuna fuerint, exigere, et exacta pro huiusmodi necessariis exponere habeat. Quique de praemissis exactis et expositis, eidem ministro generali, primum, et deinde capitulo generali, loco et tempore celebrationis eiusdem, ut inibi per totum Ordinem secundum provinciarum numerum dividantur, rationem reddere teneatur. Adiicimus etiam, quod singuli duorum sociorum provincialium generalis ministri praedictorum, singulos servitores fratres, vel alias, personarum suarum et equorum sibi assignatorum, servitiis institutos famulos quibus, sicut caeteris de familia eiusdem generalis ministri, provideatur, habere valeant atque possint. His tamen et aliis eis similibus eiusdem generalis ministri, prout secundum loca et tempora ac longas vel breves moras expedire viderit, moderationi relictis. Cuius etiam generalis ministri, vel per eum ad hoc deputandi, coercitioni et compulsioni, præfatos procuratores et principales eorum, necessaria dicto eleemosynario forsitan solvere vel exhibere recusantes, aut solutionem huiusmodi longius debito differentes, super hoc omnino volumus subiacere.

(1) Vid. cap. 3. (2) Vid. cap. 8.

Potestatem eiusdem generalis licentiandi fratres ad magisterium (1):

§ 7. Item, ubi praefato generali ministro interdicitur potestas licentiandi aliquem ad cursum magisterii, nisi praesentatus fuerit a ministro suae provinciæ, qui neminem audeat praesentare, nisi de consilio et assensu capituli provincialis, modificando declaramus, hoc fore intelligendum in illis provinciis, in quibus solet provinciale capitulum, vel congregatio habens vim capituli, singulis annis celebrari; alias idem generalis minister, de proborum consilio, ad magisterii cursum licentiare valeat atque possit.

Eleemosynas exigendi (2):

§ 8. Item, ubi dicto generali ministro pecuniarum exactio prohibetur, declaramus, quod pro suis necessitatibus possit eleemosynas a quibuscumque recipere, qui sponte illas sibi voluerint erogare, dummodo ab exigendo et extorquendo penitus abstineat (3).

Fratrum vestimenta:

§ 9. De vestimentis autem per ministros et custodes debita, secundum regulam et constitutiones praefati Benedicti praedecessoris, provisio observetur.

Exactionem praelatis interdictam (4):

§ 10. Item, ubi generali et provincialibus ministris ac custodibus et guardianis, caeterisque fratribus praedictis inhibetur, ne ullatenus quidquam exigant aliquo colore vel causa; qui si secus fecerint, eo ipso, suis officiis sint privati, sibi-

(1) Vid. cap. 4. (2) Vid. cap. 8. (3) Wadd. hic addit: *Idemque per provinciales ministros in suis provinciis, et procuratores dicti Ordinis Minorum in Romana Curia, ac alios ipsius Ordinis fratres, tam pro expensis et aliis necessariis, quam pro eleemosynarum receptionibus, volumus observari.* (4) Vid. c. 8.

que eorum subditi deinceps obedire minime teneantur; et si aliquis ministrorum generali ministro quidquam contribuere præsumpserit, ipso facto, suo officio sit privatus; volumus et etiam declaramus, contributiones huiusmodi intelligi debere, si, in modum exactionum vel extorsionum, tam ex parte dantium quam recipientium factae fuerint, non autem in modum eleemosynarum supradictum, quem volumus in suo robore permanere. Quod si forsitan taliter observatum non extiterit, huiusmodi privationum, in quocumque dictarum constitutionum, per eundem cardinalem, ut praefertur, editarum, loco tangantur, definitionem et determinationem solum spectare ad Summum Pontificem quoad ministrum generalem, ad generalem ministrum quoad ministros provinciales, et ad provinciales ministros, quoad alios fratres antedictos. Quas quidem omnes et singulas additiones, declarationes et modificationes per nos, ut praemittitur, factas, a quibuscumque fratribus dicti Ordinis Minorum et aliis, quorum intererit seu interesse poterit, perpetuo et irrefragabiliter observari volumus et mandamus.

Iuramentum a generali praestitum de observandis dictis constitutionibus.

§ 11. Rursus per iuramentum, quod dilectus filius Guillelmus de Casali, eiusdem Ordinis Minorum generalis minister, de dispensationem ullam super dictis constitutionibus per eundem cardinalem editis, vel earum aliqua non petendo, vel obtenta non utendo, in praefato capitulo Assisii celebrato, ut accepimus, praestitit, quamplurima eidem Ordini Minorum, cuius prosperi status directionis onus ipsi Guillelmo ministro principaliter incumbit, fructuosa et utilia, ingruentibus casibus, pro tempore impediri, aut in ipsius Ordinis praeiudicium differri posse; necnon eumdem Guillelmum ministrum, qui est caput, arctius quam membra ligari, minus congruum fore recensentes, sibi iuramentum huiusmodi, cuius formam praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressa, eadem auctoritate, motu simili, harum serie penitus relaxamus, eumque ad illius observantiam decernimus et volumus non teneri.

Contrariorum derogatio.

§ 13. Praemissis, necnon constitutionibus apostolicis, et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Aliis tamen constitutionibus antedictis per praefatum cardinalem editis, in omnibus semper salvis.

Clausulae.

§ 13. Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Ss. Apostolos, sexto kal. augusti, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Dat. die 27 iulii 1430, pontif. anno XIII.

---

## XXVI.

*Indictio generalis concilii Basileensis, cui praeses datur Iulianus diaconus cardinalis S. Angeli.*

### SUMMARIUM

Exordium. — 1. A concilio Constantiensi statutum ut certis temporibus generalia concilia indicantur. — 2. In concilio itaque Senensi decretum ut Basileæ haberetur concilium. — 3. Martinus Iulianum cardinalem S. Angeli ad illud legatum facit. — 4. Quae in eo agenda sint, significat, opportunas concedendo facultates: — 5. Etiam quoad rebellium punitionem. — 6. Iulianum, ut de mandato sibi munere optime fungatur, admonet.

**Martinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Iuliano S. Angeli diac. card., Apost. Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Dum onus universalis gregis dominici, superna dispositione nobis iniunctum, diligenter attendimus, et quod singulis christianae reipublicae occurrentibus per nos ipsum debitum apost. servitutis exequi non possumus, animo nostro revolvimus, nonnunquam viros fide ferventes, dignitate ac scientia praeditos et rerum agendarum experientia conspicuos, in partem nostrorum et Ecclesiae Romanae negociorum assumimus, ut, dum tempus po-

stulat, eorum operationibus vices nostras supplentes, ministerium nobis commissum, divina assistente gratia, iuxta vires nobis ex alto concessas, exequi valeamus.

A concilio Constantiensi statutum ut certis temporibus generalia concilia indicantur.

§ 1. Dudum siquidem sacrum generale Constantien. conc., ex certis causis tunc expressis, statuit et decrevit, primum generale concilium in quinquennium ex tunc proxime futurum; secundum vero a fine illum immediate sequentis concilii in septennium, et deinceps decennio in decennium perpetuo fore celebrandum, in locis per Romanum Pontificem per mensem ante finem cuiuslibet concilii, approbante et consentiente concilio, vel in defectum ipsius, per ipsum concilium deputandis et assignandis; ut illa, quae circa statum et bonum publicum Ecclesiae sanctae Dei agenda et expedienda restabant, matura possent deliberatione compleri.

In concilio itaque Senensi decretum ut Basileæ haberetur concilium.

§ 2. Prout, quantum in nobis fuit, in concilio Senis ultimo celebrato, factum extitit, in quo per nostros et Sedis Apostolicae nuncios, tunc in dicto concilio Senensi praesidentes, eodem approbante concilio, civitas Basileensis, pro loco proxime futuri tunc in septennium celebrandi concilii, deputata extitit, prout in decreto praefati Senensis concilii, et aliis nostris literis desuper confectis, plenius continetur.

Martinus Iulianum cardinalem S. Angeli ad illud legatum facit.

§ 3. Cum autem finis huiusmodi septennii, quo concilium ipsum in eadem civitate Basileensi tenendum et celebrandum fore statutum fuit, instare noscatur, cumque propter notoriam aegritudinem nostram in ipso futuro Basileensi concilio, Deo auctore, celebrando, iuxta desiderium cordis nostri, interesse non possimus; te, vitae integritate et sapientia praeclarum, et magnitudine consilii conspicuum, ac in maximis nostris et praefatae Ecclesiae negociis diuturna experientia comprobatum, legatum cum plena et omnimoda potestate legati de latere, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica tenore praesentium, facimus, constituimus et etiam ordinamus.

Quae in eo agenda sint significat, opportunas concedendo facultates:

§ 4. Teque ad civitatem Basileensem praedictam, pro futuro ibidem, auctore Domino, tenendo et celebrando concilio generali, iuxta deliberationem et ordinationem praefatas, tamquam angelum pacis, destinandum providimus. Et cum super omnia in ipso futuro concilio ad reformandum statum ecclesiasticum, qui hoc tempore indigere videtur, abundante nequitia et frigescente caritate hominum, suscitatis inter fideles bellis et discordiis, ac invalescente in pluribus mundi partibus haeretica pravitate, ad huiusmodi hæreses extirpandas, et pacem inter catholicos principes et caeteros christianos componendam, animum efficaciter intendamus; super qua re, quantum in nobis fuit, dedimus operam efficacem, tibi, nomine et auctoritate nostris, ipsi concilio praesidendi, ac in illo pro tua sapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, statuendi et decernendi, quae ad laudem et honorem Dei et conservationem et augumentum religionis, fidei christianæ, statum Ecclesiae, reformationem quoque totius cleri et ecclesiastici status in moribus et vita, necnon reductionem Orientalis Ecclesiae, et quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium Ecclesiae militantis, ac conservationem ecclesiasticae libertatis, salutem quoque, quietem et pacem regnorum, regum, ducum, principum et quorumlibet fidelium populorum noveris pertinere, ac etiam ibidem cum debita maturitate et deliberatione, prout in tanta re convenit, ea omnia proponendi, decernendi, concludendi et exequendi, per quae haereses et errores, tam de Bohemia, quam de aliis quibuscumque regnis, provinciis, terris, locis in quibus sunt, penitus extirpentur; et nihilominus de praemissis haeresum et quibuscumque aliis causis, fidem catholicam concernentibus, quomodolibet cum consilio dicti concilii cognoscendi, aliaque per te vel per alium seu alios a te deputandos audiendi, decidendi et fine debito cum praefato concilio terminandi.

Etiam quoad rebellium punitionem.

§ 5. Et contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, præeminentiae vel conditionis existant, et quamvis ecclesiastica vel mundana, etiamsi regali vel pontificali praefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, et super his, quoties opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi; omniaque alia et singula in eodem Basileensi concilio agendi, tractandi, disponendi, statuendi, declarandi, decernendi et concludendi, quae in praemissis et circa ea, pro statu nostro et eiusdem Ecclesiae ac salute animarum fidelium, extirpatione haeresum et errorum de agro dominico, reductione quoque oberrantium populorum, et conservatione ecclesiasticae libertatis, ac pro quieto statu reipublicae christianae, necnon reformatione in omnibus membris suis, noveris profutura, plenam et liberam, auctoritate praedicta tenore praesentium, concedimus potestatem; ratum et gratum habituri, quicquid super praemissis, per te, una cum eodem Basileensi concilio, ordinatum, statutum, deliberatum et decretum fuerit et conclusum; idque faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Iulianum, ut de mandato sibi munere optime fungatur, admonet.

§ 6. Quocirca circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus tibi iniunctum ministerium laboris huiusmodi pro divina et dictae Sedis ac nostra reverentia, sic in eodem futuro concilio dicto nomine pro tempore præsidens, ad honorem Dei, Ecclesiae atque nostrum; salutem quoque et pacem populorum fidelium, iuxta datam tibi a Domino prudentiam, laudabiliter exequaris, quod ex tuis fructuosis operibus fructus optati proveniant, quos speramus: tuque deinde illam, quae pias causas agentibus superna retributione impenditur, gloriam consequi merearis felicitatis aeternae.

Datum Romae apud Ss. Apostolos, kalendis februarii, pontificatus nostri anno decimoquarto.

Dat. die 1 februarii 1431, pont. anno XIV.

FINIS TOMI QUARTI

# INDEX

## NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

---

NUMERUS PAGINAM INDICAT. — *a* PRIMAM COLUMNAM — *b* SECUNDAM DESIGNANT.

---

## A

Abbreviatorum Cancellariae Apostolicae officium, 679 *b*.
Acaone vel Acaonis civitas a Saracenis occupata, 112 *b*.
Adulphus ab Alberto caesus. *V* Alberti, *etc.*
Advocatorum concistorialium mores quales esse debeant, 687 *a*; salarium, 688 *b*.
Æra vel Era quid sit, 284 *a*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.
Ægidius S. R. E. cardinalis legatus in Statu Ecclesiastico deputatur, 503 *a*.
Agathae (S.) terram, aliaque castra ad provinciam Massae Trabariae, non Romandiolae spectare declaratur, 87 *a*.
Agennensis dioecesis dividitur, 249 *a*.
Alberti, Rodulphi regis Roman. filii, erga Apost. Sedem merita, 160 *a*. In imperatorem legitime electus, *ibid.* Ob caesum Adulphum iudicio postulatus, *ibid. b.* Fidem obstringit, et privilegia confirmat Ecclesiae Romanae, *ibid.*
Albiensis Ecclesia. *V*. Castrensis Ecclesia.
Alearum seu Taxillorum ludi reprobantur, 509 *b*.
Alexander V Papa ccvi eligitur, 655 *a*.
Alga (in) Venetiarum S. Georgii Castellanensis dioecesis collegiata erigitur, 645 *b*.
Almae Urbis Universitas erigitur. *V* Romana Academia.
Almozarifi quid sint, 33 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.
Almucium quid sit, 446 *a*. *V* not. ad calcem colum. eiusdem.
Alphonso comiti Bolonien. Portugalliae regni regimen ab Innocentio IV Papa demandatur, 30 *a*.
Alphonsus Portugalliae rex ab Honorio III monitus libertatem ecclesiasticam ne laederet, 29 *a*.
Ambitio in ecclesiasticis execrabile vitium, 587 *a*.

Ambrosii (S.) de Nemore Ecclesia Regularibus nomine S. Ambrosii nuncupandis datur, 578 *a*.

Anachoretae reprimunt animi affectus poenitentiis, 618 *a*.

Andronicus Graecorum imperator eiusque complices et adhaerentes excommunicantur, 185 *b*.

Andronicus primogenitus Michaelis Palaeologi imp. Graecorum epistolam accipit a Gregorio X PP., 26 *a*.

Angelus Kissamensis episcopus erigit collegiatam in Ecclesia S. Georgii in Alga Venetiarum Castellanensis dioecesis, 645 *b*.

Anglicani Parlamenti ordinationes super provisione Ecclesiarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum damnantur, 606 *a*.

Annetum quid sit, 108 *a*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.

Antonii (S.) Viennen. abbatia erigitur, soli Apostolicae Sedi subiicitur et nonnullae leges dantur ei, 143 *a* et *seq*.

Appamiarum villa in civitatem erigitur et episcopalis sedes declaratur, 132 *a*.

Apostatae quamvis ad Ecclesiam confugiant, contra eos est procedendum, 250 *b*; quibus poenis coercendi, 326 *a*.

Apostolicae cathedrae sublimitas, 49 *b*.

Apostolicarum literarum executionem impedientes ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae per tres menses suspenduntur, 677 *a*.

Apostolica Sedes. *V*. Sedes Apostolica.

Apostolorum Ordinis secta damnatur, 84 *b*.

Appellatio, 630 *a*. Pignora non sunt danda ab appellantibus, *ibid*. *b*. Appellantes non sunt molestandi, 631 *b*.

Aragoniae regnum conceditur Philippo Francorum regi 130 *a*. Huius regni statuta quaedam, per quae Ecclesiarum libertas et ecclesiasticarum personarum bona afficiebantur, damnantur, 536 *b*.

Aretina Ecclesia. *V*. Cortonensis episcopatus.

Arnaldistae (haeretici), ipsorumque filii et complices excommunicantur, 47 *a*. Ipsorum aliorumque poenae, *ibid*. *b*.

Arnaldus de S. Desiderio, 13 *b*.

Arrendare, Arrentare quid sit, 591 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.

Attachiare quid sit, 607 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.

Auditores Curiae Romanae sine cappa et rocheto non debent incedere, 317 *b*. Sint diligentes, et causis audiendis debitis horis insistant, *ibid*. Festa statuta tantum servent, 318 *a*. Diebus iuridicis, obsequiis cardinalium non incumbant, *ibid*. Nihil a quoquam recipiant, et coadiutorum consilia secreta servent sub statutis poenis, *ibid*. Iuramentum quod debent singuli S. R. E. vicecancellario praestare, *ibid*. Ordo servandus in propositionibus causarum, *ibid*. *b*. Ante definitivam sententiam colligenda omnia vota, 319 *a*. Quatuor habeant tantummodo notarios, *ibid*. Caveant ne quid ultra taxam exigant, *ibid*. *b*. Consilium non praestent in causis coram eis cognoscendis, *ibid*. Auditorum consilia a notariis secreta serventur, *ibid*.

Auditor Rotae Romanae, cui primus commissa causa fuerit, eius sit iudex, 710 *a*.

Augustini (S.) canonici regulares in unum coadunantur, et regulae eis dantur, 697 *b*.

Augustini (S.) Eremitarum Ordo. *V*. Eremitarum S. Augustini Ordo.

Avenionensis Ecclesiae iurisdictionis pars quaedam nonnullique redditus in castris Pontis Sorgiae et de Interaquis ab ea separati Romanae Ecclesiae et comitatui

Venaisino uniuntur, 308 *a*. Terras, loca, iura quaecumque eius invadentes excommunicantur, 513 *b*.
Avenionensis Universitas erigitur, 168 *a*.
Aymericus tit. S. Martini in Montibus legatus regno Siciliae administrando praeficitur, 471 *a*.

## B

Banniti in districtu Urbis. *V.* Barones *etc.*
Barones in districtu Urbis bannitos eiusdem urbis senatori tradere debent, 722 *a*.
Basileense concilium generale indicitur, 747 *b*.
Beatitudo animarum fidelium defunctorum definitur, 346 *b*.
Bedellus quid sit, 552 *a*. *V.* not. ad calcem colum. eiusd.
Beguinorum pseudofratrum S. Francisci de Assisio errores et damnatio. *V.* Bizochorum *etc.*
Benedictus XI Papa cxciv eligitur, 175 *a*. Encyclicae eius literae de sua in Pontificem electione, *ibid. b*.
Benedictus XII Papa cxcvii eligitur, 324 *b*. Praelatos Ecclesiarum certiores facit de sui electione in Pontificem, *ibid.*
Beneficia a laicis non conferenda, 81 *b*. Pro iis consequendis alios sui loco examini supponere vetatur, 462 *a*. Eorum fructus ab absentibus non sunt percipiendi, excipiuntur tamen card. S. R. E., 311 *b* et *seq*. Per aliorum adeptionem apostolica auctoritate collatorum Sedi Apostolicae reservata censentur, 389 *b*. Quae per obitum familiarium S. R. E. cardinalium vacant, aliisque conferuntur, nisi in literis provisionis familiaritas ipsa explicetur, vacare censentur, 533 *b*. Praelati, abbates et alii, beneficia residentalia obtinentes in Ecclesiis eorum residentiam facere omnino tenentur, 535 *a*. Strenas pro nuncio accepti a Sede Apost. beneficii dare vetatur, 577 *b*.
Beneventani agri fines limitantur, 497 *b*.
Beneventum Romanae Ecclesiae subiectum, 285 *b*. Eius rectorem aut officiales offendentibus statutae poenae, 286 *a*. Illud occupantes poenis addicuntur, 510 *a*. Illius Curiae taxae reformantur, 512 *b*.
Berardus abbas S. Spiritus de Sulmone, Ordinis S. Benedicti, 178 *a*.
Bertrandus archiep. Ebredunensis, 387 *a*.
Bizochorum, pseudofratrum S. Fsancisci de Assisio, errores. Duas fingunt Ecclesias, 263 *b*. Sacerdotes, praeter ipsos, carere facultate administrandi sacramenta propugnant, 264 *b*. Iuramentum a peccato non esse seiunctum, 265 *a*. Sacerdotes in peccato constitutos non posse conficere et conferre sacramenta, *ibid. b*. Evangelium in se solis esse completum, *ibid.* Iudicibus contra eos procedendi datur facultas, 267 *b*.
Blanca regina prudenter educat S. Ludovicum Franciae regem, 147 *a*.
Blavus color qualis, 446 *a*. *V.* not. ad calcem colum. eiusd.
Bona Ecclesiarum. *V* Ecclesiarum Urbis bona.
Bonifacius VIII Papa cxciii eligitur, 123 *b*. Eduardum Angliae regem certiorem facit de Coelestini PP. abdicatione suique in Pontificem electione, 124 *a*. Petrum Aragoniae regem excommunicat, regnoque privat 130 *a*. Aragoniae et Valentiae regna, aliosque principatus concedit Philippo Francorum regi,

*ibid.* Restituit Iacobo supradicti Petri filio Aragoniae et Valent. regnorum iura, 131 *a.*

Bonifacius IX Papa CCIII eligitur, 601 *b.*

Bononiense collegium excitatur, Gregorianum nuncupatur, eique dos assignatur et statuta dantur, 542 *b.*

Bononiense generale Studium Theologiae cathedrae institutione decoratur, 517 *b.*

Brabantiae ducis petitio pro Lovaniensi erigenda Universitate, 723 *a.*

Brigitta (B.) ex Sveciae regum stirpe orta, 618 *b.* Eius mater praegnans a naufragio liberata, *ibid.* Eius sanctitas praenunciata, *ibid.* Infans erudite loquitur, 619 *a.* Puella orationibus vacat, *ibid.* Nubit, *ibid.* In coniugali statu bonis vacat operibus, *ibid.* In partu periclitans B. Virginis praesidium experitur, *ibid.* Cum marito B. Iacobi Compostellan. limina visitat, *ibid. b.* De vita monastica cogitat, *ibid.* In Terram Sanctam peregre proficiscitur, *ibid.* Ciliciis carnem domat, *ibid.* Ieiuniis, aliisque corporis macerationibus incumbit, 620 *a.* Romae ecclesias quotidie visitat, *ibid.* Humilitatem apprime colit, *ibid.* Suis obediens praelatis, *ibid. b.* Sedula in quotidianis confessionibus, *ibid.* Praedicationibus intenta, *ibid.* Singulis dominicis Eucharistiam sumit, *ibid.* Liberalis erga pauperes, *ibid.* Eis inservit discumbentibus, *ibid.* Benigna in infirmos et misericors, *ibid.* Monasterium monialium et domum fratrum S. Salvatoris construit, *ibid.* Fortis in adversis et patiens, 621 *a.* Iustitiae amans, rerum inanium contemptrix, prudens, *ibid.* Revelationum scribit volumen, *ibid.* Mortem suam praenunciat, *ibid.* Maxima populi frequentia eius tumulationem differt, *ibid. b.* Eius miracula, *ibid.* et *seq.* Ss. Viduarum cathalogo adscribitur, 623 *a.* Eius celebranda festivitas ac indulgentiae propositae eius sepulchrum visitantibus, *ibid. b.*

Bullatorum literarum apostolicarum officium, 684 *a.*

Burdegalensis Ecclesiae, Ordinis S. Augustini, saecularizatio, 180 *b.*

## C

Cadurcensis Academia erigitur, 324 *a.*

Caelestinorum congregationis statuta cum indultorum et gratiarum concessione approbantur, 116 *a.* Sub Apost. Sedis protectione suscipitur cum nonnullarum gratiarum elargitione, 177 *b.* Exemptiones eius declarantur et extenduntur, 579 *a.*

Caelestinus V PP. CXCII eligitur, 115 *b.* Eius studium ergo Ord. S. Bened. 116 *a.* Eius abdicatio 125 *a.* Virtutibus ac miraculis clarus sanctorum conf. coetui adscribitur, 233 *b* et *V.* Petri de Murrone Summi Pontificis *etc.*

Caesaraugustana Ecclesia in metropolitanam erigitur, 271 *a.* Ecclesiae suffraganeae eidem adscriptae, *ibid.*

Camerarius R. E. bullae *In Coena Domini* exequutor, 520 *a.* Quae eius sit iurisdictio in causis Cam. Apostol. concernentibus, 581 *a*, 643 *b.* Datur ei iurisdictio procedendi contra piratas nova pedagia imponentes, eaque perpetrantes, quae in bulla *In Coena Domini* vetantur, 520 *a.*

Camerae Apostolicae bona detinentes excommunicantur, 604 *b.*

Campaniae et Maritimae provinciae statuta et ordinationes confirmantur, 629 *a.*

Canariae insulae, 701 *a.*

Cannae, earumque qualitas, 128 *a.*

Canonici regulares S. Augustini ab Ecclesia Lateranen. amoventur eisque saeculares canonici subrogantur, 155 *b.* Constitutio eis datur, 424 *b.*

Capitolinae Curiae iudicum facultas qualis, 596 *b*.

Cardinalium dignitas, 88 *b*. Pars S. R. E. reddituum eis addicta, 89 *a*. Eorum titulares domos retineri et inhabitari a laicis et foeminis prohibetur sub excommunicationis poena, 289 *a*. Pacta eorum ante electionem Summi Pontificis in praeiudicium auctoritatis eiusdem inita cassantur, 506 *a*. Causae beneficiales infra summam 60 floren. aur. eis non committendae, 713 *b*. Eorum inclusio in conclavi. *V*. Conclavis leges.

Carmelitis conceditur ut, dimissis omnino mantellis diversorum colorum, cappis albis utantur, 133 *a*.

Caroli et Venceslai regum Romanorum foedera quaedam cum haereticis inita nulla declarantur, 584 *a*.

Carolus I Andegavensis, Siciliae rex, statuta nonnulla sancit in regno eodem servanda, 72 *a*.

Carolus II, Siciliae rex, Ecclesiasticorum indemnitati rerumque ad eos pertinentium consulit, 80 *b*.

Carolus IV imp. leges sancit pro libertate ecclesiastica, 614 *a*.

Carolus Magnus Ferrariam ad Ecclesiae dominium vindicat, 197 *a*.

Carolus Mariae reginae Siciliae nepos. *V*. Maria Siciliae regina.

Carolus Moraviae dux in imperatorem eligitur, 493 *a*. Confirmatur a Clemente VI PP 494 *b*.

Carolus Valesius II, Siciliae rex, obtento a S. A. regni Aragonici iure decedit, 131 *a*.

Cartusianorum Ordini privilegium datur utendi altare portatili pro celebratione missarum in locis ad Ordinem spectantibus, 520 *a*. Huius Ordinis fratres eximuntur a iurisdictione, visitatione et correctione episcoporum et aliorum omnium, 612 *a*; necnon a solutione primitiarum et decimarum, 695 *b*.

Cassinensis Monasterii Ecclesia in cathedralem, monasterium in episcopatum eriguntur, 300 *b*. Novo episcopatui privilegia dantur, 301 *b*. Iterum abbatialis efficitur, et monasterium abbatiale, 523 *b*.

Castrensis Ecclesia ab Albiensi divisa in episcopatum erigitur, 242 *b* et *seq*.

Cathedrae Apostolicae sublimitas, 49 *b*.

Catallum quid sit, 608 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.

Cathari (haeretici) ipsorumque filii, complices et fautores excommunicantur, 47 *a*, 539 *b*. Ipsorum et aliorum poenae, 47 *b*.

Cavense coenobium in episcopalem sedem erigitur, 624 *a*.

Christiani ad ritum iudaicum transeuntes condemnantur. 88 *a*. Illos Saracenis vendentes anathemate percelluntur, 720 *b*.

Cisterciensis Ordo monacorum S. Benedicti reformatur, 329 *a*. Eximitur a solutione decimarum, 707 *b*.

Clara, soror monasterii S. Crucis Neapolitani. *V*. Sancia regina Siciliae.

Claromontensis episcopatus erigitur, 244 *a*.

Clemens V Papa cxcv eligitur, 180 *b*.

Clemens VI Papa cxcviii eligitur, 467 *a*.

Clerici non trahendi ad forum saeculare, 81 *a*. Eorum immunitas ab invito hospitio et exactionibus, *ibid*. *b*. Illegitimi si sint, ad beneficia Ecclesiarum patriarchalium de Urbe admitti non possunt, absque speciali Sedis Apostolicae dispensatione, 576 *a*.

Cluniacensis Ordinis S. Benedicti reformatio a Gregorio IX facta declaratur, 95 *a*.

Coelestinorum congregatio. *V*. Caelestinorum congregationis statuta *etc*.

Coelestinus V PP. *V.* Caelestinus *etc.*
Coloniensis Academia instituitur, 597 *b.*
Coloniensium erga Romanam Ecclesiam merita, 598 *a.*
Communitatum custodes, 630 *b.*
Concilia generalia certis temporibus celebranda, 748 *a.*
Conclavis leges a Gregorio X latae et ab Hadriano V suspensae confirmantur a Ioanne XX, dicto XXI PP., 37 *a.* Cibi potusque cardinalibus in conclavi ministrandi, 501 *a.* Inservientium eisdem numerus, *ibid.* et *seq.*
Conclavistæ. Gregorius X cardinales in conclavi uno tantum conclavista uti voluit, 501 *a.*
Concubinariorum publicorum poenae, 490 *b.*
Condomiensis episcopatus erigitur. *V.* Condomio (de) villa.
Condomio (de) villa in episcopatum erigitur, 249 *a.*
Confoederationes in terris Eccl. facere prohibentur: factæ declarantur irritae, 105 *a.*
Confessores in militanti Ecclesia sibi praeposuerunt exempla virtutum, 617 *b.*
Conradinus a Clemente IV excommunicatur, 56 *a.*
Conradus, Friderici filius, Siciliae regnum invadit, 55 *b.*
Conservatores eligendi quales esse debeant, 128 *a.*
Constantiense generale concilium indicitur, 662 *b.*
Conventualium S. Francisci regulae. Ad quae consilia evangelica fratres teneantur, 735 *a.* De pluralitate tunicarum, *ibid. b.* De testamento B. Francisci, *ibid.* De obedientia Sedi Apostolicae et praelatis Ordinis debita, 736 *a.* De paupertate, *ibid.* De castitate, *ibid. b.* De recipiendis intra Ordinem, 737 *a.* De qualitatibus recipiendorum, *ibid.* De vestium humilitate, 737 *b.* De officii divini recitatione, 738 *a.* De ieiunio et equitatione, *ibid. b.* De pecuniis recipiendis et infirmorum cura, *ibid.* De labore manuum, laboris mercede, proprietate rerum, 739 *a.* De poenitentia culparum, *ibid.* De electione ministri generalis, eius sociis, eiusque auctoritate, *ibid. b.* De Praedicatoribus, eorum examine et approbatione, 740 *a.* De qualitatibus approbandorum, *ibid. b.* Quae ab ipsis cavenda sint, *ibid.* De licentia praedicandi extra loca Ordinis, *ibid.* De sociis ministrorum provincialium et contributionibus nec dandis nec accipiendis, 741 *a.* De studiorum reformatione et caeremoniarum ecclesiast. observatione, *ibid.* De aere alieno solvendo, fratrum correctione, Reformatorum Ordine, *ibid. b.* De conventuum aedificandorum modo, *ibid.* De recursu ad praelatos Ordinis et ingressu monasteriorum monialium et horum clausura, 742 *a.* De regimine locorum Terrae Sanctae, *ibid. b.* Expensae fratrum inquisitoris munere fungentium, *ibid.* Nihil solvendum pro gradibus recipiendis, 743 *a.* Obedientia a fratribus suis exhibenda praelatis, *ibid.* Ad quid obligent praecepta huius Regulae, *ibid.*
Corporis Christi (SS.) festivitas etiam per octavam celebrari potest, apertis ecclesiarum ianuis, tempore interdicti, et qui eam piis venerantur operibus indulgentias consequuntur, 731 *a.*
Corsica et Sardinia Aragonum regi Iacobo traditur iure beneficiario, sub annua praestatione 2000 marcharum argenti Sedi Ap., 135 *b.*
Cortonensis episcopatus erigitur cum exemptione a iurisdictione Ecclesiae Aretinae, 312 *b.*
Crucesignatorum pro recuperatione Terrae Sanctae privilegia, 113 *b* et *seq.*
Cupiditatis radix prava, 577 *a.*
Curiae Capitolinae iudicum facultas qualis, 596 *b.*
Curia Romana communis patria, 323 *b.*

## D

Daemonibus immolantes vel responsa et auxilia ab eis postulantes anathemati subiiciuntur, 315 *b*.

Damnatio animarum decedentium in mortali peccato definitur, 347 *a*.

Dantes vel promittentes aliquid pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam anathemati subiiciuntur, 657 *b*.

De Paupere Vita (haeretici); eorum cineres colere vetitum, 541 *b*.

Deverium quid sit, 248 *b*. *V* notam ad calcem colum. eiusd.

*Dialogi* et *Trialogi* libri Ioannis Wiklef damnantur, 661 *a*.

Dietim quid significet, 654 *a*. *V* not. ad calcem colum. eiusd.

Dignitates maiores in Ecclesiis obtinentes a procuratoris officio debent abstinere, 711 *b*.

Dionysius Portugalliae rex Ulyxiponensem Academiam fundat, 104 *a*.

Doctores sanctae Ecclesiae illustrarunt veritatem fidei, 617 *b*.

Dominici (S.) fratrum Praedicatorum Ordinis magister generalis statim ac electus fuerit, Ordinis regimen assumit, 567 *b*. Eius amotio ad definitores Ordinis spectat, 568 *a*. Lectores ubique absque licentia doceant, *ibid*. In iis quae instituta Ordinis respiciunt, ordinarii locorum se non immisceant, *ibid*. De priorum confirmatione, *ibid*. Vocalibus longe absentibus tempus non currit, *ibid*. *b*. De oratoriis, *ibid*. Tempore interdicti sacris possunt operari, *ibid*. Facultas praelatorum absolvendi fratres, 569 *a*; et fratrum ipsos absolvendi praelatos, *ibid*. *b*; ac praelatorum absolvendi in ipsum Ordinem cooptandos, *ibid*. A nonnullis exempti declarantur fratres, *ibid*. Praelati Ordinis revocant fratres extra eum morantes, 570 *a*. Idem de missis ad praedicandum, inquisitoribus, *etc*. *ibid*. *b*. Professi recedentes ab Ordine absque licentia coerceantur una cum eos retinentibus, 571 *a*. Item licentiati, si ad strictiorem Ordinem non transierint, *ibid*. Item apostatae ab Ordine, *ibid*. Eiecti vel egressi ab Ordine non praedicent, nec in aliis Ordinibus recipiantur, *ibid*. *b*. Habitus similis aliis interdictus, *ibid*. Ordo Praedicatorum a decimis exemptus, 572 *a*. De bonis Ordinem profitentium, *ibid*. Sepultura in locis Ordinis cuique libera, *ibid*. Caetera defunctis per ipsos Ordinis fratres praestanda, *ibid*. De confessionibus faciendis, *ibid*. Libertates nonnullae Ordini concessae, *ibid*. *b*. Exemptio a quacumque solutione vel onere, *ibid*. De translatione bonorum et domibus dimittendis, 573 *a*. Exemptio a subventione legatorum et a iudiciis ordinariorum, *ibid*.

Dulcini (haeretici); eorum cineres colere vetitum, 541 *b*.

## E

Eberardus Angliae rex, crucesignatorum dux, 113 *b*.

Ecclesia Dei. Assistentia Dei Ecclesiae, 124 *a*. Quae tutior est et constantior in adversitatibus, *ibid*. *b*. Maximum Ecclesiae malum, si providum non habeat pastorem, *ibid*.

Ecclesiae Romanae dignitas, 187 *b*. Eius potentia super principes orbis, 214 *a*.

Ecclesiae universalis cura data B. Petro, 617 *a*.

Ecclesiarum Urbis bona non sunt infeudanda, locanda seu alienanda, 635 *a*. Earum bonorum administrationem exercentes, literis apostolicis seu provisionis minime expeditis, poenis subiiciuntur, 655 *a*.

Ecclesiastici a laicis officialibus banno non sunt supponendi, 588 *a*. Quam sit reprehensibilis in illis ipsa mali species, 589 *a*. Ad forum saeculare non sunt trahendi, 728 *a*.
Eduardus Angliae rex. Indictio induciarum inter ipsum et Scotiae regem, 241 *a*.
Electensis episcopatus erigitur, 268 *a*.
Elzearius (B.) comes Arianensis. Miracula ad eius tumulum patrata, 500 *a*. Episcopis Carpentoraten. et Uticen. ac abbati monasterii S. Rufi, prope Valentiam inquisitio committitur de his, *ibid*. *b*. Ss. confessorum canoni adscribitur, 529 *b*.
Era vel Æra quid sit. *V* Æra.
Eremitarum S. Augustini Ordo. Prope eius Ecclesias et conventus non possunt alii religiosi Mendicantes nova loca aedificare infra spatium cannarum 140, 127 *a*. Huius Ordinis fratres non possunt in officio provincialatus reeligi nec confirmari, biennio vel triennio completo, nec ad eorum vitam in ipso remanere, 689 *a*.
Eremitarum S. Hieronymi Ordo confirmatur, 653 *a*.
Estensium vis contra Ferrarienses, 203 *a*.
Eucharistiae Sacramentum sub una tantum specie laicis ministrandum, 726 *a*.
Evangelium diffusum per orbem ab Apostolis, 617 *b*.

## F

Ferraria multas perpessa calamitates sub Longobardis, 197 *a*. A Carolo Magno ad Ecclesiae dominium vindicata, *ibid*. *a* et *b*. Sedis Apostolicae de eadem sollicitudo, *ibid*. *b*. De Venetorum tyrannide liberata, *ibid*. Eius cives per nuncios Apost. Sedis dominium profitentur, 198 *a*. Nuncii eorum Papae iuramentum fidelitatis praestant, *ibid*. Rom. Ecclesiae subditos ab immemorabili se fatentur, 199 *b*. Se suaque Rom. Ecclesiae offerunt, 204 *b*. Clemens V PP. eorum civitatis dominium recipit, adiecta lege, ut numquam a Romanae Ecclesiae iure alienetur, 205 *b*. Vicarii ad eam gubernandam delegandi munus, 206 *a*. Statuta, *ibid*. *b*. Militia, 208 *a*. Officiales, 209 *a*. Potestatis iurisdictio qualis, *ibid*.
Ferrariensis Academia erigitur, 610 *b*.
Feudatarii. *V*. Vicarii et feudatarii.
Fidei veritas. *V*. Doctores Sanctae Ecclesiae.
Fidelibus diversa dona coelestia data, 617 *a*.
Fidelis infideli matrimonialiter non copuletur, 492 *a*.
Fides confirmata a martyribus. *V* Martyres.
Firmana Academia instituitur et privilegiis ornatur, 157 *a*.
Floro (de S.) prioratus in cathedralem erigitur, 244 *a*.
Forcatura quid sit, 446 *a*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.
Forisfactura quid sit, 608 *b*. *V* notam ad calcem colum eiusd.
Forratura quid sit, 446 *a*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.
Fortisventurae episcopatus in insulis Canariis erigitur, 701 *a*.
Fortunatae insulae. *V*. Ludovicus de Hispania.
Franciscanorum Ordinis elogium, 261 *b*.
Francisci (B.) Tertia Regula. *V*. Tertia Regula, *etc*.
Fratellini seu Fraticelli, Fratres Spirituales (haeretici) damnantur, 134 *b*, 387 *a*. Eorum secta qualis, 261 *a*. Damnatur, *ibid*. Orientem suis inficiunt haeresibus, 310 *b*. Eorum cineres colere vetatur, 541 *b*.

Fraticellorum, pseudofratrum S. Francisci de Assisio, errores et damnatio. *V.* Bizochorum, *etc.*
Fridericus Ænobardus imperio et Siciliae regno privatur, 55 *b.*
Fridericus Austriae dux in imperatorem eligitur, 493 *a.*
Fridericus II imp. constitutiones pro libertate ecclesiastica edit, et confirmantur ab Apost. Sede, 614 *a.*
Fumantaria quid sit, 642 *b. V.* notam ad calcem colum. eiusd.

## G

Galganus de Eugubio Ord. Frat. Min. inquisitor haereticae pravitatis, 86 *a.*
Gallicani episcopi canonizationem B. Ludovici regis Franciae postulant, 54 *a.*
Genuenses monentur suos coercere ab armis, navibus *etc.* ministrandis Saracenis, 13 *a.*
Georgii (S.) collegiata in Alga Venetiarum Castellanensis dioecesis erigitur, 645 *b.*
Gibellinorum et Guelforum tractatus pacis, 19 *a.*
Graecae Ecclesiae ritus servantur in eius cum Latina unione, 28 *b.*
Graeci ab Ecclesia Romana disiuncti et mala inde exorta, 14 *a* et *b.*
Grandimontensis Ordinis statuta, 252 *b.*
Gratianopolitana Academia erigitur, nonnullisque legibus donatur, 460 *a.*
Gregorianum collegium. *V.* Bononiense collegium.
Gregorius X Papa CLXXXIV eligitur, 9 *a.* Hierosolymitanum patriarcham caeterosque fideles de suscepto a se Ecclesiae clavo encyclicis literis certiores facit, *ibid.* Eius obitus, 35 *b.*
Gregorius XI Papa CCI eligitur, 529 *a.*
Gregorius XII Papa CCV eligitur, 643 *a.*
Guelforum et Gibellinorum tractatus pacis, 19 *a* et *seq.*
Guitto episcopus Urbevetanus mandatum accipit ut de alienationibus in patrimonio B. Petri factis inquirat, terras recuperet, detentores earum censuris compescendo, 298 *a.*

## H

Hadrianus V PP CLXXXVI eligitur, 36 *b.*
Haereses succrescentes extirpare cura Sedis Apostolicae, 661 *a.*
Haeretici variis addicti poenis, 46 *a*, 105 *b.* De haeresi inquisitorum et absolutorum filii ac nepotes ad officia et beneficia admittendi, 85 *b.* Quamvis ad Ecclesiam confugiant ab inquisitoribus procedendum, 250 *b.* Cum eis foedera ineuntibus indicuntur poenae, 315 *b.* Foedera huiusmodi nulla et irrita declarantur, 584 *a.* Si ad Ecclesiae Cath. unitatem redeant, qualem professionem emittere debent, 594 *a.*
Hebraei. *V.* Iudaei.
Henricus VII rex Romanorum eligitur, 193 *a.* Eius electio confirmatur, *ibid.* Coronationis ritus et forma praescribuntur, 214 *a.* Monumentum praestiti ab eo iuramenti et confirmatarum Sedi Apost. imperialium donationum, 221 *b.*
Herminia abbatissa monasterii S. Silvestri in Capite de Urbe, 83 *a.*

Hibernia caedibus rapinisque turbata, 288 *a*. Haec patrantes anathemati subiiciuntur, *ibid.* et *seq.*
Hieronymi (S.) de Fesulis fratrum Eremitarum Ordo confirmatur cum facultate alia accipiendi loca, aliosque fratres admittendi, 653 *a*.
Hierusalem. *V.* Terra Sancta.
Homicidae in Statu Ecclesiastico ad pecuniariam compositionem non sunt admittendi, 508 *b*. In terris baronalibus in districtu Urbis existentibus, recipi minime posse declaratur, 721 *b*. Inobedientes quibus poenis addicti, 722 *b*.
Honorius IV Papa cxc eligitur, 67 *a*. Encyclicis literis christifideles promotionis suae certiores faciens, ad divinam sibi opem suis precibus conciliandam provocat, *ibid.*
Honufrius abbas monasterii S. Spiritus de Sulmona Valven. dioecesis congregationis Coelestinorum, 116 *b*.
Hospitalariis S. Ioannis Hierosolymitani habentibus annalia beneficiorum vacantium conceditur ut accrescant fructus, quos illa obtinentes et non residentes percipere possent, 270 *a*.
Humiliatorum Ordinis praepositos, quamvis ab Apostolica Sede de praeposituris provisos, correctioni et obedientiae magistri generalis eiusdem Ordinis subiectos fore declarat, 560 *a*.
Huss Ioannis errores damnantur, 665 *a*.

# I

Iacobus Aragoniae rex, Petri successor, pacem init cum Philippo Francorum rege et Siciliam Papae restituit, 130 *b*. Bonifacius restituit ei Aragoniae et Valent. regnorum iura beneficiaria, 131 *a*.
Iauuenses. *V.* Genuenses.
Iesuati sub Apost. Sedis tutela suscipiuntur et ab omni molestia inquisitorum haereticae pravitatis liberantur, 730 *a*.
Iesu Christi in regnis Portugalliae Militia instituitur, 277 *a*. Dantur ei privilegia et bona, 280 *b*. Statuta, 281 *b*.
Illegitimi ad beneficia non sunt promovendi. *V* Clerici illegitimi.
Immunitas ecclesiastica, 81 *b*.
Imperatore Rom. obeunte, imperii regimen ad Sedem Apost. devolvitur, 235 *a*. Cuilibet sub excommunicationis poena interdicitur ne tempore dictae vacationis vicarii nomen vel officium sibi vindicet, *ibid.* et *b*. Hanc dignitatem sibi vindicantibus obtemperare cuicumque interdicitur, *ibid.* Poenae contra inobedientes, 236 *a*. Rescinduntur pactiones omnes super hoc initae, *ibid.*
Imperator quo ritu coronandus, 217 *a*.
Imperatrix quo ritu coronanda, 219 *b*.
Imperii Romani vacantis cura quo iure ad Sedem Apostolicam pertineat, 234 *b*.
Incarnationis beneficium, 11 *a*. Mysterium, 602 *a*.
Inclusio cardinalium in conclavi. *V.* Conclavis leges.
Innocentius V Papa CLXXXV eligitur, 35 *a*. Fideles encyclicis literis adeptae dignitatis certiores facit ac praesules ad operam pro re christiana tuenda coniungendam excitat, *ibid.* *b*. et *seq.*
Innocentius VI Papa CXCIX eligitur, 502 *b*.

Innocentius VII Papa CCIV eligitur, 636 *b*.
Inquisitorum haereticae pravitatis processus, etiam post obitum Papae deputantis habiti, sunt validi, 103 *a*. Quibus personis quibusque in locis arma deferendi licentiam concedere possint, 298 *b*.
Ioanna Siciliae regina. Eius testamentum favore Sanciae, 478 *a*.
Ioannes episcopus Anagninus, 387 *a*.
Ioannes XX, dictus XXI Papa CLXXXVII eligitur, 37 *a*. Eius encyclicae ad fideles de sua promotione literae, 38 *a*.
Ioannes XXI, dictus XXII Papa CXCVI eligitur, 234 *a*.
Ioannes XXIII Papa CCVII eligitur, 656 *b*.
Ioannis (S.) Hierosolymitani hospitale et Religio militum. *V*. Hospitalitarii S. Ioannis, *etc*.
Ioannis (S.) Hierosolymit. hospitalis fratres unum tantummodo in eorum Ordine beneficium acquirere posse decernitur, 587 *a*.
Ioannis (S.) Hierosolymitani Ordo. Ecclesiae praelati seu locorum ordinarii, occasione praesentationum et institutionum per magistrum et fratres huius Ordinis de personis idoneis ad beneficia curam animarum habentia factarum, ab eisdem nil penitus exigere vel extorquere debent, 566 *a*.
Iobagiones quid sint 488 *b*. V. notam ad calcem colum. eiusd.
Iocalia quid sint 258 *b*. V. not. ad calcem colum. eiusd.
Iosepini (haeretici) ipsorumque filii et complices excommunicantur, 47 *a*. Ipsorum aliorumque poenae, *ibid*. *b*.
Iubilaeum generale pro quolibet centesimo anno instituitur, 156 *b*.
Iudae (S.) Ap. adversus Libertatis spiritus sectam sententiae applicatae, 212 *b*.
Iudaei. Innumera Dei beneficia erga illos, 45 *b*. Excaecata tamen semper fuit eorum durities, *ibid*. Eorum conversio procurata, 46. *a*. Conversi praelatis et aliis commendandi ut humanissime tractentur, *ibid*. *b*. Converti nolentes Papae nuncientur, *ibid*. Conversi iterumque iudaizantes quibus poenis afficiendi, 88 *a*. Quamvis ad Ecclesiam confugiant, contra eos procedendum, 250 *b*. Ad fidem catholicam conversi iis bonis gaudent, quae conversionis tempore possidebant, 294 *a*. Illos molestantes, seu alias ipsis iniurias inferentes, aut ad baptismum recipiendum compellentes excommunicationis poena plectuntur, 522 *b*. Eorum nonnulla scelera enumerantur, 718 *b*. Signum, ut a christianis distinguantur, ab eisdem deferri mandatur, 719 *a*. Poenae statuuntur contra huiusmodi signum non deferentes, *ibid*. *b*.
Iudicibus ecclesiasticis sportulas dare vetitum, 589 *b*.
Iulianus diaconus cardinalis S. Angeli concilii generalis Basileensis praeses eligitur, 748 *a*.
Ivo (B.) Trecorensis Sanctorum cathalogo adscribitur, 497 *a*. Eius festus dies statuitur, *ibid*. Miracula ad eius tumulum patrata, *ibid*. *b*.

# K

Kissamensis episcopus erigit collegiatam Ecclesiae S. Georgii in Alga Venetiarum Castellanensis dioecesis, 645 *b*.

# L

Laici non debent intromittere se de electionibus praelatorum vel collationibus praebendarum, seu quorumlibet beneficiorum ecclesiasticorum directe vel indirecte, 81 *b*. Interdicuntur illis controversiae de fide, 106 *b*. Ad illos non spectat sacrarum rerum administratio, 609 *a*.

Lateranensis basilica canonicis saecularibus addicta, 155 *b*. Eius dignitas, 186 *b*. Fortuito igne concremata, *ibid.* Christifideles ad eius reparationem excitantur proposita indulgentia, *ibid.* et *seq.* Supremum super caeteras Urbis et orbis Ecclesias locum obtinet, 534 *a*. Oblationes in alios quam fabricae eiusdem basilicae usus converti prohibetur, 586 *b*.

Lateranensium canonicorum congregatio quare sic dicta, 697 *b*. *V.* notam ad calcem colum. eiusd.

Leges Saxoniae. *V.* Speculum Saxonum.

Leopoliensis episcopatus in partibus Russiae cum privilegiorum concessione erigitur, 658 *b*.

Libertas evangelica quae vera sit, 212 *b*.

Libertatis Spiritus secta in Spoletana, aliisque diversis Italiae provinciis exorta damnatur, 209 *b*.

Liconiensis Ecclesia. *V.* Pictaviensis Ecclesia.

Limosinus episcopatus erigitur, 252 *a*. Supprimitur, 269 *a*.

Literae apostolicae. Literas apostolicas falsantes excommunicantur, 540 *a*. Scriptura earum per scriptores iuxta distributionem secretariorum, cito est facienda et inobedientium poena declaratur, 564 *b*.

Loerium quid sit, 77 *b*. *V.* not. ad calcem colum. eiusd.

Lovaniensis Universitas erigitur cum privilegiorum et gratiarum elargitione, 723 *a*.

Ludovici (B.), Caroli regis Siciliae filii, et episcopi Tolosani genus, 237 *b*. Eiusdem primordia et studia literarum, *ibid.* Fervens in oratione, *ibid.* Devotus in sumptione sacramentorum, 238 *a*. Attentus in lectione Scripturarum, *ibid.* Studiosus castitatis et severus in seipsum, *ibid.* Ordinem Fratrum Minorum profitetur, et Ecclesiae Tolosanae praeficitur, *ibid.* Regnum recusat, *ibid.* *b*. Benignus in pauperes, *ibid.* Humili veste contentus, attentus in episcopatu, atque zelo religionis fervidus, 239 *a*. Pie moritur, *ibid.* Miracula per eum Deus operatur, *ibid.* *b*. Sanctorum Confessorum cathalogo adscribitur, 240 *b*. Eius annua festivitas indicitur, et indulgentia eius sepulchrum visitantibus proponitur, 241 *a*.

Ludovici (S.) regis Franciae virtutes. Amor in Deum, 147 *a*. A Blanca matre prudenter educatus, *ibid.* Divinorum officiorum recitationi diligenter operam navat, *ibid.* *b*. Terrae Sanctae recuperationi se vovet, *ibid.* Quo magno cum apparatu se confert, *ibid.* Captivitatem patienter sustinet, 148 *a*. Cum Saracenis contra conscientiam pacisci renuit, *ibid.* Christianum exercitum periclitantem nullo pacto induci potest ut deserat, *ibid.* *b*. Obsidem se pro exercitu christianorum captivo liberando spondet, 149 *a*. Agarenos quam plurimos convertit ad Christum, *ibid.* In christianos liberalis, *ibid.* *b*. In Franciam reversus multa pietatis opera exercet, *ibid.* Leproso ministrat suis manibus alimenta, *ibid.* Hospitalium infirmis servit, 150 *a*. Pauperibus eleemosynas et virginibus dotes elargitur, *ibid.* In haereticos severus, *ibid.* Egestatis tempore pauperibus consulit, *ibid.* *b*. Humilis in vestibus, *ibid.* Ciliciis et ieiuniis carnem domat,

*ibid*, Ligneo contentus lecto, 151 *a*. Hostis mendacii, *ibid*. Pius in sermonibus, *ibid*. Tuneti animam Deo reddit, *ibid*. Eius miracula, *ibid*. *b*. Sanctorum confessorum albo adscribitur, 152 *a*. Eius festus dies celebrandus, *ibid*. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus proposita, *ibid*.
Ludovicus Bavariae dux in imperatorem eligitur, 493 *a*.
Ludovicus de Hispania Fortunatarum insularum rex constituitur, 474 *a*.
Lugdunense II, oecumenicum XIV (Hierosolymitano non computato) concilium indicitur, 13 *b*.
Lugdunensis civitas, utpote praelatis omnibus magis accommoda, pro celebratione XIV oecumenici concilii decernitur, 16 *b*.
Lumberiacienses Ecclesia suffraganea episcopatus Tholosan. declaratur, 246 *a*.

## M

Magistri viarum. *V*. Viarum Urbis *etc*.
Malleacensis Ecclesia. *V*. Pictaviensis Ecclesia.
Manfredus princeps Tarentinus Siciliae regnum occupat, 55 *b*. Ab Alexandro IV excommunicatus, 56 *a*.
Marcelli (S.) de Urbe Ecclesia Fratr. Ord. Servorum B. M. Virginis conceditur, 590 *b*.
Marchiae (in) provincia Status Ecclesiastici cavalcatae et incursiones prohibentur, 299 *a*.
Maremagnum seu privilegium privilegiis conflatum pro Ordine fratrum Servorum B. M. V., 582 *b*.
Margarita Columnensis Clarissarum Ordinis professa commendatur, 83 *a*.
Mariae (B.) de Mercede Redemptionis Captivorum Ordini omnia legata quae pro dicta redemptione reliquuntur exhibenda declarantur, 115 *a*. Fratres huius Ordinis a solutione decimarum, de proventibus et redditibus ecclesiasticis, per Sedem Apost. regibus et principibus vel aliis concessarum et concedendarum eximuntur, 561 *a*.
Mariae (B.) de Monte Carmelo Ordinis fratres. *V*. Carmelitae.
Mariae (B.) Virginis elogium, 602 *a* et *seq*.
Mariae (S.) Maioris de Urbe basilicae pene collabenti, pro reparatione impendenda, ecclesia S. Lucae iuxta dictam basilicam existentem unitur et annectitur, 532 *b*.
Maria Siciliae regina suum pro regno Hungariae ius coram Bonifacio VIII dicit, 163 *a*. Idem regnum ei adiudicatur, 164 *b*. Confirmata Bonifacii VIII constitutione, qua Hungariae regnum Mariae Siciliae reginae eiusque nepoti Carolo adiudicabatur, Othoni Bavariae duci a nonnullis in regem electo dies indicitur a Clemente V PP., ut coram Apost. Sede sistat, 182 *a*.
Maritimae provincia. *V*. Campaniae et Maritimae.
Martinus IV Papa CLXXXIX eligitur, 48 *b*. Eius ad praesules catholicos de sua promotione in Summum Pontificem literae encyclicae, *ibid*. et *seq*. Eius mors, 68 *a*.
Martinus V Papa CCVIII eligitur 664 *b*.
Martyres proprio sanguine fidem confirmarunt, 617 *b*.
Massa Trabaria iuris Sedis Apostolicae, 87 *a*.
Mercaturae pannorum consulum de Urbe iurisdictio, 696 *b*.
Mendicantium Ordinum fratres ad alios Ordines transire prohibentur, excepto Carthusiensium Ordine, 51 *a* et 678 *a*. Receptiones factae nullae decla-

rantur, *ibid.* *b.* Recepti, in suum Ordinem regredi debent, *ibid.* Contumaces apostatae declarantur, *ibid.* Mendicantes religiosi qui sint, 127 *b.* Mendicantium Ordinum apostatae quo pacto reducendi vel puniendi, 327 *b.* In eisdem Ordinibus professi ad monacos Nigros vel Cistercienses transire non possunt, 328 *b.*
Messanenses crudele Panormitanorum exemplum imitantur, et quamplures ex ministris et devotis regis Siciliae, post securitatem illis praestitam, trucidant, 58 *a.*
Meyrini quid sint, 33 *b.* *V.* notam ad calcem colum. eiusd.
Michaelis (S.) Ecclesia in Monte Gargano erigitur in cathedralem, 633 *a.* Sipontinus archiepiscopus Garganicus quoque appellandus, 634 *a.*
Michael Palaeologus imp. ad Ecclesiae gremium redit, 25 *a.* Fidei professionem Gregorio X PP. dirigit, 26 *b.* Eidem pro conservatione rituum Ecclesiae Graecae supplicat, 28 *b.* A Martino IV tamquam schismaticorum fautor damnatur, 52 *a.*
Milites S. Ioannis Hierosolymitani. *V.* Hospitalariis S. Ioannis *etc.*
Minores fratres in monialium obsequium destinati, 84 *a.* Ordini eorum regulae nonnullae dantur pro bono eius regimine, 391, *a.* Eorum protectoris facultates quales sint, 562 *a.*
Minores in testimonium non sunt admittendi, 632 *b.*
Minorissae moniales Ord. S. Francisci de Assisio, 412 *b.* De earum clausura, 413 *b.* Sorores servitiales debent profiteri, 414 *b.*
Minorum fratrum Conventualium S. Francisci Regulae. *V.* Conventualium S. Francisci, *etc.*
Minorum fratrum Ordinis S. Francisci de Assisio ordinationes et statuta pro bono eorum regimine, 391 *b.* De divinis officiis et psallendi modo, 392 *a.* Qui eximi choro possint, *ibid.* *b.* De silentio, *ibid.* De salubri novitiorum et iuvenum informatione, 393 *a.* De abstinentia, 394 *a.* De qualitate habitus et vestium, *ibid.* *b.* De modo licentiandi fratres, 395 *b.* De muneribus non dandis, 396 *b.* De familiaribus, 397 *a.* De studiis, *ibid.* De expensis studentium evitandis, 400 *a.* De rebus fratrum decedentium, 402 *a.* De donis et legatis factis fratribus, *ibid.* *b.* De eleemosynarum memoria et suffragiis faciendis, 403 *a.* De iuramento generalis et provincial. ministrorum et aliorum, *ibid.* *b.* De familia et expensis generalis ministri et ratione reddenda, 404 *a.* De visitatione provincialium ministrorum, 405 *a.* De destitutione et renunciatione provincialium ministrorum, *ibid.* De familia et expensis provincialium ministrorum et ratione reddenda per eos, *ibid.* *b.* De custodum et guardianorum electione et confirmatione, *ibid.* De inquisitionibus ad capitula mittendis, 406 *b.* De procuratore, 407 *a.* De praedicatoribus et confessoribus, 408 *a.* De fratribus euntibus seu mittendis ad partes infidelium, *ibid.* *b.* De adhibendis ad consilia fratribus et modo tenendo in eis, 409 *a.* De denunciationibus et inquisitionibus excessuum, *ibid.* *b.* De dormitoriis, cameris et clausuris, 411 *b.* De aedificiis, 412 *a.* De cura monialium seu minorissarum, *ibid.* *b.*
Monasteriorum bona. *V.* Ecclesiarum bonorum.
Monasteriorum Urbis bona non sunt infeudanda, locanda seu alienanda, 635 *a.*
Moneta. Excommunicantur cudentes et deferentes falsas monetas in regno Franciae, 195 *b.*
Moniales commendantur, 83 *a.*
Montisalbanensis Ecclesia suffraganea episcopat. Tholosan. declaratur, 246 *b.*
Montis Falisci Ecclesia in episcopalem erigitur, 524 *a.*
Montis Gargani episcopatus erigitur, 633 *a.*

Montis Maioris Arelatens. monasterium. *V* Antonii (S.) Viennen. abbatia.

Montis Oliveti monachorum congregatio approbatur, sub Apost. Sedis protectione recipitur et bona omnia ei confirmantur, 310 *a*. Facultas ei datur nova condendi monasteria et sacramenta in iis ministrandi, 471 *b*.

Montis Regalis terra (nunc vulgo Mondovì) in civitatem, et Ecclesia S. Donati in cathedralem erigitur, 599 *a*.

## N

Narbonensis episcopatus dividitur, 251 *a*.

Nicolai Seruvarii errores eiusque sectatores damnantur, 690 *a*.

Nicolaus III Papa CLXXXVIII eligitur, 39 *b*. Encyclicae eius literae de sua in Summum Pontificem electione ad Galliae praelatos, *ibid*.

Nicolaus IV. Papa CXCI eligitur, 87 *a*.

Nigrorum monacorum Ordo S. Benedicti reformatur, 347 *b*. Eorum reformationi nonnullae adduntur declarationes, 462 *b*.

Notarii Curiae Romanae auditorum consilia secreta servare debent, 319 *b*. In arduis testes per se examinent, 320 *a*. Sint diligentes atque fideles, *ibid*. Antequam admittantur, debent examinari et iuramentum praestare, *ibid*. Causas non affectent, modestiam servent, unique tantum auditori servire debeant, *ibid*. *b*. Causarum, quae coram suis auditoribus agitantur patroni non sint, *ibid*. De registris ab illis servandis 321 *a*. Taxa et numerus linearum pro registro et singula eius pagina, *ibid*. *b*. Pro copiis, citationibus, inhibitione, intimatione, appellatione, 322 *a*. Pro testium depositionibus, definitiva sententia eiusque instrumento, *ibid*. Pro interlocutoriis, *ibid*. Distinctio monetarum, *ibid*. *b*. Caveant notarii, ne prolixiores aequo efficiant scripturas, *ibid*. Simile eorum iuramentum a notariis caeterorum tribunalium emittendum, *ibid*.

Notariorum mores quales esse debeant, 686 *a*. Ab illis taxa servanda legesque, *ibid*. *b*.

Nurimbergenses B. Sebaldum canonizari petunt et quibus de causis, 715 *a*.

## O

Officiales laici ecclesiasticos banno supponere non possunt, 588 *a*.

Officiales Status S. R. E. neminem cogere debent ad granum, ligna et similia, absque solutione pretii, sibi deferendum, 564 *a*.

Othoni Bavariae duci Hungariae regnum iniuste occupanti dies indicitur, ut coram Apostolica Sede sistat, 182 *a*.

## P

Palaeologus Michael. *V* Michael Palaeologus.

Pannorum artis mercaturae consulum iurisdictio, 696 *b*.

Panormitanae rebellionis series, 55 *a*.

Papuli (S.) Ecclesia suffraganea episcopat. Tholosan. declaratur, 246 *a*.

Passagini (haeretici) ipsorumque filii et fautores excommunicantur, 47 *a*. Ipsorum aliorumque poenae, *ibid. b*.
Patareni (haeretici) ipsorumque filii, complices et fautores excommunicantur, 47 *a*. Ipsorum et aliorum poenae, *ibid. b*.
Patavinum generale Studium etiam in facultate theologica instituitur, 519 *a*.
Patrimonium S. Petri. Prohibetur dare vel acquirere dominium aut iurisdictionem, vel præeminentiam aut obligationem super locis et castris eius, aut quoquomodo ea occupandi, 484 *a*.
Pauli (S.) primi Eremitae Ordo approbatur et ratificatur, 589 *b*.
Pauperes de Lugduno (haeretici) ipsorumque filii et fautores excommunicantur, 47 *a*. Ipsorum et aliorum poenae, *ibid. b*.
Pedagia a populo Romano, absque Sedis Apost. licentia, imposita revocantur, 461 *a*.
Pelles variae quales, 446 *b*. *V*. notam ad calcem colum. eiusdem.
Peregrinorum vulneratores, mutilatores, interfectores, captores aut detentores, vel depraedatores excommunicantur, 540 *b*.
Perusina civitas Rom. Ecclesiae filia, 192 *b*.
Perusina Universitas erigitur, 192 *b*. A quo et quo pacto laurea in eadem concedenda, 272 *b*. In ea eriguntur cathedrae medicinae et artium, datur insuper facultas episcopo licentiandi et laureandi in utraque facultate, 294 *b*.
Petri (B.) data universalis Ecclesiae cura, 617 *a*.
Petri (B.) in Tuscia patrimonii dominium dantes vel acquirentes excommunicantur, 514 *a*.
Petri (B.) patrimonium. Revocantur concessiones, donationes, locationes, alienationes aliaque omnia per rectores et officiales S. R. E. in patrimonio B. Petri in Tuscia, comitatu Sabinae et terris Arnulphorum quibusvis personis factae, 297 *a*.
Petri et Pauli (Ss.) reliquiae unde sumptae, 592 *b*. Eas earumque ornamenta auferentes quibus poenis subiecti, *ibid*.
Petri (S.) ad Vincula cardinalis capituli generalis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci a Martino IV PP. praeses eligitur, 733 *a*.
Petri (S.) Apost. oraculum de Libertatis spiritus secta dictum, 212 *a*.
Petri (S.) successoris dignitas atque potestas, 170 *b*.
Petrus Aragoniae rex Siciliae regnum occupat, 59 *b*. Panormitanos ad rebellionem sollicitat, 60 *a*. Post debitas monitiones, indictamque ei diem, quae omnia sprevit, regni iure privatur, eius et subditi sacramento fidelitatis solvuntur, 65 *a*. Excommunicatur, 130 *a*.
Petri de Murrone Summi Pontificis Romani, Coelestini quinti nuncupati, patria et parentes, 230 *b*. Vita aspera in eremum, *ibid*. et 231 *a*. Continuae preces ad Deum, *ibid. b*. Labori manuum vacat, *ibid*. Suo exemplo alios ad bonam frugem revocat, *ibid*. Congregationem monachorum instituit, *ibid*. Summus Pontifex eligitur, 232 *a*. Ab eodem se abdicat, *ibid*. Sancteque usque ad obitum vivit, *ibid*. Multis claret miraculis, *ibid. b*, 233 *a* et *b*. Sanctorum fastis adscribitur, *ibid*. Festus eius dies celebrandus, *ibid*.
Philippo Francorum regi Aragoniae regnum, aliique principatus conceduntur, 130 *a*.
Philippus Galliae rex fidelium coetu sacrisque segregatus declaratur, 170 *b*.
Pictaviensis Ecclesia in tres dioeceses dividitur, 247 *b*.
Pignora seu sportulae. *V*. Sportulas *etc*.
Piratae excommunicantur, 540 *a*.

Pisana civitas Conradino adhaeret, 18 *a*. Archiepiscopatu privatur, *ibid*. Haec dignitas ei restituitur, *ibid*. et *seq*.

Poenitentia (de) Ordinis S. Dominici fratrum et sororum Regulae, 636 *a*. De recipiendis et eorum conditione, 637 *b*. De habitu fratrum et sororum, 638 *a*. De modo recipiendi in Ordinem, *ibid*. De benedictione vestium, *ibid*. *b*. De professione, *ibid*. De permanentia in hoc statu, *ibid*. De horis canonicis dicendis, 639 *a*. De surgendo ad matutinas, *ibid*. De confessione et communione, *ibid*. De silentio observando, *ibid*. *b*. De reverentia exhibenda Ecclesiarum praelatis ipsisque Ecclesiis, *ibid*. De ieiuniis et cibo, *ibid*. De discursibus, 640 *a*. De armis non ferendis, *ibid*. De infirmis visitandis, *ibid*. De suffragiis fratrum et sororum defunctorum, *ibid*. De institutione prioris et priorissae, *ibid*. *b*. De officio prioris et priorissae, *ibid*. De correctione fratrum sororumque, 641 *a*. De eorumdem dependentia a generali magistro et prioribus provincialibus fratrum Praedicatorum, *ibid*. *b*. De dandis dispensationibus, *ibid*. De obligatione Regulae, 642 *a*.

Poenitentiaria apostolica. Summus poenitentiarius doctorem adhibere debet in consilium in rebus ambiguis, et deputare personam ad expedienda negotia non dubia, 416 *b*. De correctorum officio, sigillatore *etc*., 417 *a*. De iuramento a supradicto doctore et alia persona deputata praestando, *ibid*. *b*. De supplicationibus Papae legendis, *ibid*. Nihil pro literis taliter expeditis accipiendum, *ibid*. De horis, quibus quisque poenitentiarius sistere in Ecclesia debet, *ibid*. Benigne per eos cum poenitentibus agendum, 418 *a*. Termini nonnulli facultatum eorumdem, *ibid*. De mulierum audiendis confessionibus, *ibid*. *b*. Literae absolutionis vel dispensationis nonnisi per scriptores ad id deputatos scribendae. *ibid*. Poenitentiarii a detractione abstineant, *ibid*. Aliis facultates suas communicare non possunt, 419 *a*. De confessariis in adiutorium admissis, *ibid*. De sigillis, *ibid*. Duo clerici deputandi ad huiusmodi conservanda sigilla, *ibid*. *b*. De distributore petitionum, *ibid*. Leges a scriptoribus servandae, 420 *a*. Distributoris munia, *ibid*. *b*. De procuratoribus, 421 *b*. Forma iuramenti ab officialibus poenitentiariae apost. praestandi, 422 *a* et *seq*.

Poenitentiariae scriptorum numerus, 225 *b*.

Politicorum ad ius ecclesiasticum labefactandum fraudes, 606 *b*.

Pontificibus data cum imperio Roma, 43 *a*.

Pontii (S.) Thermolarum episcopatus erigitur, 268 *a*.

Portuensis episcopus. Statuitur quod oblationes, quae obveniebant ei in basilica S. Petri, convertantur ab altarario in beneficium fabricae, 528 *b*.

Portugalliae regnum. Provisiones et ordinationes pro ecclesiastica libertate in eo manutenenda, 28 *b*.

Posoniensis concilii acta confirmantur, 486 *b*.

Praedicatorum fratrum Ordinis gratiae et privilegia. *V*. Dominici (S.) fratrum Praedicatorum *etc*.

Praedicatorum Ordinis prælatorum in suos subditos auctoritas qualis, 134 *a*. Declaratur quae sit auctoritas et facultas, quodque munus magistri generalis et aliorum praelatorum nec non enumerantur gratiae et privilegia eiusdem Ordinis, 567 *a*. Huius Ordinis Tertiariorum regulae approbantur, 636 *b*, et *V*. etiam Poenitentia (de) *etc*.

Praga (de) Hieronymi et aliorum de Sacramentis Ecclesiae male sentientium errores damnantur, 665 *a*.

Pragensis Ecclesiae dignitas, 473 *a*. In archiepiscopatum erigitur, *ibid.* *b*.
Procuratorum Rotae qualitates et munus, 687 *b*.
Prostitutae. Officiales nihil ab illis exigi debent, 509 *b*.
Providentiae divinae commendatio, 49 *a*. Eiusdem in dandis Ecclesiae praesulibus assistentia , 67 *a*; eiusque arcana, 175 *a*.

## Q

Quinquecclesiensis Academia regni Hungariae erigitur nonnullisque privilegiis exornatur, 585 *a*.
Quinquecclesiensis civitas studiis litterarum accommoda, 585 *a*.

## R

Rectores terrarum Roman. Eccl. marescallos e consanguineis assumere non possunt, 388 *a*; nec stipendia, quae pro militia dantur, familiaribus suis assignare, 389 *a*. Saepe thesaurariis infesti, 502 *a*. Quidquam ab illis exigere eisdem vetatur sub poena excommunicationis, *ibid.* et *seq.* Processus, a thesaurariis contra non solventes census Ecclesiae Rom. debitos factos, suspendere aut cassare, eisdem thesaurariis inconsultis, non possunt, 505 *b*.
Redemptionis Captivorum Ordo. *V* Mariae (B.) de Mercede.
Redundellum quid sit, 446 *a*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.
Registratorum literarum apostolicarum officium. *V*. Literae apostolicae.
Regulares ad infidelium partes se conferre, ibique verbum Dei praedicare, absque superiorum suorum licentia, non possunt, 310 *b*.
Regularium Ordinum encomium, 562 *a*.
Religiosi cappellani Sedis Apost. *V*. Religiosi cuiuscumque Ordinis *etc.*
Religiosi cuiuscumque Ordinis etiam Mendicantium, quamvis Sedis Apost. sint cappellani, eorum superioribus subiecti declarantur, 565 *b*.
Reliquiae Ss. Petri et Pauli, 592 *b*.
Reservatio Ecclesiarum, aliorumque beneficiorum in dominio Rom. Eccl. consistentium, ad quae quis consuevit per electionem assumi, 287 *a*.
Residentia. *V*. Beneficia.
Rivensis de Bobestria Ecclesia episcopat. Tholosan. suffraganea declaratur, 246 *a*.
Robertus de Brus gerens se pro Scotiae rege, 241 *b*. Indictio treugae *ibid.* Et induciarum inter ipsum et regem Angliae, 242 *a*.
Roma cum imperio data Pontificibus, 43 *a*.
Romana Academia erigitur, 166 *a*. Eius privilegia, *ibid.* *b*. Laureandorum leges, 275 *b*. Privilegia, 276 *a*. Examen, *ibid.* *b*.
Romanae Ecclesiae est cuncta definire et corrigere, 345 *b*.
Romani Pontificis qualis sit cura de singulis christianis, 606 *a* et *b*.
Romanum imperium. *V* Imperii Romani *etc.*
Romipetae et peregrini. *V*. Peregrinorum vulneratores *etc.*
Rondellum quid sit, 446 *b*. *V* notam ad calcem colum. eiusd.
Rotae Romanae auditoribus, advocatis, procuratoribus et notariis statuta nonnulla dantur, 708 *b*.
Rotulus quid sit, 657 *b*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.
Ruthenensis dioecesis dividitur in duas, 250 *a*.

# S

Sacrarum rerum administratio ad laicos non spectat, 609 *a*.

Sancia regina Siciliae. Eius elogium, 478 *a*. Ioanna regina dispositiones eius confirmat, *ibid*. et *seq*. Ab Apostolica Sede validantur, 479 *a* et *seq*.

Sanctius Portugalliae rex a Gregorio IX PP. monitus ut ab ecclesiasticorum gravaminibus abstineat, 29 *b*.

Saraceni. Eorum in Terram Sanctam saevitia, 12 *a*. Arma, naves et victualia eis deferentes anathemate percutiuntur, 13 *a*, 152 *b*, 539 *b*. Ad christianam fidem conversi et iterum ad eorum sectam redeuntes excommunicantur, 541 *a*. Illis christianos vendentes poena anathematis percelluntur, 720 *b*.

Sarcire quid sit, 538 *b*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.

Salhinguerra, Ferrariae tyrannus, 202 *b*.

Salvatoris (S.) canonicorum regularium congregatio Ordinis S. Augustini in domo de Silvalacus Senen. dioecesis instituitur, 651 *b*.

Sardinia et Corsica Aragonum regi Iacobo iure beneficiario traditur sub annua praestatione 2,000 marcharum argenti S. Ap., 135 *b*.

Saxonicae leges *Speculum Saxonum* nuncupatae, propositionibus erroneis scatentes earumque sequaces damnantur, 573 *b*.

Sebaldus (B.) de Daciae regum prosapia genitus sanctorum canoni adscribitur, 714 *b*.

Sedes Apostolica. Dantes aliquid vel promittentes aut recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam, nec non scientes et non revelantes excommunicantur, 126 *b*. Excommunicantur omnes qui ad eam venientes vel ab ea recedentes offendunt, 158 *b*. Omnium fidelium mater, 323 *b*.

Senator Urbis, absque licentia Summi Pontificis, minime eligendus, 44 *a*.

Servorum B. Mariae Virginis Ordo confirmatur, 176 *b*. Reformatur, 480 *b*. Eiusdem privilegia, 582 *b*. Fratribus huius Ordinis conceditur Ecclesia S. Marcelli de Urbe, 590 *b*. Interdicitur eis facultas recipiendi seu obtinendi officia Ordinis, absque prioris generalis licentia speciali, 627 *a*. Tertia regula huius Ordinis. *V* Tertii Ordinis Servorum *etc*.

Siciliae regnum. Innoc. IV Fridericum imperatorem regno Siciliae privat, 55 *b*. Idem regnum a Conrado Friderici filio invaditur, *ibid*. Conrado mortuo, occupat illud Manfredus, qui excommunicatur ab Alexandro IV, 56 *a*. Conradinus excommunicatur quoque et regno privatur, *ibid*. Quid ad reprimendos Siculos rebelles actum fuerit, *ibid*. Petrus rex Aragonum Siciliam invadit, 58 *b*. Anathematizatur, 60 *a*. Regno privatur, 65 *a*. Siculi rebelles, civitates *etc*. ecclesiastico supponuntur interdicto, *ibid*. Imperia dantur praesulibus atque proceribus, *ibid*. *b*. Provisiones et ordinationes tam quoad spiritualia quam temporalia pro bono regimine huius regni, 70 *a*. Insignium sacerdotiorum atque ecclesiasticarum dignitatum provisio in eo Sedi Apostolicae reservatur ad tempus, 467 *b*. Eius procuratio, rege minore, ad Apostolicam Sedem spectat, 468 *b*.

Siculi. Eorum rebellio et scelera, 56 *b*. Ipsos, civitates, *etc*. ecclesiastico supponit interdicto Martinus IV PP., 65 *a*.

Silvestri (S.) Monasterium in Capite de Urbe conceditur nonnullis piis foeminis, ut inibi vivant secundum Regulam S. Clarae, 82 *b*.

Sipontinae civitatis infelix status, 633 *b*. Eius Ecclesia a Benedicto IX in metropolitanam erecta, *ibid*. Eius archiepiscopus Garganicus quoque appellandus, 634 *a*.

Soldani saevitia in parvulos christianos, 12 *b*.
Sorgiae Pons. *V* Avenionensis Ecclesia.
*Speculum Saxonum* damnatur, 573 *b*.
Speronistae (haeretici) ipsorumque filii et complices excommunicantur, 47 *a*. Ipsorum aliorumque poenae, *ibid. b*.
Spiritus Sancti de Sulmona monasterium. *V* Coelestinorum congregationis *etc*.
Spiritus (S.) in Monte Pessulano hospitale. *V*. inferius,
Spiritus (S.) in Saxia de Urbe hospitale, cum omnibus eius membris, bonis atque personis, sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur et subiectio hospitalis S. Spiritus in Monte Pessulano hospitali praedicto approbatur, 107 *a*.
Spiritus Sanctus impurae libertatis auctor esse non potest, 213 *a*.
Sportulas iudicibus ecclesiasticis dari vetat Urbanus VI PP., 589 *b*.
Squinantia quid sit, 306 *b*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.
Squirolus, murium species qualis, 446 *b*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.
Strenae pro nuncio accepti a Sede Apost. beneficii vetantur, 577 *a*.
Surianum, arx olim munita apud Viterbium, 39 *b*. *V*. notam ad calcem col. eiusd.

# T

T. Signum quod super habitum gestant fratres Ordinis S. Antonii, quodque ab illis *potentia* vocatur, 144 *b*.
Tabardus quid sit, 446 *b*. *V*. notam ad calcem colum. eiusd.
Tarraconensis provincia in duas divisa, 271 *a* et *b*.
Taxillorum seu alearum ludi reprobantur, 509 *b*.
Templarii multis ab Ecclesia exaltati honoribus, 188 *a*. Mala ab ipsis patrata, *ibid*. et *seq*. Damnantur, eorumque bona Ordini militum Hierosolym. applicantur 226 *b*.
Terracinenses. Statuta a cardinali S. Sabinae pro illis edita firmantur, 627 *b*.
Terra Sancta Hierusalem. Fideles exhortantur ad eius recuperationem, 111 *b*. Eius sanctitas, 112 *a*. Solicitudo Rom. Ecclesiae pro eius recuperatione, 187 *b*.
Tertia Regula fratrum et sororum Tertii Ordinis a B. Francisco instituta. De modo examinandi volentes intrare in Ordinem, 90 *b*. De forma eos recipiendi volentes intrare in Ordinem, 91 *a*. De forma habitus et qualitate indumentorum, *ibid. b*. De spectaculis et conviviis evitandis, *ibid*. De abstinentia et ieiunio, *ibid*. De confessione et communione, 92 *b*. De armorum delatione, *ibid*. De dicendis horis canonicis, *ibid*. De testamentis, 93 *a*. De pace, *ibid*. De vexationibus contra ius et privilegia, *ibid*. De iuramentis, *ibid*. De missa audienda et congregatione facienda, *ibid. b*. De fratribus infirmis et defunctis, *ibid*. De ministris, 94 *a*. De visitatione et correctione delinquentium, *ibid*. De vitandis litigiis inter se et cum aliis, *ibid. b*. Qualiter et per quos in abstinentiis possit dispensari, *ibid*. De incorrigibilibus, *ibid*. De non observantibus Regulam, *ibid*.
Tertii Ordinis Servorum B. M. V. Regulae. De recipiendis in Ordine, 703 *a*. Habitus fratrum et sororum, *ibid*. Caeremoniae in dando habitu noviter receptis observandae, *ibid*. Forma professionis, 704 *a*. Professis a religione praeclusus regressus, *ibid. b*. De horis canonicis aliisque vocalibus orationibus, *ibid*. De tempore horarum dicendarum, *ibid*. De confessione et communione, *ibid*. De silentio in ecclesiis, 705 *a*. De reverentia episcopis, parochis aliisque

adhibenda, *ibid.* De ieiunio et esu carnium, *ibid.* De choreis, conviviisque fugiendis, et armis non deferendis, *ibid. b.* De infirmorum cura et mortuorum suffragiis, *ibid.* De electione correctoris generalis, priorissae atque eorum officiis, 706 *a.* De peccantium correctione et emendatione, *ibid. b.* De congregationibus mense quolibet in ecclesia fratrum Servorum et subordinatione generali Ordinis, 707 *a.* De correctoris et priorissae dispensandi ab abstinentiis facultate, *ibid.* Regula haec non obligat ad culpam, sed ad poenam, *ibid. b.*

Theologicae facultatis laus, 517 *b.*

Tholosanus archiepiscopatus dismembratur, et Appiamarum episcopatus erigitur, 132 *a.*

Tholosanus episcopatus dividitur, 245 *b.* In metropolim erigitur, 246 *b.* Eique suffraganeæ subiiciuntur Ecclesiae, *ibid.*

Thomae (B.) de Aquino encomium, 303 *a.* Opera nonnulla scribit, *ibid. b.* Orationi et studio assidue vacat, atque castitate, sobrietate, humilitate aliisque virtutibus praefulget, *ibid.* Ultima infirmitate in monasterio Fossae Novae laborat, 304 *a.* Viaticum sumens sua scripta S. R. E. iudicio submittit, *ibid. b.* Miraculis claret, 305 *a.* Sanctorum confessorum cathalogo adscribitur, 307 *b.* Eius festivitas celebranda, proposita indulgentia eius sepulchrum visitantibus, 308 *a.*

Thomas (B.) episcopus Herfordiensis. Eius genus et primordia, 291 *b.* Abstinentia et castimonia, *ibid.* Erga pauperes proximumque charitas, 292 *a.* Optimus praesul, *ibid.* Orationi vacans et pastoris partibus optime fungens, *ibid.* Romae moritur, et multis ubique miraculis claret, *ibid.* et 293 *a.* Sanctorum canoni adscribitur, *ibid. b.* Eius festivitas celebranda et indulgentia proposita eius sepulchrum visitantibus, *ibid.*

Tinellus, Tinellum quid sit, 551 *a. V.* notam ad calcem colum. eiusd.

Torticium quid sit, 552 *a. V* notam ad calcem colum. eiusd.

Tutellensis episcopatus erigitur, 277 *a.*

## U

Ulyxiponensis Academia confirmatur variisque ornatur privilegiis, 103 *b.*

Urbanus V Papa CC eligitur, 519 *a.*

Urbanus VI Papa CCII eligitur, 580 *b.*

Urbis Studium ordinatur, eiusque privilegia confirmantur, 275 *a.*

## V

Vabrensis episcopatus erigitur, 249 *b.*

Valentiae regnum conceditur Philippo Francorum regi, 130 *a.*

Vares, Varii, murium species, 446 *b. V.* notam ad calcem colum. eiusd.

Vassalli Ecclesiarum, 82 *a.*

Vectigalia et pedagia a populo Romano, absque Sedis Apostolicae licentia, imposita revocantur, 461 *a.* Ius ea imponendi vectigalia ad quos spectet, 461 *b.*

Venaisinus comitatus. *V.* Avenionensis Ecclesia.

Venceslai et Caroli regum Romanorum foedera cum haereticis inita nulla declarantur, 584 *a.*

Venceslaus Boemiae rex Hungariae regnum filio adiudicari curat, 163 *a*.
Venetorum violentia contra Ferrarienses, 203 *a*.
Verbum Dei iudaeis praedicandum, ut convertantur, 46 *a*.
Veronensis Academia erigitur, 459 *b*.
Viarum custodia rectoribus provinciarum demandata, 631 *a*.
Viarum Urbis eiusque districtus magistri reintegrantur, 716 *b*.
Vicarii et feudatarii ad solutionem antiquorum censuum Romanae Ecclesiae debitorum tenentur, etiamsi in eorum investituris censuum huiusmodi mentio nulla facta fuerit, 642 *a*.
Viduae bonis operibus intentae Deum magnificant, 618 *a*.
Viennense primum sacrum et oecumenicum concilium indicitur, 187 *a*.
Virgines servaverunt puritatis candorem, 618 *a*.
Virtutum exempla praeposita a confessoribus, 617 *b*.
Visio beatifica, 345 *b*.
Visitationis B. M. V. festum instituitur, 602 *a*.

## W

Wiklefi libri *Dialogi* et *Trialogi* nuncupati damnantur, 661 *a*, 665 *a*.

# INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

QUORUM BULLÆ IN HOC IV TOMO CONTINENTUR


| | habet Constit. | |
|---|---|---|
| Alexander V | habet Constit. | I. |
| Benedictus XI | » | III. |
| Benedictus XII | » | XVIII. |
| Bonifacius VIII | » | XXII. |
| Bonifacius IX | » | XIII. |
| Clemens V | » | XV. |
| Clemens VI | » | XVI. |
| Coelestinus V | » | I. |
| Gregorius X | » | IX. |
| Gregorius XI | » | XXIII. |
| Gregorius XII | » | IV. |
| Hadrianus V | » | |
| Honorius IV | » | VI. |
| Innocentius V | habet Constit. | I. |
| Innocentius VI | » | X. |
| Innocentius VII | » | II. |
| Ioannes XX *dictus* XXI | » | II. |
| Ioannes XXI *dict.* XXII | » | XLIV. |
| Ioannes XXIII | » | IV. |
| Martinus IV | » | V. |
| Martinus V | » | XXVI. |
| Nicolaus III | » | IV. |
| Nicolaus IV | » | XII. |
| Urbanus V | » | VII. |
| Urbanus VI | » | XV. |


# INDEX CHRONOLOGICUS

## PONTIFICUM OMNIUM

***Quorum Bullae, Privilegia et Diplomata in hoc quarto volumine continentur.***


| | Anno | | *pag.* | |
|---|---|---|---|---|
| Gregorius X | Anno | 1271 | *pag.* | 9 |
| Innocentius V | » | 1276 | » | 35 |
| Hadrianus V | » | 1276 | » | 36 |
| Ioannes XX *d.* XXI | » | 1276 | » | 37 |
| Nicolaus III | » | 1277 | » | 39 |
| Martinus IV | » | 1281 | » | 48 |
| Honorius IV | » | 1285 | » | 67 |
| Nicolaus IV | » | 1288 | » | 87 |
| Coelestinus V | » | 1294 | » | 115 |
| Bonifacius VIII | » | 1294 | » | 123 |
| Benedictus XI | » | 1303 | » | 175 |
| Clemens V | » | 1305 | » | 180 |
| Ioannes XXI *d.* XXII | » | 1316 | » | 234 |
| Benedictus XII | Anno | 1334 | *pag.* | 324 |
| Clemens VI | » | 1342 | » | 467 |
| Innocentius VI | » | 1352 | » | 502 |
| Urbanus V | » | 1362 | » | 519 |
| Gregorius XI | » | 1370 | » | 529 |
| Urbanus VI | » | 1378 | » | 580 |
| Bonifacius IX | » | 1389 | » | 601 |
| Innocentius VII | » | 1404 | » | 636 |
| Gregorius XII | » | 1406 | » | 643 |
| Alexander V | » | 1409 | » | 655 |
| Ioannes XXIII | » | 1410 | » | 656 |
| Martinus V | » | 1417 | » | 664 |

# INDEX INITIALIS

## BULLARUM OMNIUM, QUÆ IN HOC IV TOMO HABENTUR

*ordine alphabetico dispositae.*

### A

Ab eo, 606.
Ab origine mundi, 616.
Adaperiat Dominus, 11.
Ad augmentum, 134.
Ad consequendam, 127.
Ad decorem, 425.
Ad ea, 278, 628.
Ad hoc, 299, 690.
Admodum dolenter, 541.
Ad nostrum, 310.
Ad nostri apostolatus, 284.
Ad pacem, 662.
Ad propagationem, 594.
Ad providam, 226.
Ad reprimendas, 728.
Ad spiritualis gaudii, 497.
Æterni providentia, 182.
Alma mater Ecclesia, 268.
Altitudo coelestis, 325.
Ambitionis, 587.
Andronicum Palaeologum, 185.
Antiquorum habet fide relatio, 156.
Apostolatus officium, 520.
Apostolicae Camerae, 581, 643.
Apostolicae Sedis, 726.
Apostolicae servitutis, 560, 590, 590.
Apostolicae solicitudinis, 596.
Ascendit fumus, 83.
Attendentes, 473.

### B

Benedictus Deus, 345.
Bonum pacis, 19.

### C

Caeca cupiditas, 604.
Caelestis altitudo, 88.
Celeri reparationi, 586.
Conditoris omnium, 168.
Considerantes, 496.
Consulto, 461.
Contingit plerumque, 323.
Cum a nobis petitur, 310.
Cum civitas, 324.
Cum ex debito, 657.
Cum generale, 733.
Cum Illius, 524.
Cum inter, 87, 696.
Cum nonnulli, 315.
Cum onus, 503.
Cum sit absurdum, 294.
Cunctos Christi fideles, 562.
Cupientes, 578.

### D

Debemus subiectis, 510.
De insurgentis, 55.
Delectat nos, 512.

De regno Portugalliae, 29.
Desiderantes, 388.
De statu, 104.
Dignum est, 225.
Dignum duximus, 275.
Dilectus Domini, 209.
Dilectus filius, 80.
Divinae Sapientiae, 193.
Dudum ad audientiam, 387.
Dudum nos, 390.
Dudum personam, 288.
Dudum pro bono, 462.
Dum a nobis, 308.
Dum levamus, 177.
Dum onus, 747.
Dum salubria, 561.
Dum solicitae, 294, 459.
Dum statum, 467.

E

Ecclesiarum omnium, 514.
Etsi a sacris canonibus, 576.
Etsi cunctos, 116.
Etsi fidei, 186.
Etsi imperialis, 615.
Etsi in cunctarum, 716.
Etsi solertem, 484.
Etsi universas, 635.
Excitat, 651.
Excommunicamus, 126, 158, 539.
Exhibita nobis, 86, 270.
Exigente debito, 253.
Exigit ordinis, 298.
Eximiae devotionis, 478.
Ex iniuncto, 655.
Ex ore, 468.
Ex parte, 115, 250.
Exultat mater Ecclesia, 25.

F

Felicis recordationis, 38.
Fons parvulus, 695.
Fuit olim, 152.
Fulgens sicut stella, 330.
Fundamenta militantis, 42.

G

Gloria in altissimis Deo, 9.
Gloria, laus, 146.
Gloriosam Ecclesiam, 261.
Gloriosus et mirabilis, 124.
Grandis nobis, 300.

H

Habet fide, 389.
Humilibus, 629.

I

Illis, 645.
Illius coelestis, 701.
Illuminet super vos, 111.
Immensae Deus, 39.
Imminente nobis, 287.
Improbis, 721.
In agro Dominico, 416.
In apostolicae, 680.
In charitatis, 528.
Incomprehensibilia Dei iudicia, 49.
In dispositione, 143.
Ineffabile Sacramentum, 731.
In eminenti, 658.
In humilitatis spiritu, 221.
In generali, 661.
In literis, 16.
In supremae, 157, 166, 585, 597, 610.
Intellecto dudum, 53.
Inter caetera, 297, 298.
Inter caeteras, 273.
Inter cuncta, 460.
Inter cunctas, 665.
Inter opera, 107.
Inter solicitudines, 584.
Iustis et honestis, 614.
Iustis petentium, 133, 566.
Iustitia et pax, 70.

L

Licet cunctarum, 311.
Licet, disponente Domino, 513.
Licet felicis, 37.
Licet in constitutione, 501.

M

Michaelem Palaeologum, 52.
Militanti Ecclesiae, 707.
Molesta nobis, 502.
Molesta significatio, 542.
Multorum saepe, 505.

N

Ne aliqui, 103.
Noverit universitas vestra, 47, 105.
Nuper sanctae, 35.

O

Olim fel. recor., 85.
Opera divinae, 175.

P

Pastoralis officii, 627.
Pastoralis sollicitudinis, 720.
Pastor bonus, 326.
Patris Æterni, 159.
Per Romani Pontificis, 565.
Pervigilis, 745.
Petitio pro parte, 487.
Piae postulatio, 730.
Pia matris Ecclesiae cura, 196.
Pro cunctorum, 689.
Prodiens quasi ex adipe, 195.

Q

Quamvis, 509, 589.
Quasi lignum, 517.
Quia sicut, 588.
Qui facit magna, 230.
Quis loquetur, 67.
Quod antidota, 677.
Quoniam nonnulli, 462.
Quos praedixit, 285.

R

Ratio iuris, 317.
Rationi congruit, 529, 642.
Rationis ordo, 289.
Redemptionem misit, 302.
Redemptor noster, 391.
Regimini, 481.
Regis pacifici, 95.
Regnans in coelis, 187.
Regularem vitam, 328.
Relevationi, 564.
Religiosam vitam, 178.
Rerum omnium, 633.
Res sanctissima, 543
Rex regum, 214.
Romana Ecclesia, 155.
Romani Pontificis, 532, 533, 708.
Romanus Pontifex, 132, 271, 493, 523.

S

Sacra et immaculata, 579.
Sacrilegorum, 592.
Sacrosancta Romana Ecclesia, 583, 612.
Sacrum, 653.
Saepe Sanctam Ecclesiam, 134.
Salvator humani generis, 574.
Salvatoris nostri, 624
Salvator noster, 14, 242, 244, 245, 247, 249, 249, 251, 277, 599.
Sane dum fructus uberes, 519.
Sapientiae, 723.
Sedes Apostolica, 181, 718.
Sedis Apostolicae, 637, 702, 714.
Sicut exhibitae, 474.
Sicut facilitas, 509.
Sicuti iudaeis, 523.
Sicut magni, 18.
Si fratrum, 234.
Sincerae devotionis, 520.
Si quis, 536.
Solent coniurationes, 105.
Solicite vitari debet, 577.
Solicitudinis, 472, 697.
Solicitudo pastoralis, 506.
Sollicitudo Ecclesiarum, 535.
Sol oriens, 237.
Spectator omnium, 162.
Splendor gloriae, 130.
Statuimus, 128.
Statutum, 565.

Summi Magistri, 348.
Super Illius specula, 316.
Superni benignitas, 602.
Supernus Opifex, 300.
Super Petri Solio, 170.
Super reges, 136.
Super specula, 192.
Super universas, 534.
Supra montem, 90.

T

Turbato corde, 25, 88.

U

Unigenitus Filius, 291.
Urget nos, 497.

V

Viam ambitiosae cupiditatis, 51, 678.
Vigilis speculatoris, 313.
Vineam Sorec, 45.
Virtute conspicuos, 567.
Vocatis nobis, 241.

# INDEX RUBRICARUM

## BULLARUM ET PRIVILEGIORUM OMNIUM

*Quae in hoc quarto volumine continentur.*

---

GREGORIUS X.

I. Hierosolymitanum patriarcham, caeterosque fideles de suscepto a se Ecclesiae clavo encyclicis literis certiores facit, *pag.* 9.
II. Contra deferentes arma, naves et alia ad partes infidelium, ipsisque quomodolibet communicantes, 11.
III. Indictio sacri et oecumenici XIV concilii, Lugdunensis II, pro die 1 maii 1274, 13.
IV. Civitas Lugdunensis, utpote praelatis omnibus magis accommoda, pro futuri celebratione concilii decernitur, 16.
V. Civitati Pisanae restituitur archiepiscopalis dignitas, qua, Conradino quondam Friderici olim imperatoris nepoti adhaerendo, privata fuerat, 17.
VI. Capitula et ordinationes pacis inter Guelfos et Gibellinos edita apud Florentiam, 19.
VII. Contra christianos ad ritum iudaicum transeuntes, iudaeosque conversos reiudaizantes vel christianos ad eorum ritum inducentes, 24.
VIII. De reditu Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris ad obedientiam Romani Pontificis, et de unione Ecclesiae Graecae cum Latina, 25.
Sequitur alia Pontificis epistola ad filium dicti imperatoris, 26.
Subsequitur tenor literarum supradicti Michaelis imperatoris ad Pontificem, 26.
IX. Provisiones et ordinationes pro ecclesiastica libertate in regno Portugalliae manutenenda, 28.

INNOCENTIUS V.

I. Innocentius fideles encyclicis literis adeptae dignitatis certiores facit, ac praesules ad operam pro re christiana tuenda coniungendam excitat, 35.

HADRIANUS V.

Eius vita, 36.

IOANNES XX dictus XXI.

I. Decretum, quo Hadrianus V Gregorii X de inclusione cardinalium in conclavi pro facienda Pontificis electione constitutionem suspenderat, confirmatur, 37.
II. Encyclicae Ioannis XXI ad fideles de sua promotione literae, 38.

NICOLAUS III.

I. Encyclicae Nicolai literae de sua in Summum Pontificem electione ad Galliae praelatos, 39.

II. Quod, absque Summi Pontificis licentia speciali, senator Urbis minime eligatur, 42.
III. De praedicatione verbi Dei pro conversione hebraeorum, 45.
IV. Excommunicationis et aliarum poenarum promulgatio in Catharos, Patarenos, aliosque haereticos, ipsorumque filios, complices et fautores, 47.


MARTINUS IV.


I. Martini Papae IV ad praesules catholicos de sua promotione in Summum Pontificem literae encyclicae, 48.
II. Prohibitio ne fratres Ordinum Mendicantium ad alios Ordines transeant, 50.
III. Damnatio et excommunicatio Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris ab Ecclesia Romana dissidentis, 52.
IV. Commissio delegatis apostolicis super inquisitione miraculorum beati Ludovici regis Franciae, 53.
V. Depositio Petri regis Aragonum, eiusque subditorum a iuramento fidelitatis absolutio, 54.


HONORIUS IV.


I. Encyclicis literis christifideles promotionis suae certiores faciens, ad divinam ipsi opem suis precibus conciliandam provocat, 67.
II. Provisiones et ordinationes tam quoad spiritualia, quam temporalia pro bono regimine regni Siciliae, 70.
III. Subsequitur confirmatio constitutionis editae a Carolo II Siciliae rege pro tuitione ecclesiasticorum, rerumque ad eos pertinentium, 80.
IV. Monasterium S. Silvestri in Capite de Urbe conceditur nonnullis piis foeminis, ut inibi vivant secundum regulam S. Clarae, 82.
V. Damnatio sectae sub nomine Ordinis Apostolorum, nulla habita Sedis Apostolicae licentia, temere introductae, 84.
VI. Quod filii et nepotes eius, qui de hæresi inquisitus et absolutus fuit, ad officia et beneficia admitti possint, 85.


NICOLAUS IV.


I. Sanctae Agathae terram, aliaque castra et loca ad provinciam Massae Trabariae, non autem ad Romandiolae spectare declarat, 87.
II. Quod christiani ad iudaeorum ritum transeuntes, ipsique iudaei ad christianam fidem conversi, ad illum redeuntes, ab inquisitoribus uti haeretici, eorumque auxiliatores, puniantur: iudaei vero, christianos ad eorum ritum trahentes, poena debita compescantur, 88.
III. Certos proventus S. R. E. cardinalibus assignat ex Romanae Ecclesiae redditibus, 88.
IV. Approbatio Tertiae Regulae fratrum et sororum Tertii Ordinis a B. Francisco institutae, pro saecularibus in propriis domibus viventibus, Tertiariis nuncupatis, 90.
V. Declarationes reformationis Gregorii IX monachorum congregationis Cluniacensis Ordinis S. Benedicti, 95.
VI. Quod processus habiti per inquisitores contra haereticos etiam post obitum Papae, a quo deputati fuerant, validi habeantur, 103.
VII. Confirmatio erectionis Ulyxipponensis Academiae, quae variis ornatur privilegiis, 103.
VIII. Prohibitio faciendi coniurationes, societates, confoederationes seu colligationes in terris Ecclesiae, earumque cassatio et annullatio sub excommunicationis sententia, aliisque poenis spiritualibus et temporalibus, 105.
IX. Excommunicationis, aliarumque pœnarum contra haereticos, eorumque fautores et alios decretarum promulgatio, 105.

X. Hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, cum omnibus eius membris et bonis atque personis, sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur, et subiectio hospitalis S. Spiritus in Monte Pessulano hospitali praedicto approbatur, 107.
XI. De recuperatione Terrae Sanctae Hierusalem a Saracenis, et de indultis crucesignatorum ad id proficiscentium vel contributionem praestantium, 111.
XII. Quod exhibeantur Ordini fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum omnia legata, quae pro d. redemptione non tamen certis personis relinquuntur, 115.

COELESTINUS V.

I. Approbatio statutorum congregationis monachorum Coelestinorum Ordinis S. Benedicti, cum indultorum et gratiarum concessione, 116.

BONIFACIUS VIII.

I. Bonifacius Papa Eduardum Angliae regem certiorem facit de Coelestini PP abdicatione, suique in Pontificem electione, 124.
II. Contra dantes aliquid vel promittentes, aut recipientes, pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam ac etiam contra scientes et non revelantes, 126.
III. Quod, prope Ecclesias et conventus fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, non possint alii religiosi Mendicantes nova loca aedificare infra spatium cannarum centum quadraginta, 127.
IV. Quod conservatores concessi certis Ecclesiis a Sede Apostolica ab iniuriis manifestis defendantur, qui iubentur esse canonici aut praediti dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, 128.
V. Restituitur regi Aragonum regnum, quo ex causa occupationis regni Siciliae privatus fuerat, 129.
VI. Dismembratio archiepiscopatus Tolosan. et erectio episcopatus Appamiarum, 132.
VII. Quod fratres Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo cappis albis de caetero utantur, dimissis aliis mantellis diversorum colorum, 133.
VIII. De auctoritate praelatorum Ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici, eorum subditos, iuris apicibus et appellatione postpositis, compescendi, 134.
IX. Novam haeresim in administratione sacramentorum exortam, aliisque scatentem erroribus damnat, 134.
X. Sardinia et Corsica Aragonum regi Iacobo iure beneficiario traditae, sub annua praestatione duorum millium marcharum argenti Sedi Apostolicæ, 135.
XI. Erectio prioratus S. Antonii Viennen., ubi eius corpus requiescit, in abbatiam, et institutio illius prioris in abbatem, data regula S. Augustini, et habitu cum signo *T*, quod potentiam vocant, 143.
XII. Canonizatio S. Ludovici regis Franciae, confessoris: et institutio festivitatis pro die 25 augusti quotannis celebrandae; ac indulgentiarum elargitio pro visitantibus eius sepulchrum, 145.
XIII. Confirmatis conciliorum decretis et Nicolai IV constitutione contra arma, victualia *etc.* ad Saracenorum partes deferentes, inquisitoribus haereticae pravitatis facultas datur contra delinquentes procedendi, 152.
XIV. Amotis canonicis regularibus Ordinis Sancti Augustini ab Ecclesia Lateranen., saeculares canonici subrogantur, 155.
XV. Institutio Sanctissimi Iubilaei, plenariaeque peccatorum remissionis pro quolibet centesimo anno basilicas Ss. Petri et Pauli Apostolorum de Urbe visitantibus, 156.

XVI. Erectio Studii generalis in civitate Firmana, provinciae Marchiae Status Ecclesiastici, cum privilegiis, gratiis et indultis Studii Bononiensis, 157.
XVII. Publicatio processuum contra offendentes venientes et recedentes ab Urbe, 158.
XVIII. Confirmatio electionis Alberti regis Romanorum in imperatorem electi, 159.
XIX. Declaratio quod Hungariae regnum ad Mariam Siciliae reginam et Carolum eius nepotem, non autem ad Venceslaum Bohemiae regis natum pertineat, 162.
XX. Institutio Studii generalis in Alma Urbe, cum privilegiis pro doctoribus et scholaribus, 166.
XXI. Erectio Studii generalis in civitate Avinionis, 168.
XXII. Philippus Galliae rex, enarratis quae ab eo gesta sunt, fidelium coetu sacrisque segregatus declaratur, 170.

BENEDICTUS XI.

I. Encyclicae Benedicti literae de sua in Pontificem electione, 175.
II. Nova confirmatio Ordinis fratrum Servorum B. Mariae Virginis sub regula S. Augustini, 176.
III. Receptio congregationis monachorum Coelestinorum Ordinis S. Benedicti, sub Sedis Apostolicae protectione, cum nonnullarum gratiarum elargitione, 177.

CLEMENS V.

I. Saecularizatio Ecclesiae Burdegalensis Ordinis Sancti Augustini, 180.
II. Confirmata Bonifacii VIII constitutione, qua Hungariae regnum Mariae, Siciliae reginae, eiusque nepoti Carolo adiudicatur, Othoni Bavariae duci, a nonnullis in regem electo, dies indicitur, ut coram Apostolica Sede sistat, 182.
III. Excommunicatio Andronici Graecorum imperatoris, eiusque complicum et adhaerentium, 185.
IV. Universis christifidelibus, pro reparatione Lateranensis basilicae igne consumptae laborantibus, conceditur indulgentia decem annorum, totidemque quadragenarum, 186.
V. Indictio XV sacri et oecumenici concilii, Viennensis primi, ad kalendas octobris 1309, 187.
VI. Erectio Studii generalis in civitate Perusii, provinciae Hetruriae, 192.
VII. Confirmatio electionis Henrici in regem Romanorum, 193.
VIII. Excommunicatio contra cudentes et deferentes falsas monetas in regno Franciae, 195.
IX. De reditu civitatis Ferrariae sub antiqua Sedis Apostolicae obedientia et iurisdictione, eiusque privilegiorum confirmatione, 196.
X. Damnatio sectae sub nomine Libertatis spiritus in Spoletana aliisque diversis Italiae provinciis exortae, 209.
XI. Destinatio legatorum pro Henrici VII imperatoris coronatione, eiusque coronationis ritus et forma praescribuntur, 214.
XII. Monumentum praestiti ab Henrico VII in imperatorem electo iuramenti fidelitatis et confirmatarum Sedi Apostolicae imperialium donationum, 221.
XIII. Mandatum de reducendo numero scriptorum sacrae Poenitentiariae ad duodenarium, 225.
XIV. Damnatio militum Templariorum, cum bonorum totius Ord. applicatione Ordini militum Hierosolymitanorum, 226.
XV. Canonizatio Sancti Petri de Murrone Summi Pontificis Romani, Coelestini quinti nuncupati, eiusque relatio in cathalogum Ss. confessorum, cum festivitatis institutione pro die 19 mensis maii, 229.

IOANNES XXI *dictus* XXII.

I. Quod, vacante Romano imperio, nullus assumat nomen vicarii eiusdem, cum id tantummodo ad Romanum pertineat Pontificem, 234.
II. Canonizatio B. Ludovici, Caroli regis Siciliae filii, et episcopi Tholosani, eiusque adscriptio in numerum sanctorum confessorum, cum festivitatis institutione pro die 19 augusti quotannis celebrandae, 236.
III. Indictio induciarum inter Angliae et Scotiae reges, sub eadem poena excommunicat. contra violantes, 241.
IV. Erectio episcopatus Castren., eiusque disiunctio ab Ecclesia Albien., 242.
V. Erectio Ecclesiae de Sancto Floro cum disiunctione illius ab episcopatu Claromontensi, 244.
VI. Divisio episcopatus Tholosan. in quatuor alias Ecclesias suffraganeas, scilicet Montisalban., S. Papuli, Lumbriacen. et Riven., eiusque erectio in metropolitanam Ecclesiam, 245.
VII. Divisio episcopatus Pictavien., ac Malleacen. et Linconiensis Ecclesiarum Ordinis Sancti Benedicti in cathedrales Ecclesias erectio, 247.
VIII. Dismembratio Ecclesiae Agennen. et erectio villae de Condomio eiusdem dioecesis in episcopatum Condomiensem, 249.
IX. Erectio episcopatus Vabrensis, 249.
X. Contra haereticos, vel de haeresi suspectos et iudaeos ad fidem catholicam conversos, ab eaque apostatantes, quamvis ad Ecclesiam confugiant, esse procedendum, 250.
XI. Dismembratio episcopatus Narbonen., et erectio cathedralis Ecclesiae in villa de Limoso eiusdem dioecesis cum iurisdictione et iuribus ordinariis, 251.
XII. Ordinationes et statuta pro bono regimine fratrum Ordinis Grandimonten., eiusque prioratuum aliorumque locorum ad eumdem Ordinem pertinen. definitio, 252.
XIII. Damnatio sectae Bizochorum, Beguinorum, Fraticellorum, pseudofratrum S. Francisci de Assisio, 261.
XIV. Erectio Ecclesiarum Electen. et Sancti Pontii Thermolarum, ac suppressio episcopatus Limosen., 268.
XV. Quod hospitali et Religioni militum S. Ioannis Hierosolymitani, habenti annalia beneficiorum vacantium accrescant fructus, quos illa obtinentes et non residentes percipere possent, 270.
XVI. Divisio provinciae Tarraconensis in duas, et erectio Ecclesiae Caesaraugustan. in metropolitanam, 271.
XVII. De lectorum ad Studium Perusinum admissione et scholarium promotione ad doctoratum, 272.
XVIII. Ordinatio Studii in Urbe, eiusque privilegiorum confirmatio, 275.
XIX. Tutellensis Ecclesiae divisio a Lemovicensi, et novi episcopatus erectio, cum dioecesis, capituli et mensae assignatione, 277.
XX. Institutio Militiae Iesu Christi in regnis Portugalliae et Algarbiorum sub regulari observantia Ordinis Militiae de Calatrava, eiusdemque Ordinis assignatio primae domus facta per regem in Castro de Marino Silvensis dioecesis, 277.
XXI. Excommunicatio contra extrahentes et introducentes victualia, merces et alia in ducatu Ferrariae, absque Sedis Apostolicae officialium licentia et signo, 284.
XXII. Constitutio poenarum contra offendentes vel aliis quibusvis modis perturbantes rectorem Beneventanum, eiusque officiales et ministros, 285.
XXIII. Reservatio Ecclesiarum aliorumque beneficiorum, in dominio Romanae Ecclesiae consistentium, ad quae quis consuevit per electionem assumi, 287.
XXIV. Mandatum archiepiscopis et episcopis Angliae, ut eos publice denuncient excommunicatos, qui contra Sedis Apostolicae prohibitionem Hiberniam armis impetere, caedibusque et rapinis miscere ausi fuerant, 287.

XXV. Promulgatio sententiarum contra retinentes et inhabitantes domos et palatia Ecclesiarum, S. R. E. cardinalibus in titulum seu commendam concessarum, 289.
XXVI. Canonizatio B. Thomae episcopi Herfordiensis in Anglia, eiusque relatio in numerum Ss. confessorum, cum festivitatis institutione pro die 2 mensis octobris, 291.
XXVII. Quod iudaei ad fidem catholicam conversi, iis bonis gaudeant quae conversionis tempore possidebant, 294.
XXVIII. Erectio cathedrarum medicinae et artium in Perusino Studio, data insuper facultate episcopo licentiandi et laureandi in utraque facultate idoneos, pro quorum examine nonnullæ sanciuntur leges, 294.
XXIX. Revocatio concessionum, donationum, locationum, alienationum aliorumque omnium per rectores et officiales S. R. E. in patrimonio Beati Petri in Tuscia, comitatu Sabinae et terris Arnulphorum, quibusvis personis factarum, 297.
XXX. Sequitur episcopo Urbevetano ut de his inquirat, terras huiusmodi recuperet, detentores censuris compescendo, 298.
XXXI. Inquisitoribus haereticae pravitatis prohibetur, quominus Bononiae arma deferendi ulli licentiam tribuant, eamque aliis in locis solis dent familiaribus, 298.
XXXII. Contra facientes cavalcatas et incursiones in provincia Marchiae Status Ecclesiastici, 299.
XXXIII. Ecclesia monasterii Cassinen. erigitur in cathedralem, monasteriumque in episcopatum cum omnimoda iurisdictione, privilegiis et iuribus pro novo episcopo et capitulo, quibus antea abbas et monaci fruebantur, 300.
XXXIV. Canonizatio B. Thomae de Aquino, Ordinis fratrum Praedicatornm Sancti Dominici, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum institutione festivitatis pro die 7 martii, 302.
XXXV. Iurisdictionis pars quaedam, nonnullique redditus, spectantes ad Ecclesiam Avenionen. in castris Pontis Sorgiae et de Interaquis, ab ea separati, Romanae Ecclesiae et comitatui Venaisino uniuntur, 308.
XXXVI. Approbatio congregationis monachorum B. Mariae Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti, 310.
XXXVII. Quod regulares cuiuscumque Ordinis ad partes infidelium se conferre, ibique verbum Dei praedicare, absque superiorum suorum licentia speciali, minime possint, 310.
XXXVIII. Revocatio concessionum de percipiendis fructibus in absentia in Ecclesiis quibuscumque Urbis, cardinalibus dumtaxat exceptis, 311.
XXXIX. Erectio episcopatus Cortonen. in Ecclesia Sancti Vincentii eiusdem civitatis cum exemptione a iurisdictione Ecclesiae Aretinae, 312.
XL. Contra ineuntes foedera cum haereticis aut alio quovis modo eis faventes, 315.
XLI. Contra immolantes daemonibus, aut responsa et auxilia ab eis postulantes, sive tenentes libros de eiusmodi erroribus tractantes, 315.
XLII. Ordinationes observandae ab auditoribus causarum Curiae Romanae, eorumque notariis, 317.
XLIII. Declarat, indultum quibuslibet universitatibus et personis concessum, ne extra certos limites vocari in iudicium possint, ad causas et negotia, quae apud Sedem eamdem agitantur, non extendi, 323.
XLIV. Confirmatio erectionis Universitatis studiorum in civitate Cadurcensi, 324.

BENEDICTUS XII.

I. Benedictus praelatos Ecclesiarum certiores facit de sui electione in Pontificem, 324.
II. De apostatis, seu alias quomodolibet habitum religionis dimittentibus, ac extra suorum Ordinum claustra eva-

gantibus, deque eorumdem animadversione, ac praelatorum facultate absolvendi resipiscentes ab excommunicatione, et super irregularitate dispensandi ratione apostasiae, 326.
III. Quod fratres Mendicantes ad Ordines monachorum Nigrorum et Cisterciensium transire non possint, absque licentia Romani Pontificis, 328.
IV. Reformatio Ordinis Cisterciensis monachorum S. Benedicti, 329.
V. Definitio quorumdam articulorum circa Beatorum visionem, animarumque beatitudinem et damnationem, 345.
VI. Ordinationes et reformationes pro bono regimine monachorum Nigrorum Ordinis S. Benedicti, 347.
VII. Contra Fraticellos eorumque sequaces et fautores per Sedem Apostolicam damnatos, 387.
VIII. Quod rectores terrarum Romanae Ecclesiae consanguineos vel affines suos ad aliquod officium exercendum in eisdem terris minime admittant, 388.
IX. Quod rectores et thesaurarii terrarum Romanae Ecclesiae stipendia, quae dantur pro militia, familiaribus suis assignare non possint, 389.
X. Quod beneficia vacatura per adeptionem aliorum apostolica auctoritate collat. reservata censeantur, etiamsi, ante assecutionem dictorum beneficiorum, ex causa permutationis vel simplicis resignationis vacaverint, 389.
XI. Ordinationes et statuta pro bono regimine Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Assisio, 391.
XII. Statuta et ordinationes pro bono regimine Poenitentiariae Apostolicae eiusque officialium ac forma iuramenti praestandi ab eisdem, 415.
XIII. Constitutio totius Ordinis canonicorum regularium Ordinis Sancti Augustini, 424.
XIV. Institutio Studii generalis in civitate Veronensi, 459.
XV. De Studio generali in civitate Gratianopolitana erecto, nonnullisque eiusdem legibus, 460.
XVI. Revocatio vectigalium et pedagiorum a populo Romano, absque Sedis Apostolicae licentia, impositorum, 461.
XVII. Contra eos, qui loco sui alios supponunt examini pro consequendis beneficiis ecclesiasticis, vel se pro aliis dicto examini supponunt, 462.
XVIII. Declaratio super certis capitulis contentis in constitutione edita super statu Ordinis monachorum Nigrorum, 462.

## CLEMENS VI.

I. Insignium sacerdotiorum atque ecclesiasticarum dignitatum provisio in Siciliae regno Sedi Apostolicae reservatur ad tempus, 467.
II. Declaratio quod, rege Siciliae minore, regni procuratio spectat ad Sedem Apostolicam, 468.
III. Facultas abbati congregationis monachorum B. Mariae Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, retinendi et acquirendi nova loca et monasteria, ibique ecclesiastica sacramenta ministrandi, 471.
IV. Pragensis Ecclesiae erectio in archiepiscopatum, 473.
V. Ludovicus de Hispania Fortunatarum Insul. rex constituitur, 474.
VI. Confirmatio diplomatis a Ioanna regina in favorem Sanciae matris concessi, 478.
VII. Reformatio Ordinis fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis circa prioris generalis et aliorum priorum et definitorum munera et electiones, capitulorumque generalium et provincialium celebrationem, 480.
VIII. Prohibitio dandi vel acquirendi dominium aut iurisdictionem vel praeeminentiam aut obligationem super locis et castris patrimonii S. Petri, aut quoquomodo ea occupandi, 484.
IX. Confirmatio actorum concilii Posoniensis, 486.

X. Confirmatio electionis marchionis Moraviae Romanorum regis in imperatorem electi, 493.
XI. Pragensis Academia instituitur et archiepiscopo conferendae doctoratus laureae ius adiudicatur, 496.
XII. De canonizatione B. Ivonis presbyteri Trecorensis Galli, eiusque festivitatis celebratione sub die 19 mensis maii, 497.
XIII. Limitatio finium agri Beneventani, 497.
XIV. Episcopis Carpentoraten. et Uticen., ac abbati monasterii S. Rufi prope Valentiam committitur inquisitio super miraculis beati Elzearii, comitis Arianensis, 500.
XV. De cibis potuque ministrandis S. R. E. cardinalibus in conclavi, et numero inservientium eisdem, 501.
XVI. Rectores provinciarum, civitatum, aliorumque locorum Rom. Ecclesiae immediate subiectorum a thesaurariis earumdem provinciarum ultra debitum aliquid per violentiam extorquentes vel alias quomodolibet exigentes, excommunicationis vinculo innodantur, suisque officiis privantur, 502.

INNOCENTIUS VI.

I. Iurisdictio et facultates Ægidii S. R. E. cardinalis legati et vicarii apostolici totius Status Ecclesiastici, 503.
II. Quod rectores provinciarum Rom. Ecclesiae processus a thesaurariis contra non solventes census eidem Ecclesiae debitos factos suspendere aut cassare, *etc.*, eisdem thesaurariis inconsultis, non possint, 505.
III. Cassatio pactorum a S. R. E. cardinalibus ante electionem Summi Pontificis in praeiudicium auctoritatis eiusdem initorum, 506.
IV. Quod in Statu Ecclesiastico homicidae ad pecuniariam compositionem non admittantur, 508.
V. Alearum seu taxillorum ludi reprobatio, cum prohibitione ne quid a prostitutis mulieribus exigatur, 509.
VI. Literae processus Clem. V et Ioannis XXII contra invadentes, vel alias quomodolibet Siciliae regnum occupantes promulgatae, extenduntur ad Beneventanam civitatem, 510.
VII. Reformatio taxarum Curiae civitatis Beneventanae, 512.
VIII. Extensio constitutionis contra occupantes iura et bona S. R. E. ad invasores terrarum, locorum, iuriumque quorumcumque Ecclesiae Avenionensis, 513.
IX. Innovatio sententiarum Clementis PP. VI contra dantes vel acquirentes dominium aut iurisdictionem vel praeeminentiam aut obligationem super castris et locis patrimonii Beati Petri in Tuscia, aut quoquomodo ea occupantes, earumdemque extensio ad alias provincias Status Ecclesiastici, 514.
X. Institutio cathedrae theologicae in Studio generali civitatis Bononiae, 517.

URBANUS V.

I. Institutio Studii generalis in civitate Patavina etiam in facultate theologica, 519.
II. Privilegium Ordinis Cartusianorum utendi altare portatili pro celebratione missarum in locis ad Ordinem spectantibus, 520.
III. Iurisdictio camerarii S. R. E. procedendi contra piratas nova pedagia imponentes, eaque perpetrantes quæ in Bulla *In Coena Domini* vetantur, 520.
IV. Iudaeos molestantes, seu alias ipsis iniurias quomodolibet inferentes, aut ad recipiendum baptismum compellentes excommunicationis poena plectuntur, 522.
V. Cassinensis Ecclesia olim in episcopalem erecta, iterum abbatialis restituitur, 523.

VI. Erectio Ecclesiae Montis Falisci in episcopatum, cui dioecesis termini assignantur, 524.
VII. Decretum quod oblationes, quae obveniebant episcopo Portuensi in basilica S. Petri, convertantur ab altarario in beneficium fabricae, 528.

GREGORIUS XI.

I. Beatum Elzearium de Sabrano in Gallia Narbonensi sanctorum confessorum canoni per Urbanum PP V, praedecessorem suum, adscriptum fuisse denunciat, 529.
II. Basilicae Sanctae Mariae Maioris de Urbe pene collabenti pro reparatione impendenda ecclesiam Sancti Lucae, iuxta dictam basilicam existentem, unit et annectit, 532.
III. Beneficia per obitum familiarium S. R. E. cardinalium vacantia et quibusvis personis collata, nisi in literis provisionis eorumdem de familiaritate huiusmodi mentio fiat, vacare decernit, 533.
IV. Quod Ecclesia S. Ioannis in Laterano de Urbe supremum locum tenet super omnes Ecclesias Urbis et orbis, 534.
V. Quod praelati, abbates et alii beneficia residentialia obtinentes in Ecclesiis eorum residentiam facere omnino teneantur, 535.
VI. Damnatio quorumdam statutorum in regno Aragoniae per quae Ecclesiarum libertas et ecclesiasticarum personarum bona afficiebantur, 536.
VII. Literae processus, seu anathematizatio haereticorum aliorumque S. R. Ecclesiæ quomodolibet se opponentium, quas in die Coenae legi consuevit, 539.
VIII. Saraceni ad christianam fidem conversi et ad eorum sectam redeuntes, et christiani ad illam transeuntes, eorumque fautores, ab inquisitoribus haereticae pravitatis puniantur, 541.
IX. Fraticellorum, Dulcinorum et de Paupere Vita haereticorum cineres in regno Siciliae colentes, eisque altaria cum luminaribus erigentes, anniversariamque diem obitus eorumdem celebrantes vel alias ad cultum, absque Sedis Apostolicae licentia, extollentes, puniendos esse sancitur, 541.
X. Collegium in civitate Bononiensi, a se Gregorianum nuncupatum, excitat, eidemque dotem assignat, statutaque et ordinationes pro bono regimine magistrorum et scholarium inibi degentium decernit, 542.
XI. Humiliatorum Ordinis praepositos, quamvis ab Apostolica Sede de praeposituris provisos, correctioni et obedientiae magistri generalis eiusdem Ordinis subiectos fore declarat, 560.
XII. Exemptio Ordinis fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum a solutione decimarum, de proventibus et redditibus ecclesiasticis, per Sedem Apostolicam regibus et principibus vel aliis, concessarum et concedendarum, 561.
XIII. Declaratio et limitatio auctoritatis et facultatum cardinalis pro tempore protectoris fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci, 562.
XIV. Quod officiales Status Ecclesiastici neminem cogant ad granum, ligna et similia, absque solutione iusti pretii, sibi deferendum, 564.
XV. De scriptura literarum apostolicarum per scriptores, iuxta distributionem secretariorum, cito facienda, et inobedientium poena, 564.
XVI. Religiosi cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, quamvis Sedis Apostolicae sint cappellani, eorum superioribus subiecti remaneant, 565.
XVII. Quod Ecclesiarum prælati seu locorum ordinarii, occasione præsentationum et institutionum per magistrum et fratres S. Ioannis Hierosolymitani de personis idoneis ad beneficia curam animarum habentia factarum, ab eisdem nil penitus exigant vel audeant extorquere, 566.
XVIII. De auctoritate et facultatibus munereque magistri generalis et aliorum

praelatorum fratrum Praedicatorum Ordinis S. Dominici, gratiisque et privilegiis eiusdem Ordinis, 567.

XIX. Damnatio legum seu errorum in Saxonia *Speculum Saxonum* nuncupatorum, eorumdemque sequacium cum poenarum impositione, 573.

XX. Clerici illegitimi non admittantur ad canonicatus et alia beneficia trium Ecclesiarum patriarchalium de Urbe, absque speciali Sedis Apostolicae dispensatione, 576.

XXI. Contra praelatos et alios dantes munera seu strenas nunciis provisiones Ecclesiarum vel beneficiorum sibi a Sede Apostolica collatorum quomodolibet deferentibus, 577.

XXII. Quod in Ecclesia S. Ambrosii ad Nemus Mediolanensi, ob reverentiam eiusdem Sancti, fratres S. Ambrosii nuncupandi, sub regula S. Augustini religiosam vitam ducant, Ambrosianumque officium recitare possint, 578.

XXIII. Declaratio et extensio privilegii exemptionis a solutione decimarum congregationis monachorum Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, 579.

URBANUS VI.

I. Iurisdictio camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae summarie quascumque causas interesse rever. Camerae Apostolicae quomodolibet concernentes cognoscendi, 581.

II. Maremagnum seu privilegium privilegiis conflatum pro Ordine fratrum Servorum B. Mariae Virginis, 582.

III. Confoederationes cum haereticis, quacumque firmitate roboratae, nullae et irritae declarantur, 584.

IV. Erectio Studii generalis in civitate Quinquecclesien. regni Hungariæ cum privilegiis pro doctoribus et scholaribus, reservata Ludovico regi praesentandi facultate, 585.

V. Lateranensis Ecclesiae oblationes in alios quam fabricae eiusdem basilicæ usus converti prohibet, 586.

VI. Quod fratres hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani unum tantummodo in eorum Ordine beneficium acquirere possint decernit, 587.

VII. Contra officiales laicos quoquomodo personas ecclesiasticas bannientes, relegantes aut proscribentes, 588.

VIII. Reprobatio pignorum seu sportularum, occasione litigiorum, iudicibus ecclesiasticis quovis modo exhibendorum, 589.

IX. Approbatio et ratificatio Ordinis fratrum Sancti Pauli Primi Eremitae in Hungariae partibus a Ioanne PP. XXII instituti, 589.

X. Fratribus Ordinis Servorum Sanctae Mariae nullam antehac in Urbe domum habentibus ecclesia Sancti Marcelli conceditur, 590.

XI. Sanctorum Petri et Pauli apostolorum icones argenteas deauratas gemmisque pretiosis elegantissime elaboratas, quarum altera, scilicet beati Petri, de ligno Crucis Domini nostri Iesu Christi particulam in vertice retinet, et in quibus Ss. apostolorum eorumdem capita sunt recondita, aliasque nonnullorum sanctas reliquias decenter ornatas, in sacrosancta Lateranensi Ecclesia asservatas auferentes, diripientes seu alias quomodolibet depraedantes excommunicationis vinculo innodantur, perpetuaeque infamiae poena plectuntur, 592.

XII. Haereticis, schismaticis aliisque a sacrosancta apostolica Romana et universali catholica Ecclesia quomodolibet deviantibus, et ad eiusdem Ecclesiae unitatem, obedientiam et reverentiam redeuntibus formam professionis fidei praestandam praescribit, 594.

XIII. Causarum Curiae Capitolinae cognitionem et diffinitionem etiam in gradu appellationis et in quibuscumque instantiis, iudicibus eiusdem Curiae tantummodo, caeteris Romanae Curiae

iudicibus et officialibus procedendi in causis huiusmodi facultate interdictá, spectare declarat, 596.
XIV. Institutio Universitatis Studii generalis ad normam Academiae Parisiensis in urbe Coloniensi, 597.
XV. Terra Montis Regalis (nunc vulgo *Mondovi*) in civitatem, et Ecclesia S. Donati in cathedralem erigitur, 599.

BONIFACIUS IX.

I. Institutio festivitatis Visitationis Beatae Mariae Virginis pro die 2 iulii, cum adhortatione ad ieiunium vigiliae, indulgentiisque pro interessentibus officiis dictae festivitatis, ex constitutione Urbani VI, 602.
II. Camerae Apostolicae bona detinentes seu alias quomodolibet occupantes, scientes quoque et non revelantes, excommunicationis aliisque poenis plectuntur, 604.
III. Damnatio ordinationum in Parlamento Angliae editarum super provisione Ecclesiarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum eiusdem regni, 606.
IV. Erectio Studii generalis in civitate Ferrariae, Status Ecclesiastici, 610.
V. Exemptio fratrum Ordinis Cartusianorum a iurisdictione, visitatione et correctione episcoporum et aliorum omnium, 612.
VI. Confirmatio constitutionum a Friderico secundo et Carolo quarto imperatoribus pro immunitate, libertate et iurisdictione ecclesiastica editarum, 614.
Sequitur constitutio Caroli IV, 614.
VII. Canonizatio B. Brigittae, de regno Svetiae, cum festivitatis institutione pro die 23 mensis iulii, indulgentiarumque elargitione pro visitantibus eius sepulchrum, 616.
VIII. Cavense coenobium in episcopalem sedem erigitur, 624.
IX. Servorum Beatae Mariae fratribus Ordinis officia recipiendi seu obtinendi, absque prioris generalis speciali licentia facultatem interdicit, 627.
X. Statuta a cardinali S. Sabinae pro Terracinensibus edita firmat, 627.
XI. Confirmatio statutorum et ordinationum provinciarum Campaniae et Maritimae per Bonifacium PP. VIII editorum, 629.
XII. Ecclesia S. Michaelis in Monte Gargano erigitur in cathedralem, addita lege, ut Sipontinus archiepiscopus Garganicus quoque nuncupetur, 633.
XIII. Prohibitio infeudandi, locandi seu alias quomodolibet alienandi bona Ecclesiarum et monasteriorum Urbis, eiusque districtus, nisi de triennio in triennium, 635.

INNOCENTIUS VII.

I. Approbatio Regulae fratrum et sororum de Poenitentia, Ordinis S. Dominici, 636.
Incipit Regula fratrum et sororum Ordinis de Poenitentia B. Dominici Tertiariorum fundatoris et patris fratrum Ordinis Praedicatorum, 637.
II. Quod vicarii et feudatarii ad solutionem antiquorum censuum Romanae Ecclesiae debitorum teneantur, etiamsi in eorum investituris censuum huiusmodi mentio nulla facta fuerit, 642.

GREGORIUS XII.

I. Facultas Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis camerarii avocandi ad se causas quascumque Cameram Apostolicam quomodolibet tangentes, 643.
II. Institutio canonicorum et clericorum saecularium in Ecclesia S. Georgii in Alga Venetiarum, Castellanensis dioecesis, 645.
III. Institutio congregationis canonicorum regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, in domo de Silvalacus Senen. dioecesis, 651.
IV. Confirmatio fratrum Eremitarum S,

Hieronymi de Fesulis; Ordini, alias ab Innocentio VII approbato, alia accipiendi loca, fratresque alios admittendi facultas conceditur, 653.

ALEXANDER V.

Unica Constitutio. Contra se ingerentes, vel regimen et administrationem Ecclesiarum, monasteriorum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet exercentes, literis apostolicis suae provisionis minime expeditis, 655.

IOANNES XXIII.

I. Declaratio poenarum contra dantes aliquid vel promittentes aut recipientes pro obtinenda gratia vel iustitia apud Sedem Apostolicam, 657.
II. Erectio cathedralis Ecclesiae Leopolien. in partibus Russiae cum privilegiorum concessione, 658.
III. Damnatio librorum seu tractatuum Ioannis Wiklef, *Dialogi* et *Trialogi* nuncupatorum, cum prohibitione eos legendi seu exponendi in quibuscumque Universitatibus seu Studiis, 661.
IV. Indictio generalis concilii Constantiensis pro die 1 mensis novembris, anni 1414, 662.

MARTINUS V.

I. Damnatio errorum Ioannis Wiklef, Ioannis Huss, Hieronymi de Praga et aliorum de sacramentis Ecclesiae male sentientibus, eorumdem complicum et fautorum: ac forma haereticos suspectosque de haeresi examinandi, 665.
II. Contra impedientes executionem literarum apostolicarum, praetextu concessionis vel indulti Urbani VI, 677.
III. Ordinis Mendicantium professoribus quibusvis ad alios, quam Carthusiensem Ordinem, transitum, absque Sedis Apostolicae licentia speciali, interdicit, 678.
IV. De officio et qualitatibus scriptorum et abbreviatorum literarum apostolicarum, custodisque Cancellariae ac examinatorum, bullatorum et registratorum, auditorumque, procuratorum et notariorum Rotae et advocatorum consistorialium, 679.
V. In officio provincialatus non possunt fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini reeligi nec confirmari, biennio vel triennio completo, nec ad eorum vitam in ipso remanere, 689.
VI. Expositis iis, quae peracta sunt in condemnatione errorum Nicolai Serurarii, archiepiscopis et episcopis mandatur ut inquirant contra eius sectatores, 690.
VII. Exemptio Ordinis fratrum Cartusianorum a solutione primitiarum et decimarum, 695.
VIII. Iurisdictio consulum artis mercaturae pannorum de Urbe, iuxta artis eiusdem statuta, cognoscendi causas quascumque ad ipsam artem spectantes, 696.
IX. Unio omnium canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ubique professorum in unam congregationem cum innovatione constitutionum, et communicatione sive extensione privilegiorum, 697.
X. Erectio cathedralis Ecclesiae Fortisventurae in Insulis Canariis, quae Ispalensi subiecta declaratur, 701.
XI. Confirmatio Regulae fratrum et sororum Tertii Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, 702.
XII. Privilegium exemptionis monachorum S. Benedicti Ordinis Cisterciensis a solutione decimarum, 707.
XIII. Statuta et ordinationes nonnullae sanciuntur ab auditoribus Rotae Romanae, advocatisque, procuratoribus et notariis eius Curiae observandae, quibus vita, moresque probi praescribuntur, 708.
XIV. Sanctorum canoni adscribit Beatum

Sebaldum de Daciae regum prosapia genitum, oppido Nuremburgensi Bambergen. dioec. clarum, cum institutione festivitatis pro die 19 augusti, 714.
XV. Reintegratio antiqui officii et iurisdictionis magistrorum viarum Urbis eiusque districtus, 716.
XVI. Iudaeis, ut a christifidelibus secernantur, signum deferendi decernit cum poenarum praefinitione contra non deferentes, 718.
XVII. Contra ementes, rapientes seu alias quomodolibet allicientes christicolas, ut infidelibus vendant, mercesque eorum loco recipiant, excommunicationis aliasque poenas decernit, 720.
XVIII. Homicidas in terris baronalibus in districtu Urbis existentibus recipi minime posse, poenasque contra receptatores decernit, omnemque iurisdictionem senatori Urbis circa illorum punitionem deberi declarat, 721.
XIX. Institutio Studii generalis in oppido Lovanii, tunc Leodiensis, nunc Mechliniensis dioecesis, et ducatus Brabantiae, cum privilegiorum et gratiarum elargitione, ac nonnullorum statutorum praefinitione, 723.
XX. De sacramento Eucharistiae laicis sub una tantum specie, iuxta Constantiensis sancita concilii, ministrando, 726.
XXI. Prohibitio trahendi personas ecclesiasticas ad forum saeculare, 728.
XXII. Iesuati, qui sub tutela Sedis Apostolicae suscipiuntur, a molestia qualibet inquisitorum haereticae pravitatis liberantur, 730.
XXIII. Quod festivitas Sanctissimi Corporis Christi etiam per octavam celebrari possit, apertis ecclesiarum ianuis, tempore interdicti; et qui eam piis operibus venerantur, indulgentias consequantur, 731.
XXIV. Declarationes Regulae fratrum Minorum Conventualium S. Francisci ad ipsius Ordinis reformationem, 732.
XXV. Declaratio et modificatio constitutionum nuper editarum super reformatione fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, 744.
XXVI. Indictio generalis concilii Basileensis, cui praeses datur Iulianus diaconus cardinalis S. Angeli, 747.

*V. ex delegatione DD. Archiepiscopi Taur.*
**P. CLODOVÆUS A COSTILIOLIS Ord. Min.**